


BARTHOLOMÆI
ANGLICI











pp 311–314 wanting

John Hodgkin

Aug 8 1912





BARTHOLO-MÆI ANGLICI DE GENVINIS RERVM COELESTIVM, TERRE-STRIVM ET INFERNARVM Proprietatibus,

Libri XVIII.

OPVS INCOMPARABILE; AC THEOLOGIS, IVRECONSVLTIS, MEDICIS, omniumque disciplinarum & artium alumnis vtilissimum.

CVI ACCESSIT LIBER XIX. DE variarum rerum accidentibus.

Iam nunc noua specie, nouaque plane forma recusum, & ab immundis mendis ad amussim repurgatum. Adiuncto INDICE rerum & verborum locupletissimo.

Procurante

D. GEORGIO BARTHOLDO PONTANO à Braitenberg, Metrop. Ecclesiæ Pragensis Præposito.

EDITIO SECVNDA.



FRANCOFVRTI,
Apud Wolfgangum Richterum, sumptibus NICOLAI STEINII.
ANNO M. DC IX.


WELLCOME
HISTORICAL
MEDICAL
LIBRARY



REVERENDO ADMODVM, NOBILI, ET CLARISSIMO VIRO, DOMINO VALENTINO LEVCHTHIO SS.

Theologiæ Doctori, Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Protonotario Apostolico, Comiti Palatino Cæsareo, nec non sacræ Cæs. Maiestatis in re libraria Commissario generali: Francoforti Imperialium ad S. Bartholomæum Cantori & Concionatori ordinario, vti fratri suo in Christo charissimo

GEORGIVS BARTHOLDVS PONTANVS A BRAITENberg Ecclesiæ Metropol. Pragensis Præpositus, &c.

Salutem & omne bonum precatur.

VEHEMENTER equidem dolendum, quod cum multarum rerum nouitates hoc infœlici tempore promoueantur, quæ quasi paruum aut nullum commodum Reipub. Christianæ afferunt, soli

ſoli illi Auctores, quorum vſus in vniuerſo terrarũ orbe ſemper habitus eſt vtiliſſimus, tineis & blattis committantur. Inter quos certe poſtremus non eſt Bartholomæus Anglicus, Auctor inſignis, cuius ſtudium, labor, opera & induſtria ſeruit omnibus, ſibi iam quaſi (deſideratis exemplaribus) defuncto parum, cuius tamen librorum intuitu ante oculos propemodum obſeruatur, quicquid cœlum & mundus habet, & de quo poſt Deum gloriatur, vt illos libros rectius cornucopiam mundi vel ipſum mũdum appellare non vererer. Eſt præterea breuis in dicendo, ſagax in diſcernendo, diligens in proferendo, vtilis in adhibendo rebus omnibus, adeo vt præter alia, digniſſimum illum ſemper iudicauerim, cuius iuuentus vt aquilæ renouetur.

Quæ cauſa fuit, quod eoſdem ſupradicti Auctoris libros Nicolao Steinio, Notario Publ. & Bibliopolæ Francofurti, ad publicandum iterum vniuerſo terrarum orbi commendauerim; quod & ille pie, & induſtrie, & vt ſolent viri de Rep. Chriſtiana benemeriti, ſufficienter præſtitit. Et quia nõ Auctor ego, ſed amator & procurator fui huius operis, vt recuderetur, & iam mihi liberum maneat, cui vellem inſcribere, non

quod

uod opus ipſum commendatione requi-
it, cum ſit per ſe optimum, ſed vt operi
mmodo Patronum ſeligerem, tibi vti fra-
i meo chariſſimo in primis inſcribere, de-
ouere & dedicare volui. Es enim Religio-
is Catholicæ adiuuandæ, Reipublicæ
Chriſtianæ promouendæ, rerumq́ue ma-
gnarum & arduarum, quas iſti libri conti-
ent, amantiſſimus & peritiſſimus, easq́ue
am dudum rerum vſu, longinquis & diſſi-
torum locorum moleſtis profectionibus
percepiſti, prout & iam ſacratiſſimo Iubi-
læo & ſeculari anno præterito, pietatis, de-
uotionis & rerum maximarum ſanctarum-
q́ue viſendarum gratia, ad Limina SS. A-
poſtolorum Petri & Pauli deuotiſſime Ro-
mam te contuliſti, vbi & ſummo Pontifici,
& Illuſtriſsimis, nec non Reuerendiſsimis
D.D. Cardinalibus, viris que Eccleſiaſticis
tàm pietate quàm doctrina præſtantiſsimis
tua innotuit virtus, deuotio, pietas, erudi-
tio, & in Religione Catholica firmiter pro-
paganda conſtantia, quæ DEO ter Optim.
Maximo in primis nota eſt: Deinde vt hac
noua auctoris huius editione ex animo tibi
gratularer ad nouam dignitatem & Laureã
Doctoralem, quam in alma & florentiſſima
Academia Bononienſi ciuitate inter reli-

quas Italiæ ciuitatibus pręclariſſima ſuffra-
gantibus omnium eximiorum Doctoru
Theologorum vnanimis votis, Promoto-
re Reuerendo, Clariſsimoq; viro Domin
Ioan. Baptiſta ab Horto Profeſſore Theo-
logiæ profundiſsimo, ibidemque Primari
Eccleſiæ ad S. Petroniū Canonico digni
ſimo, viro de Eccleſia & Repub. literaria o-
ptime merito, præmiſsis conſuetis diſputa-
tionibus, & argumentorum ſolutionibus
publice ſolenniterq; maxima tui cum lau-
de conſecutus es: faxit Deus vt ad Eccle-
ſiæ Catholicæ & Reipubl. Chriſtianæ vtili-
tatem, tui vero aliorumque multorum ho-
minum ſalutem cedat, qui te fœlicē dedu-
xit atq; reduxit, qui & te vti fratrem meum
in Chriſto amantiſsimum in Neſtoreos an-
nos incolumem conſeruare dignetur. Dat.
Pragæ Dominica Lætare, Anno reparatæ
ſalutis noſtræ 1601.

IN

IN COMMENDATIONEM AVCTORIS ET OPERIS NICOLAI STEINII BIBLIOPOLÆ AD CANDIDUM LECTOREM.

ALexander Rex ille Macedonicus, cuius præclarissimæ res gestæ passim & ab historicis & in sacris literis describuntur, re & nomine vere Magnus, cõtra Darium Persarum Regem potentissimum militans, scripsit Aristoteli suo Præceptori, se nõ recte fecisse, quod disciplinas auscultatorias, quibus ab eo ipse eruditus esset, libris foras editis diuulgasset: Nam qua, inquit, alia re præstare cæteris poterimus, si ea quæ ex te percepimus, omnibus prorsus fient communia? quippe ego doctrina malim anteire, quam copiis atque opulentiis. Credebat ille indignum esse bonarum disciplinarum aliarumque artium elucubrationes omnibus publicari palamque fieri, quod ea, quæ cunctis pateant & nota fuerint, contemptui plerunq; esse soleant. Hic autem multo melioris sententiæ extitit, commune bonum præferens priuato, longe honestius, imo melius etiam esse iudicauit, si suis disciplinis foras emissis communi Reipub. vtilitati consulere, & sic concreditum sibi talentum omnibus præsertim illarum amatoribus communicare posset:

Quare indignationem sui Regis quamuis potentissimi non abhorruit, sed illas suas disciplinas ausculatoriam in vsum omnium dedit.

Ego sane si Bartholomæum Anglicum Autorem hunc præclarissimum, quem iam denuo noua specie, nouaque plane forma ornatum, expolitum, & quasi rediuiuum in tui (candide Lector) commodum recusum profero, cum Aristotele summo illo Philosophorum Antesignano conferre vellem, profecto non procul à via aberrarem. Quemadmodum enim Aristotelem in omni artium & disciplinarum genere absolutissime imbutum instructumque fuisse nemo mortalium inficias ibit: Ita Deus Autorem hunc nostrum ad diuina rerum omnium secretarum mysteria inuestiganda, latitantes & occultas entium essentias, proprietates & accidentias enucleandas produxit, illumq; tanto ingenii acumine euecto insigniuit, vt non modo terrestrium & inferorum entium proprias energias & vires genuinas in lucem eduxerit, verum etiam superorum stelliferos orbes, patulamque cœlorum machinam profundissimè penetrarit, entium supernaturaliū naturas & distinctiones præmonstrauerit, inexplicabile cœlestis aulæ monarchicum regimen, angelorumque choros & essentias, imo etiam inenarrabile vnius veri Dei trini & Vni mysterium exactissime explicauerit & ostenderit. Et sic has ipsas omnium rerum & entium

ium proprietates, accidẽtias & essentias in vsum Reipub. Christianæ publicando foras emisit. Instet nunc aliquis quisquis ille sit & dicat: cur iste cum his suis disciplinis & tam abstrusis rerum proprietatibus non domi mansit, eas ipsas sibi aut suorum vsui inter priuatos parietes retinuit? huic respondendum erit, quia voluit multis consulere, & prodesse sciens, nos (vt Ciceronis verbis li. 1. off. vtar) non nobis solum natos esse, ortusque nostri partem patriam vendicare, partem amicos, partem etiam alias & exteras nationes. Ex hac itaque illius liberali beneuolentia opus tam insigne tam egregium vsui communiq; nostro processit, quod ante centum annos non semel sed iterum atq; iterum recusum extitit, verum successiuis temporibus cum omnes ferme antiqui quamuis optimi auctores postpositi & noui insulsissimi ineptissimique, quique rerum nouarum & plausibilium inuentores in medium solem quasi producti fuerint, & Auctor hic tam celebris, tam præstans inter tineas & pulueres spretus permanserit, ita quod ferme per integrum seculum nemo hominum illius reuisionem & nouam editionem cogitârit, tanta est enim hac nostra tempestate mortalium ingratitudo, quod antiquorum studia, labores disciplinæque odio peius cane & angue prosequantur, nouorum ineptiæ promouentur, omnesque sibiipsis bene, cunctis vero aliis male cupiant, &

 pau-

pauci Rempub. literariam desiderent, & commendatam sibi habeant. Cæterum cum non ita pridem exemplar huius nostri præclarissimi auctoris vnum ad manus Reuerendi atq; clarissimi viri Domini Georgij Bartholdi Pontani à Braitẽberg Metropol. Ecclesiæ Pragensis Præpositi, viri de Ecclesia Catholica & Republ. literaria optime meriti, amici mei obseruandissimi peruenisset, illud statim legendo ipse percurrit, mendas typographicas extersit, pristinoque nitori in integrum restituit, atq; pro syncero animi sui Candore, quo erga Rempubl. literariam promouendam dies noctesq; insudando & suas & aliorum elucubrationes in lucem proferendas flagrat, seduloque laborat, mihi qui nunc ab aliquot annis mentem meam ad emittendos quosuis optimos Auctores appulerim, in eosq; sumptus non exiguos impenderim, transmisit: Ego facile leonem ex vngue cognoscens legendo multa imitanda vtilia, & præcepta circa præstantissima cœli, terræ marisque obiecta versantia in hoc opere extare animaduerti, & omnibus cum Theologis, tum Iureperitis, Medicis etiam, artiumque studiosis, plurimum profutura & consulta fore, accedente superiorum huius loci beneuolo consensu in hac forma manuali illud denuo renatum & renouatum in publicum commodum emittere placuit.

Te ergo (humanissime Lector) rogatum & obtesta-

testatum enixe volo, vt hoc meum qualecunque studium & conatum in tui vtilitatem impensum æqui bonique facias, hunc clarissimum Auctorem iusto precio tibi cõpares, illum diligenter legas relegasque, habebis in illo plenissimum omnium rerum promptuarium & penu omnibus delitiis refertissimum, siue enim de rerum cœlestium, terrestrium, aut infernarum, aut de totius mundi naturis, essentiis, proprietatibus & accidentbus disserere volueris, habebis, inquam, omnium illarum materias copiosissimas, vtere ergo feliciter hoc nostro opere, quod si vti spe haud dubia alor, animaduertero, totis enitar viribus, vt & in posterum plures eiusmodi in tui vtilitatem producere possim. Vale, & me tibi optime fauentem commendatum habe. Francoforti, die 5. Septembris, Anno CHRISTI 1609.

EPI-

EPIGRAMMA IN ZOILVM.

Est opus egregium, præclaro nomine dignus
Auctor, apud cunctos dignus honore liber
Nescio, si talem proscindis scommate librum
Quod tu corrupta mente probabis opus

Georgius Bartholdus Pontanus.

Aliud ad Lectorem.

Qvi cupit omnigenum fontes cognoscere rerum
Queis mare, queis tellus, astra, polusq; scatent
Quid natura potens, teres & quid continet orbis,
Quod Deus hæc nutu cuncta potenter agat.
Hunc terat auctorem manibus voluendo legendo.
Dispeream si non ceu minor orbis erit.
Nil referam magis, ast liquido liber ipse loquetur,
Qui poterit studiis vtilis esse tuis.

Nicolaus Steinius.

NOMI-

NOMINA AVCTORVM,

QVI IN HIS XIX. LIBRIS CITANtur, ex Theologis & Philoſophis.

THEOLOGI HI SVNT:

A.
Adamantius.
Alcuinus.
Ambroſius.
Anshelmus.
Auguſtinus.

B.
Baſilius.
Beda.
Bernhardus.

C.
Chryſoſtomus.
Cyprianus.

D.
Damaſcenus.
Damaſus.
Dionyſius.

E.
Elpicras.
Eſicius.
Euſebius.

F.
Fulgentius.

G.
Gilbertus.
Gregorius.

H.
Haymon.
Hieronymus.

I.
Innocentius.
Iſidorus.

L.
Leo Papa.

M.
Michael Scotus.

N.
Nazianzenus.

O.
Origenes.
Oroſius.

P.
Pamphilus.
Patritius.
Petrus.

R.
Rabanus.
Richardus de San. vict.
Rubertus.

S.
Stephanus.
Strabo.
Simon Corn.

PHILO-

NOMINA

PHILOSOPHI HI SVNT.

A.

Albumazar.
Alfredus Angl.
Algazel.
Appollonius.
Ariſtoteles.
Aſclepides mag.
Auerrois.
Auicenna.

B.

Boetius.

C.

Cato.
Cicero.
Conſtantinus medicus.

D.

Democritus.
Demoſthenes.
Dioſcorides.
Donatus Gramm.

E.

Egidius Medicus.
Epitinus.
Eraclitus.
Euclides.

G.

Galenus.

H.

Hali medicus.
Huguitius Piſanus.
Hippocrates.

I.

Iorath Chaldæus.
Ioannicius.
Iuuenalis.

K.

Kalixtus Græcus.

L.

Leucippus.

M.

Macrobius.
Martianus.
Mercurius.
Miſelath Aſtron.

N.

Ninus Delphicus.

O.

Oribaſius medicus.
Ouidius.

P.

Papias.
Perſius.
Phyſiologus.
Platearius Medicus.
Plato.
Plautus.
Plinius.
Plotinus.
Priſcianus.
Ptolomæus.
Pythagoras.

R.

Raſis.

Ruffus Medicus.

S.

Salernitanus.

Saluſtius.

Scipio Africanus.

Secundus Philoſophus.

Seneca.

Solinus.

Symonides.

T.

Termegiſtus.

Theophilus.

Theophraſtus.

Titius Liuius.

Tullius.

V.

Varro.

Virgilius.

W.

Wilhelmus Conthes.

Y.

Ypocras.

Yſaac.

Z.

Zeno.

Zoroaſtes.

Iſtorum & multorum aliorum in iſtis libris verba in diuerſis locis ſummatim & breuiter recitantur, vt patere poteſt diligenter intuenti.

IOAN-

IOANNES TRITHEMIUS DE SCRIPTORIBUS ECCLESIASTICIS.

BARTHOLOMÆVS Ordinis fratrum minorum ſancti Franciſci, natione Anglicus, vir in diuinis Scripturis ſtudioſiſſimus, & non infime doctus, atq; in ſecularibus literis ſufficienter imbutus, nec minus religioſa conuerſatione quam ſcientia inſignis. Edidit non ſpernandæ authoritatis opuſcula, è quibus ego reperi vnum volumen, quod prænotauit. De proprietatibus rerum, &c.

BAR-



BARTHOLOMÆI ANGLICI, IN SVOS DE PROPRIETATIBVS RERVM Libros, Præfatio.



CVM Proprietates rerum ſequantur ſubſtantias, ſecundum diſtinctionem & ordinem ſubſtantiarum: erit ordo & diſtinctio proprietatum, de quibus adiutorio diuino eſt præſens opuſculum compilatũ. Vtile mihi & forſitan aliis, qui naturas rerum & proprietates per ſanctorum libros nec non & Philoſophorum diſperſas non cognouerunt, ad intelligenda ænigmata ſcripturarum, quæ ſub ſymbolis & figuris proprietatum rerum naturalium & artificialium à Spiritu ſancto ſunt traditæ & velatæ, quemadmodum oſtendit beatus Dionyſius in Hierarchia Angelica, circa principium dicens: Non eſt aliter nobis poſſibile lucere diuinum radium, niſi varietate ſacrorum velaminum anagogicè circumuelatum. Quoniam impoſſibile eſt animo noſtro ad immaterialem cœleſtium hierarchiarum aſcendere contemplationem, niſi ea, quæ ſecundum ipſum eſt, materiali manuductione vtatur, &c. quaſi diceret. Non po-

teſt animus noſter ad inuiſibilium contemplationem aſcendere, niſi per viſibilium cõſiderationem dirigatur: Inuiſibilia enim Dei per ea quæ facta ſunt intellecta conſpiciuntur, vt dicit Apoſtolus. Et ideo Theologia prouidè ſacris & poeticis informationibus vſa eſt, vt & rerum viſibilium ſimilitudinibus allegoricæ locutiones & myſtici intellectus transſumptiones formentur, & ſic carnalibus & viſibilibus ſpiritualia & inuiſibilia coaptentur. Huius rei gratia præſens efficio opuſculum ad ædificationem domus Domini, qui eſt Deus glorioſus, ſublimis & benedictus in ſecula ſeculorum. In quo agitur de quibuſdam proprietatibus rerum naturalium, quarum alia eſt incorporea, alia corporea. Et primo de proprietatibus ſubſtantiæ incorporeæ ſecundum ſui differentias, quarum alia eſt corpori vnibilis, vt anima rationalis, ſenſibilis & vegetabilis. Alia non vnibilis corpori, vt angelus. Et angelorum alij ſunt boni, alij mali. In bonis verò angelis eſt ordo ſecundum trinam multiplicationẽ Trinitatis. Vnde à beato Dionyſio diſtinguuntur tres hierarchiæ cœleſtes, quarum quælibet trium ordinum continet diſpoſitiones. Nouendecim itaque ſunt de quibus in hoc opuſculo adiuuante Deo per ordinem agendum eſt, & hoc tam in communi q̃ in ſpeciali. Primò igitur agitur de Deo & nominibus diuinis quæ dicuntur de Deo vel quoad eſſentiam, vel perſonam, ſiue quoad effectum ſiue appropriationem. Secundò de proprietatibus Angelorum tàm bonorum, quàm malorum in generali & ſpeciali. Tertiò de proprietatibus Animæ rationalis, quoad naturæ ſuę ſimplicitatem, & quoad vi-
rium

tium suarum diuersitatem, & de eius vnione & operatione in corpore, prout confert ei formam & perfectionem. Quartò de proprietatibus substantiæ corporeæ, scilicet de Elementis & elementaribus qualitatibus, ex quib. componitur omne corpus, & de quatuor humoribus ex quibus componuntur corpora tàm hominum quam brutorum. Quintò de hominis corpore & singulis eius partibus, de quib. sacra scriptura facit mentionem. Sextò de ætatibus. Septimò de infirmitatibus & venenis. Octauò de mundo & corporibus cœlestibus. Nonò de tempore & partibus temporis. Decimò de materia & forma earumq; proprietatibus & Elementis. Vndecimò de Aëre & passionibus eius. Duodecimò de auib. in generali & in speciali. Tertiodecimò de aquis & eius differentiis & ornatu, scilicet de piscibus. Quartodecimò de terra & eius partibus. Quintodecimò de prouincijs. Decimosextò de lapidibus & metallis. Decimoseptimò de herbis & plantis. Decimooctauò de animalibus. Decimononò de accidentibus, scilicet de coloribus, saporibus, &c. In istis nouendecim libellulis rerum naturalium proprietates summatim & breuiter continentur, prout ad manus meas spicæ quæ effugerunt manus metentium, pertingere potuerunt. In quibus de meo pauca vel quasi nulla apposui, sed omnia quæ dicentur de libris authenticis sanctorum & Philosophorum, excipiens sub breui hoc compendio, pariter compilaui, sicut per singulos titulos poterit legentium industria experiri.

BARTHOLOMÆI ANGLICI de proprietatibus rerum liber primus.

DE proprietatibus itaq; & naturis rerum tàm spiritualium quàm corporalium, elucidare aliqua cupientes ab illo sumamus exordium, qui est alpha & O, principium & finis omnium bonorum. In principio patris luminum à quo procedit omne datum optimum, & omne donum perfectum implorantes auxilium, vt ille qui illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, & reuelat profunda de tenebris, & abscondita producit in lucem. Huic opusculo quod ad ipsius laudem & legentium vtilitatem de diuersis sanctorum & Philosophorum dictis non sine labore recolligere iam incepi, felicem dignetur impendere consummationem.

CAP. I.

Vnus immensus & incommutabilis Deus dicitur.

EST igitur, vt dicit Innocent. 3. solus & verus Deus, æternus, immensus, incommutabilis, omnipotens & ineffabilis Pater & Filius & Spiritus sanctus, tres quidem personæ, sed vna essentia, substantia vel natura simplex omnino, Pater à nullo, Filius à patre, Spiritus sanctus ab vtroq; absque initio & fine, Pater generans, Filius nascens, Spiritus sanctus à Patre & Filio procedens. Hæ tres personæ sunt consubstantiales, coæternæ, omnipotentes, coæquales, vnum vniuersorũ principium, creator omnium visibilium & inuisibilium, spiritualium & corporalium creaturarum, qui sua virtute omnipotenti simul ab initio temporis vtramque condidit creaturam, videlicet angelicam & mundanam, ac deinde humanam quasi communem ex spiritu & corpore constitutam. Hucusque Innocentius extra de sum. trinit. c. 1.

CAP.

CAP. II.

De eßentia vnitate & Personarum pluralitate.

HÆc autem sancta Trinitas secundum communem essentiam, est indiuidua, & secundum personales proprietates est discreta in naturæ suæ simplicitate non admittens diuisionem, nec in personali proprietate recipiens vnitatem. Sed Semper in essentia vnitas, & in personis pluralitas inuenitur, à qua omnis confusio & mutua commixtio remouetur: quia, cùm alius sit Pater, alius Filius, alius Spiritus sanctus, Pater non poterit esse Filius neque Spiritus sanctus, sicut nec è conuerso Spiritus sanctus non potest esse Pater vel Filius, nec Filius Pater vel Spiritus sanctus. Sed quilibet istorum est vna essentia vel natura, quæ sola est vniuersorum principium, propter quod non est aliud reperire, & hæc essentia, neque est generans, neque generata, neque procedens. Sed est Pater qui generat, & Filius qui gignitur, & Spiritus sanctus qui procedit, vt simpliciter distinctio sit in personis, & in natura vnitas teneatur. Vnde licet alius sit Pater, alius Filius, alius Spiritus sanctus: non tamen aliud, sed idquod est Pater, est Filius & Spiritus sanctus. Pater verò generando totam substantiam suam ei dedit sine diuisione, & tamen totum retinuit sine diminutione, & sic vna & eadem res est Pater gignens & Filius nascens, & Spiritus sanctus ab vtroque procedens. Huc vsque Innocentius. 3. extra. vbi supra de summa trinit. c. 1.

CAP. III.

Quòd quicquid dicitur de Deo, aut est essentia, aut notio, aut persona.

VT autem dicta & dicenda clarius elucescant, notandum est iuxta sanctorum traditionem: quòd quicquid in Deo est, aut de Deo dicitur, aut est essentia, aut, notio, aut persona: vna est ei indiuisibilis essentia, personæ tres: & hæ tres personæ sunt vna essentia, & vnus Deus, & quælibet earum est vna essentia & vnus Deus. Pater à nullo, Filius à Patre nascendo, Spiritus sanctus à Patre per Filium procedendo, Pater Filium generat, Filius gignitur, & Pater cum Filio Spiritum sanctum spirant, & quòd Filius Spiritum sanctum spirat, hoc habet à Patre. Quicquid e-

nim persona habet vel facit, hoc habet à persona à qua est. Et ideo quia Filius est à Patre, ab ipso omnia habet, & quia Spiritus s. est à Patre & Filio, ideo hoc quod habet cōmuniter ab vtroque. Sed propter huiusmodi nascibilitatem vel processionabilitatem Pater non est maior nascente vel Spiritu sancto procedente, quia veritas diuinæ essentia æqualiter est in ipsis & in Patre. Hæc omnia habentur à Boetio in libro de Trinitate, & ab Hugone & etiam Augustino & Richardo.

Cap. IV.

De notionibus.

NOtiones autem sunt quinque, secundum Hugonem & Augustinum, scilicet paternitas, innascibilitas, filiatio, processio, & communis spiratio: Et dicuntur hæc quinq; aliquando notiones, quia notificant personas, aliquando distinctiones, quia personas distinguunt, aliquando relationes, quia per ipsas, quandoque personæ ad se inuicem referuntur. Dicuntur etiam proprietates, quia personis propriè insunt. Istarum autem notionum tres dicuntur personales proprietates, scilicet paternitas, filiatio, processio, eo scilicet quod personas faciunt, nam istarum quinque notionum tres sunt Patris, scilicet innascibilitas, paternitas, & communis spiratio: & duæ Filij, scilicet filiatio & cōmunis spiratio: vna verò Spiritus sanct. tantùm, scilicet processio: nec aliquid derogat Spiritus sanctus quod tantùm habet vnam notionem, neque Filio superexcrescit quod habet duas, nec Pater maior est aliis personis duabus, quamuis tribus notionibus specialiter ab aliis discernatur. Regulariter enim de istis notionibus tenendum est, quod nulla de alia prædicatur, & quòd quælibet est diuina essentia, & vnus Deus & vna essentia. Item nulla notio inest diuinæ essentiæ, sed tantùm personæ, quia essentia nec distinguit, nec distinguitur: sed solæ personæ ab inuicem distinguuntur.

Cap. V.

Quòd Deus cognoscitur in suo effectu.

QVamuis autem diuina essentia à mortalibus non potest cognosci ad plenum, neque comprehendi hic in via:

in via: cognoſcitur tamen in ſuo effectu, in quantum eſt omnium principium ſiue cauſa, quia Deum eſſe vix inſipiens dubitat, & tamen quod ſit ſecundum maieſtatis magnitudinem, nullius creaturæ intelligentia inueſtigat: vt dicit Damaſ. Et ideo poſitiue non poteſt cognoſci, niſi per effectum ſuorum operum, quamuis priuatiue & per abnegationem multiformiter in ſcripturis deſcribatur & nominetur.

Cap. VI.

Quid notificent nomina de Deo.

AD euidentiam autem nominum quæ nobis Deum manifeſtant, aliqualiter notandum eſt in quadam rudi & ſimplici conſideratione: quòd omne nomen dictum de Deo, aut notificat eſſentiam, aut notionem, aut perſonam: Nam omnia quæ notificant eſſentiam, dicuntur eſſentialia, quæ perſonam, perſonalia, quæ notiones, notionalia. Nomen autem eſſentiale ſonat in quod, & prædicatur in quod, perſonale ſignificat quē, & prædicat in quem. Notionale verò nomen ſonat in quam, & prædicatur in quam: vnde iſta tria prædicata in diuinis ſæpius prædicantur, vel ponuntur: ſcilicet quis quæ quod: Quis, quia Pater vel Filius vel Spiritus ſanctus: Quæ, proceſſio, filiatio, paternitas, &c. Quod, ſubſtantia, eſſentia, & huiuſmodi, quæ mere quantitatem rei ſignificant, & diuinam eſſentiam ſimpliciter & abſtractè repræſentant. Hæc autem nomina ſic diſtinguuntur.

Cap. VII.

De nominibus eſſentialium diſtinctionum.

QVia nomen eſſentiale aut eſt nomen ſubſtantiuum, aut adiectiuum. Si ſubſtātiuum, aut eſt abſtractū aut concretum aut medium. Abſtracta autem dicimus, vt dicit Auguſtinus, quæ abſolutè diuinam eſſentiam ſignificant: vt eſſentia, bonitas, diuinitas, & huiuſmodi, quæ ſemper ſupponunt & ſignificant diuinam eſſentiam, nec poſſunt trahi per aliquod coniunctum, ad ſupponendum pro perſona: vnde talia nomina ſumpta cum præpoſitionibus, verbis, nominibus, & participiis perſonalibus, vel notionalibus, reddunt propoſitiones falſas, in quibus po-

nuntur: vnde hæc est falsa, essentia generat vel generatur, essentia est de essentia, vel essentia est apud essentiam, & huiusmodi. De istis autem nominibus quæ purè sunt essentialia generaliter est tenendum, quòd omne nomen purè essentiale prædicatur de qualibet persona per se, & de omnibus insimul singulariter, & non pluraliter: verbi gratia, Pater est diuinitas, Filius est deitas, & Spiritus sanctus est deitas, & simul sunt vna diuinitas, & nõ deitates.

Cap. VIII.

De nominibus concretis

NOmina concreta sunt, quæ ad modum concretorum signant formas in supposito, vel signant quasi formã in subiecto, vt Deus creator, & similia, quę generaliter significant diuinam essentiam, sed quandoque supponunt pro essentia, quandoque pro persona.

Cap. IX.

De nominibus mediis.

NOmina verò media dicuntur, quæ habent modum & formam & significationem abstractorum, sed vsum & officium concretorum: vt lumen, sapientia, & huiusmodi. Ista enim licet abstractiua sunt, aliquando supponunt pro personis: vt cùm dicitur lumen de lumine, sapientia de sapientia, principium de principio, & similia: & hæc nomina abstracta prædicantur, sicut de qualibet persona per se, & de omnibus simul non pluraliter, sed singulariter.

Cap. X.

De nominibus adiectiuis quæ purè significant diuinam essentiam

ADiectiua nomina alia significant purè diuinam essentiã nihil connotando, vt ens, bonus, & huiusmodi: alia aliquid connotant positiuè, alia aliquid priuatiuè, vt æternus, immensus, immortalis, & huiusmodi. Æternus enim principaliter significat diuinam essentiam, & secundario connotat carentiam principij & finis: vnde, cùm dicitur, æternus sensus est, Deus est & caret principio & fine. Similiter immẽsus principaliter significat diuinam essen-

tiam

iam, & connotat abnegationem mensuræ localis. Similiter dicitur incircumscriptus, per abnegationem loci, & vi & de similibus similiter est intelligendum, & hęc nomina prædicantur de omnibus personis simul, & diuisim singulariter, & non pluraliter, vt Pater est æternus, Filius æternus, Spiritus sanctus æternus, & hi tres sunt vnus æternus.

CAP. XI.

De illis quæ aliquid connotant positiuè.

ADiectiuorum nominum quæ aliquid connotãt positiuè, quædã connotant effectum in creaturã, & quædam respectum. Eorum autem, quæ connotant effectum, quædam connotant in habitu: vt iustus, misericors, & huiusmodi: quędam in actu, vt iustificans, miserator, & huiusmodi: Quę autem connotant effectum, in actu prædicantur de Deo ex parte, vnde Deus incepit esse miserator, quando incepit misereri: sed ea quæ connotant in habitu, prædicantur de Deo ab æterno, vt Deus ab æterno fuit iustus & misericors, &c.

CAP. XII

De his quæ connotant respectum.

NOmina verò quæ connotant respectum creatoris ad creaturas: vt Deus est refugium, & huiusmodi, quædam connotant respectum personæ ad personam: vt similis, æqualis. Similis enim principaliter significat diuinam essentiam, secundario autem cõnotat distinctionem personalem. Huiusmodi verò nomina licet essentiam significent, tamen ratione connotati prædicantur de personis simul sumptis pluraliter, & non singulariter: vnde non dicitur, Pater & Filius sunt similis, sed dicitur sunt similes.

CAP. XIII.

De nominum adiectiuorum superinductione.

ADiectiuorum etiam nominum quædam sunt partitiua, vt aliquis, alius, & similia: quædam verò sunt numeralia, vt vnus, duo, tres, & omnia in neutro genere substantiua significant diuinam essentiam, & prædicantur de personis omnibus singulariter & nõ pluraliter, vt Pater & Filius sunt vnum, & in genere masculino & fœminino

substantiuata sunt personalia: vnde hæc est vera, Pater & Filius sunt duo, si duo sit masculini generis, sed si sit neutri generis tunc est falsa: Huiusmodi autem nomina adiectiuè retēta, sequuntur naturam suorum substantiuorum, vnde si substantiua sint essentialia & ipsa adiectiua similiter, & si sint personalia similiter, & ipsa adiectiua, vnde hæc est falsa, Pater & Filius sunt vnus, sed hæc est vera, sunt vnus Deus.

Cap. XIV.

De nominibus personalibus.

NOmina personalia quædam prædicantur de vna persona tantùm, vt Pater & Filius & Spiritus sanctus, quædam de duabus, ita quod de vtraque, vt principium Spiritus sancti. Nam Pater est principium Spiritus sancti, & Filius est principium Spiritus sancti: vnde cùm dicitur Pater & Filius sunt principium Spiritus sancti, ibi principium supponit pro duabus personis, sed significat vnā notionem scilicet communem spirationem, quædam verò prædicantur de duabus personis, ita quod de neutra per se: vt Pater & Filius sunt duo, ita quod ibi duo sit masculini generis & non neutri: quædam prædicantur de tribus, ita quòd de nulla per se, vt Trinitas. Nam vt dicit Isidor. lib. 6. ethimol. Trinitas est appellata eo quòd fiat totum vnum ex tribus, quasi trium vnitas, nam dū tria sunt, id est tres personæ vnum sunt, quia singula in se manent & omnia in omnibus, Pater ergo & Filius & Spiritus sanctus sunt Trinitas & Vnitas. Idem enim in natura, vnum quod in essentia, tria in persona: vnum propter Maiestatis communionem, tria propter personarum proprietatem, quædam etiam nomina prædicantur de singulis personis: ita quòd non de omnibus vel pluribus singulariter vel tantùm pluraliter: vt hypostasis seu persona. Pater enim & Filius & Spiritus sanctus sunt tres hypostases seu personæ & non vna.

Cap. XV.

De notionum subdistinctione.

NOmina verò notionalia quædam sunt abstractiua, vt paternitas, natiuitas, processibilitas, spirabilitas, & huiusmodi. Quædam verò concretiua & adiectiua, vt innasci-

nascibilis, generans, nascens, spirans, procedens. Alia autem abstractiua prædicantur de essentia, vnde hæc est vera, essentia est paternitas, & è conuerso, essentia est innascibilitas, & è conuerso, & ita de alijs. Concretiua verò nunquam de essentia prædicantur, siue sint nomina siue participia: & ideo omnes tales propositiones sunt falsæ. Essentia generat vel generatur, vel essentia est generans vel generata, & ita de alijs. Item nominum notionalium quædam prædicantur de vna persona tantùm, vt generans de Patre genitus vel nascens de Filio, procedens de Spiritu sancto, quædam de vtraque duarum, vt spirans de Patre & Filio, quia Pater & Filius spirant Spiritum sanctum, quædam etiam prædicantur de quolibet: vt distinctus, Pater enim est distinctus ab alijs personis, similiter Filius & Spiritus sanctus.

Cap. XVI.

De proprietatibus diuinæ essentiæ.

PRoprietates verò diuinas diuinæ scilicet essentiæ conuenienter determinat Iohan. Damascen. libr. 3 cap. 7. Deus est inquit, sine fine & principio, principium primum increatum, ingenitum, impartibile, immortale, æternum, infinitum, incircumscriptum, indeterminatum, potens ad infinita, simplex, incompositum, influxibile, impassibile, inuincibile, inalterabile, fons bonitatis & iustitiæ, lumen intellectuale, virtus inaccessibilis & immẽsurabilis, & tñ omnia mensurat propria voluntate, creaturarũ omniũ effectiua, omnium contentiua & conseruatiua, omnium prouisiua, omnia implens in suo regno, omnibus dominans & imperans, & nullum contrarium hominis, omnia incontaminatè continens, omnibus substantijs eminens, & super omnia existens semper bona, semper beata, semper plena, principatus & potestates ordinans, determinans ac disponens super omnem substantiam, vitam, rationem & intelligentiam existens, per se enim est lux, per se est vita, per se est substantia, per se existens fons essentiæ vel scientiæ, his quæ sunt, his quæ viuunt, his quæ participant rationẽ Omnibus omnium bonorum causa est, vna substantia, vna virtus, vna voluntas, vna operatio, vnum principium, vna potestas, vna dominatio, vna diuinitas in tribus perfectis hypo-

hypostasibus seu personis Patris & Filij & Spiritus sancti, vna ratione creditur, colitur & adoratur. Vnde ipsa Trinitas est inconfusè vnita, & indistanter disiuncta. Indistantes enim sunt hæ personæ & ab inuicem inseparabiles, non confusè ad inuicem conuertibiles, quia ad inuicem non commiscentur nec pariter confunduntur. Nam Pater est in Filio, & Spiritus sanctus in Patre & in Filio, & Filius in Patre & Spiritu sancto, nulla commixtione facta vel conuersione vnius in alterum sine mutua confusione. Imò ipsę personæ suis proprietatibus ab inuicem sunt distinctæ & secundum identitatem essentiæ indiuisibiliter sunt vnitæ: vnde diuinitas simplex impartibilis existens varia dona suis distribuit creaturis. Sed multiplicata per dona impartibilis permanet & ad suam simplicitatem creaturas suas conuertit & coniungit. Omnia impermiscibiliter pertrāsit & per ipsam nihil, simplici cogitatione omnia cognoscit tàm præsentia quàm præterita & futura, qui potest omnia quæ vult, sed non vult omnia quæ potest. Potest enim perdere mundum, non vult autem. Dicit enim ad hoc idem Dionysius lib. 1. cap. 16, Deus enim immaterialiter existens incircumscriptibilis est, quia loco non continetur: Ipse enim sui ipsius locus est, omnia implens, super omnia existens, omnia continens, vniuscuiusque naturam impermiscibiliter pertransiens, omnibus suam operationem secundum susceptiuam virtutem tribuens. Et cùm sit totus impartibilis, totus est totaliter ens vbique & non pars in parte partialiter diuisus, sed totus in omnibus & totus super omne: vnde ipse solus imcomprehensibilis est & interminabilis, & à nullo præterquam à semetipso cognitus. Nā ipse solus suiipsius contēplator maximus est, vnde ad eius totalem comprehensionē nulla potest pertingere creatura cùm sit infinitus in se, virtute tamen sua infinita finit & terminat vniuersa propter quod termegistus describens Deum prout potuit: ait sic, Deus est sphæra intellectualis, cuius centrum vbique est, circumferentia verò nusquam. Diuina n. essentia in se considerata perfecta est ad modum sphæræ, quia non habet principium, neq; finem, sed prout consideratur vt cā deducens res inesse & eas limitans & finiens, sic dicitur esse centrū, quia sicut centrū finit lineas & ab ipso lineæ deducuntur, ita Deus deducit creaturas & limitat & finit eas.

CAP. XVII.

Quomodo Bernardus describit Deum.

ALIO modo describit Bernardus Deum tanquam causam per effectum: *dicens.* Deus est voluntas omnipotens, beneuolentia, lumen æternum, incommutabilis, ratio creans mentem ad se participandum, viuificans ad sentiendum, afficiens ad aptandum, dilatans ad cupiendum, iustificans ad promerendum, accendens ad zelum, fœcundans ad fructum, promouens ad bonitatem, dirigens ad æquitatem, roborans ad virtutem, formans ad beneuolentiam, moderans ad sapientiam, visitans ad consolationem, illuminans ad cognitionem, perpetuans ad immortalitatem, implens ad felicitatem, circumdans ad securitatem: Amat vt charitas, nouit vt veritas, sedet vt æquitas, dominatur vt Maiestas, regit vt principium, medetur vt salus, reuelat vt lux, assistit vt pietas. *huc vsq;. Bern.*

CAP. XVIII.

De nominibus quæ notificant Deum in suis operibus.

ET quamuis indiuisibilia sunt opera beatissimæ Trinitatis, tamen à sanctis distinguuntur quædam nomina per quæ notificatur Deus in operibus suis, qui inuocabilis est, & innotificabilis in se, quoad intima Maiestatis. Sunt autem quædam nomina appropriata & quædam sunt trãssumpta & translata.

CAP. XIX.

De nominibus appropriatis.

NOmina verò appropriata sunt decem de quibus *Isido. in 6.lib.ca.1.dicit sic.* Apud Hebræ. decem nominibus Deus nuncupatur. Primum est, EL siue HYSKIROS, id est fortis, quia nulla infirmitate opprimitur, sed fortis est & sufficiiens ad omnia perpetranda. Secundum nomen est ELOE, id est, theophelos, id est timor, eo quòd Deus à cunctis ipsum colentibus sit timendus. Tertium nomen est SABBAOTH, id est princeps exercituum, eo quòd omnes exercitus Cœli eius dominio sunt subiecti. Quartum nomen est ZELIOM vel RAMATHEL, id est, excelsus Deus, quia excelsus Deus & super cœlos gloria eius. Quintum

tum nomen EVEL, id est, qui est, Deus enim qui est æternus, vere est, qui tantùm nouit esse, fuisse autem & modo non esse, vel futurum esse non nouit. Sextum nomen est ADONAY, id est, Dominus, quia eius dominationi subiicitur totus mundus. Septimum nomen est YA id est Spiritus almus, Deus enim Spiritus est. Octauum nomen est TETRAGRAMMATON id est, nomen quatuor literarum; scribitur enim quatuor literis apud Hebræos quod ineffabile pronunciant, & signant nomen Dei, quia dicitur ineffabile, non quia dici non possit, sed quia eius significatio ab humano corde non potest comprehendi. Nonum nomen est SATAY, id est, omnipotens, quia omnipotens est nomen eius. Et dicitur omnipotens à faciẽdo omne quod vult, & non à faciendo quod non vult; quod si alterum tantùm ei acciderit, omnipotens nequaquam esset. Decimum nomen est ELOYM & est nomen Trinitatis, & pertinet ad Patrem & Filium & Spiritum sanctum, & ideo plurale est apud Hebræos & singulare: Signat enim diuinam essentiam cum suppositione trium personarum, vnde dicitur Trinitas quasi trium vnitas.

CAP. XX.

De nominibus transsumptis.

SVNT autem quædam nomina transsumpta à creaturis quibus vtitur scriptura, quando intendit aliquas exponere conditiones creatoris, *quia Damascen. lib.* 1. *cap.* 14. *inquit.* Quia multa in scriptura diuina symbolicè sunt dicta, & figuratiuè & transsumptiuè, scire oportet, quòd homines grossa carne induti, excelsas & immortales Deitatis operationes intelligere non possunt, nisi quibusdam formis & imaginibus & notis quibus homines vti sæpius sunt sueti. Vnde omnia corporalia, quæ de Deo dicuntur, nõ propriè sed symbolicè intelliguntur. Simpliciter enim Deus est, & non figurabiliter, oculos tamen & palpebras & visum habere dicitur, qui vniuersorum habens virtutem consideratiuam eum nihil potest latere, nihil potest subterfugere suam notionem. Simili ratione aures & auditum habere dicitur, quia apud ipsum propiciationem fore & deprecationis susceptionem asserere non timemus. Per hunc enim sensum nos mites ostendimus, quando deprecantibus au-

s familiarius inclinamus. Os & labia & fauces habere dicitur, quia illa velut loquendo per inspirationem nobis reuelat, quæ hominum cogitatio per huiusmodi organa exprimit & ostendit. Guttur etiam habere dicitur & gustū, quia in nostræ iustitiæ operibus tanquam in gustu delectatur. Nares & olfactum habere dicitur, quia tanquam odor suauissimus domino est placens, qui deuotionis affectum sibi exhibet. Faciem ipsum habere scriptura commemorat, quia per eius opera virtutem & præsentiam diuinus sermo manifestat; nam personæ præsentia in facie declaratur, manus & brachia repræsentant eius subtilem & inuincibilem operationem, quia nos digitis ac manibus & brachijs subtiliora & fortiora operamur, quando dexteram Dei commemorat, certiora & Dei digniora insinuat: vnde & iurare per dexterā dicitur, quando intransmutabile eius consilium perhibetur, frequenter pauperibus subuenit, & indigentibus auxiliatur, & ideo pedes hàbere dicitur: sæpè enim ostendit in effectu quòd solent operari homines pedibus vel incessu. Pectus & cor habere dicitur propter cognitorum in genere recordationem. Ventrem & viscera propter illam quam in nobis ostendit misericordiam & compassionem. Irasci dicitur & furere propter odium malitiæ & iustam quam infert peccantibus vltionē. Dormire dicitur & obliuisci propter iniuriæ dissimulationem & vindictæ retardationem : vnde quia tot modis per sua beneficia nostra suppletur indigentia, more humano dicitur habere diuersa membra. *Vnde Beatus Dionysius effectus Dei multiplices sic describit:* Deus *(inquit)* est omnium causa & principium eorum quæ sunt substantia & viuentium vita, ratiocinantium ratio, excidentium ab eo reuocatio, & rerum resurrectio corrumpentium, quod secundum naturam est renouatio, & eorum quæ mouentur secundum execrabilem impetum reformatio, sacrum firmamentum minus stantium, & ipsorum quæ ad ipsum reducuntur via & reordinatissima manuductio. *Et sequuntur post pauca.* Ipse est eorum quæ ab ipso sunt Pater principalior, quàm ipsi, qui eos genuerunt. Nam & ipsi cæperunt ab ipso esse & generare. Eorum autem qui ipsum sequuntur & ab ipso pascūtur, pastor est, illuminatorum est splendor, perfectorum perfectio, deificatorum deificatio, discordan-

cordantium pax, simplicium simplicitas, & vnitorum vnio superprincipale & substantiale principium occultum suæ cognitionis, secundum quod fas est & possibile vnicuiq; bona traditio, & c. *Hæc verba Dionysii recitat Damasc. c.3* Ex quibus omnibus patet, quod omnia corporalia de Deo dicta, sunt ad figuratiuum intellectum mysticè referenda.

CAP. XXI.

De diuersis Christi nominibus, quibus nuncupatur.

SVNT iterum quædam alia nomina quæ ad significationem illorum, quæ de homine Christo assumpto, scilicet Dei filio intelliguntur à similitudinibus rerum artificiosè transsumpta, *sic patet in Isid. lib. 7. cap. 2. vbi dicitur:* Christus multis modis in scriptura vocari consueuit. Dicitur enim ibidem quòd CHRISTVS à chrismate vocatus est. Ipse enim præ cunctis suis consortibus, omnium gratiarum plenitudine est delibutus, qui IESVS Hebraicè, σωτὴρ Græcè, SALVATOR verò latinè dicitur, eò quòd cunctis gentibus saluator est transmissus, propter quod ipse MESSIAS hebraicè dicitur, eo quòd omnis prophetalis, sacerdotalis & regalis dignitatis priuilegio sit diuinitùs insignitus, nam Messias dicitur vnctus. Dicitur etiam EMANVEL, id est, nobiscum Deus, eo quòd Deus per virginem natus in carne apparens nobis se coniunxit. Dicitur etiam VERBVM CARO FACTVM, quia verbum est in quantum nascitur à Patre in æternitate: sed caro dicitur in quantum à matre nascitur in tẽporis mutabilitate. Similiter dicitur VNIGENITVS & PRIMOGENITVS, quia patris & ẽt matris fuit Filius vnicus, ante quem nullus & post quem non erat alius. Multis etiam alijs modis præfiguratur in rebus creatis. Dicitur etiam PRINCIPIVM, quia Pater per ipsum omnia finit vel fecit. Dicitur & OS DEI, quia per ipsum Deus mũdo loquitur. Diciturque MANVS, quia per ipsum rerum vniuersitas continetur. Dicitur VIA quia per ipsum ad brauium peruenitur. VITA dicitur, quia in ipso omnia viuunt. VERITAS, quia nec fallit nec fallitur, dicitur FONS, quia omnis boni origo indeficiens & reficit sitientes. Et multis alijs figuris innumerabilibus & infinitis nobis datur intelligi in scripturis, *sicut ibi ponit Isidorus in*

exem-

xemplis multipliciter. Sicut Pater & Filius propter varios ffectus in creaturis varijs nominibus nuncupantur, sic piritus sanctus Patri & Filio in simplicitate naturæ consubstantialis & coæternus, diuersis vocatur nominibus & iuersis rebus multifariè comparatur. *Propter quod dicitur n 7. Sap.* quòd est sanctus in omni scilicet creaturæ sanctificatione, & est multiplex in charismatum & donorum listributione, vnicus in Patris & Filij vniformi connexione, nec non in sanctorum charitatiua vnione, subtilis in cogitationum & affectionum perscrutatione, modestus in discreta & modesta affectuum humanorum ordinatione, discretus in facundiæ siue eloquentiæ administratione. Incoinquinatus, sine maculæ contagione, suauis in præceptis, suauior in consilijs, suauissimus in præmijs. Amans bonum actum in actiuis, qui suauis est in contemplatiuis, humanus humanam diligens societatem, benignus, innatam habens in se bonitatem, stabilis, lassis & infirmis conferens firmitatem & nullam prorsus habens in se vicissitudinis mutabilitatem. Securus illis quos protegit, aufferens formidolositatem, omnem habens virtutem, omnibus cõferens virtutum perfectionem, omnia prospiciens, omnem hominis cognitionem, capiens omnem spiritum intelligibilem, omnis spiritus rationalis motum inuestigans & affectionem, mundus in se & ab alijs auferens infectionem: Multis etiam alijs nominibus nuncupatur. Dicitur enim DIGITVS propter eius discretam & subtilem operationem. COLVMBA propter simplicitatis amorem. NVBES propter æstuantium refrigerationem. VENTVS propter occultam gratiarum inspirationem. IGNIS propter grandem euaporationem. ROS siue PLVVIA propter animæ fæcundationem. MEL propter dulcifluam interioris hominis immutationem. OLEVM propter inferiorem animæ inpinguationem & exhilarationem. Multis alijs cõparatur diuinus Spiritus. Sed ista sufficiant, pro exemplo. Nunc ad Angelorum proprietates adiuuante Domino manum apponamus.

BARTHOLOMÆI ANGLIC[I] de proprietatibus Angelorum, liber ſecundus.

DE proprietatibus angelicis diuino adiutorio aliqui[d] in medium nobis prolaturi: Primò incipiendum eſt a[b] eiſdem in generali, & deinde in ſpeciali vbi ſingulorum ordinum diſpoſitiones, & officiorum diuerſæ miniſtrationes, prout præſenti congruit opuſculo per ordinem declarabuntur.

CAP. I.

De interpretatione Angeli.

Ἄγγελος itaque græcè, hebraicè MALACH, latin[è] verò NVNCIVS interpretatur, eò quòd per angelorum miniſterium diuina voluntas populo nuncietur. Vnde angelus nomen eſt officij non naturæ. Spiritus autem non eſt angelus, ſed quando à Deo mittitur tunc primò angelus propriè nuncupatur. Cui ſcilicet angelo licentia pictoris alas tribuit, in quarum ſubito motu celerem angelorum operationem figuratiuè prædicta pictoralis licẽtia ſimplicibus præoſtendit. ſicut poetas ventis aſcribere alas antiquitas non prohibuit: *ſicut dicit Iſidorus libr ſeptimo c. 7.*

CAP. II.

Quid ſit Angelus ſecundum Damaſcenum.

ESt igitur Angelus ſecundum Damaſcenum ſubſtantia intellectualis, ſemper mobilis, arbitrio libera, incorporea, Deo miniſtrans ſecundum gratiam & non naturam, immortalitatem percipiens. Ex hac angelica deſcriptione multiplex nobis reſultat proprietas angelorum. Dicitur enim ſubſtantia intellectualis: quia ratione ſpiritualitatis ſuæ ſubſtantiæ & ſingularis ſpiritualitatis oẽs formas intelligibiles in ſe participat & ſpecies cognoſcibiles apprehendit & quantò à terreſtris materiæ coarctatione eſt remotior, tantò in contemplatione immaterialium eſt perfectior, ſicut expreſsè dicitur in libro cauſarum. Nam intelli-

telligētiæ plenæ sunt formis, & ideò omnes species cognoscibiles, eis subiicibiles in eis relucent, sicut ibidem dicitur consequenter. Præter hæc natura angelica omnem antecedit creaturam corpoream, in essentiæ subtilitate, in simplicitate, in intellectus perspicacitate, in liberi arbitrij stabilitate: quia hæc angelica natura nullam habet dependentiam à materia, ideò corruptio materialis ei non potest aliqualiter conuenire, vnde sensualis cognitio eius intellectum deiformem non impedit. Angelus enim deiformem habet intellectum, & ideò supra tempus est & totum intelligit simul, & non vnum post aliud, aut vnum ex alio, sicut ex præmissis conclusionem, sicut humanus intellectus qui est vnius ex alio collatiuus. Vnde qualis est comparatio simplicis ad compositum & puncti ad lineam in essendo, talis est comparatio angelici intellectus ad humanum in intelligendo & iudicando. Nulla malitia angelicum affectum a creatoris sui obsequio retrahit vel auertit; vnde quanta angelica substantia est simplicior & ab omni conditione materiæ distantior, tantò Dei similitudo in ea relucet expressior & in ipsa sicut speculo clarissimo splendor diuinæ sapientiæ relucet expressior, & tantò est dignior influentia gloriæ, quantò perfectiùs adhæsit incommutabili veritati ex libera & propria voluntate. *Vt dicit Gregor.* mirè *(inquit)* Deus omnipotens naturam summorum spirituum bonam sed mutabilem condidit, vt qui permanere vellent, mererentur, & eo maioris meriti apud Deum fierent, quantò mutabilitatis suæ votum, voluntatis studio defixissent. *Dicit etiam idem.* Angelus in contemplatione sui creatoris immutabilis permanet, & tamen eo quòd creatura est, vicissitudinem mutabilitatis habet. In angelis enim tria considerantur *Vt ait Dionysius*. Essentia qua subsistunt, virtus qua possunt, operatio qua peragunt, Eorum essentia est simplex & immaterialis, pura, distincta seu discreta, eorum virtus est libera, intelligens, diligens, indefessa. Habent enim potestatem liberè eligendi, intelligendi, & diligendi & Deo incommutabiliter adhærendi. Insuper habent virtutem operandi, quia omnia faciunt sine moræ dilatione, omnia aduersa coercent sine resistentia & contradictione. Semper nobis assistunt & nobis seruiunt sine intermissione. Vnde eorum operatio est voluntaria, subi-

ta, vtilis, & honesta: nam Deo seruiunt sine coactione, subito & in instanti iussa perficiunt sine procrastinatione, omnia proficua & vtilia procurant summa attentione, licitis & honestis vacant, quæ sunt sine reprehensione. Patet itaq; quòd triplex virtus est in angelo: scilicet cognoscendi, operandi, & persistendi. Cognoscit enim Deũ supra se in speculo æternitatis sine aliqua interpositione: Semper enim videt faciem Patris, *Matth*. 18. Extra se apprehendit omnia sine collectione. Intra se retinet apprehensa sine obliuione, Sic etiam habent virtutem operandi potenter, celeriter, vtiliter, incessanter. Habent etiam virtutem persistendi in naturæ suæ simplicitate, quia mortalitatis vicissitudine non alterantur, passibilitatis contrarietate non afficiuntur, mole carnea non retardantur. Persistunt etiam in gratiæ & gloriæ firmitate, quia diuinis legibus subiecti nulla affectione vel actione ei contrariantur. Cum sint benigni, nullo inuidiæ stimulo torquentur. Cum sint puri, nulla affectione turpi contaminantur. Persistunt etiam in officii dignitate: nam cùm sint iusti nullo modo sibi inuicem iniuriantur, qui subsunt nullo contemtu subiiciuntur, & qui præsunt sine tyrannide alijs principantur. Præterea angelica natura primæ luci scilicet Deo vicinius est coniuncta, & ideò copiosiori lumine repleta & tanto de vitæ fonte profundius haurit, quantò contemplando primo lumini vicinius se subiungit, & tantò principaliores theophanias id est illuminationes diuinas continuè recipit, quantò perfectius ad summum bonum per amorem inflexibilem se conuertit: vnde illa lux æterna primò super angelos influit, & ipsis mediantibus ad nos descendit, & ideo lex per angelos ad homines processit. Vnde propter istam primam à patre luminum illuminationem ad angelos descendentem, vocantur angeli à Diony. agalmatha, id est specula clarissima, diuini luminis receptacula. *Vnde in lib. de diuinis nominibus cap. 6. dicit sic.* Angelus est imago Dei, manifestatio occulti luminis, speculum purũ, splédidissimum, immaculatum, incontaminatum, recipiens totam si fas est dicere, speciositatem beneformatæ deiformitatis & puræ declarationis in seipso, sicut possibile est bonitatem, quæ est in abditis, &c. Imago Dei dicitur propter deiformem intellectum, quia sicut Deus omnia videt sine

deli-

deliberatione & collectione, ita angeli: quia nec vi-
ent per medium nec apprehendunt per sensum. Dicitur
iam & occulti luminis manifestatio, quia diuinitatis lu-
en quod in se incomprehensibile est & occultum per in-
uentiam recipiendo, & alijs transmittendo inferioribus
anifestat. Dicitur & speculum propter luminis recepti-
ilitatem, & dicitur speculum purum propter naturalem
ıæ substantiæ puritatem. Nihil enim habet corporeæ fę-
itatis, immaculatum, sine macula culpæ originalis, in-
ontaminatum, sine contagio culpæ mortalis, incoinqui-
atum, sine infectione culpæ venialis. Dicitur etiam reci-
iens speciositatem deiformitatis, quia in specie & modo
ognoscendi similis est diuinitati, qui declarat inferiori-
us abditam & ineffabilem ac occultam diuinæ bonitatis
uauitatem, nam quod contemplando & gustando diuini-
tus percipit, inferioribus notificat & transfundit. Angeli
enim *secundum Damascenum lib.2.cap.3.* sunt lumina quę-
dam intelligibilia ex primo lumine lumen habentia, non
lingua vel auribus indigentia, sed sine sermone & sine
voce suas voluntates & intelligentias sibi inuicem traden-
tia & exprimentia, loco corporali non contenta, non pa-
rietibus vel claustris corporaliter circumscripta, triplicem
dimensionem non habentia, sed intellectualiter assunt &
operantur vbicunque eis fuerit imperatum. Sunt & hi spi-
ritus naturaliter fortes & veloces ad diuinæ voluntatis
expletionem & vbique citò inueniuntur, vbicunque diui-
nus iusserit nutus, & quæ circa nos sunt dispensantes & au-
xiliantes nobis secundum diuinam voluntatem super nos
entes & tamen circa Deum exeuntes, ad malum difficile
mobiles, quia omnino immobiles ex gratia quamuis non
natura, Deum quantum possibile est contemplantes & in
ipso delectantes, & cùm sint incorporei & spirituales, non
sunt nuptijs indigentes. *huc vsq; Damas.*

CAP. III.

Quomodo Angeli in effigie corporali depingantur.

QVAmuis autem angelica natura ab omni materia &
lineamentis corporis sit aliena; tamen in effigie cor-
porali depinguntur angeli & varia membra & figuras ha-
bere diuersas in scriptura sępius memorantur, sed per de-

nominationes membrorum visibilium intelliguntur inuisibiles actiones cœlestium animorum. Nam cum longa coma & reflexis capillis vbique angeli depinguntur, in quibus vtique eorum mundæ affectiones & ordinatæ cogitationes intelliguntur. Nam capilli capitis designãt cogitationes & affectiones, quæ oriuntur ex radice mentis. Aures habere dicuntur, quia diuinam inspirationem accipiunt, quam vtique diiudicant & discernunt. Nares eis pictores attribuunt & merito, quia vitia velut fætida refugiunt, sed virtutes quasi quædam odorifera diligunt & inter munda & immunda, fætida & aromatica sagacissimè diuidunt & distinguunt. Ora, linguas & labia habere sæpius memorantur, quia diuina secreta quasi loquendo nobis proferunt & diuinis laudibus continuè inhiant & intendunt. Imberbes pictorum licentia depingit eos, quia eorum virtutem quasi iuuenilem statum considerans, eos nec viribus nec senio deficere sic ostendit. Dentes habere dicuntur, quia gratiam quam diuinitus accipiunt aliis communicare & quasi commoliendo diuidere consueuerunt: vnde in dentibus eorum potestas actiua & cõmunicatiua meritò designatur. Imò etiã brachia & manus habent, quia virtute sua actiua & permansiua infirmitates nostras sustinent & vsque in finem ab electorum defensione & supportatione non desistunt. Cor & pectus habere finguntur, quia cum deiformem habent vitam ad susceptionem deiformis vitæ & vitalis gratiæ nobis manifestissimè cooperantur. Costas & latera habẽt, quia omnia gratiarum munera in se tuta possident & per ipsorum custodiã in electis hominibus omnia tuta manent. Lumbos & fœmora habere dicuntur, sed vestibus occultata, quia gratiarum & virtutum in se habent semina, quæ omnibus carnalibus sunt occulta. Pedes habent sed quasi generaliter denudatos, quia liberos habent affectionum motus in Deum ab omni mortali concupiscentia penitus sequestratos.

CAP. IV.

Quomodo Angeli describantur.

DEscribuntur etiam angeli sub figura multiplici mirabiliter alterati, sicut tangit Dionysius in fine angelicæ hierarchiæ. Nam describuntur pennati & alati, quia à

conta-

contagione terrena penitus alieni: contemplationis raptu ad diuini amoris intima intellectu & affectu sunt penitus eleuati, vestibus coccineis siue igneis sunt vestiti, quia lumine diuinæ cognitionis & diuinæ dilectionis flamma sunt amicti. Psal. *Amicti lumine sicut vestimento*. Zonis aureis accinguntur, quia virtutũ habitu taliter sunt accincti quod nullatenus ad alia vitia dilabuntur. Virgas & sceptra in manibus gestant, quia post Deum diffiniunt omnia recta & vniuersa, quæ sunt in mundo sensibili, iustè regunt. Tela etiam & gladios in manibus portant, quia virtute sibi tradita dæmonum & rebellium conamina destruunt & debellant. Trullam & perpendiculum & alias mensuras, operariorum instrumenta visi sunt habere, quia dominus per angelorum prouidentiam solet malos ad bonum conuertere, &, vt Spiritus sancti fiant habitatio, promouere. Calamos, mensuras & funiculos in manibus portant, quia singulorum merita & demerita discutiunt, mensurant & ponderant. Phialas cum aromatibus habere dicuntur, quia per eorum ministerium nostra vulnera ad sanitatis gratiam perducuntur. Succincti & quasi parati ad eundum leguntur, quia iusti ad patriam eorum patrocinio quotidiè deducuntur. Atramentaria & scriptorum instrumenta portare dicuntur, quia per eorum ministerium diuinæ voluntatis abdita sæpissimè describuntur. Armis bellicis ornati dicuntur, quia boni eorum adiutorio in bello spirituali & corporali continuè proteguntur. Citharas resonare faciunt, quia illi, qui eorum merentur consolari patrocinio, desperationis tristitiam non incurrunt. Tubas in manibus portant, quia vt in bono proficiamus, nos incitant & inuitant. Multa talia de habitu & gestu angelico in scriptura referuntur, in quibus eorum opera mirifica designantur.

CAP. V.

Qualiter Angeli comparantur rebus materialibus.

Comparantur etiam alijs rebus transsumptis à naturalibus ad eorum exprimendas mysticas operationes, verbi gratia: ventis assimilantur, quia ad omnia agenda subito transuolant & circumferuntur. Nubes dicuntur, quia per raptum contemplationis suspensi in Deum rapiuntur. Igni comparantur, quia diuini amoris incendio totaliter inflammantur, nam ad modum ignis cogni-

tione lucent & dilectione ardent. Nunc aurum, nunc argẽtum, nunc electrum nominantur, quia splendorem habent purum & luciformi Dei sapientia illustrantur. Carbunculis sapphiris & aliis gemmis solidis & trãslucidis assimilantur, quia in Dei gratia stabiles effecti, in gloria cõfirmantur, & eorum gratia potentia omnia quæ in cœlo sunt & in terra mirabiliter decorantur. Dicuntur etiam leones, quia dæmonibus & peccatoribus sunt terribiles, vel ideo, *vt dicit commentator super Hierarchiam angelicam*, quia quando ad contemplandum Deum aspirant, quod prius per cognitionem inhęrebat, à memoria tergitur, quando in concupiscentibus animis desiderata claritas est manifesta, nam leo cum cauda delere propria vestigia consueuit. Dicuntur & boues, quia bos terram sulcans ipsam innouat & ad fructum eam aptat. Sic angeli mentes hominum disponunt ad recipiendum germina virtutum & donorum. Aquilæ vocantur, quia immeditate inflexibiliter & rectè Deum, qui est sol iusticiæ irreuerberatis oculis contemplantur. Dicuntur etiam equi, quia lege obedientiæ Deo qui eis præsidet, sunt subiecti. Et etiam quandoque albi propter lucidam Dei cognitionem, quandoq; nigri propter diuinæ Maiestatis incomprehẽsionem: nam nigredo color est, sed obscurus & occultus, quandoque rubei, quia indicant terrorem iusticiæ & æquitatis, quandoque varii propter varium vsum susceptæ potestatis, nam in vario extremi colores vniuntur & per angelorum virtutem perfectiuam, prima secundis & secunda primis conuertibiliter conuertuntur, & in amorem mutuum conuertuntur. Flumina ignea dicuntur, quia effusiones diuinæ gratiæ suscipiunt, & copiosam ac indeficiẽtem influẽtiam viuifica fæcunditate ad alios transfundunt, & ideò fluuio igneo assimilantur. Dicuntur & currus in quo multa copulata pariter deferuntur, quia ipsi grata societate & iucunda pariter sociati siue copulati communi assensu in diuina extolluntur. Dicuntur etiam rotæ, quia sicut rota in se voluitur & reuoluitur, & circa idem centrum semper mouetur, sic angeli circa Deum quasi circa intelligibile centrum contemplando circummouentur, quia eorum desiderium est inextinguibile, & quod desideratur, est incomprehensibile. Ideò etiam curribus & rotis igneis comparan-

parantur, quia ad subditos descendunt eos illuminando & iterum redeunt, ipsos per contemplationem ad superiora reducendo. Sanctorum etiam orationes & vota coram domino repræsentant, & defunctorum animas ad patriam in sinum Abrahæ deferūt & transportant. Dicuntur etiam medici, quia animas curant. Dicuntur & fabri, quia arma spiritualia nobis parant. Dicuntur & vigiles & custodes, quia nullo ignorantię somno depressi, imminentia pericula annunciant. Dicuntur etiam messores, quia electorum populum in horreum regni cœlorum coaceruant. Dicuntur & milites, quia pro nobis contra dæmones dimicant & concertant. Dicuntur duces, tum quia modum pugnādi contra hostes spirituales nobis indicant, tum etiam quia viam ad patriam manifestant. Istis & multis aliis figuris angelicæ virtutes quo ad eorum substantiam, virtutem & operationē nobis insinuantur, & dantur intelligi in scripturis. Sed pauca quæ exempli causa sunt hic dicta ad præsens nunc sufficiant.

CAP. VI.

De ordinibus angelorum, hierarchiis & eorum officiis.

DEterminatis ex parte proprietatibus angelorum in generali prout ad hoc opusculum pertinet, ad singulas angelorum ordinum hierarchias accedendum est, vt singulorum ordinum officia, conuenientias & differentias per conditiones proprias cognoscamus.

CAP. VII.

De triplici hierarchia.

TRiplex autem est hierarchia, *sicut sanctissimus tradit Diony. scilicet*, supercœlestis quæ consistit in trib. personis, secunda cœlestis quæ completur in sanctis angelis, tertia subcœlestis quę perficitur in prælatis. Est autem hierarchia, *sicut ibidem asserit Dionys.* rerum sacrarum & rationalium ordinata potestas in subditis debitum retinens principatum. Hierarchia autem cœlestis quæ est triplex, scilicet, superior quæ græcè dicitur epiphania, & describitur sic à Dionys. Epiphania est in incalescentis affectionis incendio, altioris intellectus fastigio, iudicij libera resultatio distributa. Nam hæc Hierarchia tres continet ordines, scilicet Seraphin, qui amoris incendio præ aliis feruent, &

Cherubin, qui cognitionis priuilegio gaudent, & thronos, qui iusticiæ perpendiculo aliis p̃eminent. De duabus aliis hierarchiis, dicetur ĩ in locis suis. In omni aũt hierarchia exiguntur necessariò, ordo, scientia, & actio. Nam *vt idem dicit Dion.* Hierarchia est ordo diuinus, sciẽtia & actus. Deiforme quantũ possibile similans & adiudicans ei diuinitus illuminatões proportionaliter in Dei similitudinem ascẽdens, &c. Ecce tria ponit in Hierarchię descriptõe, scilicet ordinẽ, scientiã & actionem, quia si horum trium aliquod defuerit non erit hierarchia, iõ dicitur Hierarchia ordo diuinus id est, potestas ordinata, & secundũ Deum disposita: vnde in ordine notatur officium, in scientia discretio, in actione ministerium, sine ordine pręsumptio est actio, sine actione negligentia est ordo, sine scientia autem & actio est reprehensibilis & ordo inutilis. Et ideò tam in ordine, q̃ in scientia & actione omnis hierarchia Dei conformitatẽ imitatur, & secundum modum & mensuram suæ illuminationis in ordine suo proficit & recte discernendo & bene operando ad Dei imitationem quantum possibile est ascendit. Talis est autem inter angelos hierarchica ordinis dispositio, quod angeli superiorum ordinum copiosius diuinum lumen hauriunt, & ad eos qui se ordine sunt inferiores receptum communicando prius transfundunt, nam hęc lex in angelico ordine custoditur, vt in gratię & glorię participatione alij sunt primi, alij secundi, & alij vltimi: vt illi qui ordine & naturalium participatione sunt impares, sint etiam in glorię perceptione inæquales, *vnde dicit Dionys.* Oportet superiores angelos semper esse ductores & manuductores aliorum inferiorum, vt eos adducant ad diuinam illuminationem, adductionem & communicationem & inductionem per conuersionem in illuminatione per cognitionem, in cognitione per perceptionem. *Nam vt dicit Gregor. in moral.* Alij Deo assistunt per contemplationem, alij ad exteriora exeunt, & tamen ab interiori contemplatione non recedunt, quia illum semper inspiciunt qui præsens est vbicunque vadunt. Excellentia autem ordinum assignatur secundum præeminentiam bonorum, quia secundum differentem essentiæ simplicitatem & naturalis sapientiæ perspicacitatem & differentem arbitrij libertatem recipiunt ordinis diuersitatem, qui enim

nim natura magis sunt subtiles & sapientia magis perspicaces in amplioris gratiæ munere sunt cæteris digniores, vnde singuli Hierarchiaci ordines propria habent dona secundum quæ operātur, & gradus proprios, secūdum quos suas operationes moderantur. Non enim fas est, vt quis operari præsumat, quod ad suum ordinem & officium non expectat. In hoc enim consistit hierarchiaci ordinis perfectio vt qui illuminantur illuminent, & qui purgantur purgent, & qui perficiuntur perficiant. Vnde talis est ordo, vt qui primo purgantur postea illuminentur & perficiantur. Nam purgationem & illuminationem sequitur illuminatio, perfectionis consumatio; vnde superiores ordines immediate recipiunt à Deo purgationem, vt sint clari, & perfectionem, vt sint perfecti. Et iterum ab illis secundum ordinem diuinæ dispositionis inferiores purgantur, illuminātur & perficiuntur, nec intelligitur hæc purgatio à corruptione vitij, secundum potius ab imperfectione boni: nam *secundum Dionys.* oportet angelicos spiritus ad illius similitudinem qui omni caret contagio, & dissimilitudine mundos esse ab immundicia & confusione, lucentes veritate, perfectos bonitate. Inter istos itaque sacratissimos ordines quidam sunt primi, quidam medij, quidam vero infimi, vnde primi illuminant, vltimi illuminantur, medij vero illuminant vltimos, & a primis illuminantur.

CAP. VIII.

De ordine Seraphin.

A Primo ergo ordine velut à digniori est incipiendum, scilicet à Seraphin, *de quo dicit Isid. lib.* 7. Seraphin est angelorum multitudo, qui ardentes vel incendentes interpretantur, eo quod inter eos & Deum nulli angeli sunt internuncij, & ideo quanto ei vicinius collocantur, tanto magis charitate diuini luminis inflammantur, & ideo faciem domini & pedes velare dicuntur, quia cæteri Angeli diuinam Maiestatem nequaquam istis perfectius intuentur, & ideò tantò maiori claritate illustrantur quantò ardētiori motu dilectōis intimæ inflāmantur: vnde istorum angelorū officiū est ꝓprium & ardere in se & alios ad diuinæ dilectionis incēdium promouere. Proprietates autem huius ordinis principales & speciales elicere

possu

possumus ex verbis Dionys. *sic dicentis*. Pulcrè inquit prima cœlestium hierarchiarum excellentissimis essentiis sanctificatur, ordinem habens altiorem omnibus circa Deum immediate collocatum. Et ideò primæ operationes theophoniæ in ipsum tanquam Deo proximum deferuntur, & sequitur. Est autem Seraphin mobile semper circa diuina, & incessabile calidum, acutum, & superferuidum, intentæ & inflexibilis semper motionis, suppositorū reductiuum, actiue exemplificatiuum, recalificans ea & resuscitans in similem caliditatem & igneum cœlitus & holocaustomatis purgatiuum circumuelatum inextinguibile, habens luciformem & illuminatiuam proprietatem, omnis tenebrosę obscurationis persecutricem & manifestatricem, &c. Hæc verba diuinissima sunt & omnium mortalium sensum quo ad significationis mysterium excedentia. Prout tamen potero quamuis balbutiendo aliqua explanabo. Videtur autem diffinire Dionysius, quod cognominatio Seraphin proprietatis & officij discretionem & variæ gratiæ participationem in angelis manifestat Seraphin nuncupatis Nam appellatio Seraphin docet mobile, hoc forsan dicit propter naturam ignei amoris, quo angelicus affectus in Deum rapitur & mouetur, hic vero motus est quietis causatiuus, augmentatiuus & completiuus. Docet etiam incessabile, quia talis amor nunquam excidit, nunquam ab appetitu amati requiescit. Docet & calidum, quia ad modum caloris accensum animum excitat vis amoris, & ideo subdit acutum, quia vis amoris penetrat ad intima conditoris: vnde acutum dicit quandam violentiam amātis, qua intrat & penetrat ad rem amatam. Dicitur etiam superferuidum, quia quamuis ad interiora diuinitatis amor se extendat affectu; tamen circumire non cessat, vt quod intellectu non capit, contemplationis tamen gustū aliqualiter comprehendat, sicut illud quod ebullit caloris vehementia vndique se iactitat & diffundit: sic affectus angelicus nihil inconsideratum relinquit, imò quanto plus cognoscit, tanto amplius scire cupit. Addit etiam inflexibilis motionis, quia amor angelicus quamuis in Deum moueatur, inflexibilis tamen est, ne amatum aliqualiter amittatur: vnde similiter mobilis est & incessabilis & hoc intentæ & intimæ, quia ad Dei interiora tendit:

dit: vnde mobilis est semper & nũquam in se sistit & intentus, vt in Deum tendat sed intimus vt ad exteriora non effluat, omnino autem inflexibilis, vt ad aliud præter ipsum & extra ipsum non diuertat. Dicitur etiam suppositorum reductiuum, quia amor angelicus semper ad superiora se extendit & tamen ab amore inferiorum non excedit, imò ad diuinæ illuminationis participationem reuocat inferiores ordines & reducit. Dicitur etiam docere actiuum & exemplificatiuum, quia non solum incendit inferiores ad amandum; verum etiam formam & exemplum præbet inferioribus, qualiter summum bonum sit super omnia diligendum & qualiter sit per amorem redeundum in Deum, & secundum ipsius beneplacitum incedendum. Ideò etiam dicitur quod amor eorum sit calificans & resuscitans in similem caliditatem, quia ad hoc laborant, vt inferiores & si non æqualiter, tamen differẽter ardeant & feruescant. Nec hoc dicit ꝙ inferiores angeli fuerunt frigidi vel mortui, sed hoc dicitur q̃a subiecti ordines per ipsos ad ampliorẽ amoris affectũ continue excitantur. Propter ꝙ sequitur. Igneum cœlitus & holocaustomatis purgatiuũ, quia ignis diuinus primos angelos accendit, vt alios incendant, illuminat vt illuminent, purgat vt purgẽt. Ignis n. diuinus suauiter ardet, nec cõburit vel consumit ad læsionẽ, sed potius ad purgationẽ: & ideò dicitur holocausti purgatiuꝰ, q̃a sicut ex toto illuminat, ita ex toto purgat, nec ab infectiõe alicuius vitij, sed ab imperfectione boni, quia illa est purgatio perfecta vbi omnis correctio abest, & omnis perfectio adest. Dicitur etiã virtus Seraphin multimoda & multifida, multimoda, in quantum multiformiter mouetur appetendo & operando, multifida, inquantum beatificatur possidendo, multimoda inquantum pergit scrutãdo, multifida in eo quod inuenit penetrãdo. Per multas enim vias & affectiones varias pergit & peruenit ad vnum bonum, & vna vita similiter cuncta apprehendit. Docet ẽt nominatio Seraphin incircumuelatũ, q̃a sine omni velamine figuræ vel creaturæ interposito diligit videre Deũ & à plenitudine fontis lucis æternæ sine medio aliquo illuminatur vt illuminet, accenditur vt accendat. Vnde in hoc sunt angeli illius ordinis aliis digniores, quia suæ perfectionis influentiam immediate sine interpositione à Deo recipiunt, si-

ne di,

ne diminutione eandem aliis participando tribuunt, illam possident & custodiunt sine amissione. Nunquam tepescunt à dilectione, nec flectuntur ab inconuertibili ad Deum intentione, nec labore nec tædio desistunt ab inferiorum ad Deum gratuita reductione. Hæc de proprietatibus Seraphin dicta sufficiant.

Cap. IX.

De ordine Cherubin.

SEcundus ordo dicitur Cherubin quod interpretatur scientiæ plenitudo. Sunt enim *secundum Isid. lib.* 7. sublimiora agmina angelorum præter Seraphin, eo quod vicinius diuinæ sapientiæ suppositi, ampliori scientiæ diuinæ dono sunt repleti, & ideò merito ordo Cherubin post Seraphin ordinatur, quia prius donũ charitatis à quo denominatur Seraphin excellentissimũ est donum sapientiæ & cognitionis diuinæ voluntatis vel veritatis, à quo Cherubin denominatur. Nã in angelis huius ordinis principaliter relucet radius diuini luminis, quantum ad participationem præcellẽtem diuinæ cognitionis: vnde ꝓprietates & effectus angelorum istius ordinis innuit beatus Dionys. *cap.* 7. vbi dicit, quod cognominatio Cherubin docet eorum cognoscibile, &c. Et est sensus verborum quod angeli istius ordinis dicuntur cognoscentes, quia in dono diuinæ sapientiæ sunt cęteris magis excellentes. Deifidi etiam ab ipso nuncupantur, in quo Dei visio quæ in eis viget intelligitur, quia Dei Maiestatem cæteris clarius contemplantur. Dicuntur etiam altissimæ dationis luminum acceptiui in quo innuitur, quod Cherubin ordo diuinæ illuminationis excellentia prę cæteris adimpletur. Sunt etiam illi angeli diuinæ pulcritudinis in prima operatrice virtute contemplatiui, quia per lumen diuinæ sapientiæ diuinam pulcritudinem cõtemplantur. Per hoc etiam innuit, quod in eis & per eos prima operatrix virtus scilicet Deus clarissimè intuetur. Dicũtur etiam sapientifica traditione repleti, quia per sapientificam creatoris traditionem alijs plus, aliis minus donum sapientiæ diuinæ impartiuntur. Dicunrur etiam communicatiui, quia lumen sapientiæ, quod in eis copiosè diffunditur, per ipsos ad ordines illuminandos copiosè deriuatur: nam plenitudinem lucis,

quam suscipiunt aliis communicant & transfundunt. Dicuntur etiam contemplationis puræ & simplicis ac immediati fulgoris susceptiui. Fulgorē vocat illuminationem, per quam peruenitur ad meram & puram contemplationem, vbi virtus diuina non in imagine vel figura vel aliqua mediante creatura, sed per semetipsam, & in semetipsa cōtemplatur. Dicuntur etiam diuino alimento domestica atque viuifica vnitate diuinæ refectionis repleti, quia in hoc, quod replentur lumine cognitionis, reficiuntur dulcedine dilectionis. Non enim multum prodest illuminare per cognitionem, nisi concomitaretur alimentum Spiritus sancti, scilicet refectio per dilectionem. Ista autem refectio dicitur domestica, viuifica & vna. Domestica, quia amicis & domesticis solūmodo præparatur. Viuifica, quia viuum efficit quemlibet qui ex tali cibo satiatur. Vnica est & singularis, quia delectatione cum extranea, scilicet cum carnali dulcedine non gustatur. Quamuis autem vnica sit refectio, multiplex tamen satietas inuenitur in hoc vnico alimento: vnde cum hæc solum percipitur plena & vera satietas inuenitur.

CAP. X.

De ordine Thronorum.

TErtius ordo est Thronorum: & est hic ordo à Thronis dictus à dono iudicij, eo quod Deus in eis sedeat & iudicia sua discernat & cuncta subiecta per illos disponat, *vt dicit Isidor.* vnde virtus diuinæ æquitatis throno igneo in Daniele comparatur, scilicet propter perspicuitatem cognitionis, quia Deus singula diiudicans, per ipsos vniuersa prudenter discutit, & propter impetuositatem, cui nihil obuiat vel resistit. Illi autem angeli, in quibus singulariter relucet rectitudo diuini iudicij throni nuncupantur. Isido. Et ideò *à beato Dionys.* sedes altissimæ dicuntur, quia alte propter diuinam autoritatem quasi ad iudicandum ordinantur, altiores, quia diuinę iusticię regulam in iudicio imitantur; sed altissimæ, quia immediatius altissimo Deo dispositione hierarchiaca collocantur. Sedes compactæ, quia apte & conuenienter iunctæ quo ad iuncturam & conuenientiam diuinorum iudiciorum, conueniens enim est & aptum vt ex culpa pœnam, & ex iustitia gloriam

gloriam, ex qualitate operis qualitatem retributionis quilibet ſortiatur: vnde conuenienter & apte cohæret pœna culpæ & gloria iuſticiæ, quia ſi culpa & gloria, pœna & iuſtitia non conuenirent, coaptatam ſedem inuicem nõ haberent, compactio itaque ſedium æquitas eſt iudiciorum, ſedes ab omni ignominioſa ſubiectione liberę, quia quanto ſibi præſidenti Deo ſunt ſubiecti, tanto per ipſum & in ipſo merentur amplius ſublimari. Sedes deiferæ, quia Deũ ſibi præſidentem ferunt, & Deificam poteſtatem per diuina iudicia in ſubiectis creaturis iudicant & oſtendunt. Sedes diuini ſuperaduentus ſuſceptiuę, immaterialiter & ſupermundanæ, quia noticiam diuinitatis ſine ſtudio & fatigatione percipiunt, & impaſſibiliter & ſine diminutione ad inferiora transfundunt, in quo nos ſpiritualiter inſtruunt, vt ab re materiali & terrena nos euacuantes, nos ad æternorum ſuſceptionem coaptemus. Sedes etiam ab omni extremitate ſunt remotæ, quia ei qui ſine extremis eſt, id eſt, principio & fine immediatiſſimè ſunt cõiunctæ. Nam in Deo cui inhærent, non eſt inuenire principium vel extremum. Throni itaq; diuinam virtutem aſſumunt, & eadem ad inferiora deriuant & transfundunt. Obedienter ſe Deo ſubijciunt, & nec ex aliqua neceſſitate, ſed mera liberalitate in agendis omnibus ſubiici ſe oſtendunt.

CAP. XI.

De media hierarchia.

MEDIA hierarchia *ſecundum Iſidor.* tres continet ordines, ſcilicet principatus, poteſtates & dominationes. Hæc autem hierarchia *à Dionyſio* vocatur epophonomia, id eſt diuina illuminatio ſui participes interſcalari reuerẽtia inſigniens, vſum dominandi edocens, arcensq; contrarium. Prima differentia dicitur propter principatus qui præ cæteris poſſident donum reuerentiæ, quorum officiũ eſt docere, & exercere, & exhibere reuerentiam reuerendis, ſecundum diuerſos gradus prælationis, iuxta illud. *Cui honorem, honorem, Ro.* 14. Vſus vero dominandi ſpectat ad dominationes, quæ docent ſubditis dominari, nõ ſecundũ libidinoſam præeſſendi cupiditatem, sed ſecundum Dei voluntatem. Nam Deus vult homines præeſſe hominibus, vt ꝓficiant, non vt ſuperbiant, vt eos in fide & moribus, inſtruant

ruant, non vt de libertatis dominio insolescant. Arcta-tio vero potestatis refertur ad ordinem potestatum, quæ potestatiuè à nobis coercent dæmones, ne nobis tantùm noceant, quantùm desiderant vel affectant. Et taliter ponitur dispositio mediæ hierarchiæ quamuis alio modo videatur ordinari *secundum Isid. & Greg.* Sed de hoc ad præsens opusculum nihil spectat.

CAP. XII

De ordine dominationum.

QVArtus ordo est dominationum, quæ *secundum Isido.* potestatibus & virtutibus præsunt & præeminēt, quæ pro eo quod cæteris angelorum agminibus præsint, siue dominantur, dominationes nuncupantur. Huius ordinis est officium *secundum Greg.* in bello spirituali nos instruere, qualiter oporteat homines prælationis officium exercere. Docent etiam prælatos qualiter sine tyrannide & subditorum oppressione in regimine debeant se habere. Horum angelorum ministerium est *secundum Dionysium* seruili timore deposito, in Deum moueri, & absq; reflectione ad cōmodum temporale ei incessanter famulari, quæ singulari excellentia inuisibilem annunciationem in subiectis ordinibus solo imperio formant. Sunt angeli istius ordinis ab omni oppressione liberi, vt liberè ad summum eleuētur, & nulli infra summum subiiciantur: vnde ita Deo subsunt, quod nulli inferiori subiiciuntur. Per vitalem excellentiam supra omnem subiectionem eleuantur, ita tamen, quod per nullam violentiam aut tyrannidem ad oppressionem inferiorum inclinantur: *Vnde dicit Dion.* quod secundum dissimilitudinem tyrannidis dominium exercent, seueritatem habent in potestate, & cum seueritate liberalitatem in benignitate, & dum à dominationibus potestas exercetur, liberalitas circa inferiores non tollitur. Per istam tamen liberalitatem eorum potestas nullo modo minoratur, imò Deo se conformantes regulam & legem suæ præsidentię, quantum possibile est imitantur. Nū-quā ad aliqua vana se conuertunt, sed continuè ad bonum summum: *quod Dionysius ostendit*, et vniuersale vocat, oculos dirigunt, & ab illo qui omnibus dominatur, mentis aciem non auertunt: vnde deiformitatis & diuinæ simili-

tudinis prout possunt, sunt participes *secundũ Dionysium.* Itaque dominationes primæ sũt in secunda hierarchia.

Cap. XIII.

De ordine principatuum.

QVintus ordo dicitur principatus, & hic ordo secundum sanctos docet homines inferiores gradus exhibere reuerentiam maioribus existentibus in statu altiori dignitatis, vt puta regibus, principibus & prælatis. De angelis istius ordinis dicit *Dionysius:* ad principatus pertinet vniuersalis ducatus & regimen ductiuum ad Dei similitudinem, quia isti angeli habent ex officio, vt alios inferiores ordinaliter reducant ad Deum, & doceant ipsum reuereri in se ipso & in proximo, specialiter in prælato, *qui secundum Dionysium* ideo dicuntur principatus, quia habent alios reducere vel conuertere ad primum & principale principium, scilicet Deum, quem ipsi, prout possibile est, imitantur, & quantum fas est, in præsidendi officio principi assimilantur: *Dicit enim Isidorus lib.* 7. Principatus sunt, qui angelorum agminibus præsunt, qui pro eo quod subditos angelos ad explendum diuinum ministerium ordinant & disponunt, principatus vocabulum acceperunt. Nam alii sunt qui administrant, alii qui assistunt, millia enim millium ministrabant ei, & decies centena millia assistunt ei *Dan.* 7.

Cap. XIIII.

De ordine potestatum.

SExtus ordo est potestatum. Et dicũtur potestates *secundum Isid.* quia eis virtutes aduersæ sunt subiectæ, & ideo potestatum nomine nuncupantur, quia maligni spiritus eorum potestate coercentur, ne tantum noceant quantum cupiunt & affectant. Horum angelorum officium est *secundum Gregorium*, illos qui in bello spirituali desudant, confortare, & ne ab aduersariis violenter superentur, defendere, & vt boni victoriam obtineant, viriliter adiuuare. Huic concordat *Dionysi. dicens:* Potestatum ministerium esse, cauere, ne aliquid aduersum possit bonis obsistere vel nocere. *Dicit etiam Gregorius:* Potestates in suo ordine perceperunt potentius, vt eorum dispositioni aduersę potesta-

tes

es ſubiiciantur, quæ ne tantùm hominibus noceant quã-ùm deſiderant poteſtatum miniſterio refrenantur: *de his oteſtatibus dicit Dion.* Ipſæ ſanctæ poteſtates habent æ-quipotentem, id eſt æqualem cum dominationibus pote-tatem, quæ eadem diuina munera in ſuo ordine & gradu humiliter ſuſcipiunt & cuſtodiunt ſine confuſione. Nihil enim tyrannicè præcipitant contra inferiores, nihil vio-entia & fortitudine attẽptant, ſed potius Deiformiter, id eſt, ad diuinam ſimilitudinem angelos inferiores ordinatè reuocant, & ad potentificam & cauſalem potentiam, id eſt, ad Deum, qui omnia poteſt, & omnium eſt cauſa ſuper-mundanè & intellectualiter reducere non ceſſant, vt per has Deiformes proprietates mediæ cœleſtium animarum diſpoſitiones illuminentur, purgentur & perficiantur. Sic-ut enim ipſæ poteſtates mediantibus ſuperioribus ad Dei ſimilitudinem conuertuntur, ita mediantibus ipſis pote-ſtatib. qui inferiores ſunt ad deiformitatem reducuntur, vt ſic omnes ſuperiores, medii & inferiores ordines myſti-carum purgationum, illuminationum & perfectionũ par-ticipes efficiantur.

CAP. XV.

De tertia hierarchia.

TERtia hierarchia, quæ dicitur ephionia, tres continet ordines inferiores, ſcilicet virtutes, archangelos, an-gelos. Et ſecundum hoc inferior hierarchia ſic deſcribi-tur. Inferior hierarchia eſt diuinum participium naturæ legibus occurrens, ſecreta reuelans, pro capacitate diſcre-ta, naturæ legibus occurrens. Hoc pertinet ad virtutes, qui poteſtatem habent faciendi miracula & curandi morbos & languores. Secreta reuelãs, hoc pertinet ad archangelos & angelos. Pro capacitate diſcreta, hoc refertur ad arch-angelorum differentiam & angelorum, quia maiores vt archangeli maiora, minores vt angeli minora reuelant. Per archangelos enim reuelabantur prophetis maiora ſe-creta, vt illud, *Ecce virgo concipiet, &c.* Per angelos autem minora, *vt illud Dauid*: Epiſcopatũ eius accipiet alter, &c. Et dicitur ἐφιονία ab ἐπι quod eſt ſub, & φανὸς, quod eſt apparitio, quia inferiori modo quam in alijs reſultat Dei ſimilitudo in ordinibus huius hierarchiæ.

CAP. XVI.

De ordine Virtutum.

SEptimus ordo est virtutum. Virtutes enim sunt angelorum agmina, ministeria habentia ad virtutes & miracula facienda, in quibus potissimè relucet virtus diuina, propter quod & virtutes nominantur, *Vt dicit Isid.* Istius ordinis angeli ab ordinibus mediæ hierarchiæ recipiunt illuminationem, purgationem, & perfectionem, *Vnde secundum Dionysium* virtutes habent virilitatem ad operationes fortem, incommutabilem, secundum Dei formam eis indicantem. In hoc enim Deo sunt similes & conformes, quod ad omnia agenda incommutabilem virtutis vigorē acceperunt, & ideo istorum spirituum operatiuam virtutem perstringit Dionysius sic dicens: Ipsa sanctarum virtutum cognominatio fortem quendam & incommutabilem docet vigorem, secundum inditam eis deiformitatem ad nullam susceptionem diuinarum illuminationum imbecilliter infirmatam, &c. quasi diceret in hoc, quod isti angeli virtutes sunt vocati deiformes & similes Deo dignoscuntur: nā diuina virtus fortis est ad agendum, vt non frāgatur alicuius operis difficultate, & incommutabilis est ad perseuerandum, vt non langueat, seu infirmetur alicuius spacij seu temporis diuturnitate. Sic angeli isti consimiles sunt, quia ad omnia agenda robusti & incommutabiles inueniuntur: vnde virtuosi sunt, non solum operando, verum etiam in illuminationes suscipiendo, nam horum angelorum virtus & si infirma videatur diuinæ virtuti comparata, non tamen infirma est ad eandem per gratiam conformata. Infirma est naturæ conditione, sed non infirmatur aliqua corruptione, quando participat totum quicquid creaturæ est debitum, fortitudinem scilicet sufficientem & suæ naturæ congruentem. *Et ideo dicit Diony.* quòd habent deiformem motum firmiter se ferentem. Insuper essentialem & potentificam Dei virtutem, quia propria virtute in Deum mouentur, & vnde eorum virtuositas in superessentialem virtutem creatoris sustollitur, inde deiformis imaginis similitudo in eis reperitur, deiformitatem autem quam recipiunt ad inferiores angelos transfundunt, accipiunt quidem per donum, sed alijs tribuunt

per

...it exemplum. Horum angelorum est officium secundum *...ionysium* docere prælatos, prælationis officium exequi ...liciter & constanter, & vt ipsius onus sustineant patien...r, *secundum Gregorium verò in 4. moral.* Istorum officium ... his qui virtutem habent, est docere, qualiter imaginem ...ei in se reparent & reforment ac reformatam viriliter cu...odiant ac cōseruent, vñ per istorum angelorum ministe...ū virtus miracula faciendi perfectis conceditur, vt redu...ti ad primum statum, in quo Deus fecit hominem ad suā ...naginem, per huiusmodi miracula ostendantur. Angeli ...tius ordinis diuinam virtutem continuè aspiciunt, & in ...psa contemplatione contremiscunt, sed iste timor pœna...s non est, cùm potius sit admirationis quam horroris *pro...t Greg. dicit in moral. lib.* 4.

CAP. XVII.

De ordine Angelorum.

OCtauus ordo est archangelorum, qui *secundum Isidorum* summi nuncij vel nunciorum principes interpretantur. Nam primatum tenent inter angelos: sunt enim duces & principes, sub quorum ordine vnicuique angelorum officia deputata sunt. Nam archangelis angeli præsunt, vt patet in Zacharia, vbi angelus maior dixit minori, vade & doce puerum istum, &c. Si enim in ipsis angelorum officiis superiores inferiores non disponerent, nullo modo hoc, quod homini diceret angelus ab angelo cognouisset, hi archangeli sępe proprijs nominibus denotantur, vt per ipsorum vocabula, ipsorum conditiones, & opera ostendantur. Nam Gabriel virgini mittitur, vt illum denunciaret venturum, qui contra aëreas potestates obtinere debuit victoriam & triumphum. GABRIEL enim Dei fortitudo interpretatur, sicut & RAPHAEL, qui interpretatur medicina Dei, ad Tobiam missus fuit, qui eius oculis curationem adhibuit, & cæcitatem abstulit & detersit, & sic de aliis. *Hucusque Isidor. lib. 7. c. 5.* Horum angelorum officium est *secundum Gregor.* de his quæ ad promotionem fidei pertinent, vt de aduentu filij Dei, de eius gestis & dictis fideles promouere. Archangelorum etiam est, *secundū Dion* prophetias prophetis reuelare, dæmones hominibus dominantes arcere, ne vlterius plus lædant;

sic potestatum est eosdē coercere, ne dominiū sibi vsurpent aut accipiant. Archangeli etiam angelis suppositis eis sunt digniores, & annunciatione priores, cæterisque sunt perfectiores. Nam *secundum Dion.* inferiores conuertunt ad principale principium suum, & quantum eis possibile est, angeli inferiores ipsis mediantibus ad ipsum informantur. Insuper viuificant, id est, angelos ad vnitatem illius principij colligant & adunant, docendo angelos sibi subditos secundū ducatus inuisibiles & ordinatos, quib. habent ducere & docere sequentes alios & subiectos. Isti ēt archangeli inter ordines inferioris hierarchię sunt intermedij, & ideo à superioribus illuminationes participant, & easdem angelis inferioribus participatas communicant & annunciant, in quibus angelis omnium angelorum dispositio hierarchiaca ex triplici ternario cœlestium ordinum perfectissimè est completa.

Cap. XVIII.

De ordine angelorum.

NOnus ordo & vltimus est angelorum. Angelus autem græce, malach hebraice dicitur, latine vero nuncius interpretatur, eo quod voluntatem domini populis annūciare consueuerunt; angeli autem vocabulum nomen est officij, non naturæ. Nam angelus est semper Spiritus, sed quando mittitur tunc primo angelus nuncupatur. Angelis vero pictorum licentia pennas fingit, vt eorum discursum celerem significent, sicut & iuxta Poetarum fabulas venti pennas habere dicuntur, sicut dicitur. Qui ambulat super pennas ventorum. *Hucusque Isidor. lib. 7. cap. 5.* Secundum Dionysium autem angeli inferioris ordinis nō participāt ordinem superiorum illuminationū, non enim participant cum ipsis, sed ex ipsis, nam angeli superiores primo loco diuinas illuminationes suspiciūt, & illas postmodum ad aliorum noticiam & cognitionem deferunt, qui & primi nuncij dicuntur. Alij autem posteriores sunt & vltimi. Angeli etiam *secundum eundem Dionysium* homines ad diuinam cognitionem adducunt & subleuant, & vt iuste viuant, instruunt, & informant. Vnde, quamuis angeli & si non habent angelos alios sub se inferiores quibus præsunt, habent tamen sub se inferiores hominum ordines quibus præsunt, quos ordinant & disponunt. Sur-

in extenduntur per dilectionem Dei, in semetipsis formantur per custodiam sui, sub se progrediuntur per eorum tutelam quorum ministerio deputantur. Istorum itaque angelorum multiplex est effectus, nam angelus nostræ custodiæ singulariter deputatus, nos stimulat ad bonum & excitat, ne in vitiis dormiamus. *Act.* 12. Itē spiritualiter nos reficit, ne sub onere viæ in patriam succumbamus. 3. *Reg.* 19. Item arcet dæmones ne ab ipsis lædamur. *Thob.* 8. Item instruit in ambiguis, vt certificemur. *Daniel.* 9. & 10. Item conducit, ne in viis deuiemus. *Thob.* 5. & *Exod.* 23. Item nobis in tristitia positis assistit, vt consolemur. *Luc.* 23. & *Gen.* 16. vbi dicitur de angelo, qui confortauit flentem Agar. Item nobis peccantibus compatiuntur, ne desperemus. *Esai.* 24. & *Iud.* 2. Item velociter nobis assistunt, ne cadamus, *Esaia* 24. *Ite Angeli*, Item adiuuant contra hostes, ne vincamur, *Genes.* 32. & 2. *Machabeorum penult.* Item vulnera nostra sanant, ne moriamur, *Thobia* 11. Item peccata nostra ad memoriam reducunt, vt erubescamus, *Iosua* 2. Item voluntatem domini annunciant, vt ei acquiescamus *Luca* 2. Item impedimenta auferunt, vt diuinis liberiùs seruiamus. *Exod.* 23. *præcedetq; te*, & c. Item frequentes nos visitant & nobis præcauent, ne offendamus. *Esaia* 60. *secundum pœnam*, & c. Item Deo semper asistunt, vt contemplentur, *Luc.* 1. & *Daniel.* 7. *decies centena millia* & c. Item orando nobis merentur. *Iob.* 33. *si fuerit.* Item à diuina laude non retardantur, *Esa.* 6. & *Apo.* 5. *non habebant requiem*, & c. Item Deum sine velamine facie ad faciem contemplātur. *Matth.* 18. *Angeli eorum*, & c. Item nullius corpulentiæ mole in sua substantia vel virtute aggrauantur, *Luc. Vltim. spiritus carnem & ossa*, & c. Item supra tempus existens in tempore operatur, angelicus enim intellectus cum sit deiformis, *Vt dicit Dionysius*, est instantaneus, & ideo sine collectione vnius ad aliud subito intelligit, & in virtualitate suæ substantiæ, in instanti omnia agenda agit. Vnde de angelo qui vocatur à philosopho intelligentia dicitur quod sit creatus in horizonte temporis & æternitatis, vt patet in primo libro de causis. Item homines ex subita angeli præsentia territos, bonus angelus blandiendo aspectu suo cōsolatur. *Vt dicit Ambrosi, Luc.* 1. *ibi, ne timeas Zacharia*, & c. Sed Dæmon è conuerso quos sua præsentia territos facit,

ampliori horrore concutit *vt dicit idem*. Item angelus qñ vult, apparet, & quando vult, ab humanis aspectibus occultatur, *vt dicit idem ibidē*. Item corpus pro suo beneplacito operationi suæ congruū, vt appareat, assumit, & peracto suo officio, idem corpus assumptum deponit. *Iudic.14. Euanuit, &c.* Item assumpto corpore pro aliqua necessitate non vegetat illud corpus nec viuificat, sed tantum mouet, vnde quandoq; videtur comedere & bibere, vt homo, & tamen non comedit nec bibit, sed potestate sua cibum adnihilat & consumit. *Vt patet Tobiæ 12. vbi dicit angelus: Videbar quidem, &c.* Angelus enim non comedit aliqua necessitate, sed solum potestate, quia *vt dicit Augustinus super Luc. vlt.* quod radius consumit aquam potestate, sed terra absorbet necessitate: vnde fuit ibi comestio potestatiua, qua ad masticationem & cibi consumptionem, non tamen necessaria quo ad incorporationem. Hæc itaque leuia & plana de proprietatibus bonorum angelorum ad vtilitatem paruulorum dicta, ad præsens sufficiant.

CAP. XIX.

De malis Angelis.

SIcut bonus angelus hominibus datur ad subsidium & conseruationem: sic malus angelus datus est vnicuique ad exercitium & probationem: vnde horum malignorum spirituum caput & dux est Lucifer, qui *secundum Gregor.* sic est dictus pro eo quod aliis angelis clarior est creatus, *vnde Gregor.* Primus angelus ideò omni lapide precioso ornatus extitit: quia cum cunctis angelorum agminib. præfuit, ex eorum comparatione clarior fuit, sed contra conditorem suum superbiens, lucem & claritatem perdidit, & formam deformem, & obscuram apostasiæ suæ merito acquisiuit. *De hoc dicit Dam. lib. 1. cap. 18.* Ex his angelicis virtutibus qui aliis præerat & cui terræ custodia commissa est, non natura malus factus, sed bonus existens, nequaquā ab ipso conditore malitiæ semitam in se habens, non ferens illuminationem & honorem, quem ipse conditor largitus fuerat, electioni liberi arbitrij sui versus est ex eo, quod est secundum naturam, in id, quod est præter naturam: vnde Deo rebellare volens & à primo bono deficiens in malum venit. *Et infra.* Lumen igitur creatus à condito-

re

re, propria voluntate tenebratio factus est. Simul autem cum eo euulsa est, & consecuta angelorum qui sub ipso ordinati erant, infinita multitudo, & voluntarie facti sunt mali, de bono ad malum declinantes. Item dicitur ibi quod non habent potestatem, neque virtutem contra aliquem, nisi à Deo permissiue & dispositiue concedatur, sed diuina permissione transfiguratur in quamcunque voluerit, imaginem seu figuram. Omnis igitur malitia & immūdæ passiones ex ipsis cogitatæ sunt, quas quidem immittere, id est, suggerere possunt, sed violentiam inferre nō præualent. Item quod hominibus est mors, angelis est lapsus. Post casum enim non est eis pœnitentia, quemadmodum post mortem hominibus non est vita, *Hucusque Damas. Item dicit Gregor.* à gratia desertus, obstinatus in malitia permansit, ita quod nihil bona voluntate velit, liberum siquidem habet arbitriū, sed depressum, & ad malum incessanter inclinatum, ita quod semper bonum refugit, malum vero eligere non desistens. Et ideo accidit, *Vt dicit Caßiodor.* volebat & cupiebat rapere diuinitatem & amisit felicitatem. Item quia altitudinem sibi inconuenientem indebite appetiit, ideo iusto ordine ad ima ruit, vt qui se iuste non tenuit in summo, secundum iustitiæ ordinem se teneat, nunc in imo, propter quod Diabolus, id est, deorsum fluens à sanctis est dictus. Multis aliis nominibus nuncupatur, quibus sua malitia per nominum similitudinem intimatur. Dicitur n. dæmon imò *secundū Plat. in Thymæo* cacodæmon, id est, mala sciens; dæmon n. sciens interpretatur. Sic aūt dicitur propter sciētiæ, qua viget naturaliter perspicacitatem, viget enim sensu naturę, experientia tēporis, viget intelligentia scripturæ, *sicut dicit Beda & ēt Dam. c.18. De hoc dicit Isid. li. 7. c. Vlt.* Dæmones vocāt græci peritos, id est, scientes, pręsciūt n. multa futura: vnde solent dare responsa aliqua. In illis enim est cognitio rerū plus quā in hominibus, partim subtilioris sensus acumine, existentia longissime vitæ, partim per Dei iussum Angelica reuelatione. Hi corporum aereorum natura vigent, ante transgressionem, cœlestia corpora gerebant, lapsi vero in aeream qualitatem conuersi sunt, & ista aeris caliginosi spacia tenere permissi sunt, qui eis carcer est vsque ad iudicium. Hi sunt præuaricatores angeli, quorum Diabolus

princeps est. Item dicitur Sathan, id est, aduersarius, quia ex corruptela malitię Deo, qui summe bonus est, continuè aduersatur, *Vt dicit Hieron.* Præcipitata audacia magis præsumit quam possit, *Vt dicit glo, Esaie.16. Maior est arrogantia eius, &c. Sicut enim dicit idem*, potius vult esse quã non esse, vt pugnet contra Deum, quamuis suum ex hoc sciat crescere nocumentum. Item vocatur Beemoth, *Iob quadragesimo, ecce Beemoth*. Beemoth bos vel animal interpretatur, dæmon sicut bos comedere fœnum appetit, quia suggestionis suę dente conterere spiritualium virorũ vitam mundam quærit. Carnalia enim desideria amat Dæmon. Item dicitur Leuiathan, id est, additamentum. *Iob* 40. quia *Vt dicit Gregor.* malum malo addit, & pœnam pœnæ addere non desistit. Sicut enim sua & suorum crescit culpa, sic & pœna. Item dicitur Appollion græce, id est, exterminator latine, *Vt patet Apoc.*15. quia bona virtutũ, quæ Deus in Ecclesia siue anima plantat, malitia ipsum stimulante exterminare desiderat, *sicut dicitur in Psal. Exterminauit eam aper de sylua, &c.* Item dicitur communiter Diabolus, qui hebraicæ dicitur deorsum fluens, quia quietus in cœli culmine stare contempsit, superbiæ suæ pondere deorsum cadere meruit, græce vero dicitur criminator, eo quod vel ad crimina allicit & inflammat, vel quia electorum innocentiam falsis criminibus inficit & accusat, *Vt dicitur Apoc.* 12. *Proiectus est accusator, &c. Et sicut dicit Isid ethimologiarũ. li.*8. Item pręter ista nomina multipliciter in scriptura eius malitia denotatur. Dicitur enim serpens vel draco, propter eius virulentam astuciam. *Apoc.*12. Leo, propter eius apertam violentiam. 1. *Pet. Vltim. tanquã Leo rugiens.* Vectis, propter eius obstinatam duritiem. *Isai.* 25. Coluber tortuosus, propter ipsius in isto aere caliginoso latentiam. Et ideo ab Augustino recitatur opinio Platonis de cacodæmonibus *super Genes. ad literam lib.* 8. *& habetur li.*5. *siue dis.*8.*c.*1. Dęmones aerea dicũtur animalia, quia corporum aereorũ vigent natura, nec per mortẽ dissoluuntur, quia pręualet in eis elementũ aptum ad patiendum potius quã ad agẽdum. *Item dicit August. in li. de ciui. Dei. ca.* 8. *Dæmones sunt animalia animo passiua, mente rationalia tempore, id est, duratione æterna, corpore aerea, &c.* Hæc quõdam ab August. opinatiue & recitatiue sunt dicta volen-

volente insinuare, qualiter dæmon à loco summe illuminoso, scilicet cœlo empyreo sit expulsus, & in hoc aere caliginoso intrusus, vt ibi patiatur, & inde assumat corpus, quando à Deo permittitur, vt hominum vita per ipsius ministerium exerceatur, propter quod *ab Esai.* faber conflans prunas & formans vas in opus suum dicitur, quia eius exercitio vita electorũ, qui vasa gratiæ sunt, cõprobatur. *Isa. 55. Creauit fabrum, &c.* His itaque nominibus & multis aliis modis dęmon nominatur, quibus virulenta eius rabies demonstratur. *Dicit enim Beda in glo. super illum locum, 1. Pet. vltim. Circuit quærens quem deuoret, &c.* Circuit enim tanquam hostis obsidens muros clausos, explorans vt per inferiorem partem ad interiora penetretur. Offert & oculis formas illicitas, vt visu destruat castitatem. Aures per canora temptat, vt molliat christianum vigorem. Linguã conuitio prouocat. Manum iniutiis lacessentibus ad vindictam prouocat, vel ad cædem instigat. Honores terrenos promittit, vt annihilet cœlestes, & cum latenter non potest fallere apertos, addit terrores, in pace subdolus, in persecutione violentus, contra quem animus debet esse tantum paratus ad resistendum, quantum ille est paratus ad impugnandum. *huc vsq; glo.*

CAP. XX.

De angelis peruersis.

MAli igitur angeli consentientes voluntati luciferi cadentis, irrecuperabiliter in hoc aere caliginoso veluti in carcere sunt reclusi. Ceciderunt autem de luce in tenebras, de scientia in ignorantiam, de dilectione in odium & inuidiam, de summa felicitate in summam miseriam: *vt dicit Greg.* Item dæmones præsunt dæmonibus secundum maiorem scientiam & minorem, alijs subsunt, *vt dicit Ambrosius super Lucam.* Quamuis enim obstinati sunt in malo, viuaci tamen sensu non sunt penitus spoliati. *Nam vt dicit Isidorus,* triplici acumine vigent dæmones. Nam quædam sciunt subtilitate naturæ, quædam experientia temporum & diuturnitate, quædam sanctorum spirituum reuelatione. Item dæmones *vt dicit Augustinus* in eius viuacitate ingenij cognoscunt seminales rerum virtutes nobis occultas, quas per congruas & temperatas elementorum

per

per commixtiones spargunt, & sic diuersas rerum species producũtquod enim posset per se facere natura successiue, hoc potest diabolus facere per acceleratione operum naturæ: vnde per artem dæmonum magi Pharaonis serpentes & ranas subito produxerunt, *sicut super Exo.glo. dicit.* Item dæmonum intentio tota est ad malum &ad fatigationem bonorum, & ideo elementa sæpe perturbant, tempestates in mari & in aere concitant, fructus terrę corrũpunt & deuastant, *vt patet Apocal. 7. cap.* & longe peiora facerent, si boni angeli non cohiberent, & ideo, quia continue peccant, quocunque vadunt, pœnam suam continue secum portãt, *vt dicit Greg. Item Greg. lib. moral.* 32 dęmones semper afflictionem iustorum expetunt, sed si à Deo potestatem non accipiunt, ad temptationis articulum nullatenus conualescunt: vnde quando vnum malum intulerint, ad faciendum aliud subito se accingunt: vnde exeuntes ab obsesso porcos intrare petierunt. Nam vt suam agãt malitiam, etiam bruta lædere appetunt, quando cohibente eos diuina potentia homines lædere non præsumunt. Item *in lib.* 14. secundum diuersas diuersorum complexiones varias diuersis parant, temptationum illaqueãtes deceptiones, nam lętos temptant de luxuria, tristes de discordia, timidos de desperatione, superbos de præsumptione. *Item in libr.* 22. primo antiquus hostis temptans quasi consulendo blanda & illicita animo suggerit, post ad delectationem pertrahit ad extremum per consensum possidens, violenta consuetudine premit: *Vnde de ipso dicitur Iob.* 41. *Stringit caudam, &c. Item idem lib.* 32. Nequaquam hostis callidus quempiam premit, sed calliditate pestiferæ persuasionis & fraudulentis consilijs interficit, quia dum dulcia resonant, ad noxia cor inclinant. Item *idem lib.* 8. sicut est perditus, humanis sensibus se obiicit, modo quasi angelum lucis se ostẽdit. *Item lib.* 34. in fine mundi tanto feruentior erit ad sæuitiam, quanto se sentit viciniorem ad iudicium & ad pœnam. Item ibidem. Tunc quicquid nequiter voluerit, callidus exquiret, tunc superbis ceruicem quam altius eriget, & per illum damnatum hominem, quem gestabit omne quod poterit, tunc nequiter ostendet. *Item idem lib.* 33. Apparente iudicio cuncto assistente cœlestis curiæ ministerio, antiquus ille hostis diabolus, belua

ſua crudelis & fortis in medio captiuus adducetur, & cum ſuo toto corpore æternæ gehennæ incendijs mancipabitur, vbi vtique inauditum erit ſpectaculum, quando hæc immaniſſima belua electorum oculis oſtẽdetur. Hæc pauca de infinitis proprietatibus malignorum ſpirituum & eorum effectibus dicta ſufficiant cauſa breuitatis, alias vero ipſius Sathanæ proprietates, operationes & occultas machinationes, ſi quis ſcire deſiderat, *lib. Gregor. ſuper Iob. perlegat & percurrat, maxime in duobus cap. penult. ſcilicet* 40. & 41.

BARTHOLOMÆI ANGLICI, liber tertius de proprietatibus animæ rationalis.

ADiuuante Ieſu Chriſto in præcedentibus aliquas proprietates de ſubſtantia penitus incorporea, diuina ſcilicet natura & angelica, quantum ad hoc ſpectat opuſculum, breuiter introduximus. Nunc cum eiuſdem interueniente auxilio ad creaturam corpoream ſtilum conuertamus, à digniſsima creaturarum ſcilicet homine, qui naturam & proprietatem ſapit, tam corporum quã ſpirituum inchoantes.

CAP. I.

De Hominis deſcriptione.

CVm igitur homo *ſecundum Iſid.* ſit animal deiforme, manſuetum natura, ſecundum legem rationis diſciplinæ ſuſceptibile, diuinam habens imaginem in potentia cognoſcendi, & ſimilitudinem in potentia diligendi. Ad hoc vt rudibus & paruulis hominis proprietates maniſeſtius innoteſcant: à partibus eius ex quibus eſt compoſitus, eſt breuiter inchoandum, & primo à natura digniori, ſcilicet ab anima, ſecundum quã cum ſubſtantia angelica conuenit ac concordat, quia ſecundum illam ſupra naturã corporis homo ad cœleſtia eleuatur. Nam ſicut *dicit Iſid.* homo abuſiue ab humo eſt dictus, cum ex ſocietate nõ tantum corporis ſed animæ ſit cõcretus. Et ideo græce ἄνθρω-

πος,

πος, id est, sursum erectus appellatur, eo quod ab imo ad contemplationem sui artificis spiritus regimine subleuatur, Vnde Poeta:

Pronaq́ cum spectent animalia catera terram,
Os homini sublime dedit cœlumq́ videre,
Iussit & erectos ad sidera tollere vultus.

Homo itaque cœlum quærat, & non tanquam pecus ventri obediens, mentem in terra figat. Cum etiam *secundum Isido.* duplex sit homo, scilicet interior & exterior, primo ab interiori, scilicet anima est tractandum.

CAP. II.

De homini interiori, scilicet anima.

PRimo igitur vidēdum est, quid sit anima rationalis secundum rem, & secundum diffinitionem, & quid dicatur secūdum ethymon & nominis impositionem. Deinde quod secundum potentiam & virtutem. Tertio quid secundum effectum & operationem. Quarto quid secūdum sui perfectibilis comparationem, scilicet quæ sit eius proprietas, quando cum corpore coniungitur, & quæ, quando ab eo separatur. Anima vero rationalis de qua hic intendimus, à quibusdam sanctis & philosophis diffinitur vt spiritus, à quibusdam vt anima: à quibusdam vt anima & spiritus. In quantum autē anima habet naturam spiritus, *diffinitur ab Augustino in libro de motu cordis.*

CAP. III.

De Anima.

ANima est substātia incorporea, intellectualis, illuminationis à primo vltima relatione perceptiua. Ex qua diffinitione primam & præcipuam cognoscimus rationalis animæ proprietatem, spiritus enim humanus mediante prius angelos, est diuinę illuminationis receptiuus. Item inquantum est anima, diffinitur dupliciter. Quia vnitur corpori, scilicet, vt motor mobili & nauta naui; & secundum hoc diffinitur à Remigio sic: Anima est substantia incorporea, regens corpus. *Et ab August. de anima & spiritu.* Anima est substantia quædam rationis particeps corpori regendo accommodata. Ex qua diffinitione alia spiritus proprietas elicitur, scilicet quod quadam necessitate

amoris

amoris, & gubernationis ad regimen corporis sibi vniti naturaliter inclinatur. Ex quo etiam patet quod anima in corpore regendo non per dimẽsionem, & loci spacium in corpore extenditur, sed eius virtute corpus vndique regitur & mouetur, sic ponit Calcidius exemplum in commento super Thimeum de aranea, quæ in medio telæ eius residens, sentit qualemcunque motum interius vel exterius factum: sic anima in centro cordis residens, sine sui distensione totum corpus viuificat, & omnium membrorum motus dirigit & gubernat. Prout autem comparatur corpori sibi vnito vt forma & perfectio, diffinitur *à philosopho in lib. de anima sic:* Anima est ἐνθελέχεια, id est, actus primus, siue perfectio coporis physici organici, potentia vitam habentis. Ex qua diffinitione patet, quod quamuis corpori sit vnibilis, non tamen omni, sed solum organisato corpori & philosophico, id est naturaliter ad susceptionem animæ rationalis disposito infunditur & vnitur. Item inquantum est anima & spiritus, quadrupliciter diffinitur: primo in comparatione ad creaturas generaliter: *sicut ait August in lib. de anima & spiritu.* Anima est omnium similitudo. Ex quo patet quod anima ex sui natura ad suscipiẽdum in se omnium rerum similitudines est apta nata, *vt dicitur in lib. de anima & spiritu.* Anima ad similitudinem totius sapientiæ facta, in se omnium rerum gerit similitudinem: quia similis terræ est, per essentiam: aquæ vero per imaginationem: aeri per rationem: firmamento per intellectum: cœlo empireo per intelligentiam. Sexto autem modo diffinitur in comparatione ad Deum tanquam ad suam caussam efficientem sic: Anima est deiforme spiraculum vitæ. Ex quo patet, proprietas animæ quod non ex traduce, nec ex seminali ratione propagatur: sed ad viuificationem corporis à Deo infunditur & creatur. Item septimo modo describitur in comparatione ad Deum, sicut ad finem suum sic: Anima est spiritus intellectualis ad beatitudinem in se & in corpore ordinatus. Et ex hoc relucet animæ proprietas, scilicet quod anima non solum separata beatificatur cum angelis, vel sicut angelus imo in corpore glorificato ipsius felicitas ampliatur. Has omnes differentias & diffinitiones, sub quadam generali descriptione comprehendit. *Io, Damasc. homilia. 26.* Anima est substan-

tia viuens, simplex, & incorporea, corporeis ocul
dum propriam naturam, inuisibilis & immortali
nalis, intellectualis, infigurabilis, organico vten
re, & huic, scilicet corpori vitæ augmentationis
generationis tributiua, non alium habēs præter
intellectum, sed partem suiipsius purissimam. Sicu
oculus in corpore: ita est anima intellectus arbitri
& voluntariā & operatiua, voluntate vertibilis, q
creabilis. Omnia hæc ex eius gratia qui eam con
scipiens, ex quo & esse & naturam suscepit. *Huc*
Damasc. in cap. supradicto. Consimiles etiam pro
describit *Bernardus sic dicens.* O anima insignita I
gine, decorata similitudine, desponsata fide, dota
tu, redempta Christi sanguine, deputata cum ang
pax beatitudinis, hæres salutis, particeps rationis,
bi cum carne. Ex istis multis diffinititionibus &
ptionibus varijs, variæ proprietates animæ quoad
turæ & etiam gratiæ, iam relucent.

Cap. IV.

Quomodo anima sit à Physicis descripta.

QVid tamen secundum rem sit anima, pluribu
tum est: Nam circa hoc antiqui leguntur Phy
rias quasi contrarias sententias protulisse. Recitat
in lib. de anima. quod Plato posuit animam essen
mouentem. *Zeno* vero dicit animam esse numerun
uentem. *Pythagoras* harmoniam. *Paphinous* Idean
piades vero dixit animam esse quinque sensuum exc
siue consonum. *Hippocrates* autem spiritum tenuem
mne corpus dispersum, *Eradius physicus* lucem vel
lam essentiæ animam vocat. *Democritus* spiritū in
atomis; vnde propter facilitatem motus totum c
nimæ peruium asserit. *Parmenides dicit,* eā ex terr
esse. *Epicurus* dicit animā quandam speciem ex ig
re esse. *Ipertus* dicit animam quendam vigorem
fore. *Iuxta illud.*

Igneus est illis vigor & cœlestis origo.

Cum igitur tot & tam diuersa de substantia anim
pientibus sint relata, hoc solum sufficiat, quo ad p
quod secundum sanctorum dicta. Anima est quæd

lis & intellectualis, rationalis substantia ad viuifican- & perficiendum corpus humanum, à Deo ex nihilo eata. Vnde quia substantia est contrariorum susce-, susceptibilis enim est scientiæ & ignorantiæ, virtutis litiæ, & hoc sine substantiæ suæ immutatione seu de- itione. Item quia incorporea est, non est sensu corpo- eruia, neque secundum dimensionem extensiua. Item simplex est in natura, ideo nec augmenti nec detri- ti est in sua essentia receptiua, & ideo nec in corpore ori est maior: nec in minori minor, *Vt dicit Augustin.* quamuis simplex sit & inuariabilis in substantia sua, amen in potentia sua multiplex. Nam multitudo in ate & in potentia non ponit maioritatem in natura minoritatem: sed quoad varios effectus, est potentialis ltitudo in anima: vnde non est maior in tribus quam na: nec minor in vna quam in tribus. Patet itaq; mul- ex animæ proprietas secundum rem & diffinitionem. idius autẽ patebit animę conditio per nominis ipsius ositionem.

CAP. V.

Quomodo anima à gentibus nomen accepit.

Nima igitur *secundum Isidorum* à gentilibus nomen accepit: pro eo quod secundum eorum opinionem tus sit, quia aerem ore attrahentes viuere videmur. Sed d apertissime falsum est, quia multo prius anima cor- i infunditur, quam aer ore capiatur, quia in genitricis o statim viuitur, quãdo à Domino infunditur & crea- . Anima igitur dicitur eo quod viuit, & corpus cui in- ditur, animat & viuificat. Spiritus vero dicitur, quia vi- in se habet spiritualem, animalem & naturalem, & a spirare facit ipsum corpus. Idem etiam in essentia est ma & animus, sed anima dicit vitam secundum ratio- n, animus consilium: vnde dicunt philosophi: animam est, vitam sine animo, id est, sine consilio permanere. citur etiam anima mens, quia tanquam caput eminet, quia meminit: vnde homo secundum mentem dicitur ago Dei. Item multa nomina animæ sunt ita con- ncta, quod vnum pro alio sæpe ponitur, & per diuersa mina anima diuersis respectibus nominatur. Anima e-

nim dicitur dum animat & viuificat. Mens, inquantum re colligit. Animus, dum vult. Ratio, dum rectũ iudicat. Spiritus, dum spirat. Sensus, dum aliquid sentit: Vnde & pro his animæ proprietatibus, scientia, quæ animæ qualitas est, à sensu nomen accepit. *Huc vsq; Isid. lib.* 11 *cap.* 1.

CAP. VI.

De potentiis Animæ.

ANima vero plures habet potentias, cum sit in substantia vna, multiplicem habet comparationem, secundum quam oportuit diuersam potentiarũ ipsius ostendere partitionem. Comparatur enim ad corpus & ad finem suũ & ad actum suum, secundum comparationem vero ad corpus quinq; habet potentias: quarum prima est *secundum Augustinum* sensualitas, quæ vis est animæ qua mouetur & tendit in corporis sensus atque appetitus rerum ad corpus pertinentium. Hac potentia mouetur animal ad appetendum delectabilia, refugitque nociua. Secunda potentia est sensus, scilicet vis animæ, qua cognoscit res sensibiles & corporales, quando sunt præsentes. Tertia est imaginatio, qua anima intuetur formas rerum corporalium cum sunt absentes. Quarta est ratio quæ inter bonum & malum, verum & falsum, discernit Quinta est intellectus, quæ res non materiales sed intelligibiles comprehendit, vt Deum & angelum, & huiusmodi. Tres primæ potentiæ, scilicet sensualitas, sensus & imaginatio, sunt in anima, prout est corpori vnibilis, & ei influit vitam & sensum interiorem & exteriorem ad ipsius corporis perfectionem, & hæ potentiæ hominibus & brutis sunt communes. Duæ vero aliæ scilicet ratio & intellectus sunt in ea, prout à corpore est separabilis & remanet separata sicut angelus & hoc secundum duplicem aspectum. Respicit namque superiora, & sic intellectus nuncupatur, respicit & inferiora, & sic ratio dicitur. Prout autem anima comparatur ad finem suum, triplicem habet potentiam, scilicet rationalem, qua tendit in verum: concupiscilem, qua tendit in bonum: irascibilem, qua tendit in arduum & etiam num. In rationali, est cognitio veri, in concupiscibili, voluntas & desiderium boni, in irascibili, est fuga contrarij, scilicet mali. Omnis itaque potentia sic considerata, est cognitiua

siue

siue apprehensiua veri, & affectiua boni, vel motiua ad fugam mali. De vi igitur apprehensiua siue rationali omnis sensus oritur. De vi autem motiua concupiscibili & irascibili nascitur omnis affectio siue affectus. Quæ affectões sunt quatuor, scilicet gaudium, spes, timor & dolor. Primæ duæ nascuntur de concupiscibili, nam de re quãconcupiscim⁹, gaudemus & gaudendo speramus. Duę vero aliæ, scilicet timor & dolor oriuntur de irascibili, q̃a de eo, quod odimus, iã dolemus & dolendo timemus. Hi siquidẽ quatuor affectus virtutum omnium & vitiorum, quædam sunt substrata materia, sicut alias est ostẽsum, & hoc patet *per Aug. lib. de anima & spiritu.* vbi hæc omnia declarantur.

Cap. VII.

De triplici potentia Animæ.

PRout vero consideratur anima ad suum actum, triplex potentia occurrit, scilicet vegetabilis, sensibilis, rationalis, imo in diuersis subiectis triplex dicitur anima: scilicet vegetabilis, quæ est in plantis & radicibus, sensibilis, quæ est in brutis & animalibus, rationalis in hominibus. Vnde animam vegetabilem comparat philosophus triangulo, quia huiusmodi tres sunt partes, generatiua, nutritiua, augmentatiua: vnde hæc potentia seu anima prima, est similis triangulo in Geometria. Animam sensibilẽ comparat quadrangulo: quia quadrangulus ducta linea ab angulo ad angulum duos facit triangulos: anima sensibilis duos facit triangulos potentiarum, vbicunque enim anima est sensibilis, ibi vegetabilis inuenitur, sed non è conuerso. Animam autem rationalem comparat circulo ratione suæ perfectionis & capacitatis. Omnium enim figurarum ysoperimterarum, id est, æquales ambitus habentium, maximus est circulus. Quamuis enim perfectibilis facta sit in scientia & virtutibus anima rationalis, *vt dicitur in lib. de anima.* perfectissima est & capacissima instar circuli, quantum ad potentias naturales: vnde supposita anima rationali, præsupponitur potentia vegetabilis & sensibilis, sed non conuertitur.

Cap. VIII.

De Anima vegetabili.

ANima igitur vegetabilis potentiam habet generatiuam, necessariam ad multiplicationem specierum

potentiam nutritiuam ad conseruationem indiuidui, & potentiam augmētatiuam ad perfectionem subiecti. Hæ autem virtuti vegetabili quatuor deseruiunt, scilicet virtus appetitiua, quæ fuit necessaria in nutrimento. Digestiua, quæ separat conueniens ab inconuenienti in nutrimento. Retentiua, quæ transmittit ad singulas partes in animalibus, & ad singulos ramos in plantis, quod conueniens est in alimento, & coniungitur eis vt restauretur deperditum tam in animalibus quam in plantis. Expulsiua, quæ expellit illud quod naturæ est inconueniens & nociuum. Sunt & aliæ virtutes potentiæ vegetabili administrantes, vt immutatiua, informatiua, assimilatiua, perforabilis, aspera, lenis, quarum differentias non intendimus prosequi, quæ in libro Iohannicij per se patent. Ex prædictis igitur breuiter recollige, quod anima per potentiam vegetabilem in plantis de similibus similia producit, & producta in esse multiplicat & custodit. Item quæ sunt necessaria ad nutrimentum, appetit, recipit, incorporat atque vnit. Item quæ inconuenientia sunt, abiicit & excludit. Item per generatiuam virtutem cui deseruit pascitiua, multiplicat speciem & ad esse producit. Item per nutritiuam speciē multiplicatam refouet atque nutrit. Item per augmentatiuam subiectum dilatando in debita quantitate perficit & producit. Item senio & temporis mutabilitate deficit, & tandem deficiente corpore ipsa perit. Hęc de anima vegetabili hic dicta sufficiant.

CAP. IX.
De Anima sensibili.

DE Anima autem sensibili, quantum ad potentiarum suarum differentias, aliqua pauca breuiter sunt dicenda. Nam virtus sensibilis in subtilissimis cerebri ventriculis sedem habet, ab ipso autem cerebro per neruos & arterias, per singulas partes animalis se diffundens, motum & sensum voluntarium in singulis membris operatur. Duplicem itaque habet anima sensibilis potestatem, scilicet apprehensiuam & motiuam. Apprehensiua vero diuiditur in sensum communem siue interiorem, & in sensum particularem siue exteriorem, sensus vero exterior continet visum, auditum, gustum, odoratum, & tactum, & iste sensus

s in ſuis organis producitur taliter ad effectum. Quidam ruus qui ab anatomia dicitur obticus, deſcendit à cebro ad oculos, ſeu ad oculorum pupillas & ramificatur duas partes: & alius quidam ad aures: tertius ad nares: uartus ad linguam & palatum: quintus ramificatur ad rgana tactus per totum corpus. Per iſtos itaque neruos iritus ſenſibilis vbique diffunditur per corpus, & eius virute totum ſenſibile & mobile redditur, ex cuius ſpiritus ffuſione per neruos, arterias & muſculos tota corporis ompago ad motum habilis inuenitur.

Cap. X.

De ſenſu communi ſiue interiori.

SEnſus vero communis ſiue interior diuiditur in tres partes, ſecundum tres cerebri regiones. Nam in cerebro int tres cellulæ, ſcilicet anterior, in qua virtus imaginaiua operatur, quæ quidem ea, quæ ſenſus extrinſecus aprehendit, interius ordinat & componit: *Vt dicit Iohannitius*. Eſt & media cellula, ſcilicet logiſtica, in qua ratio ſenibilis vel æſtimatiua virtus dominatur. Eſt iterum & tertia postrema, quæ eſt memoratiua, quę ea, quæ apprehenſa unt per imaginationem ſiue rationem in theſauro menoriæ retinet & cuſtodit.

Cap. XI.

De virtute ſenſitiua.

SEnſus itaque ſiue ſenſitiua virtus, quæ ab anima ſenſibili procedit, eſt potentia, quæ anima de coloribus, ſaporibus & alijs ſenſuum obiectis iudicat & diſcernit. Imaginatiua vero eſt virtus, qua formas prius à particularibus eceptas, quamuis abſentes, apprehendimus, vt patet quādo montes aureos cogitamus, vel quando propter ſimilitudinem aliorum montium de monte Parnaſſo ſomniamus. Vis autem æſtimatiua, ſiue ratio ſenſibilis eſt, ſecundum quam in præcauendis malis nobis vel in delectabilibus conſequendis prudentes ſunt homines & ſagaces, & hæc æſtimatiua nobis communis eſt & brutis, vt patet in canibus, & etiam lupis, ratione tamen proprie loquendo,

non vtuntur, sed quadam forti & solerti æstimatione. Sed de hoc alias. Memoratiua vero est vis conseruatiua siue recordatiua, per quam species rerum ne in obliuionem veniant, reponimus & reseruamus. Vnde dicit quidam: *Memoria est arca siue cistula rationis.*

Cap. XII.

De virtute sensibili motiua.

Virtus autem sensibilis motiua, diuiditur in naturalē, vitalem & animalem. Virtus autem naturalis est motiua, humorum in corpore animalis per venas, & habet sedem suam principaliter in epate, eo quod ibi principaliter operetur. Virtus quoque vitalis habet motum suum per arterias, in quibus mouet spiritus à corde procedentes. Nā hæc virtus sedem suam habet in corde: Vnde oriuntur arteriæ: sicut ex epate venæ nascuntur, tanti enim caloris est cor, quod nisi frigido aere attracto eius calor mitigaretur, vtique in semetipso suffocaretur. Propter quod, per arterias & pulmonem, necesse est, aerem attrahere & eius incendium mitigare. Virtus autem animalis motiua quæ principaliter sedem habet in ventriculis cerebri, à quo oriuntur omnes nerui mediante nucha, id est medulla spinali quæ est in spondylibus dorsi, mouet omnia membra. Primo enim mouet neruos, & musculos & lacertos, qui moti mouent & alia membra motu voluntario in omnem partem, secundum vero quod mouet manus, dicitur virtus operatiua, secundum vero quod se extendit ad pedes & mouet ad ambulādum, dicitur virtus progressiua, eo quod secundum eam mouentur animalia motu progressiuo. Recollige igitur breuiter animæ sensibilis proprietates, huic tractatui congruentes. Est igitur anima sensibilis, quædam spiritualis substantia, vegetabili nobilior & dignior, rationabili vero longe indignior, & ignobilior. Nā eius esse & operatio, dependet à materia siue subiecto, cuius est pfectiua. Vnde pereunte corpore perit eius essentia & operatio, nec permanet à corpore separata: quam diu tamen est in corpore, habet nobiles operationes. Est enim corporum animalium sensificatiua, & in ipsis sensuum interiorum & exteriorum secundum organorum exigētiam, completiua, Item omnium membrorum secundū omnem

ıtem est motiua. Item per singulas partes corporis est ſe virtutis distributiua vel diffusiua. Item secundum ma- ıem nobilitatem organorum & membrorum est nobi- ım actionum productiua. Itē somni & vigiliç in anima- bus est effectiua. Item virtute eius ad interiora reuocata interioribus corporis fortius est actiua. Item diffusa per teriores sensus, & circa diuersa occupata debilius in sin- lis operatur: quando enim actualiter intenditur in visu bilitatur & remittitur in auditu, & sic de alijs: Vnde dici- ır: *Pluribus intētis minor est ad singula sensus*. Itē in extre- is & nimis excellentibus eius virtus obtunditur, sed in edijs delectatur. Item eius virtus & operatio impeditur, uando propter opilationem meatuum & pororum in embris spiritui sensibili via seu transitus denegatur, vt in aralyticis, epil-pticis & alijs patet. Item ex nimio calore issoluente, & poros dilatante, virtus eius dissoluitur, sic- t ex nimia frigiditate constringente, ne se diffundat, coar- tatur. Item ex odoriferis, virtus animal deperdita restau- atur: Sicut ex fœditis corrumpitur & grauatur. Sed æc de virtute sensibili iam sufficiant.

Cap. XIII.

De Anima rationali.

ANima vero rationalis, siue vis intellectiua, idem est, quod intellectus. Vnde diuiditur secundū duos prin- ipales actus, id est intellectum speculatiuum & intelle- tum practicum. Intellectus enim speculatiuus exercetur n contemplatione. Intellectus vero practicus in opera- ione. Et secundum hanc radicem, diuiditur vita actiua & contemplatiua. Anima igitur rationalis, perpetua est & ncorruptibilis ac immortalis, propter quod & principalis eius actus, scilicet intelligere, nullatenus dependet à cor- pore, & ideo perfecte viuit & intelligit à corpore separata, imo quanto plus se corpori immerserit: tanto tardius & mperfectius intelligit: & quanto se magis à carnalibus nexibus subtraxerit, tanto facilius & clarius apprehendit. Voco autem hic immersionem vel per phantasticam ima- ginationem vel per delectationem carnis siue tempora- lium dilectionem *Vnde dicit Greg.* Homo sicut in medio creatus est, vt esset inferior angelo, superiorque iumento: ita habet aliquid, quod necesse est conuenire cum sum-

mo & aliquid cum infimo. Immortalitatem quidē habet spiritus cūm angelo. Mortalitatem corporis cum iumēto. Anima igitur si ad Deum per rationem conuertitur, illuminatur, melioratur & perficitur. Si vero per affectiones ad creaturas conuertitur, obscuratur, corrumpitur & deterioratur, quamuis enim anima in se considerata immortalis sit & perpetua, passibilis est tamen ex colligatione corporis cui est coniuncta: *Vnde Augustinus in lib. de anima & spiritu.* Animæ in corporibus viuentes, per dilectionem rerum sensibilium corporalibus afficiuntur à corporibus exeuntes, in eisdem imaginibus tormenta patiuntur. Propterea enim corporalibus passionibus ibidem detineri possunt, quia hæ mundatæ à corruptione corporum non fuerunt. Ex quo patet quod anima, q̃uis in sui natura sit purissima, impuritatem contrahit à carne, cum originaliter est corrupta sicut vinum, vel alius quicunque liquor ex vase corrupto contrahit infectionem, & ideo exuta à corpore, quandoq; ex colligatione corporis secum sordes defert, & ideo necesse est vt purgentur: sicut gemma de luto nouiter emundata. Hæc autem omnia de dictis *Augustini* sunt excerpta. Recollige igitur ex prędictis, quod anima rationalis inter omnes creaturas diuinæ imaginis & similitudinis est expressius repræsentatiua, & hoc quia trina est in potentia, quamuis vnica & simplex sit in natura. Item omnium rerum similitudinem est in se contentiua. Et ideo anima dicitur omnium rerum similitudo, *Vt dicit August.* Item semel creata in corpore vel extra corpus est in esse perpetuo permansiua. Nam *Vt dicit Cassiodor.* nunquam ad diuinam imaginem diceretur creata, si mortis termino clauderetur. Item ἐνδελέχεια, est corporis organici physici, & ideo ipsius corporis in parte & in toto est perfectiua. Item ex natura sibi indita est naturaliter boni & mali, veri & falsi diiudicatiua & libere electiua. Item secundum diuersas potentias formarum & specierum diuersarum rerum præsentium & absentium est apprehensiua. Nam res materiales per suas naturales formas præsentes vel absentes discernit, res vero immateriales per sui præsentiā comprehendit, *Vt ait August.* Item per reflexionem suiipsius supra se, suiipsius est cognitiua *Vt dicit philosophus.* Nam videndo & intelligendo cognoscit se, &c. Item illuminatio-

ium & impressionum diuersarum ad motum tabulæ est naturaliter receptiua. Item cum naturaliter incorporari & corpori vniri appetat, vnionis cum corpore est naturaliter affectiua. Item naturaliter est appetitiua boni, & malitiæ fugitiua, quãuis enim ex defectu liberi arbitrij quandoq; malum eligat: tamen ex natura, malo remurmurat, *vt dicit August.* Vnde anima vegetabilis appetit esse, sensibilis appetit bonum esse, rationalis autem affectat optimum esse. Et ideo nunquam quiescit, nisi cum optimo coniungatur. Locus enim animæ rationalis est Deus, ad quem mouetur, vt in eo quiescat, non per distensionem, sed potius per desiderium & amorem. Hæ itaque animæ proprietates cum aliis supra positis iam sufficiant.

CAP. XIIII.

De virtutibus animæ quibus potens est suas operationes exercere.

POstquam diximus de proprietatibus animæ in se & in suo corpore consideratæ. Restat videre de ipsius virtutibus, quibus potens est, suas operationes in corpore exercere. Hæc autem virtus, est potentiæ animæ ei essentialiter attributa, ad suas peragendas in corpore actiones. Nam mediante hac virtute, corpus viuificat, cor & arterias constringit continue, & dilatat sensum & motum voluntarium omni animato corpori administrat, *vt dicit Constan. li.* 13. Hęc itaq; est triplex: naturalis, quæ est in epate: vitalis siue spiritualis, quę in corde: animalis q̃ in cerebro sedẽ habet. Actio igitur virtutis naturalis in animalib. & in plantis communis est, quæ generat, nutrit & augmentat, *vt idem dicit Constan.* Est aũt generatio, prout hic sumitur, substantiæ humoris vel rationis seminalis in substantiam plantæ vel animalis operatione naturæ facta, mutatio. Et hæc virtus incipit operari à tempore generationis vsque ad perfectionem plantæ vel animalis. Huic autem generationi naturali duæ virtutes, scilicet immutatiua & informatiua subministrant. Nam virtus immutatiua, est illa, quæ substantiam seminis transmutat, & conuertit in substantiam singularum partium plantæ vel animalis, & hæc virtus istam facit transmutationem, mediantibus quatuor qualitatibus primis, scilicet calido, frigido, humido, & sicco.

Nam per calidum & humidum operatur subſtãtiam molliorem, vt carnem in animalibus, flores & medullam in arboribus, per calidum & ſiccum operatur radices in vegetabilibus, cor in animantibus: per frigidum & humidum operatur in plantarum foliis, & animalium pilis: per frigidum & ſiccum operatur in neruis & oſſib. animalium, in truncis & cordicibus arborum & plantarum. Virtus vero ſecundaria, ſcilicet informatiua, actioni naturæ in generationibus eſt neceſſaria, quia ordinat & diſtinguit formam, & ſpeciẽ ipſi generato per partes ſingulas congruentes. Nam hæc virtus perforanda perforat, vacua concauat, aſpera lenificat, & nimis lenia aſperat, & vnicuique particulæ ſuperficiem perficit & figurat. Hæ autem duæ virtutes, ſcilicet immutatiua & informatiua, non diutius operantur, niſi quouſque ipſa res generata, vt animal, vel planta in eſſe naturæ compleatur. Et ideo neceſſe fuit, vt virtus nutritiua ad conſeruationem generationis continue ſequeretur: eſt enim ipſius generatiuæ virtutis adiutrix & miniſtra, quia in longitudine, latitudine & profunditate augmentat & extendit ipſum generatum. Paſcitiua quoq; virtus nutritiuam adiuuat, & ei miniſtrat, quia cibum ab animalibus aſſumptum, in membris aſſimilat & ſolidat, & quod diſſolutum eſt ac deperditum vi caloris vel aliqua paſſione aeris reparat & reſtaurat: & ideo natura mirabilis, paſcitiuam virtutem nutritiuæ fecit adiutricem, & vtrumque ſubiecit miniſterio virtutis generatiuæ. Huic ergo paſcitiuæ virtuti quatuor virtutes particulares ſubminiſtrant, ſcilicet appetitiua, quæ nutrimentum conueniens attrahit ipſis membris, & ad nutrimentum carnis attrahit, temperamentum ſanguinis, ad nutrimentum cerebri & pulmonis, temperamentum phlegmatis, & ſic de aliis. Item ei cooperatur virtus digeſtiua, quæ conuenientia ab inconuenientibus nutriendo ſeparat, & diuidit purum ab impuro. Item virtus retentiua, quæ ſcilicet purum nutrimentum cuſtodit, & quod iam actione naturę excoctum eſt, ſingulis membris incorporat, aſſimilat atque vnit. Item expulſiua, quæ ſuperflua membris tracta eis nullatenus aſſimilando neceſſaria expellit. Et ideo ſicut vis appetitiua operatur cum calido & ſicco, & digeſtiua cũ cali-

alido & humido, & retentiua cum frigido & ficco; fic ex-
ulfiua cum frigido & humido operatur.

Cap. XV.

De Virtute Vitali, cuius initium eſt cor.

VIrtutem autem naturalem ſequitur virtus vitalis, quæ viuificat, cuius fundamentum ſiue proprium domi-
ilium eſt cor, à quo procedit vita ad omnia membra vi-
iificanda. Iſtius virtutis operationi cooperatur vis volun-
arie motiua, qua cor & arteriæ dilatantur & conſtringun-
ur. Et dicitur hæc dilatatio motus cordis à medio in oẽs
xtremitates. Sic econuerſo conſtrictio, dicitur motus ab
xtremitatibus ad ipſum medium, ſicut eſt in fabrorum
ollibus videre. Virtus ergo vitalis cor dilatando median-
e pulmone ad cor aerem attrahit, & à corde ad alia mem-
ra per arterias tranſmittit. Et iſta virtus, per virtutem di-
atatiuam cordis & conſtrictiuam, anhelitum in animali
pperatur, qui mouet pectus motu continuo, neruis ta-
men motis primitus & lacertis. Iſte autem flatus ſiue anhe-
itus neceſſarius eſt, ad caloris naturalis mitigationem, &
d ſpiritus vitalis nutrimentum, nec non ad ſpiritus ani-
malis generationem. Cuſtodia enim caloris naturalis, eſt
frigidi aeris temperatus attractus & cuſtodia vitalis, ex cu-
ius temperamento generatur ſpiritus animalis: & ideo ad
vitæ conſeruationem nihil eſt magis neceſſarium, quam
anhelitus bene diſpoſitus, in omnibus ordinatus. Hæc o-
mia habentur *à Conſtan. in pantegni.* Sine cibo enim & po-
tu ad horam poteſt conſiſtere animal, ſine attractione ve-
ro aeris nec ad momentum poteſt animal in debita conſi-
ſtentia permanere. Corrumpitur tamen hic anhelitus ſiue
aer attractus, multis modis, & ſequitur neceſſario deſtru-
ctio animalis. Primo ex cerebri mala diſpoſitione. Nam
cerebro quocunque modo in ſuo officio impedito, pro-
pter defectum influentiæ ſpirituũ, deficit cordis dilatatio,
& debita conſtrictio. Vnde ſequitur neceſſario animalis
ſuffocatio, vt patet in apoplexia, & in aliis cauſis conſimi-
libus. Item, idem accidit ex cordis læſione, quando humo-
rum ibi naturaliter exiſtentium fit euacuatio, & per conſe-
quens ſpirituum exinanitio, & ſic aeris attractio non ha-
bet locum. Item, idem accidit ex ſubita caloris naturalis,

ad

ad interiora cordis, repercussione, vt patet in timorosis & phlebotomis, qui aliquando deficiunt & sincopizant. Itē, idem accidit ex epatis infectione, nam corruptio epatis, generationem aufert puri sanguinis, quo calor naturalis nutritur, quo oblato spiritus vitalis deficit, & per consequens anhelitus particulariter vel vniuersaliter impeditur. Item, idem accidit ex pulmonis perforatione, vt patet in phtisicis in quibus ventus astrictus per occultos poros euanescit, & ad temperandum calorem cordis nullatenus satisfacit. Item, idem accidit in omni & maxime interioris vacuitatis corporis subita repletione, vt patet in submersis, in quibus poris opilatis anhelitus intercluditur, & simpliciter impeditur. Item ex nimia aeris corruptione, vt patet in pestilentia & corrupto aere, quando spiritus vitalis suum contrarium fugiens, interioribus cordis se intercludit, & ex corrupto aere iam oppressus, cor & alia corporis membra regere non sufficit, imo deficit in se, & quasi subito euanescit, & tunc mors est in poris. Item ex humorum thoracis & pectoris infectiua corruptione, vt patet & in leprosis. Item ex viarum canalium pulmonis obstructione, vt patet in asthmaticis & anhelosis, & aliis. Item ex speciali cordis corruptione, sicut ex morsu alicuius venenosi reptilis, cuius venenum ad cor penetrans naturalem calorem vincit, & sic anhelitus via intercluditur. Item nimia calidi aeris rarefactione, sicut contingit ex balneo nimis calido, vel sole feruentissimo poros nimis rarefaciente & aperiētē. Vnde fit nimia caloris naturalis exhalatio, & sic non sufficit aer frigidus, attractus ad caloris accidentalis mitigationem, & sic anhelitus impeditur. Item, idem accidit ex aere nimis frigido, lacertos & neruos pectoris constringente: vnde & vis attractiua aeris impeditur, vt in dormientibus super niuem. Item, idem quandoque contingit, ex vena cordis, quæ dicitur concaua vena, opilatione, qua opilata & interclusa denegatur transitus, siue via sanguinis ab epate ad cor ad vitalis spiritus nutrimentum: vnde calore intenso & humore subtracto, animal suffocatur, quia non sufficit aer ad cor refrigerādum. Item, idem accidit ex choleræ siue alterius humoris in subtilissimis venis cordis intensione, vt patet in acutis febribus, in quibus deficit anhelitus. Item, ex gutturis & aliorū

mea-

te ad ſpeculum, & à ſpeculo fit reflexio ad viſum. Tertio modo fit per lineas, quæ licet non ſint reflexæ ab aliquo, ſed diriguntur inter rem & viſum, non tamen vadunt inceſſu recto ſemper, ſed aliquando diuertunt à via recta, quando ſcilicet medium multiplex interponitur. Et ſunt ita media diuerſarum dyaphoneitatum, vt quando vnum denſius eſt, & aliud rarius, id eſt, minus denſum & rarum. Aliquando enim occurrit medium alterius naturæ, ſed frãgitur radius ſiue ſpecies radioſa, niſi veniat ſuper lineam cadentem perpendiculariter ſuper illud medium, ſecundum occurrens, & voco lineam cadere perpendiculariter ſuper corpus planum ad angulos rectos: ſuper corpus vero ſphæricum, quando cadit in eius cẽtrum. Ad viſum autem, primo modo dictũ, nouem præcipue exiguntur, ſicut habetur ibidem. Primũ eſt ſanitas ſiue bona diſpoſitio organi viſus. Secundũ eſt oppoſitio viſibilis contra viſum, quia viſ° tali modo videndi non videt, niſi rẽ illam, à cuius partibus venit ſpecies ſuper lineas rectas cadentes in centrũ oculi, q̃ omnes lineæ ductę à ſingulis partib. rei faciunt vnam pyramidem, cuius conus eſt in pupilla, & baſis in re viſa, vt patet in hac figura. A enim & B ſunt axes, quando videns directe intuetur punctũ, c. Quando vero intuetur punctum, d. tunc illæ duę b. c. exeuntes ab oculis, dicuntur axes, quia exeunt immediate ab oculi medio ad rem viſam. Tertium eſt diſtantia proportionalis. Quartum, d. c. eſt ſitus determinatus, non nimis ab axe viſuali elongatus, quia illud, ſcilicet ꝙ multũ elongatur ab ipſo axe, licet viſui opponatur: tamen diſtincte non cognoſcitur. Axis viſualis eſt radius ille, ſiue linea, quæ intelligitur duci à medio viſus ad punctum rei viſæ, directe ad oppoſitum in medio viſus, vt patet in hac figura. Quintum eſt ſoliditas ſeu denſitas rei viſæ, quia quod eſt omnimodo peruium non videmus: vnde & aer non videtur, eo quod eſt in fine dyaphoneitatis, & non habet denſitatem, vt dicit autor ſcientiæ perſpectiuæ. Sextum eſt magnitudo debita rei viſibilis, quia res poteſt eſſe ita parua, quod non videbitur in aliqua diſtantia, quia viſus non eſt niſi per pyramidem ad oculum venientem, quæ ſi fuerit valde parua, occupabit partem viſus valde paruam.

A B

B C

A B

Sed

Sed visus non sentit visibile, nisi quando pars superficie suæ immutata fuerit quantitate visibili. Septimum est raritas medij interiacentis, quoniam medium si fuerit densum impedietur multiplicatio speciei, vt non veniat debito modo & de facili ad pupillam. Octauum est lux, quia species visibilis non immutat visum nisi cum luce. Nonum est tempus, quia visio fit in tempore sicut probatur in perspectiua, quamuis enim visibile subito ostendatur, visui non tamen discrete cognosceretur, nec distincte nisi aliqua habita animæ deliberatione, q̃ mora indiget & tempore. Et ideo attentio animæ est ẽt necessaria in prædictis, vt s̃ dictum est, præterea secundum philosophum non solum venit species rei visæ ad visum secundum pyramidem visualem, sed species visus ad rem super consimilem pyramidem extensam in eodem loco, dicit enim *Arist. in 19. lib. de animalibus*, quod nihil aliud est visum videre, quam quod visus exeat ad rem visam. Et idem vult, *August. primo lib. super Gen. & 6. musica*, à re autem visa nihil venit, nisi species eius, neque à visu ad rem venit aliud, quam species eius, nihil enim exit ab oculi substantia, quia corrumpetur, sed exit ab oculo conus pyramidis & dilatatur eius basis super totam superficiem rei visæ. Item probat autor perspectiuæ in libro primo, quod nihil videtur, nisi per lucem orientem, super rem visam, ab eadẽ vsq; ad oculum multiplicatam, vnde necessario exigitur tertia pyramis, scilicet, ipsius lucis, & omnium istorum trium pyramidum coni sunt in oculis, & bases in re visa. Quando ergo visus habet species venientes super has tres pyramides, tunc transit species lucis & coloris per medium tunicarum & humorum oculi vsque ad humorem cristallinum, & ibi incipit anima facere iudicium de re visa, per speciem illam, sed ibi nõ completur, imo vlterius multiplicantur species vsque ad neruum obticum siue concauum, qui latet in superficie cerebri, & ibi est virtus visiua in radice, & supposito primo principali & vno, aliter enim vna res semper videretur, duę propter duos oculos nisi continuarentur ad vnum organum in quo sit vna virtus fontalis deriuata ad pupillas. Hæc omnia ostendit autor perspectiuæ. Aliam rationem visus ostendit & assignat *Constant. lib. 3. ca. 11.* Dicit enim spiritum visibilem, oculum & aerem corpora clara esse, quę irradia-

tior

ione quadam ſeſe inuicem irradiando immutant. Aer e-
m qui iuxta eſt rem videndam ab eius proprietatib. im-
utatur, & ſic immutatus oculo ſe offert, à quo ſpiritus vi-
bilis immutatur. Nam iſta virtus viſiua vſque ad extre-
as partes pupillæ ſe diffundens aeri immutato adiun-
tur, & quaſi vnum cum illo efficitur, & color, me-
ante aere, delatus animæ iudicio præſentatur. Aer enim
varietate formarum ſibi obiectarum facile immuta-
r, ſicut videmus ex obiecto panni rubei ad ſolis radium
cinum aerem colorari, vnde non eſt mirum ſi oculum
arum & dyaphanum ſibi immediate coniunctum qua-
tate & forma conſimili afficiat & immutet. Quantum i-
tur ſufficit ad præſens opuſculū breuiter recollige, quod
ſus vel virtus viſibilis cæteris ſenſibus eſt ſubtilior & vi-
acior: vnde à viuacitate viſus nomen accepit, *Vt dicit Iſid.*
em cæteris ſenſibus eſt dignior, & ideo ſecundum ſitum
liis eſt ſuperior. Item in effectu tanquam quædam ignea
s, aliis eſt potentior, quia alij ſenſus propinquiora, hic
ero ſua virtute remotiſſima comprehendit ſub angulo re-
to & pyramidali viſa diiudicat & diſcernit, ſecundum no-
iliorem naturam, & diſpoſitionem organi faciliori mo-
o inter videnda diſtinguit. Vnde dicit *Ariſt. libr.* 12. quod
iſus bonus & acutus erit ex humore temperato, vnde & a-
es, vt aquilæ vncorum vnguium ſunt acuti viſus, & hoc
ropter purum & ſubtilem humorem & temperatum in
rganis viſus exiſtentem, & tales aues à remotis & altiſſi-
nis locis vident cibum, & tales aues altius ſe eleuant, quam
lia volatilia. Aues vero in terra manentes non ſunt acuti
iſus; vnde prope & non de longe vident cibum ſuum. Item,
dem *libr.* 19. oculi glauci non ſunt acuti viſus de die, neque
igri de nocte: propter paucitatem autem humorum ocu-
us glaucus mouetur motu maiori; vnde & virtus viſiua de-
bilitatur. Nigri autem oculi mouētur minus propter mul-
itudinem humoris, & lumen noctis eſt debilius, & humor
n nocte eſt naturaliter grauis motus. Et ideo ſpiritus viſi-
bilis intercluditur per humorem & impeditur. Item, idem
viſus ſenum non eſt acutus, quoniam ſenum cutis eſt rugo-
ſa. Ex quo patet, quod ex bonitate organi vel debilitate de-
bilitatur & fortificatur vis videndi: vnde dicitur ibidem.
Cum oculi animalium habent coopertorium, & fuerit

humor in pupilla mundus, & temperàtus, & motus etiam temperatus, & cutis super pupillam tenuis, tunc visus est acutus, & videt à remotis: sed tamen non perfecte distinguit à remotis inter colores & differentias corporis, visus tñ talium animalium melior est visu eorum, quorum humor in oculis est multus & non habent coopertorium omnino. Nam propter continuam apertionem spiritus visibilis disgregatur, & pupilla etiam de facili læditur, & sic visus impeditur. In habentibus vero palpebras & coopercula, patet causa contraria. Dicitur etiam ibidem, quod visus acuti causa in videndo à remotis est propter situm oculorum. Nam oculus eminens est parui visus, & non videbit bene à remotis, sed oculus profundus videt à remotis. Nam motus eius non diuiditur nec consumitur: sed exit ab eis recte virtus visibilis, & vadit directe ad res visas: vnde, cum extra oculum non fuerit cooperculum necessario, debilitatur visus, nec videbit à remotis, nisi debiliter. *Hucusq; Arist. lib.* 12. Et hęc sufficiant quæ de visus proprietatibus generaliter iam sunt dicta. Nam alia patebunt infra vbi de natura & proprietate oculi tractabitur.

Cap. XVIII.

De Auditu.

Virtus audibilis in aurium organis suum sortitur effectum. Est autem auditus sensus proprie sonorum perceptiuus. Vnde ad perficiendum auditum, quatuor ad minus sunt necessaria, scilicet causa efficiens, organum conueniens, medium ordinate sonum deferens, animæ intentio de his conferens, vel de his intendens. Causa efficiens est virtus animalis audibilis. Instrumentum conueniens est quoddam os petrosum siue cartilaginosum, aurib. suppositum, quod quidem est concauum, siccum, tortuosum & durum, concauum est, siquidem auditus organum, vt in sui concauitate spiritum & aerem contineat, tortuosum est, ne stupor ex subita & vehementi allisione natus, spiritum audibilem lædat, & ideo organi circularitate sonus temperate susceptus, spiritum audibilem non reuerberat, sed perficit & delectat. Durum etiam est & siccum, vt sic eo melior & fortior fiat aeris allisio, & sic sonitus maior fiat, vt patet de tympanis, quæ melius resonant, flante Borea,

vento scilicet frigido & sicco, quam austro, humido atque lento, *Vt dicit Constan. & etiam Aristot.* medium vero deferens percussus, est aer, qui aurium foramina subintrat & allidit os petrosum, quod est primum auditus instrumẽtum, est etiam necessariæ animæ intentio, quia quamdiu solicita est & intenta, ad diuersa minus viget ad perficiendam virtutis audibilis actionem: sicut videmus in multis vndique circundatis, quia fere nihil audiunt, cum mens ad singula suã non habet attentionem, & ideo nihil percipitur tunc auditu. Fit aũt auditus hoc modo: duo nerui ab interiori parte cerebri exeuntes in ossib. petrosis auriũ infiguntur, per quos spiritus animalis ad ossa defertur prædicta, quibus exterior aer formam alicuius soni referens ei immediate coniungitur: vnde aer percussus ossa illa allidit, & spiritus in eis existens secundum proprietatem aeris ibi existentis & neruos allidentis immutatur. Spiritus vero sic immutatus, recurrens ad suam cellulam phantasticam immutationem animæ repræsentat, & sic auditus perficitur. Patet igitur, quod auditus merito dicitur aereus, eo, quod per aerem repercussum habet semper generari, inde est ꝙ natura posuit sensum auditus in medio rotundi capitis, *Vt dicit Arist. li.* 12. quia auditus, circulariter & non directe, sonum aeris percussi vndique apprehendit, hic etiam sensus sicut & cæteri contristarur, quia corrumpitur in extremis, & in mediis delectatur, & saluatur, *Vnde dicit Ambros. in exam.* Incolas regionis, vbi oritur Nilus, auditu esse penitus priuatos propter fragorem & strepitum horribilem, quoniam idem fluuius de montis præcipitio corruẽs, incolarum auribus incutere consueuit stuporem & surditatem. Hic etiam sensus, sicut & cęteri, multis subiacet passionibus, quia quandoque totus aufertur, & tunc surditas vocatur, & quandoque minoratur, & tunc grauitas auditus nominatur, quandoq; autem cursum suum egreditur, causa autem passionis quandoque est ex vitio cerebri siue nerui, qui est via auditus, & hoc, quia opilatur, vel quia aliquo morbo officiali aggrauatur. Item ex vitio ipsarum aurium, quia quandoque à diuersis humoribus corrumpuntur, quandoque putredines in suis concauitatibus coadunantur, quandoque lapides vel alia quæ transitum aeris ad spiritum audibilem impediunt, immittuntur, quan-

doque ex titillatione vermium, & corrosione nerui audibiles molestantur, quandoque etiam ex aere corrupto calido vel frigido, instrumenta auditus inficiuntur & læduntur, quandoq; etiam ex grossa ventositate in poris neruorum sensibilium interclusa via auditus impeditur, vt patet in illis, in quibus videtur, quod audiant fistulas, cornua aut campanas. Ex quib. omnibus, virtus auditiua læditur vel aufertur, sicut in tractatu aurium post dicetur.

CAP. XIX.

De Olfactu.

OLfactus siue odoratus, est sensus proprie odorum perceptiuus, ad quem perficiendum exigitur spiritus animalis, tanquam causa efficiens. Necessarium autem est organum expediens scilicet narium perfecta dispositio, in quibus sunt carunculæ ad modum mammillarum dependentes, quæ sunt ꝑpria organa odoratus, & recipiunt spiritum animalem, per quosdam neruos à cerebro descēdentes. Nares enim non sunt proprie instrumenta olfactus, quæ sunt cartilaginosæ: & ideo sunt insensibiles, quod patet, quia eis abscissis, non priuatur animal odoratu. Similiter nos, per fædita loca transeuntes, si flatum repressimus subintrantem nares, aerem fætidum non sentimus, & hoc est, quia ille carunculæ opilatæ, quasi quodam motu voluntario sunt obstructæ. Sunt etiam hæ carunculæ concauæ & spongiosæ; ideo concauæ, vt in sua concaua porositate fumum à re odorabili recipiant resolutum, ideo etiam sunt spongiosæ, vt in eis vigeat virtus attractiua: & ideo exterior necessaria est aeris cooperatio vt, scilicet aer, secundum fumositatem à re odoranda resolutus, immutetur, & in ipsis carunculis incorporetur. Vnde sic habet fieri odoratus, spiritus animalis per quosdam neruos, qui dicuntur odorabiles, ad prædictas carunculas à cerebro trāsmittuntur, fumus autem corporis odoriferi resolutus, aeri admiscetur, quem cerebri vētriculi, per illas duas carunculas sibi attrahunt, & in suam similitudinem mutant & conuertunt: & sic per illam immutationem, in spiritu animali, factam odoris discretio procreatur: odoratus autem spectat ad fumosam naturam seu materiam, quoniam habet per eam fieri. Odor enim nihil aliud est, quam aerea seu fumosa substantia, à corpore resoluta.

luta, hunc aerem fumoſum ſeu vaporem ſibi neceſſarium & amicabilem attrahit cerebrum, ſicut cor anhelitum & huius aeris attractu cerebrum temperatur & confortatur, ſicut calor cordis attractione anhelitus mitigatur. Vapor enim ſi fuerit malitioſus, fœtidus & corruptus, ſpiritum animalem corrumpit & ſæpius peſtiferos morbos generat & inducit. Vnde olfactus in ſuo effectu ſæpius impeditur, quandoque propter malam cerebri complexionem, quandoque propter humorem crudorum vel corruptorum, in neruis odorabilibus, nimiam repletionem: vt patet in patientibus fluxum narium, ſeu catharrum: quandoque propter prauam inſtrumentorũ olfactus diſpoſitionem, quando, ſcilicet, nimis dilatantur, vel nimium conſtringuntur: quandoque propter ſuperfluam carnis ſuper excreſcentis opilationem, vt patet in polypoſis, quandoque propter apoſtematis, ſiue cuiuſcunque humoris corrupti infectionem: quandoque propter alicuius humoris calidi & ſicci corroſionẽ, vt patet in cancroſis & huiuſmodi. Hic ſenſus propter ſui ſubtilitatem quando bene diſponitur, virtutem animalem confortat, & à fumoſitate ſuperflua euacuat, & è cõuerſo quando corruptus eſt aliquo caſu, vel infectus, virtus animalis læditur, & in ſuis actionibus impeditur. Dicit etiam *Ariſtot. lib.* 12. quod ſenſus olfactus non eſt niſi per actionem aeris in animali habenti naſum, qui eſt, membrum in medio aliorum ſenſuum poſitum in anteriori parte capitis propter iuuamentum anhelitus. Omne animal habens pulmonem, habet naſum, vel aliud loco naſi, propter anhelitus iuuamentum, vnde patet, quod organum olfactus, non ſolum eſt in animalibus ad decentiam & decorem: verum etiam ad perficiendum virtutem ſpiritus animalis, & ad tribuendum virtuti vitali in corde adiutorium & vigorem. Hæc virtus, ſcilicet odoratiua, viget in quadrupedibus. Vnde & ſolo odore diſcernunt inter herbas ſalubres & venenoſas, & præcipue in ſimiis, q̃ æque vel magis diſcernunt inter cibos, & cibos per olfactum, quam per guſtum. Deinde in canibus viget maxime illa virtus, qui ſolius odoris ductu ad ſentiendum animalium veſtigia, viuacitate olfactus infallibiliter deprehendunt, viget etiam in volatilibus, præcipue in vulturibus, quia *ſecundum Ambroſ. in hexameron. & Iſidor. lib.* 12. *c.* 6.

ita sunt viuacis olfactus, quod vltra maria cadauera sentiunt. In his ergo & in aliis operationis naturæ conditionibus admiranda est diuina sapientia, quæ per ista & talia similia dat nobis quodammodo intelligere, qualiter per ista sensata materialia ad intellectum eorum, quæ sunt supra sensum, sint paulatim cordis interiora ad intelligentiā spiritualium promouenda, & propter hoc ista simpliciter est in hoc opusculo mea intentio & finis meus. Hæc de olfactu dicta sufficiant.

Cap. XX.

De Gustu.

GVstus est proprie sensus saporum perceptiuus. Ad quē gustum sensibiliter perficiendum, necessaria sunt illa causalia, effectiua, materialia & informatiua, quæ & in alijs sensibus iam sunt dicta. Nam virtus animalis est causa efficiens: causa materialis & instrumentalis est lingua propria cum suis arterijs, spiritum animalem ad perfectionem virtutis gustabilis perficiens. Quæ quidem lingua secundum suæ substantiæ complexionem est concaua, porosa, humida & insipida. Concaua quidem est, vt sui concauitate humorositatem rei gustabilis resolutam in se suscipiat. Porosa, vt quod esset grossum vel subtile de re gustanda, ad neruos linguæ liberæ subintraret, & vt virtus attractiua ad perficiendum ea plus vigeret. Humida quidem est, vt cooperaretur ad acceptorum dissolutionem, vt si aliqua sicca & dura forsitan linguæ vel palato applicarentur, humiditate linguæ ad digestionem siue qualemcunque resolutionem facilius aptarentur. Erat etiam & insipida, vt esset cuiuslibet rei & saporis facilius receptiua, sicut aqua quæ si determinatum saporem haberet, alterius qualitatem percipere non valeret. Fit autem gustus hoc modo. Duo nerui in medio linguæ infiguntur, qui postmodum in multos ramos, in extremitatibus lateralibus linguę dispertiuntur, & per eos spiritus animalis in linguam defertur. Cum ergo res gustanda subintrat linguam vel poros neruorum, spiritus animalis existens ibi, immutatur secundum eius proprietates, quas postea iudicio animæ repræsentat. Gustus ergo tanto olfactu grossior est, quanto fumus aqua subtilior inuenitur: quia odoratus natura est fumosa, gustus

item sensibilitas, humectatio est aquosa, *Vt dicit Constan.* Hic sensus animali per vtilis est ad indiuidui conseruationem, gustu enim corrupto vel ablato, vis nutritiua deficit, & sic substantia animalis paulatim perit, gustus autem corrumpitur, quando sua instrumenta læduntur, vel quando corrupti humores in ipsis dominantur. Et hoc fit quando non saporanda sentit, vel quando saporanda sub propria qualitate non apprehendit, & hoc accidit; quando singularis humor in linguæ substantia dominatur, *Verbi gratia*, si dominatur cholera rubea, omnia sentit amara; & si salsum phlegma, sentit salsa, & sic de alijs, vt patet in febricitantibus, in quibus dominium corrupti humoris gustum inficit & corrumpit. Immutatur etiam, quando læditur per malitiam rei, quæ gustatur: vt patet in aloe, & in alijs nimis amaris, quorum horrore gustus asperatur. Delectatur autem gustus in dulcibus, propter illam quam habet cum dulcedine assimilationem, quia dulcedo, quæ fundatur super calidum & humidum, similis est omnibus membris, quæ dulcibus maxime nutriuntur. Dulcia enim multi sunt nutrimenti, & de facili membris assimilantur, *sicut dicit Isaac in dieta.*

CAP. XXI.

De Tactu.

TActus est sensus specierum tangibilium perceptiuus. Nam virtute tactus anima apprehendit calidum & humidum, frigidum & siccum, molle & durum, lene & asperum. Vel *secundum Auicen.* tactus est vis, ordinata in neruis totius corporis ad apprehendendum, quod tangit. Hic autem sensus, licet sit in omnibus partibus, principaliter tamen viget in volis manuum, & in plantis, quas natura temperatas ista composuit ratione, vt scilicet calida & frigida facilius persentirent. Sunt autem hæ partes concauæ, vt tangenda melius percipiantur, & tenenda melius & fortius teneantur. Neruosæ, vt ibi vigeat sensibilitas, quia omne neruosum sensibile est. Temperatæ, vt à qualibet re temperata facilius immutentur. Obiectum itaque siue sensatum tactus, dici potest compositio primarum qualitatum, & quædam conuenientia ad illas, vt asperum, lene, durum, molle. Item horum extremis sensus tactus læditur,

vt patet in nimis calido, & nimis frigido, in mediis natur delectatur, vt in tepido. Ad istum autem sensum perficiendum, exigũtur ista scilicet causa efficiens, & hæc est deriuatio spiritus animalis ad organa tactus. Item instrumentum conueniens, & hoc est duplex: scilicet nerui de cerebro egredientes, singulis membris spiritum animalem deferentes. Secundarium vero instrumentum est caro, in qua nerui inuoluti sunt & infixi, per quos virtus tangibilis operatur. Nam ipsis mediantibus, species rei tangibilis animæ iudicio deportatur. Item tertium exigitur, scilicet exteriorum cooperatio, quæ est necessaria, vt res tangenda organo tactus appropinquet, ex cuius appropinquatione spiritus animalis in carne & neruis existens immutetur, & immutatus proprietatem rei tactæ repræsentet, & sic sensus iste in sua actione fit completus, *Vt dicit Constan.* Hoc autem est proprium sensus tactus, quod omnes alij sensus habent singulare membrum, & organum suæ actioni specialiter deputatum. Solus autem tactus est generaliter in membris omnibus, exceptis pilis & crinibus & pedum ac manuum vnguibus, in quibus non est neruus, & per consequens, neque sensus. Hic sensus præ omnibus aliis magis est terrestris atque grossus, & ideo aspera & dura, &c. huiusmodi terrestres passiones sensibus aliis similitudinis gratia perfectius comprehendit. Hic sensus, quamuis aliis sensibus ratione obiectorum videatur grossior esse, suppositis tamẽ aliis iudicatur esse vtilior, quia quamuis alij sensus possint aliqualiter esse sine tactu, tamen bene & complete esse sine tactu est impossibile, vt dicit philosophus: vnde generalior est tactus cæteris, tum quia per omnes corporis particulas diffunditur, tum quia omnibus aliis sensibus cooperatur, præcipue gustui. Hi enim duo sensus, scilicet gustus & tactus, sunt magis continui cum ipso corde, & ideo sunt magis de esse animalis, & de suis sensatis iudicant expressius & obiectis. Omne enim membrorum habet vnum neruum, vel duos, quibus sensus tactus, & motus voluntarius perficitur & completur, *sicut in anatomia Constant. inuenitur.* Læditur autem iste sensus tactus, quandoque sicut & superiores, quandoque autem ex toto aufertur, vbi sensus & motus voluntarius penitus amittuntur, vt contingit in membris paralyticis & contractis. Item quando-

que

que minoratur, ſicut quando aliquod membrum obdormire dicitur, quando ſcilicet propter aliquam opilationem vel membri conſtrictionem, ſpiritus ſenſibilis libere tranſire per membrum non permittitur. Læditur etiam à mala cerebri compaſſione, vt patet in epilepticis, qui hora acceſſionis etiam tactum ignis non aduertunt. Sæpe etiam patitur ab extrinſeca aeris immutatione, vt in digitis nimio frigore conſtrictis, in quibus motus voluntarius impeditur: vnde vnus alium conſtringere non poteſt. Item quandoque ex partium corporis inciſione. Nam mébrum à corpore præciſum, nihil omnino ſentit, etiamſi concuſſum fuerit penitus vel combuſtum. Item membrum etiam manens in corpore, ſi fuerit aliquo caſu mortuum vel putrefactum, ſenſu tangibili omnino priuatur, tanto enim ſenſus tactus grauius patitur, quanto profundius in neruis ſenſibilibus vulneratur. Item cum dolor ſenſus ſit rei nociuæ contingens, ex partium diſcontinuatione res inferens, dolorem membro maxime lædit tactum, & maximam infert corpori paſſionem & grauem efficit immutationem. Nam omne ſenſatum immutationem facit in organo ſenſitiui ſui, vt dicit philoſophus. Item plures immutationes faciunt ſenſata, tactus, quã aliorum ſenſuum, groſſior enim eſt & materialior cæteris ſenſibus, & ideo fortius retinet impreſſiones conuenietis & inconuenietis. Item quia tactus eſt ſenſus vniuerſalis, adhærens ſingulis partib. ad vniuerſalẽ deſtructionẽ tactus, deſtruitur ſub ictũ totius animalis. Non ſic eſt de aliis ſenſib. Deſtructo enim ſenſu viſus, aliæ virtutes animalis propter hoc non deſtruuntur, immo quandoque in ſuis actionibus fortius intẽduntur, ſed deſtructo tactu, deſtruitur omnis ſenſus: vnde patet, quod ſenſus tactus eſt ſubiectum omnium aliorum ſenſuum & fundamentum. Item cum quatuor ſenſus alij ſingulare & proprium ſenſatum habeant & obiectum, ſcilicet quod ſic cadit in vno ſenſu, quod non in alio, ſicut calor in viſu, ſapor in guſtu,, &c. Solus tactus eſt, qui omnibus alijs organis ſenſuum ſuas imprimit paſſiones. Eſt enim commune omnibus ſenſibus, quod propria habent obiecta & ſenſata, in quibus non errant, niſi caſu, propter quædam enim accidentia, contingit, ſenſum particularẽ errare, quia *Vt dicit Ariſt.* huiuſmodi faciunt ſæpe phan-

tasiam mentiri, vt patet in visu, qui iudicat, stellam magnã esse paruam propter magnam distantiam situs, & gustu, qui dicit amarum dulce, & è conuerso, propter palati infectionem, & sic de alijs contingit. Commune igitur est & generale, quod omnes sensus particulares, exteriores à cõmuni sensu interiori, tanquam lineæ quædam à cẽtro particulariter exeunt, & secundum varias eorum passiones organa sensitiua perficiunt, & suorum sensatorum formas & similitudines ad sensum communem singulariter reducũt, quo mediante de singulorum proprietatibus & differentijs, quantum eorum actioni congruit, iudicant & discernunt. Et hæc dicta de proprietatibus virtutum & sensuum iam sufficiant.

CAP. XXII.

De his quæ exiguntur ad perfectionem naturæ.

SIcut ad regimen naturæ exiguntur sensus & virtutes, ita ad perfectionem eiusdem exiguntur necessario spiritus quidam, quorum beneficio & motu continuo tam sensus quam virtutes in animalibus moderantur, vt suas peragãt actiones. Dicitur autem spiritus, prout hic sumitur, quædam substantia subtilis & aerea, virtutes corporis excitans ad suas peragendas actiones, *vel sicut dicitur in libro spiritus & animæ.* Spiritus est quoddam corpus subtile, vi caloris generatum, & in humano corpore per venas corporis viuificans, & per arterias pulsabiles anhelitum, vitam atq; pulsum animalibus administrans, sensum & motum volũtarium mediantibus neruis & musculis operans in corporibus animatis, hic spiritus secundum Medicos sic habet generari, dum per calorem agẽtem in sanguinem, fortis in epate fit ebullitio, fumus quidam resoluitur, qui ex venis epatis subtiliatus & depuratus in quandam subtilem & spiritualem substantiam siue aeream naturam commutatur, quæ spiritus naturalis dicitur, eo quod sua potestate naturaliter sanguinem subtiliat, & à leuitate sua ipsum ad singula membra impellit & agitat, & ideo iste spiritus est virtutis naturalis proprie regitiuus: *vt dicit Constantinus:* hic idem spiritus per venas quasdam ad cor mittuntur, vbi per collisionem & motum partium cordis ad inuicẽ ma-

gis

gis depuratur, & in naturam subtiliorem conuertitur, & tunc spiritus vitalis à physicis nuncupatur, eo quod à corde per arterias ad totius corporis membra se diffundit & spiritualem virtutem augmentans, eius operationes rectificat & custodit. Nam quædam arteria à sinistro cordis ventriculo exiens, in suo ortu mox in duos diuiditur ramos, quorum vnus tendit ad inferiora, in plurimos diuisus ramos, quibus mediantibus spiritus vitalis ad omnia inferiora membra viuificanda, in corpore deportatur, alter vero ramus tendens ad superiora, diuiditur iterum in tres ramos, quorum dexter ad dexterum brachium, sinister ad sinistrum æqualiter se diffundit, in arterijs sic diuersimodè bifurcatis, transfunditur spiritus vitalis per totum corpus, & vitalem in arterijs pulsum operatur. Medius vero ramus ad cerebrum se extendit, & superiores partes viuificans, vitalem spiritum in omnibus partibus circumfundit. Idem vero spiritus ad ventriculos cerebri vlterius penetrans, ibidem plus dirigitur & subtiliatur & in essentiam animalis spiritus, qui subtilior est cæteris, trāsmutatur. Iste igitur spiritus animalis in anteriori ventriculo cerebri generatus, particulariter diffunditur per organa sentiendi, nihilominus tamen pars remanet in eisdem ventriculis, vt sensus communis & imaginatiua virtus perficiatur. Deinde transit ad medium ventriculum, scilicet ad cellulam logisticam, ad perficiendum intellectum, formato autem intellectu, transit ad puppim siue ad cellulā memorialem, impressiones in alijs cellulis factas, vt secum deferens in thalamo memoriæ reponantur, à puppi vero, id est à posteriori parte capitis, id est cerebri per medullā spinæ dorsi, quæ à physicis nucha dicitur, penetrat ad neruos motiuos, vt sic motus voluntarius in omnibus partibus corporis inferioris generetur. Vnus igitur & idem spiritus corporeus, subtilis tamen & aereus propter diuersa officia, in diuersis membris diuersis nominibus est vocatus: nam spiritus naturalis est in epate, spiritus vitalis in corde: sed spiritus dicitur animalis, prout in capite operatur. Hunc quidem spiritum non debemus credere humanam animā siue rationalem animam, sed potius (*vt dicit Augustinus*) eiusdem vehiculum & proprium instrumentum, mediante enim tali spiritu, anima corpori iungitur, & sine talis spiri-

tus

tus ministerio, nulla animæ actio perfecte in corpore exe[r]cetur: vnde istis spiritibus læsis, & in suis effectibus qual[i]tercunque impeditis, resoluta corporis & animæ harmo[nia], rationalis spiritus in cũctis suis operationibus in co[r]de impeditur, vt patet in maniacis, & in phreneticis, & alij[s] in quibus vsus rationis sæpius non habet locum, & hoc est quia prædictorum spirituum humore vel vulnere læditu[r] instrumentum. Istis igitur spiritibus confortatis, anim[a] confortatur, & istis debilitatis vel deficientibus, ipsa ani-ma, quoad regimen corporis, deficit vel in suis actionibu[s] minoratur, *Vt plane dicit Constantinus*: Et hæc de istis spi-ritibus sufficiant, quantum ad præsentem pertinet tra-ctatum.

Cap. XXIII.

De Pulsibus.

CVm pulsus spiritus vitalis sit effectus, restat vt de pulsi-bus & eorum proprietatibus aliqua dicamus. Est itaq; pulsus secundum diastolem & systolem, id est secundum di-latationem & constrictionem, cordis & arteriarum mo-tus, Cum igitur cor in continuo motu, existens à centro vsque ad circumferentiam, in sanguinis & caloris motu ac in pulsu spiritus vitalis, continue moueatur, ex tali motu vsque ad extremitates dilatatur. Quando vero è conuerso ab extremitatibus ad centrum mouetur, constringitur, cordis igitur dilatatio, ad frigidum aerem attrahendum, & constrictio ad aerem fumosum expellendum, sunt causa pulsus, ad hoc autem necessarius est pulsus, vt dispositio spiritualis virtutis intelligatur, & eius operatio cognosca-tur. Hic itaque pulsus à corde incipit per arterias, & ad ex-tremitates corporis se diffundit: vnde consistentiam cor-dis & eius actionem ostendit, solet autem à medicis non in omnibus partibus corporis, sed in brachialibus per arte-riarum motus pulsus communiter inueniri, quoniam in quibusdam non posset bene discerni, propter earum à cen-tro cordis elongationem. In quibusdam autem propter cordis regentis occultationem, in quibusdam autem pro-pter ossium constrictionem. Et ideo antiqui sapientes ad discernendum pulsum, arterias brachij elegerunt, & hoc siquidẽ fuit facilius, vtilius & honestius: facilius, quia car-

nosæ

ipsæ partes arteriam non occultant: vtilius, quia brachia-lis arteriæ cordi magis approximant: honestius, quia nec ægro nec medico aliquam verecundiam generant seu ministrant. Indecens enim esset & verecundum, occulta mēbra corporis denudare. Discernitur autē pulsus ꝓprie per digitorum appositionem, super locum pulsatilem, quod fieri consueuit cum mediocri impressione, aliter in forti, aliter in debili, quia in forti & carnoso fortius, in debili & carnibus denudato remissius & leuiori pressione fieri conueuit. Ad hoc est sciendum, *Vt dicit Constantinus*: multæ sunt pulsuum diuersitates, quæ tamen ad decem referuntur vel reducuntur. Primus attenditur secundū dimensionis quantitatem, & hæc est triplex, magnus, quando per longum, latum & profundum arteriæ se diffundit, & pertenit iste pulsus fortis & grossus ex fortitudine spiritus, quo dilatatur pulsus, & est pulsus ex nimio calore, qui indiget infrigidatione, & ex mollitie membri obedientis dilatationi, dicitur & paruus, occultus & strictus, quādo ad centrum redit, & hoc fit ex defectu virtutis, & paruitate caloris. Dicitur & mediocris, æqualis & temperatus, quando nec centro nec extremitatibus est vicinus. Hæc mediocritas ex magno & paruo procedit. Item cōsideratur secūdum tempus motuum, & dicitur velox, tardus & medius. Velox dicitur, quia paruo temporis interuallo sæpius mouetur, & hoc contingit ex forti calore & virtute: tardus, quia magnum continet temporis interuallum vel spacium, ad sui motus complementum, & hoc accidit ex defectu virtutis & caloris minoratione. Medius inter hos laudabilis est habendus. Tertio consideratur pulsus secundum tenorem virtutis, & secundum hoc est fortis, debilis & medius, fortis est, quando quadam virtute à se videtur expellere digitum tangentis, & hoc accidit ex fortitudine virtutis, & mollitie organi facilis ad mouendum, debilis est, quando debiliter digitū percutit, & hoc est ex imbecillitate virtutis, & duritia organi inobedientis, medius ab vtroque temperatur. Quarto attenditur secundum consistentiam organi, & tunc dicitur durus, & mollis, & medius. Durus est quādo cum quadam asperitate & duritia resistere videtur, & hoc prouenit ex vasorum siccitate. Mollis est, quādo digiti, cum magna suauitate sentiunt, ita vt videatur ab eis pene-

penetrari, & hoc prouenit ex humiditate. Medius inter ho duos est temperatus. Quinto iudicatur secũdum plenum & vacuum & medium. Plenus est, qui quadam humiditat redundare videtur, & hoc prouenit ex nimia sanguinis & spiritus repletione. Vacuus autem est, quando apparet in flatus, sed tangitur, quasi vacuis digitis perforatur. Mediu ab his est temperatus. Sexto iudicatur pulsus secundũ qualitatem arteriarum & diuiditur in calidum, frigidum & medium. Calidus est, cum digitorum extremitates sentiũt calidam arteriarum substantiam, & hoc prouenit in materia intra habita, scilicet ex spiritu & calore, id est, calido sanguine. Frigidus è contrario modo est intelligẽdus. Medius vero ab his duobus temperatur. Septimo iudicatur ex opere quietis, & hic diuiditur spissum, rarum & in mediũ. Spissus est, qui in sua dilatatione digitorum extremitates sæpe percutit, & subito recedit, & hoc accidit ex fortitudine caloris, & defectu virtutis: fortitudo enim caloris, temedium quærit refrigerationis: defectus vero virtutis, cum nõ valeat, semel, bis vel ter in appetendo laborat, rarus vero è conuerso, & ex contraria causa prouenit, scilicet ex tarditate caloris & fortitudine virtutis, medius inter hos erit temperatus. Hi septem pulsus sensu sunt nobiles, & ad discernendum cæteris faciliores. Alij vero tres pulsus, quorum primus diuiditur in pondus laudabile & non laudadabile. Secundus, qui diuiditur in concordem & in non æqualem. Et tertius, qui secundũ percussionem maiorẽ vel minorem, diuiditur in ordinatum, & in non ordinatum: tamen vix valent à peritissimis medicis deprehendi, & ideo de eis ad præsens supersedendum est, si quis tamen eas scire voluerit, *in 7. lib. Panteg. Constantini cap.* 3. de quo hæc exprimimus, inueniet determinata sufficientissime omnia & expressa, ibi de pulsu caprizante Marcellino Serrino vermiculoso formidante, æstuante & tremente, diffusius disputatur, de quibus nihil ad præsens, tum propter difficultatem: tum etiam propter singularium pulsuum multiplicitatem: tum etiam, quia præsenti opusculo multum necessaria non videntur.

CAP.

Cap. XXIIII.

De varietate pulsuum.

VAriatur autem pulsus propter multa. Primo propter sexus discretionem, nam in masculis, qui validioris sunt naturæ & fortioris, fortior est pulsus, quam in fœminis, quæ sunt naturæ magis debiles, & hoc est quia natura sæpe iterando nititur supplere in fœminis, quod per fortiorem pulsum semel in masculis operatur. Item variatur pulsus per complexionem, quia si fuerit calida, facit pulsum fortiorem, maiorem & velociorem: si vero frigida, facit paruum, debilem atque tardum: si autem humida, mollem reddit & spissum: si sicca, asperum atque durum. Item diuersificatur, propter variam corporis dispositionẽ, quia in macilentis generaliter est pulsus fortior & viuacior, quam in crassis, & hoc forsitan propter minorem arteriæ per molem carneam occultationem, vel propter maiorem caloris naturalis, qui abundat in macilentis, intensionem, qui quidem calor pulsum efficit fortiorem. Item propter ætatis diuersitatem, quia pueri habent velociorẽ pulsum ad innati caloris refrigerationem, quia in talibus plus abundat. Nam velocitatem facit magnitudo caloris, & debilitas virtutis quæ ad attrahendum frigidum aerem semel non sufficit, vt supra dictum est. Iuuenes vero propter abundantem in eis virtutem pulsum habent fortem & velocem. Senes vero è conuerso paruum, tardum, debilem & rarum, & hoc, quia eorum complexio appropinquat frigiditati: vnde non est necesse multum attrahere aerem frigidum, causa refrigerationis. Aliæ autem ætates his affines, secundum ea cui magis approximant, pulsum similiorem sunt habentes, & hoc tam in masculis quam in fœminis. Itẽ propter temporis immutationem, nam ver propter tẽperantiã, frigiditatis & caliditatis pulsum facit fortem, similiter & autumnus. Omne enim temperamentum virtuti naturali adhibet incrementum. Æstas vero, quia calidissima est, debilem pulsum reddit, & paruum, propter nimiam pectoris dilatationem, propter quam euanescit virtus & debilitatur, & ideo pulsus debilitati non sufficit, vt magnus efficiatur. Hyems autem quia frigida est, facit pulsum tardum, sed tamen multum fortem, tarditas autem prouenit ex hoc, quod non oportet multum refrigerari,

tortis

fortis autem est, quia calor naturalis ad interiora refugit corporis: vnde virtutem & pulsum confortat, quando non excedit. Calor vero æstiualis vtrumque dissoluit. Itē propter diuersorum climatum & regionum inhabitationem, quia in calida regione habitantes, vt in Æthyopia, pulsum habent velocem, quasi æstiuum. Habitantes vero in frigida, pulsum habent similem hyemali. Inhabitantes vero sub linea æquinoctiali, pulsum habent medioctem, sicut in tempore vernali & autumnali. Similiter aer calidus, frigidus & siccus, siue temperatus, pulsum variat & immutat. Item propter imprægnationem. Nam prægnantes in pulsu sunt mutabiles, quia in principio vsque ad sextum mensem pulsum habent fortem, spissum & velocem, quia calor calorem augmentat naturalem, & vires mulieris vsque ad hoc tempus sunt mediocres, & fætus adhuc paruus: vnde parum nutrimenti abstrahit ab earum corporibus, & ideo est pulsus ad hoc temperatus. In septimo vero mense fætus maioratur, & ideo maius nutrimentum requirit, vnde natura grauatur & per consequens pulsus debilitatur. Item propter somni & vigiliarum alterationem, quia tempore somni paruus esse solet & tardus, sed post somnum fit fortis & magnus, quia tunc calor naturalis confortatur, veruntamen si somnus nimis prolongetur, pulsus rarescit & debilitatur. Propterea si quis à somno excitetur, subito natura discutitur, & pulsus velox, spissus, tremens & inordinatus subito inuenitur, sed cum quiescit iterum reuertitur in pristinum statum. Item propter laborem & corporis exercitationem, quæ si fuerit temperata, pulsum facit fortem, magnum, velocem, & spissum: quia calor naturalis post huiusmodi excitatur. Si vero exercitium exiuerit, temperamentum accidit, è contra pulsus paruus, durus, tardus & rarus, quia in fine laborātibus virtus deficit, & calor naturalis dissoluitur, & pulsus per consequens minoratur. Item propter balneorum assuefactionem. Nam in aqua calida balneantes temperate pulsum habent fortem, & magnum, & spissum, & hoc propter naturæ confortationem, & propter superfluitatum humidarum consumptionem: Sed in nimis morantibus in aqua, pulsus debilis efficitur: remanet tamen sicut prius velocitas & spissitudo. Similiter balneantes in aqua frigida, tem-

perate

-erate pulsum habent fortem & velocem. Et hoc contin-git propter caloris naturalis coadunationẽ & confortatio-nem virtutis prouenientis, ex temperamento exterioris infrigidationis. Sed nimia mora, in tali balneo pulsum de-bilitat & virtutem. Et hoc contingit in macilentis plus, quã in crassis, propter frigiditatẽ, ad exteriora nimis subi-to, & quasi sine obstaculo penetrantem, & quasi præcor-dia plus debito constringentem. Item propter cibi & potus variam sumptionem. Cibus enim superfluus & indigestus pulsum debilitat. Moderatus vero digestusque ac per mẽ-bra diffusus, excitata virtute, pulsum augmentat. Similiter & potus moderatus & digestus pulsum facit fortem, ma-gnum & velocem, frigidus autem rarum & tardum. Item propter passionum animæ variationem. Nam ira facit pul-sum velocem, fortem & spissum. Lætitia mediocrem. Ti-mor similiter pulsum efficit velocem, inordinatum & tre-mentem, similiter & dolor. Et ita de alijs contingit. Hæc autem dicta de animæ & eius potentiarum proprietatibus & effectibus, quantum spectat ad hoc opusculum, iam suf-ficiant. Nunc autem de proprietatibus humani corporis, cuius anima virtus est & perfectio, adiuuante Dei gratia a-liqua sunt dicenda.

BARTHOLOMÆI ANGLICI de proprietatibus substantiæ corporeæ liber quartus.

DE humani itaque corporis & partium eius proprietatibus tractaturi, ab elementaribus qualitatibus & humoribus, ex quibus constat corpus, est primitus inchoandum.

CAP. I.

De quatuor elementaribus qualitatibus.

QVatuor itaque sunt elementa, & elementares quali-tates, ex quibus constituitur omne animatum cor-pus materialiter, præcipue corpus humanum, quod in-ter omnia elementa est nobilissimum, & nobilissime inter omnia composita, ordinatum, vt puta proprium animæ

rationalis organum, ipsius operationibus, tam naturalibus, quam voluntariis, deputatum. Est itaque corpus hominis compositum ex quatuor elementis, scilicet, ex terra, aqua, igne & aere, quorum quodlibet habet proprias qualitates. Sunt autem quatuor primæ & principales, scilicet caliditas, frigiditas, siccitas, humiditas, quæ dicuntur primæ, quia primo labuntur ab elementis in elementata. Dicuntur etiam principales, quia ab eis omnes secundarij effectus oriuntur. Harum qualitatum duæ sunt actiuæ, scilicet caliditas & frigiditas: aliæ vero duæ, scilicet siccitas & humiditas sunt passiuæ, vnde ab istarum qualitatum præualentia & dominio dicuntur elementa actiua vel passiua. Dicuntur autem primæ duæ principaliter actiuæ, non quia illæ tantum agant, quia passiuæ similiter agunt. Nulla enim qualitas est ociosa in corpore, sed hæ ideo dicuntur actiuæ, quia per actiones earum, aliæ habent induci & conseruari. Nam caliditas, quandoque humiditatem, quandoq; siccitatē inducit & custodit, vt potest videri in carne salsa, calor enim solis terrestres partes dissoluit, & aquosas, & aereas, & sic relaxando & remolliendo à calore inducitur humiditas, siccitatem autem inducit, quia calor agens in humiditatem prius eam dissoluit, & dissolutam consumit: & sic siccitas, quæ est lima caloris, inducitur & etiam conseruatur. Caliditas igitur est elementaris qualitas, summe actiua, quod patet per eius effectum, dum tamen agat in rem aliquam. Primo eius partes dissoluit, quibus dissolutis, res debilior efficitur, quæ per partium cohærentiam fortior fuit, & ideo actio rei agentis minus resistit. Item, caliditas est omnium generabilium artifex, & causa generationis totius principaliter effectiua. Est autem duplex caliditas: caliditas solaris siue cœlestis generans: & hoc est saluatiua & generatiua. Vnde, quandoque generantur ranæ ex cœlesti calore in aere. Alia est elemētaris & generata; & hæc est corruptiua & consumptiua: sicut quando fit coadunatio fractorum radiorū in puncto alicuius corporis perspicui, si fiat coadunatio radiorum in speculo potest incendi stuppa ex reflexione radiorum & comburi. Item inferiorum ad superiora reductiua, faciendo enim motum à centro ad circumferētiam dissoluit terrestia in aquosa, & aquosa in aerea, & illa in ignea, & sic infe-

inferiora & media reducit, in sua superiora. Item eorum, quæ duræ sunt compactionis, est remollitiua: agendo enim in grossam substantiam eam mollificat dissoluendo, vt patet in metallis calore liquefactis, dissoluendo enim terrestria in aquosa remollit. Item, mollium & liquidorum est induratiua, vt patet in ouo igni apposito, quia liquidioribus & subtilioribus partibus resolutis terrestribus partibus remanentibus indurescit. Item densorum est subtiliatiua. Dum enim motum, à centro ad circumferentiam habeat, vi sua, rem in quam agit, dissoluit, & suæ actioni idoneam reddit, vnde cum rem ad simplicitatem reducere laborat, per consequens subtiliat. Nam simplicitas, grossæ rei subtilitas est, quæ nascitur per minorem partium compactionem, vt patet in glacie, quæ calore soluta, subtiliatur. Item virtute sua est depuratiua, metallorum & rubiginis ipsorum consumptiua. Nam agendo in substantiam ipsius metalli, illam dissoluit, & si quid inuenit fæculentiæ rubiginis separat & consumit, si autem fuerit aurum omnino purum violentia caloris quidem dissoluitur, sed non consumitur. Vnde aurum perfecte depuratum, quamuis per calorem dissoluatur, non tamen in suo pondere minoratur. Item caliditas est accidentaliter corruptiua, vt est videre, quando calor plus dissoluit, quam consumat, ipsi humores putrefiunt & corrumpuntur, vt patet in cumulo frumenti aqua asperso, vbi calor interclusus, àquam resoluit in fumositatem, quæ inclusa & retenta, grana remollit & putrefacit ac corrumpit. Item naturaliter est granium alleuiatiua, dum enim humiditas per calorem resoluta consumitur, pondus minoratur, & sic substantia rei leuiatur, propterea calore agente in humiditatem, fumus generatur, qui fumus alleuiatur & depuratur & in spiritum, scilicet substantiam leuem & aeream mutatur, & rem, in qua continetur, reddit leuiorem. Hinc est quod corpora animalium viuentium, incomparabiliter sunt leuiora, quam corpora mortuorum, propter calorem & spiritum contentum in arteriis, & in venis. Sic enim corpora animantium sunt leuiora, post prandium, quam ante propter caloris confortationem. Item accidentaliter est caliditas aggrauatiua. Agendo enim in substantiam rei, subtiliores & leuiores partes consumit, & remanentibus

partibus grossioribus, fit compactio, & per consequens aggrauatio. Per pororum etiam apertionem, ex vi caloris, fit spirituum euaporatio, ex quorum potentia corpus leuiatur, quibus euaporatis, per ipsorum absentiam aggrauatur. Item caliditas est caloris rubei generatiua: agens enim in materiam partes terrestres resoluit in aquosas, & illas in aereas & in igneas. Vnde ex circumfusione ignearum partium imitantium rei superficiem, color igneus, scilicet rubeus generatur, sicut est videre in rosis. Propterea, dum per calorem, calidi humores in corpore generantur, ex eorum diffusione per corporis superficiem color rubeus generatur. Item accidentaliter est discolaratiua, quia per caliditatem poros aperientem exhalant humores, & spiritus euanescunt, ex quorum præsentia fiebat coloratio, eorum absentia color discolor generatur: sicut est videre de rosa, quæ de fumo sulphuris albescit. Item nimis intensa naturaliter est mortificatiua, quia dũ vltimus motus caloris agit in substantiam, eam ad vltimum resoluit, resoluendo in fine destruit & consumit. Item accidentaliter est viuificatiua, quia per caliditatem præstantem motum cordi, in spiritibus fit spirituum in corpore restauratio, & nutrimenti membrorum fit competens administratio, & sic per consequens corpus regitur & viuificatur. Recollige itaque ex prædictis, quod caliditas est elementaris proprietas, summe actiua, penetratiua, summe mobilis & motiua, generata ex motu radiorum suiipsius, multiplicatiua siue communicatiua illorum, in quorum substantiam agit in suam speciẽ, transformatiua, illorum, quę frigiditate mortua sunt & destructa, viuificatiua & renouatiua, vt patet in radicib. & in plantis, quæ hyemali frigore mortificatæ, vernali calore reuiuiscunt, inferiorum ad superiora reductiua, attractiua superfluorum consumptiua & sordium purgatiua, in materiis diuersis diuersorum, imo oppositorum est effectuum productiua. Et ideo nunc inuenitur rarefactiua & remollificatiua, liquefactiua & apetitiua & è conuerso: nunc condensatiua & induratiua, constrictiua & opilatiua: nunc etiam saluatiua: nunc corruptiua. Est etiam virtute propria saporum immutatiua. Nam acetosa & agrestia conuertit in dulcia, vt est videre in fructibus & in vuis. Per nimiam autem intensionem

& ex-

& excessum, dulcia conuertit in amara & in salsa. Nam ex calore intenso, exurente sanguinem, sanguis in choleram conuertitur, & per eundem aqua per fortem ebullitionem subtiliores partes aereas consumentem, terrestribus manentibus, in salis substantiam transmutatur. Est autem caliditas crudorum & indigestorum maturatiua, & maturitatis in fructib celerius perfectiua. Vnde in regionibus calidis, fructus citius maturescunt, quam in frigidis, & plus dulcescunt: & etiam formarum & specierum potentia, in materia latenter existentium ad actum deductiua, vt patet in mineralibus. Nam per caloris actionem aurum, æs, argentum, & cæteræ metallicæ species de lapidibus educuntur, & forma nobiliori vestiuntur. Per calorem etiam dissoluentem substantiam cinerum, & depurantem cineres in vitrum conuertuntur: vnde patet, quod calor aeris & naturæ, est minister, quia mediante calore nobilissimæ species & formę, tam naturales, quam artificiales, de potentia ad actum producuntur. Est insuper caliditas impressa in aere plurimarum passionum, vt puta nubium, coruscationum, fulgurũ, imbrium, & huiusmodi generatiua. Nã sua actiua attractiua, vapores varios, siccos & humidos ad diuersa aeris interstitia eleuat, quibus aggregatis & condensatis in nubes, calor inclusus, eas alterat in varias species, & transmutat, quas diuersimode tandem dissoluit, & dissolutas, nunc in speciem niuis vel grandinis, nunc in speciem pluuiæ seu imbris, ad terras vndique circumspergit. Est præterea hæc caliditas suorum obiectorũ à centro ad circumferentiã eleuatiua, vt patet in elemẽtis, in quibus dominatur, scilicet in aere & igne, quæ summa distantia à centro terræ elongantur. Hoc etiam patet in oleo, quod supernatat, & in aliis omnibus, in quibus naturaliter calor vincit. Est insuper dispositionum siue qualitatum sui obiecti ostensiua, vt patet in corpore vbi dominatur calor. Nam, *vt dicit Constan. lib.* 1. *cap.* 16. Corpus si fuerit calidum, erit caro multa, pinguedo pauca, color rubeus, pili multi, nigri vel subrubei, tactus calidus, intellectus bonus, homo facundus, multum mobilis, audax, iracundus, amans, libidinosus, & multum appetens, & cito digerens, asperæ vocis & verecundus, fortis & velocis pulsus. Hæc & multa alia ponit Constan. signa, quæ

calidi corporis ſunt indicia. Et de calore dicta ſufficiant.

CAP. II.

De Frigiditate.

FRigiditas eſt elementaris qualitas, quædam actiua proprietas. Debilior in actione, quam caliditas. Ipſius enim eſt moueri à circumferentia ad centrum, & ideo partes ſubiecti, in quod agit, facit ſibi vicinius adhęrere, & ideo tardius & difficilius perficit in ipſo effectum ſuum. Quamuis etiam naturaliter habeat infrigidare, tamen accidentaliter calefacit. Videmus enim in hyeme, quod ex frigiditate conſtringente, poros corporis calidæ fumoſitates interiora petunt, & non habentes liberum exitum, quia intus ſunt retentę, ſe conculcant & calefaciunt, vnde exterior frigiditas intus accidentaliter calefacit. Item frigiditas eſt condenſatiua, quia frigiditate motum faciente ad centrum pars parti vicinius cohæret. Partes enim prius erant per interpoſitionē humiditatis ſeparatæ à centro & ſeiunctæ, ſed condenſata humiditate ad centrū conſtringuntur. Item quamuis reducendo partes ad centrum ſit naturaliter coniunctiua: tamen accidentaliter eſt diſſolutiua, & partium diſiunctiua. Sicut eſt videre in cerebro, frigiditate aliqua compreſſo, vi compreſſionis humiditas in eo retenta exprimitur, dilabitur, & per diuerſa cerebri emunctoria diſpertitur, vt in patientibus catharrū ex cauſa frigida. Item naturaliter ingroſſatiua: quia dum pactionem frigiditatis partes partibus vicinius coadhærent, totum groſſius efficitur. Præterea partes igneæ per frigiditatem comprementem condenſantur in aereas. Aereæ in aquoſas, & aqueæ in terreſtres, & ſic tota groſſior efficitur. Eſt tamen frigiditas accidentaliter ſubtiliatiua, quia, quandoq; per frigiditatem conſtringentem, multa ſit humiditatis oppreſſę eductio, quæ humiditas contenta in poris ſubſtantiam ingroſſabat ex hoc, ꝙ humiditatis ſit eductio, cōſequitur accidentaliter ſubſtantiæ ſubtiliatio, ſicut patet in pelle lota & expreſſa. Item quamuis ex conſtrictione partium, & ex virtute comprimente facta euacuatione ſpirituum, ſit frigiditas naturaliter grauatiua, accidentaliter tamen leuiat, quia facta eductione humiditatis, quæ grauabat, totius ſubſtantiæ ſit alleuiatio.

G

Item

Item frigiditas temperata est vitæ rei conseruatiua, quia dum per frigiditatem humiditas condensatur, caliditatis intentio retardatur. Vnde sicut paulatim humiditas per poros resoluitur, ita resoluta paulatim consumitur, & sic, ne calor dissoluat substantiam rei, impeditur, & res ne fœteat, frigiditatis beneficio custoditur: vnde in locis frigidis & antrosis cadauera paulatim sine fœtore frigiditate resistente consumuntur. Clauduntur etiam pori frigiditate constringente: vnde vapores putridi, ne exhalent, exterius ad interiora reprimuntur, frigiditas tamen accidentaliter corruptiua est & destructiua. Nam dum digestio ex frigiditate in stomacho impeditur, tunc impedita caloris naturalis actione debita, corrupti humores generantur, à quibus sequitur corporis corruptio, dum corrupti humores corpori incorporãtur. Et hoc est videre in vulneribus, quibus frigida nimis apposita poros restinguunt. Vnde recentes fumositates interius carne remolliunt, & eam corrodentes vel corrumpentes putrefaciunt. Item naturaliter est discoloratiua, sicut videmus, quia in hyeme calor corporis vel cordis fugiens suum contrarium, humorem & spiritum ad interiora secum inducit, & sic exteriorẽ cutis superficiem calore depauperatam discoloratam facit, vt patet in labiis & in genis: veruntamen accidentaliter est coloratiua, quia per frigiditatem fit pororum constrictio, & spirituum ac humorum retentio, quorum potentia fit superficialiter cutis coloratio. Item frigiditas nimis intensa est naturaliter mortificatiua, quia dum per eam fit nimia cõstrictio in corde, spiritus deficiunt omnino, & sic corde mortificato, à quo procedit aliorum viuificatio, sequitur & illorum necessaria mortificatio. Ex frigiditate etiam nimis dominante calor debilis extinguitur, & sic vitalis spiritus non habens fomentum, suffocatur, accidentaliter tamen est frigiditas viuificatiua, sicut est videre in auibus quibusdam, quæ ex arboribus procreantur, quæ vice fructuum tanquam quædam tuberositates ex arbore nascuntur, sed quamdiu sunt in arbore, nullatenus viuificantur, & hoc accidit, *sicut dicit commentator sup. lib. Vegetabilium*, propter porositatem ligni, & fumositatem à cortice exhalante. Sed quando illæ tuberositates ruptis tenaculis in aquam cadunt, frigiditate poros

exterius constringente, fumositates interius retinentur, quæ conculcatæ ad inuicem depurantur ac subtiliantur, & dum interius detinentur, in spiritum conuertuntur, ex cuius multiplicatione & diffusione per singulas partes illæ tuberositates viuificantur, & postea in quandam auium speciē trausformantur, quæ quidem ab aliis auibus in natura & complexione multum sunt diuersæ. Parum enim habent de carne, & minus de sanguine, & ideo ad esum non sunt apræ, *Vt dicit idem commentator*, materiam tamen diuinæ laudis considerantibus administrant. Illos enim spiritualiter repræsentant, quos ad lignum crucis diuinus spiritus in aqua baptismatis generat, in quib. carnis & sanguinis desideria nō abundant, qui viuificati spiritu volare ad cœlestia totis viribus desiderant & aspirant, sed de hoc alias. Item frigiditas mater est albedinis & palloris, sicut caliditas mater est nigredinis & ruboris, vnde in calidis regionibus nascuntur nigri homines & fusci, sicut apud Mauros, in frigidis vero nascuntur albi, sicut apud Sclauos, *Vt dic. Aris in lib. de ce. & mun.* & assignat rationem, quia ex dominio frigiditatis in frigidis regionib. matrices mulierum ad talem fœtum disponuntur: vnde procreant albos filios secundum cutem, & longos ac flauos & molles & laxos crines habentes. Econtrario autem est in calidis regionibus, vbi pariunt filios nigros, crispos & paucos crines habentes, vt apparet in Æthyopibus. Est igitur frigiditas in suo dominio in subiecto suiipsius manifestatiua, nam in illis corporibus vbi dominatur est color albus, capillus mollis & laxus, intellectus durus & obliuiosus, appetitus paruus, & somnus multus, incessus grauis & tardus, *Vt dic. Constant. lib.* 1. *cap.* 17. Hæc autem non simpliciter sunt intelligenda, semper in omni frigido inesse necessario, sed in comparatione ad caliditatis dominantis complexionem, in proportione regionis calidæ ad frigidam regionem talia autores retulerunt, & in suis scriptis posteris reliquerunt, Hæc autem de proprietatibus frigiditatis dicta sufficiant ad præsens, quia aliæ patent per oppositum eorum, quæ dicta sunt superius de calore.

CAP. III.

De Siccitate.

SIccitas est quædam elementaris proprietatis passiua qualitas, quam nunc caliditas, nunc frigiditas introducit: plus tamen se habet ad calorem quam ad frigiditatem, cum siccitas sit lima caloris. Dicitur autem siccitas quasi sine succo, id est, humore, quia humor & siccitas opponuntur, cuius effectus principaliter est desiccare, sicut humiditatis, humectare. Secundarios autem effectus habet multos, sicut est inspissare, exasperare, motum retardare, consumere, destruere, mortificare. Proprietas itaq; illa, quæ habet desiccare principaliter partes humidas, à circumferentia ad centrum retrahit, & ne interminaliter fluxibilitate suæ substantiæ res humida se diffundat, quasi obicem se opponit: hoc videmus, quia in littoribus maris arenæ, siccitas terminum ponit mari, & vbi dominatur terræ naturalis siccitas fluxibiles maris impetus vlterius procedere non permittit, *sicut expresse dic. Gregorius super Iob* 38. *Quis posuit mari terminum, &c.* Dicit etiam idem Hieronymus, *Hiere.* 5. *ibi. Posuit arenam terminum mari, &c. Idem enim expressius ponit philosophus.* Siccitas igitur, quæ non perfecte terminatur in proprio centro, est qualitatis humorosę male in se terminabilis terminatiua, & suæ interminabilitatis finis immobilis, prout patet ad sensum, suæ fluxibilitatis repercussiua, & in parte vel totaliter in extremitatibus consumptiua. Est igitur siccitas humiditati contraria, tam in effectu, quam in natura, accidentaliter tamen potest esse aliquando humectationis inductiua. Nam cum sit lima caloris, excitat & intendit caloris motum siue actum, qui excitatus dissoluit actualem vel potentionalem quam inuenit humiditatem, quæ quidem dissoluta & diffusa per membra, humiditatem elicit seu humorem. Siccitas etiam quando dominatur, quia habet motum ad centrum, membra coarctat & constringit, & sic per constrictionem educitur humiditas, quæ prius fuit per corpus diffusa. Vnde videtur corpus humectari quod prius siccum fuit. Sic etiam videmus in montibus siccis herbas specialiter humidas procreari, sicut est herba quæ dicitur crassula, cimbalaria, vermicula-

ria, &c. Nec hoc est mirum: nam siccitas, quæ naturaliter intendit cõseruari montẽ in sua siccitate, & hoc per suum simile, scilicet per siccum, vi actiua ad sui nutrimentum attrahit omne siccum. Humidum vero abhorrens & fugiens tanquam suum contrarium de se repellit vsque ad radices herbarum, quæ in superficie montis tanquam superfluæ ab interioris montis substantia sunt reiectæ. Vnde humorem sic reiectum radices attrahunt, & inde nutriuntur herbæ humidę, & crassæ fiunt. Eadem videtur esse ratio commẽtatoris super librum meteororum, vbi dicit quod fontes & flumina nascuntur de montibus, quia cum sint montes cauernosi & spongiosi, & plurimum etiam contineant calidi, fit à montibus magna attractio, & ratione vacui & etiam ratione calidi aeris inclusi. Quod igitur attrahitur, simile mõti in siccitate sibi incorporatur. Quod vero dissimile est, vtpote in humiditate repellitur, & aggregatur in vnum locum, quod tandem expellitur, & foras per capita fontium ad flumina perficienda continue deriuatur. Siccitas igitur est attractiua sibi necessariorum, & sibi quidem similium est incorporatiua, superfluorum vero aut dissimilium sibi expulsiua. Item siccitas est naturaliter attenuatiua, quia siccitas consumit humiditatem, quam inuenit in subiecto, qua consumpta sequitur extenuatio. Item siccitas est substantiæ induratiua, quia consumendo humiditatem in materia efficit ipsam duram, sicut in luto est videre, quia siccatum durum fit. Item siccitate agente in rem subtilem, vt in aeream substantiam siue aqueam subtilior efficitur & rarior, sicut videmus quod flante Borea, aer desiccatur, rarescit & subtiliatur. Item accidentaliter potest esse remollitiua, quando enim siccitas consumit humiditatem, quæ partium est conglutinatio, sequitur per consequens partium separatio & mollificatio, sicut est videre in ligno vetustissimo, cuius humiditate per siccitatem consumpta sic molle redditur, & in puluerem mollem tactui cedentem redigitur. Item naturaliter est asperatiua: nam agens in subiectum humiditatem quam inuenit, consumit in superficie, & quam non potest consumere, indurat, & ita inducitur quædam in superficiem æqualitas, ex vacuitate depressa, & duricie eleuata, ex qua fit asperitas, quæ nihil aliud est quam inæqualitas, secundum

cundum durum corpus. Accidentaliter tamen quandoq; lenificat, ſicut quando ex ſiccitate acuitur calor, qui ſuo accidente diſſoluit humores, qui diſſoluti & per aliam arteriam diſtillantes eam leniunt & humectant. Item ſiccitas eſt motus tardatiua. Nam per dominium ſiccitatis nimiæ partes aereæ & aquoſæ in terreſtres inſpiſſantur, & ſic ſubſtantia groſſior effecta & grauior, tardiorem ad motū. Per nimiam enim ſiccitatem ſpiritus exinaniuntur, quorū multitudine corpus mouebatur velocius. Vnde eorum facta diminutione, per ſiccitatem mouetur difficilius, tamen eſt ſiccitas aliquando accidentaliter motus adiuuatiua, quia ſiccitas faciens motum ad centrum, æqualiter ducit circumferentię partes ad medium, & fit partium circumflexio æqualiter & rotundatio. Vnde quia rotundum non habet angulos, in quibus poſſit impediri, volubilitate ſua mobilius redditur. Præterea ſiccitas conſumendo humidas ſuperfluitates ſpiritus ſubtiliat & depurat, & velociores reddit eos. Nam à ſuperfluitate depurati, qua corpus grauabatur, ad motum habilitant corpus ipſum. Item naturaliter eſt conſumptiua, & per hoc, quod conſumit humores, corpus euacuat, & à ſuo nutrimento depauperat, & neceſſario inanitur. Item naturaliter eſt deſtructiua, quia humiditatem ſubſtantialem, quæ materialiter ſubnutrit, & partes recopulat, pariter deſtruit & conſumit. Cauſa eſt qualiter res animata vel inanimata deſtruitur & diſſoluitur. Item animata corpora ſpecialiter deſtruit, quia ſpiritus naturales, qui conſtant ex fumo humido diſſoluit, quando illam humiditatem conſumit. Vnde deficiente materia & ſpiritu, corpus neceſſario mortificatur, vnde peſſima eſt qualitas mortificatiua, dum excedit: viuificat tamen accidentaliter. Nam humores quandoq, rheumatizantes ad ſpiritum, alia & meatus ſpiritus opilantes parati ſunt ſuper inducere ſuffocationem. Siccitas autem ſuperueniens, vel medicina ſicca agens in illos humores, conſumit eos, & ſpirituum vias aperit: vnde rei quaſi prius mortuæ ſequitur viuificatio. Quamuis igitur ſiccitas ſit neceſſaria in omni corpore elementato ad ſuperfluitatis humidæ conſumptionem, & ipſius humiditatis coarctationem, inſuper ad ipſius caloris remiſſi excitationem, mortifera tamen eſt qualitas & peſſima, quando debi-

debitam excedit in corporibus proportionem. Nam pessimas infirmitates solet in corporibus inducere ac nociuas, vt phtisim & hecticam & huiusmodi, quib. vix potest medicinæ beneficio subueniri. Insuper per nutrimentalis humoris consumptionẽ, corpus exiccat, cutis superficiem contrahit & corrugat, senium accelerat, corpus superficialiter discolorat & deformat, sitim immoderatam prouocat, arterias exasperat, & vocem impedit & rarificat, caput à capillis spoliat & decaluat, articulos manuum, & pedum contrahit & incuruat., vt est videre in leprosis. Sed hæc dicta de siccitatis effectibus nunc sufficiant.

CAP. IV.

De Humiditate.

HVmiditas est elementaris passiua qualitas, actiuarum qualitatum impressionibus obediens & subdita, actionum caliditatis & frigiditatis susceptiua. Est autem humiditas omnium corporum, & pręcipue animatorum nutritiua, augmentatiua, conseruatiua, deperditorum in corpore restauratiua. Nam humore & calore omnia generantur, *vt dicit philosophus*, & generata nutriuntur, vt est videre in radicibus & seminibus. Nam granum terræ commissum, primo oportet perfundi humiditate aquea & aerea, & per inclusum calorem naturalem rarificari & dilatari, & tandem actionem caloris, humiditas resoluta, grossiorem sui partem terrestriorem terræ inferius transmittit, quam quidem terra in suis recipit visceribus, & calore incluso coagulat, & in radicis substantiam per commixtionem humidi & sicci conuertit: humiditas autem illa radicalis derelicta, & in radice sic procreata humorem, quem inuenit in terra sibi similem ratione similitudinis & in via attractiua interclusi caloris sibi attrahit, & attractum quãtum sibi sufficit, in sui nũtrimentum conuertit, quod autem sibi non est necessarium per calorem illam humiditatem disoluentẽ & subtiliantem ipsam superius transmittit & primo in substantiam germinis, deinde in substantiam stipitis, vltimo in substantiam floris, fructus & frondis sic transmissam coagulat & conuertit. Quia igitur humiditas omnium illorum quæ vegetantur nutrimentum est & materia,

eria, manifestum est, quod omnium vegetabilium est nutritiua, & per sui diffusionem & incorporationem in latum, & in longum, & in spissum augmentatiua. Item humiditas deperditorum in corporibus vegetabilibus & animalis est restauratiua: Nam per calorem agentem continue intrinsecus & extrinsecus copora consumuntur, & cito perirent, nisi per restaurationem humidi reparentur. Et ideo necessaria fuit cõtinua humiditatis attractio, vt continua fieret deperditi reparatio, & per consequens cibi restauratio vel conseruatio. Est præterea humiditas inferiorum conseruatiua. Nam ex aggregatione radiorum continua, in aere & in terra tanta fieret caloris generatio, & siccitatis inductio, quod aer inflammaretur, & terræ superficies combureretur, nisi virtus caloris actiua, per aeris & aquæ humiditatem actioni eius resistentem proportione debita ad temperiem reduceretur: & ideo *vt dicit Macrob.* Opposuit Deus fonti, caloris fontem totius humoris, vt per humoris præsentiam calori opposita eius violentia reprimeretur, & sic mundi machina in esse debito conseruaretur, alioquin à calore nimio subito solueretur. Item humiditas est partium terræ coniunctiua. Tantæ enim siccitatis est terra, quod nisi humiditate aquæ humectaretur, quælibet eius particula ab alia dissolueretur. Et ideo fecit natura spongiosos montes, & terram cauernosam in multis locis & porosam, vt sic fieret ratione vacui aeris & aquæ fortis attractio, adiuuante siccitatis mitigatione & partium terræ separabilium vnione. Vnde quod facit sanguis currens per venas in corpore, idem facit humiditas in venis terræ. Rigat enim terræ siccitatem, & eam disponit & habilitat ad fœcunditatem. Habet autem humiditas quasdã proprietates & effectus primas & naturales: quasdã vero secũdarias & quodãmodo casuales, sicut & aliæ qualitates. Est n. humiditas naturaliter labilis & fluxibilis male in se terminabilis, sed tamẽ sistitur termino alieno, *vt dic. philos.* A centro n. ad circũferentiam est motiua, vnde & se diffundẽdo, subiectũ suũ totaliter defluendo dissolueret, si aliud ei non obsisteret quod eius fluxibilitatem per reductionem partium ad centrum terminaret. Vnde videmus fluctus maris arenæ siccitate in maris littoribus à suo fluxu compesci, & in se quodammodo reuocari. Item naturali-

ter mollitiua est, partes enim materiæ duras & compactas per sui subtractionem & diffusionem relaxat, & rarificat & remollit. Est tamen duratiua accidentaliter, sicut videmus in gibbis & etiam apostematibus quibusdam, in quibus confluunt humores frigidi & ex frigiditate partes humidas ad centrum repercutiente & condensante indurantur & in σκλήρωσιν, id est, duritiam sæpe commutantur. Idem etiam contingit ex nimio calore partes liquidiores consumente, quibus consumptis, partes grossiores compinguntur pariter & indurantur. Item naturaliter est mũdificatiua. Nam sua remollitione, & partiũ, per quas diffunditur ab inuicem laxatione partes sordidas diuidit, & diuisas lubrificandò remouet & abstergit, vt patet maxime in ipsa aqua, quæ substantialiter humectat & maxime sordium purgatiua, & hoc maxime si substantiali humiditati caliditas cooperetur, vt patet in tritico & furfure, in radice brione & etiam in sapone & in medulla fabæ & in consimilibus, quæ omnia sordes faciei, & totius corporis mundificant & depurant. Item quia de se motum habet à centro, siue medio ad extrema, cum ille motus ex se non sit fortis multum, sed respectu caloris sit obtusus. Est siquidem sui in latum principaliter diffusiua: in altum vero sine calore non est multum, quantum est de se, extensiua, sed quandoque calor in ipsa dominatur, & in ipsa obediente materia humida operatur: tunc in omnem partem, sed maxime in altum, & in longum vi caloris sursum eleuante & vsque ad extremitates diffundẽte exigitur & protelatur: corpora vero in quibus prædominatur calor & humor tẽperatus naturaliter & generaliter sunt altiora & longiora, & etiam graciliora, quam illa, in quibus existente humiditate multa, & dominãte calore paruo remissius operante causa cõtraria inuenitur. Et ideo homines calidi, vt cholerici, obediente humore substantiali caloris actioni sunt alijs scilicet phlegmaticis longiores, & in omnibus extremitatibus corporis alijs partibus & circumstantijs concurrentibus hinc inde æqualiter in gracilitate & longitudine aptiores, vbi autem est calor multus & humor multus, non tamen actioni igneæ virtutis superfluus aut diminutus, sed congruus & commensuratus, corpora in omni diuisione fiunt magna, longa & lata. Alta enim sunt, pro-

pter

pter calorem subtiliores partes humiditatis ad summitatem deferentem. Lata enim fiunt & spissa, propter virtutem caloris, partes grossiores humiditatis, ad singulas partes interiores, secundum sui exigentiam vndique diffundentem, & partem parti secundum congruentiam naturę vndique adunantem. Item humiditas est naturaliter lenificatiua. Nam sui circumfusione in extrema rei omnes partes vacuas replendo ad æqualitatem producit, & sic rei superficiem complanando & adæquando eam leuem facit: accidentaliter tamen quandoq; exasperat, scilicet quando aliquo casu simul calidi & frigidi humores ad aliquem locum confluunt & concurrunt. Calidi quidem superficiem rei eleuant: frigidi quoque deprimunt, & sic ex contrarijs humoribus contrarietas & inæqualitas cū asperitate quadam corporis in superficie generatur. Item humiditas si fuerit secundum naturæ exigentiam in corpore commensurata, omnium actionum animæ & corporis est adiuuatiua. Nam ex humoribus spiritus regitiui corporis generantur, & in esse conseruantur. Spirituum quoque virtutes, suos effectus in singulis organis corporis sensitiuis & motiuis per humorū ministeriū operantur, vt patet in virtute visiua, quę mediāte crystallino humore visum in oculo operatur. Similiter virtus gustatiua nunquā sine humore saliuali inter sapores discernere arbitratur: & sic de alijs. Nam humiditate substātiali destructa in corpore vel corrupta, tota animi actio pariter erit impedita. Si enim fuerit in toto corpore, vel in aliqua parte corporis superfluitas humida abundans, quod non possit regi à natura, principium est & materia putrefactionis, & generat in corpore grauissimas passiones, vt patet in apoplexia, in qua superflua humiditas sic occupat omnes ventriculos cerebri, quod non permittit per neruos sensibiles spiritum animalem ad sensificandum corpus, & mouendum deferentes animam in corpore suas peragere actiones, immo aufert corpori subito sensum atque motum, & tandem inducit suffocationem atque mortem. *Sic Gale. in commento super aphorismos exponens verbum Hippocr.* Soluere apoplexiam fortem impossibile, debilem vero non facile, &c. Phlegmatica enim humiditas occupans totam cerebri regionem, opilat meatus neruorum: vnde non potest duci spiritus animalis

nimalis ad inferiora, imo intercluditur anhelitus & vita finitur. Hæc autem humiditas peccat, quandoque in quantitate: quandoque in qualitate. Et hoc aliquando à causa intrinseca: quandoque à causa extrinseca. A causa intrinseca, sicut à mala complexione, quando nociua humiditas radicatur in membris, & non potest à calore naturali dissolui & consumi, nec à sua malitia immutari. Talis itaque humiditas in diuersis locis corporis diuersas inducit infirmitates, vt patet in epilepsia quando procedit ex vitio capitis & in hydropisi, quando ex mala complexione generatur epatis. Item à causa extrinseca, sicut à rebus, quæ à Iohanne & Galeno vocantur res non naturales, quales sunt aer, cibus, potus, somnus, vigilia, inanitio & repletio, exercitium atque quies. Hæc enim omnia si fuerint assumpta, secundum exigentiam naturæ humiditatem substantialem generant ac conseruant, & perditam reparant, & restaurant. Si vero à contrario modo sumpta fuerint, contrarium habēt effectum. Nam humiditatem innaturalem generant & augmentant, aut naturalem corrumpunt, alterant & immutant, vt patet. Nam vt dicit *Galen. in Amphor. Hippocrates parte 3. super locum illum.* Immutationes temporum maxime generant morbos, &c. Tempora, inquit anni, non sunt causa morbi, sed mutationes complexionum ipsius temporis, quando scilicet complexio aeris, quæ deberet congruere tempori, in oppositam commutatur: sicut quando complexio veris, quæ deberet esse calida & humida, efficitur sicut in autumno frigida & sicca & è conuerso. Et sic de alijs. Nam si fuerit aer vernalis generaliter frigidus & siccus, & præcesserit aer in hyeme, quasi vernalis, scilicet calidus & humidus, necesse est, in vere multos ægrotare & etiam mulieres parituras occasione facile abortire. Et hæc est ratio *Galeni* quam assignat, quia ex humiditate & caliditate hyemis præcedentis, multa fiebat humiditatis in corporibus generatio & phlegmatis coadunatio. Aer vero in initio veris, si fuerit frigidus & siccus, claudit poros, & nō sinit fumos exhalare. Vnde retento calore, dissoluit humiditatem istam superfluam in hyeme generatam, & cum calor sit debilis & non possit eam perfecte digerere, nec ex toto consumere, transmittit eā sic indigestam, nunc ad superiora membra, & nūc ad inferiora, vbi

a,vbi coadunata, fit causa diuersarum passionum. Vt si ascenderit ad caput potest esse causa rheumatis & catharri. Si vero ad intestina, & fuerit phlegma, salsum mordificando intestina inducit dysenteriam. Et sic de alijs. Illa eadem potest esse ratio aborsus in mulieribus, quia humiditas illa defluens ad matricem, grauat eam, & remolliendo retinacula fœtus ac relaxando, est causa abortiendi. Aliam autem rationem ibi assignat *Auicen.* Et sic de alijs passionibus aeris & temporis est intelligendum, quod mutant humiditatis qualitatem vel calorem, immoderate nimis dissoluendo, vel nimis consumendo, siue calore remisso superfluitates eius non euacuando. Et sic intelligendum est de aere nimis frigido poros claudente, humores plus debito constringente. Sed de aere frigido ad præsens hæc dicta sufficiant.

CAP. V.

De Cibo & potu.

DE cibo vero & potu patet. Nam per debiti nutrimenti, cibi scilicet & potus, subtractionē humiditas subtrahitur, & calor inducta siccitate intensior effectus, non inueniens in quid agat ad substantialem humiditatem se conuertit, in quam agendo ipsam nimis attenuat vel consumit, & è conuerso, si cibus vel potus fuerit immoderatus, humiditas nimis intenditur, & calor naturalis debilitatur, quia non sufficit ad digerendum, facit tamen calor quod potest. Nam aliquid resoluit ex illo superfluo cibo sumpto, illud resolutum cum sit, fumositas grossa & indigesta petit cerebrum & percutiens eius miringas seu tuniculas grauiter eas lædit, & aliquando emigraneam, vel aliam capitis passionem pessimam excitat & inducit. Aliquando etiam radices neruorum sensibilium illa fumositas maliciosa tangit & suo acumine siue furiositate ad intima ipsorum neruorum penetrans spiritum animalem ibi existentem impedit atque lædit, vnde & substantiam & rationis vsum perturbat & linguam, rationis interpretem, titubando contrahit & peruertit, vt patet in ebrijs. Motum etiam voluntarium sæpius retardat, vel penitus destruit videlicet in tremulis & paralyticis, nec mirum. Nam virtus cor-

poris regitiua, quæ est sita in neruis & in musculis natu-
ra, neruum siue membrum quodlibet sic depressum
& erigere satagit & intendit, sed prævalens ille ac
mus & resistés virtutem naturalem vincere cupiens
brum deorsum deprimere nititur & contendit.
isto duplici motu contrario, scilicet vno eleuante
deprimente, membrorum tremor sæpius generatur
dem victa totaliter virtute regitiua, mors vel para
talibus generatur. Et ideo optimum cõsilium est sa
qui dicit: Ne te effundas, inquit, super omnẽ esca
in multis escis infirmitas grauis, &c. Idem itaque
generat in corpore somnus immoderatus. Nam in
remittuntur virtutes & actiones naturales, intern
males intenduntur. Vnde clausis poris forinsecis, c
trinsecus cõfortatus, multos humores attrahit, qu
dem nec dirigere potest nec consumere, & tunc pra
te tanta superfluitate, quam non potest natura reg
quitur necessario mors & suffocatio: sicut est videre
in dormientibus post acceptam medicinam et e
minutis. In vigilantibus autem nimis causa contrar
ratur, in quibus & nimia fit humorum & spirituu
sumptio: vnde & mors iterum comitatur. Item ea
tio suffocationis est in nimis repletis, & eadem rati
ctionis est in ieiunantibus supra vires & nimium i
Item qui nimis se exercitant, per nimiam caloris in
nem, humores nimis consumentem se destruunt &
munt. In nimis vero quiescentibus causa est cõtrari
in ipsis magna est & immoderata humiditatis attra
nulla superfluitatis euaporatio, nec spirituum subt
& ideo necessario humiditas superflua disponitur ad
factionem & corruptionem. Istis & alijs multis m
finitis qualitates elementares in suis naturalibus
bus impediuntur, sicut patet in rationib. supra dicti
de verbis *Constantini in pantegn. & Galeni in com*
aphor. Hippocrat. & Emped. succincte compilauimu
de his supersedeamus, & ideo ad describendas propr
humorum, quæ ex his qualitatibus componuntur,
apponamus ex quibus constituitur omne corp
quod spiritu sensibili & rationali
animatur.

CAP.

CAP. VI.

De humoribus & eorum generatione, effectu & operatione.

EST igitur humor quædam substantia actualiter liquida ex coniunctione elementarium qualitatum, per digestionem in animalis corpore generata, apta membra nutrire & eorum actiones confortare, naturaliter vel accidentaliter impedire. Nam humor est corporum sensibilium materiale principium, & primum ac præcipuum ratione nutrimenti, in suis peragendis actionibus iuuamentum. Sunt autem humores *vt dicit Constan.* vocati elementorum filij, ex eorum originaliter constitutionum qualitate. Sunt autem quatuor humores, scilicet sanguis, phlegma, cholera, & melancholia, qui quidem respectu membrorum dicuntur simplices, quamuis respectu elementorum, quorum sunt filij, compositi inueniãtur. Hi quatuor humores in quãtitate & qualitate æqualitatẽ proportione debita obseruantes, omnia corpora sanguinem habentia perficiunt ac custodiunt in debita consistentia sanitatis, sicut è conuerso ex eorum inæqualitate siue infectione infirmitatem generant & inducunt. Fuerunt autem hi necessarij ad corporis cõstitutionem, ad ipsius regimen & conseruationem, ad continue deperditorum in corpore restaurationem, *sicut dicit Galenus super aphor.* Corpus enim subiacet fluxui, vt patet in sudoribus, & in sputis, & huiusmodi alteratione, scilicet de frigiditate in caliditatem, & è conuerso & corruptione, quæ ex fluxitate nimia sequitur, & ex alteratione diuturna. Vt ergo quod superfluum est in corpore, diruatur, & deperditum reparetur, & mala alteratio in bonam transmutetur, & per consequens corruptioni aliqualiter obuietur, necessaria fuit quatuor humorum præsentia, vt corpus animale in vigore ipsis mediantibus incolume conseruetur. Horum autem humorum generatio sic habet fieri, recepto enim cibo in loco decoctionis, primo scilicet in stomacho, subtilior eius pars & liquidior, quæ à physicis Phthisinaria vocatur per quasdam venas ad epar trahitur, & ibi per caloris naturalis actionem in quatuor humores transmutatur, quorum generatio simpliciter in epate fit & incipit, sed non

ſimiliter finitur. Primo enim caloris actio, quod frigidum eſt & humidum, in naturam phlegmatis conuertit. Secundo, quod calidum & humidum eſt, in naturam ſanguinis tranſit, quod vero calidum & ſiccum, naturam choleræ conſtruit. Sed quod frigidum & ſiccum, in ſubſtantiam melancholiæ ſe componit. Talis igitur eſt proceſſus. Primo ſiquidem generatur phlegma tanquam humor ſemicoctus. Secundo ſanguis, cuius decoctio eſt perfecta. Tertio cholera, cuius decoctio temperamentum excedit. Vltimo autem melancholia quaſi pars terreſtrior, & aliorum fæx ineſſe procedit: vnde talis eſt ordo, *vt dic. Auicen.* quod elementorum recta & reciproca eſt generatio, quia de aere fit ignis, & è conuerſo. Humorum autem generatio quædam eſt recta, ſed non reciproca, de phlegmate enim per decoctionem fit ſanguis, ſed non econuerſo. Similiter de ſanguine fit cholera per calorem intenſum ſiccantem humorem & ſubtiliantem, ſed non è conuerſo. Simili modo per aduſtionem ex cholera fit melancholia, & non è conuerſo. Sic enim accidit in generatione humorum, ſicut accidit in generatione vini ex muſto, *ſicut dicit Conſtan.* Nam feruente muſto, generatur quædam ſpuma ſuperficiem petens, & quædam ſubſtantia terrea ad fundũ deſcendens, & alia eſt aquoſa, ſecundum cuius augmentũ vinum in ſubſtantia eſt magis debile, & minus calidum. Et quãto magis antiquatur, tanto magis fit calidum propter huiuſmodi aquoſitatis reſolutionem, & quanto maior eſt vini puritas, tanto coctio eſt completa, ſic in humoribus eſt pars leuitate ſua ſuperiora petens, ſcilicet cholera, alia velut fæx deorſum tendens, ſcilicet melancholia, alia vero in cruditate manens, ſcilicet phlegma. Quarta vero eſt ſanguis in ſua puritate permanens, à cæteris humoribus depuratur. Nullus tamen ſanguis eſt ita purus, quando aliis humoribus ſit permixtus, vnde eorum commixtionem ſpeciem variat & colorem: nam per commixtionem choleræ apparet rufus, à melancholia niger, à phlegmate aquoſus & ſpumoſus.

CAP. VII.

De Sanguine.

SAnguis, *vt dicit Isidor.* à græco nomen ſumpſit, eo quod ſuſtentet, vigeat & viuat, id eſt, vitam confirmet: nam ancire confirmare eſt. Dicitur autem ſanguis, dum eſt in corpore, effuſus vero dicitur cruor, eo quod effuſus currendo corruat. Alii autem vocant ſanguinem quaſi ſuauem, eo quod guſtu & tactu ſit ſuauis, non enim eſt ſanguis purus & integer niſi in iuuenibus: nam dicunt phyſici, ſanguinem minui per ætatem: vnde in ſenib. tremor eſt ex defectu, proprie autem ſanguis animi poſſeſſio eſt. Inde genas lacerare in luctu, mulierib. mos eſt: vnde etiam purpureæ veſtes & purpurei flores ponuntur ſuper mortuos, animoſitatem mortui dum erat in ſuo ſanguine repræſentantes. *Hucuſque Iſid. lib.* 10. *cap.* 2. Sanguis autem, *ſecundum Conſtan* inter quatuor humores laudabilior, & naturæ amicabilior eſt, propter eius æqualem & perfectam coctionem, quam efficit calor temperatus ex materia pura & aerea ad corporis nutrimentum. Eſt vero ſanguis *ſecundum eundem Conſtan.* alius naturalis, alius innaturalis. Naturalis autem alius eſt contentus in arteriis, alius eſt in venis. Qui vero eſt in arteriis, calidior eſt & ſubtilior, rubicundior, clarior, & in ſapore dulcis. Eſt autem calidior propter cordis & ſpiritus vicinitatem, ſubtilior propter cordis calorem ſubtiliantem & rarificantem, & hoc vt reſumendo per ſpiſſas tunicas arteriarum facile non poſſit in alia membra labi. Rarior autem eſt propter virtutem choleræ in ipſo, acutior eſt autem propter augmentum caloris, ſanguis vero in venis contentus eſt calidus & humidus, inter groſſum & ſubtilem mediocris, in ſapore eſt valde dulcis, omni malo carens odore, cito coagulatur cum exierit. Vnde talis ſanguis epar deſignat temperatum, ſi vero fuerit ſubtilis, aquoſus, non boni odoris, nec dulcis ſaporis, commixtionem alterius humoris ipſum inficientis indicat. Iam enim degenerat in ſanguinem innaturalem, qui ſic dicitur, vel quia à ſua generatione eſt, vt in leproſis, corruptus, aut propter inconuenientem materiam, ex qua eſt generatus, & propter extraneum humorem, cum quo eſt commixtus, modicum autem choleræ vel alterius in-

ficientis humoris mixtum cum puro sanguine, ipsum inficit, & in suæ qualitatis similitudinem ipsum trahit. *Hucusque Const. Pant. 9. c. 4.* Alias sanguinis proprietates *ponit Aristo. in lib. animalium 3. dicit enim*: Omne animal habẽs sanguinem, habet epar & cor: vnde omnia animalia carentia sanguine, sunt minoris corporis & virtutis animalibus habentibus sanguinem, & cum abscinditur caro, exit sanguis, quando illa mortua fuerit & corrupta. Item in omni animali bonæ dispositionis est sanguis mediocris, quia non nimis multus, sicut sunt potantes vinum nouũ, nec nimis paucus, sicut corporis crassi, quia animalia nimis crassi corporis sunt pauci sanguinis, & subito augmentatur pinguedo, & quanto, tanto minoratur sanguis. Item omne corpus sanguineum putrescit cito, & maxime prope ossa. Homo enim habet sanguinem subtilem valde, respectu aliorum animalium, quorum sanguis est nigrior & spissior, sanguine hominis, & maxime tauri & asini, & sanguis in inferiori parte corporis spissior est & nigrior, quam in superiori. Item sanguis, quando generatur valde in multa quantitate erit causa ægritudinis, quoniam attenuatur & fit aquosus, & propter hoc forsan sudat homo sanguinem, quod quidem est, vt puto, propter superfluam liquidi sanguinis abundãtiam, à qua se intendit exonerare natura. Vnde eiicit eius partes aquosas ad superficiem cutis, & eas expellit per sudorem. Item cum homo dormierit, erit sanguis in manifesto modicus, nec mirum, quia tunc reuocatur à natura in adiutorium virtutis naturalis, vt ipsius beneficio suas peragat actiones, vnde quando tunc se profundit ad interiora, extremitas corporis pallida remanet & exanguis, & propter hoc forte accidit, quod si corpus dormientis pungatur, non exit inde tantum sanguinis, quantum si esset vigilans. Item dicitur ibidem, quod si sanguis fuerit bene coctus & digestus, bene fit ex eo seuum & hoc forsan, quia eius vnctuositas per temperatam decoctionem coagulatur, & dealbata in seuum vel pinguedinem transmutatur. Item cum alteratur sanguis à cursu naturæ suæ, & fuerit corruptus, exibit à stomacho & à naribus. Item cum putrescit sanguis in aliquo membro, nisi reducatur arte vel natura, efficitur ex eo virus, & in saniem commutatur. *Hucusque Constanti. lib. 3.*

Item

Item dicit ibidem *lib.* 12. venæ sunt vasa sanguinis, ex quo patet, quod sanguis est vltimus cibus animalis habentis sanguinem. *Item ibidem*, Ita est sanguis amicabilis naturæ, quod etiam animal carens sanguine cibatur per illud, quod conuenit cum sanguine, vt patet in vermibus & muscis, quæ carnibus insident, & sanguinē sugunt, & inde sibi attrahunt nutrimentum, propter hoc si animal non nutritur cibo isto, efficitur macilētum & male dispositum, & quando bene cibatur, crescit & fit bonæ dispositionis per talis cibi nutrimentum, & si ille sanguis, vnde fit cibus, fuerit clarus & bonus, erit corpus sanum, & si malus, infirmū. Item sanguis terrestris coagulatur cito propter humiditatis priuationem, vnde omne animal habens subtilem sanguinem, mundum atque calidum, aliis animalibus sensum habet meliorem. Sanguis enim mundus, subtilis & calidus & maioris motus, intellectui conuentior est. Item omne animal carens sanguine est maioris timoris, animali habenti sanguinem, propter hoc habens mundum sanguinem, calidum & leuem, non mouetur nisi modicum propter timorem. Item sanguis tauri congelatur citius & coagulatur, sanguine omnium animalium aliorum. Sanguis enim omnium animalium coagulatur secundum maius & minus, præter leporis & cerui, & sibi similium in natura, quorum sanguis non coagulatur, *Vt dicit Aristot.* Sanguis taurinus, *sicut dicit idem lib.* 3. *&* 12. maxime est coagulationis & velocis, & hoc forsitan propter excessum caloris & siccitatis, vnde haustus crudus interficit sicut venenum. Vnde de quodā philosopho dicitur, quod hausto sanguine tauri se peremit. Item, *idem lib.* 13. sanguis in parte dextera calidior est, quam in sinistra. Et ideo propter vigorem calidi sanguinis in parte illa manus dextera pronior est ad operandum & habilior, quam sinistra: *Vnde dicit Arist. lib.* 1. quod leo prius mouet pedem dextrū, quam sinistrum, *& sup. aphori.* dicitur, quod mulier portans masculum subito vocata ab aliquo, primo mouet pedem dextrum, quod facit calidus sanguis, qui in concipiente masculum completius operatur. *Item in eodem lib. dicit*, quod sanguis prima & præcipua est materia cordis & epatis: vnde & cor concauum est ad sanguinem copiosius recipiendum, & spissum ad eundem diligenter custodiendum, & in

nullo membro est sanguis sine venis, nisi in corde tantum & de corde exit per quasdam venas ad alia loca corporis, & non venit aliunde sanguis ad cor, quoniam fons est & principium sanguinis, membrum primum recipiens sanguinē & hoc manifestatur ex anatomia & modo generationis quia prima creatio cordis apparet sanguinea, *Vnde secundum Aristot.* cor est primum sanguinis receptiuum, & ideo in medio ponitur, vt eum transfundat tanquam à medio & à centro ad omnia alia membra, vnde dicit quod cor est medium totius animalis, à quo procedit motus & sensus & vita totius animalis. Et ideo cor est in omnibus habentibus sanguinem, quoniam necessario principium sanguinis est, & non epar. Hæc omnia aperte *dicit Arist. lib.* 13. quamuis de principio sanguinis alio modo sit scriptum in libris medicorum, sed de ista controuersia nihil ad nos, quia vtraque positio vel opinio nobis deseruit, quo ad nostram intentionem. Ex prædictis igitur autorum sententiis breuiter recollige, quod sanguis naturalis est purus & calidus, subtilis, dulcis, animalis, nutribilis, virtutis naturalis conseruatiuus, sedes animæ & ipsius contentiuus, iuuentutis perfectiuus, complexionis alteratiuus, vigoris cordis & spirituum conseruatiuus, lætificatiuus, amoris excitatiuus, sui diffusione in superficie corporis ipsius coloratiuus, sanus & temperatus, sanitatis conseruatiuus, corruptus, corruptionis inductiuus, vt patet in lepra, quæ est sanguis corruptus in fontibus, & cum aliis humoribus admixtus malitiæ eorum est temperatiuus, sua virtute doloris oculorum mitigatiuus, *Vt dicit Constant.* quod sanguis columbæ vel hirundinis de ala dextera extractus, oculis calidus instillatus, maculas abstergit oculorum. Sanguis enim talis valde est ignitiuus & dissolutiuus, sicut ibidem dicit commentator in viatico, in tractatu de pannis & maculis oculorum in fine.

CAP. VIII.

De sanguinis mala proprietate.

SVnt etiam sanguinis quædam proprietates minus laudabiles alijs supradictis. Nam quanto bene dispositus, naturæ est amicabilior & vtilior, tanto cum corruptus fuerit,

rit, eidem est nociuior & grauiores infert corpori passiones. Nam aliorum humorum malitia sanguini admixta propter amicabilitatem eius ad naturam, non se ita subito manifestat, & ideo ab eorum læsione sibi natura minus præcauens latentem ipsorum malitiam non formidat, vt patet in febribus enutriceis & alijs mixtis, in quibus cholera rubea vel adusta, sanguini admixta, non ita cito se naturæ vel medici iudicio manifestat: *Vt dicit Galenus super aphoris.* Item sanguis si fuerit in corpore superfluus, menstruosas in hominibus generat passiones, nisi naturæ vel medicinæ beneficio euacuetur citius, videlicet sanguine menstruali, qui propter superabundantiam humiditatis, & caloris indigentiam, in mulieribus existens, si vltra debitum retineatur, pessimatum causa est & occasio passionum. Inducit enim quandoque spiritualium suffocationem: quandoque hydropisim: quãdoq; etiam phrenesim, siue manifestam passionem, prout ille sanguis corruptus nimis diu retentus ad diuersas transfunditur corporis regiones, *sicut in passionarum libr. Galeni expressius continetur*: vnde contra talia pericula, summum remedium est talis sanguinis corrupti euacuationem citius procreare, nec mirum si sanguis sic corruptus proprium subiectum sic molestat, qui alienum etiam mirabiliter inficit & molestat siue immutat. Nam *Vt dicit Isidor. lib. 10. cap. 2.* sanguis menstrualis contactu fruges non germinãt, acescunt musta, moriuntur herbæ, arbores amittunt fructus, ferrum rubigo corrumpit, nigrescunt æra & metalla, quod si canes inde comederent in rabiem efferuntur, glutinum asphalti, quod nec ferro dissoluitur, nec aquis ipso pollutum sponte dispergitur, *Vt ibidem dicit Isidorus*, hic sanguis ex superflua humiditate & debili calore in corporibus multum generatur, & ideo, ne natura ex eo grauetur, in matrice recolligitur tanquam in sentina, à qua si debito modo expulsus fuerit, corpus totum mollificando alleuiat & ipsam matricem ad conceptionem disponit & habilitat. Vnde dicit *Aristot. lib. 9.* menstruum in fine mensis in mulieribus maxime viget, & ideo tunc vtiliter expellitur sanguis talis. Quia *sicut dicit Isid. lib. 16.* sanguis menstrualis, non habet certam temporis reuolutionem, sed in maiori parte accidit, in diminutione lunæ, & hoc est rectum, quia

corpora animalium sunt tunc temporis frigidiora, & alteratur sanguis, & efficitur ex eo superfluitas mẽstrualis, quæ si tunc expellitur, talis euacuatio laudabilis est & naturalis, quia si vltra tempus, vel propter grossitiem sanguinis vel propter altitudinem matricis, vel propter defectum expulsiuæ virtutis retineatur, multis molestijs periculosis corpus mulieris aggrauatur. Quod quidem generaliter est verum, à quartodecimo anno vsque ad quinquagesimum, quia in iuuenculis meatus sunt angusti, & virtus debilis. A quinquagesimo vero anno, ni antea sanguis minoratur & frigescit, calor destruitur & tepescit, vnde istæ duæ ætates, à tali immunditia sunt immunes, scilicet senectus vetularis, & iuuentus puellaris: retinet tamen natura sanguinem menstrualem post mulierum impraegnationem, ad nutrimentum fœtus & conceptus conseruationem, vnde *Aristo. lib.* 15. menstruum est sanguis non purus, sed indiget digestione operatiua, hic sanguis mixtus cum spermate, cibus est in animali, vnde mulier prius conceptionem frequenter patiens fluxum menstrualem solet facere abortiuum, aut enim debilitatur fœtus, aut moritur, & hoc propter nutrimenti subtractionem, vnde retentio sanguinis menstrualis, signum est impraegnationis, ex iam dicta causa. Quod autem superfluit, de sanguine menstruali detrahitur ad mamillas, vt inde lac generetur. Materia n. lactis est sanguis decoctus in mamillis, *vt dicit Arist. lib.* 16. *&* 18. Lac, inquit, est sanguis digestus non corruptus. Item oportet vt fluxus sanguinis menstrualis actualiter sit in corpore, antequam mulier impraegnetur, *sicut dicit Aristot. lib.* 15. *& Constantinus.* Sicut oportet arborẽ primo florere quam fructus facere. Item quãdo venit talis fluxus naturaliter, semper accidit in ætate lunæ ætati etiam mulieris conuenienti. Item aues & animalia non patiuntur talem fluxum, quia totalis superfluitas transit in plumas & in pilos, *vt dicit Aristotel.* Item dicit Ruffus: mulieres nimis se exercentes, & sæpius mouentes non multum menstruant, sed quæ quiescunt & multum comedunt, suauiterque viuunt, tales multa purgatione indigent. Item quando sanguis talis vel frigiditate, vel crassitie ora venarum constringente debito modo non exit, ad exeundum alias vias quærit, vt venas narium & hæmorrhoidarum, quas si clausas inuenerit,

it, ad alia membra se diffundit, & grauem naturæ infert passionem. Nam tales, *vt dicit in Viatico Constantinus*, defectum appetitus patiũtur. Nam cibaria bona abhorrent, puluerem vero carbonum & laterum appetũt & similium, Nam sanguis retentus in malitiosum fumum terrestrem, & ponticũ conuertitur: quo rapto ad orificium stomachi appetitus rationalis subuertitur, & irrationalis generatur. Vnde omnia talia corpora sunt maximis morbis apparata.

CAP. IX.

De Phlegmate.

PHlegma secundum Iohannem, est humor semicoctus actione caloris imperfecti, ex frigida & humida natura generatus. *Et Aristot. dicit lib.* 15. Phlegma est cibi superfluitas, quæ non digeritur. Eadem enim est materia sanguinis & phlegmatis, sed differunt secundũ decoctionem maiorem vel minorem, vnde de phlegmate fit sanguis per ampliorem caloris agentis intensionem, non tamẽ è conuerso, sanguis enim in phlegma nunquam transmutatur, sicut cholera mutatur in melancholiam, sed non è conuerso *vt dicit Auicen.* Est autem phlegma humor naturaliter frigidus, humidus & insipidus, quam natura mandat per membra vt digeratur, & ex ipso digesto corpus nutriatur. Notandum quod phlegma aliud est naturale, aliud innaturale. Naturale autem frigidum & humidum, in colore album, in substantia fluidum, in sapore parum dulce, vel totaliter insipidum, in epate tamen generatur, vbi sedes est caloris. Est tamen habile vt in sanguinem transmutetur, & facta completa transmutatione corpus inde sustentetur. Phlegma enim, quamuis de se sit grossum & insipidum, per intensionem tamen caloris ipsum immutantis, formæ & saporis sanguinis, qui est dulcis, est susceptiuum, vt patet in phlegmate, quod dicitur esse dulce. Vnde propter vicinitatem & similitudinẽ quam habet, cum sanguine indigent eo omnia membra corporis, & ideo natura prouida fecit illud cum sanguine per venas totius corporis transire propter necessitatem, & etiam propter vtilitatem. Nam *vt dicit Constantinus*: Deficiente sanguine, digerit calor phlegma, quia inde intendit membra reficere & nutrire, vnde

in hoc

in hoc nobilius est phlegma, cholera & melancholia, qui rectificari non possunt, vt ex eis fiat sanguis, cuius beneficio vigent & nutriuntur membra corporis vniuersa. Est etiam eius præsentia cum sanguine necessaria, vt eius frigore sanguinis feruor temperetur & liquiditate phlegmatis spissitudo sanguinis in temperie conseruetur, & sic facilius & expeditius ad singula membra nutrimentum sanguinis deportetur. Vtile etiam est iuncturæ membrorum, & alias partes mobiles sua liquida humiditate humectare, ne ex calore motus, vel ex sanguine calido, casu aliquo à suo officio retardentur, quia siccitate insuper inducta impediantur. Phlegmatis autẽ innaturalis quatuor sunt species. Est enim acetosum, frigidum & siccum, propter melancholiæ admixtionem, salsum, calidum & siccum propter choleræ rubeæ infectionem. Dulce propter sanguinis participationem: vitreum sic dictum propter coloris vitri assimilationem, tale enim omnino elongatur à calore, & ideo cæteris eius speciebus illud est compactius & difficilius ad digerendum, & in sanguine conuertendum. Hic humor si corruptus fuerit, diuersas generat in corpore infirmitates, cuius superabundantia, *vt dicit Constant.* cognoscitur per diuersa. Nam vere phlegmaticus est corpore deses, grauis & tardus, & sensu hebes, mente obliuiosus, carne mollis & fluidus, colore liuidus, albidus in facie, corde timidus, sputis & exscreationibus multis plenus, piger & somniculosus, parui appetitus, paruæ sitis, nisi sit salsum phlegma, quia tunc salsus sapor in ore sentitur propter calidi humoris admixtionem, crine mollis & flauus, & laxus, cuius pulsus est mollis, grossus & tardus, vrina alba, spissa, cruda & discolorata, statura pinguis & grossa, in extremitatibus breuis & curta, cuius cutis superficies plana & lenis, ac à pilis denudata, somniat de aquarum, niuium & pluuiarum inundatione, nauigatione in aquis frigidis & etiam natatione. Talis complexionis homines solent frigidum morbum sæpius incurrere, & ipso fatigari & præcipue tempore hyemali: quia tũc temporis qualitates phlegmatis scilicet frigiditas & humiditas intendunrur. *Vt dicit Constant.* Quære supra de proprietatibus frigiditatis & humiditatis.

CAP.

CAP. X.

De Cholera.

CHolera secundum Isidorum dicta est eo, quod in humore cholerico calor temperamentum excedat. Cholera alia naturalis, alia innaturalis. Naturalis est, quæ naturaliter est calida & sicca, & in substantia subtilis, in colore rubea, clara, in sapore amara, cum quodam acumine. Quæ quanto est calidior, tāto est in colore rubicundior, & in sapore amarior, quæ cum in corpore generatur, in duas partes diuiditur, quarum vna transit cum sanguine, & alia transmittitur ad cistam fellis. Illud autem quod vadit cum sanguine, penetrat cum ipso causa necessitatis & iuuamenti. Necessarium enim fuit, vt sanguini admisceretur ad acutificandum sanguinem ad membra cholerica temperanda & nutrienda, quoniam in hoc sanguine oportet esse choleram rubeam actualiter, secundum debitam proportionem huiusmodi membrorum, iuuat etiam vt sanguis subtilietur, vt facilius transeat per angustos meatus ad inferiora corporis nutrienda. Alia vero pars quæ ad cistam fellis trahitur, transmittitur ad ipsam, causa necessitatis, & etiam iuuamenti, necesse enim fuit propter mundificationem totius corporis, & propter nutrimentum ipsius fellis: iuuat etiam stomachum & intestina calefaciendo, & pungendo, vt à superfluis se exonerent, ideo enim sæpe accidit torsio, & ventris dolor, & cholerica passio, quia via opilatur, quæ est inter fel & intestina. Innaturalis cholera est, quæ egreditur à natura propter aliquod extraneum sibi commixtum. Nam commixto cum cholera rubea phlegmate aquoso, generatur cholera citrina, quæ præ cæteris est nimis calida & nociua, si vero fuerit phlegma grossioris essentiæ & spissioris, inde cholera vitellina. Istæ duæ species sunt notæ. Tertia species est cholera quædam prassiua, in colore viridis & amara, acuta, sicut herba, quæ prassium, id est, marrubium vel porrus nuncupatur. Nascitur autem in stomacho illorum, qui continue vtuntur herbis nimis calidis, vt porris, cępis, alleis & vastratiis & huiusmodi, & forsitan à talibus herbis viridibus & crudis in colore contrahit virorem, & sic *Galeno* visum est. Auicennæ autem visum fuit, quod prassiua generatur ex cholera vitellina, quando nimis

nimis aduritur, cum enim aduritur, adustio in ea facit nigredinem, ex qua cum citrinitate mixta viriditas introducitur. Æruginosa vero cholera est quarta species, quæ per vlteriorem adustionem generatur ex prassiua: quando enim tantum aduritur, quod eius humorositas desiccatur: tunc declinat color eius ad albedinem, qualis est color cineris. Nam calor in humido corpore primo nigredinem efficit: deinde consumpta totaliter humiditate alborem quendam introducit, vt est videre in lignis, quæ priusquam conuertantur in cinerem, conuertuntur in carbonem: Frigiditas vero è conuerso in humido facit albedinem: in sicco autem nigredinem operatur. Sed hæc vltima in omnibus aliis peior est & venenosior, cuius venenosa qualitas pessimas & mortiferas inducit in corpore passiones, sicut erisypilam, & noli me tangere, & cætera huiusmodi. Humor igitur cholericus naturalis, non excedens terminos naturæ, est aliorum humorum subtiliatiuus, digestionis confortatiuus, fæcis & putredinis mundificatiuus, corporis secundum dimensionem longitudinis & latitudinis distẽsiuus, animositatis & audaciȩ generatiuus, mobilitatis & leuitatis effectiuus, ad iram & ad appetitum vindictæ excitatiuus; venerei appetitus prouocatiuus, virtutis expulsiuæ adiuuatiuus, materiæ grossæ attenuatiuus, & à centro vsque ad circumferentiam diffusiuus, secundum citrinitatem vel nigredinem superficiei substantiæ in colore mutatiuus. Vnde cholerici generaliter solent esse iracundi, animo inmansueti, leues & instabiles, impetuosi, in corpore longi, tenues & macilenti, colore fusci, in crinibus nigri & crispi, pili hispidi & hirsuti, tactu calidi, pulsus fortis & velocis. Eorum vrina in substantia est tenuis, & subtilis in colore ignea, rutilans & clara. Hæc cholera si in aliqua parte corporis fuerit corrupta, molestissimas infert corpori passiones: quarum hæc sunt generalia signa, *sicut enim dic. Constant. in panteg. lib. 9. cap. 2.* Si corpori dominetur cholera corrupta, erit cutis glauca vel citrina, & erit defectus appetitiuæ virtutis. Amaritudo sentitur in ore, ita quod dulcia videntur amara, & sapida insipida, punctura & ardor in stomacho, ex calido fumo pungente neruos stomachi & mordicante. Abominatio cum vomitu cholerico, cum siti, linguæ siccitas

ex fu-

fumo calido traheam arteriam deſiccante, & humorem
aliualem circa neruos linguæ conſumentem oculorum
concauitas cum humido aſpectu, pulſus ſubtilis & velox
& ſpiſſus. Vrina rubea & intenſa, dolor capitis grauis, vi-
gilia & alienatio mentis, horribiles viſiones in ſomnis.
Tales enim ſomniant de igne & fulgure & ſtupenda aeris
inflammatione, quod fit ex igneo fumo petente cerebrum
& imaginatiuam immutante. Et tantum de cholera &
ſpeciebus eius, diuiſe *ſecundum Galen. & Auicen.* ad præ-
ſens dicta ſufficiant. Sequitur vltima proprietas ſubſtan-
tiæ corporeæ quarti libri, quæ dicitur Melancholia.

CAP. XI.

De Melancholia.

MElancholia eſt humor ſpiſſus & groſſus. Ex fæce &
turbulentia ſanguinis generatur. Et dicitur à μέλαν
quod eſt niger, & χολὴ quod eſt humor, inde dicitur me-
lancholia, quaſi niger humor. Vnde à phyſicis cholera ni-
gra nuncupatur, nam color eius declinat ad nigredinem.
Eſt autem melancholia alia naturalis, alia innaturalis.
Naturalis eſt frigida & ſicca, quæ fit in ſanguine, ſicut fęx
in vino habet generari, cuius ſubſtantia eſt ſpiſſa & terre-
ſtris, cuius ſapor inter dulcedinem & ponticitatem exiſtit
vicinus accipienti. Hæc melancholia in duas partes ha-
bet diuidi, quarum vna remanet cum ſanguine, & penetrat
ſecum ad membra, cauſa & neceſſitatis & iuuamenti, fuit
enim neceſſe, vt cum ſanguine miſceretur, vt aptificaret
ſanguinem ad membra melancholica nutrienda. Iuuat et-
iam ſanguinem, quia inſpiſſat ne ſua liquiditate ſubter-
fugiat digeſtionem, ſecunda pars vero tranſmittiur ad
ſplenem, propter neceſſitatem & iuuamentum.

Neceſſe enim fuit hoc propter mundificationem totius
corporis, & propter nutrimẽtum ipſius ſplenis. Iuuamen-
tum vero eſt, vt profluat in os ſtomachi, vt ſcilicet ipſum
fortificet, inſpiſſet, & vt ibi pruritum faciat, & ſic excitet
famem, & cooperetur ad deſiderium nutrimenti. Illud au-
tem melancholiæ quod eſt ſuperfluum ſanguinis tranſ-
mittitur ad ſplenem, & quod à ſplene egreditur, eſt illud
quo indiget ſplen ad ſui nutrimentum, & ſicut cholera ru-
bea

bea iuuat stomachum ad expellenda superflua inferius, sic & melancholia iuuat virtutem appetitiuã superius, dicitur autem fęx sanguinis potius, quam cholerę vel phlegmatis, quia resudat & separatur à sanguine sicut descendit, hypostasis vrinalis siue sedimen in liquore. De phlegmate vero nihil resudat, nec descendit propter eius viscositatem, similiter nec de cholera, propter eius subtilitatem, & ideo fex choleræ vel Phlegmatis non vocatur. Melancholia autem innaturalis non est ad modum hypostasis siue residentiæ & fæcis, sed per modum adustionis & cinereitatis. Et hoc accidit istis modis: agens enim calor nimis in substantia phlegmatis, ipsam adurit, & per adustionẽ nimiam in choleram adustam conuertit, & si fuerit humor primo subtilis & aquosus, quando aduritur, efficitur salsus, & si fuerit grossus, trahitur ad acredinem vel ponticitatem: si vero contingat sanguinem aduri vel incinerari: cinis eius fit salsus, cum quadam dulcedine pauca, sed quando contingit melancholiam naturalem aduri, illa adustio seu cinis, erit acris sicut acetum, & cum cadit in superficiem terræ ebullit, cuius odor est grauis & acris sicut acetum, quod muscæ fugiunt propter odoris horribilitatem, & illa siquidem, quæ magis est acris, deterior est. Si vero melancholia quando aduritur, grossioris fuit substantiæ, erit cinis eius minoris acredinis cum ponticitate pauca, quæ cadens super terram, minus ebullit & minus in vmbra penetrat, nec est minus malitiosa & venenosa, ita cito perimit sicut prima. Hæc cholera nigra naturæ inimica pessimas habet ac mortiferas qualitates, morbos enim inducit incurabiles, sicut cancrum & lepram & huiusmodi. Ex admixtione igitur per adustionem nimiã incinerati phlegmatis sanguinis & melancholiæ naturalis, melancholia innaturalis & pessima generatur. Et cum ex phlegmate per decoctionem generetur sanguis, & ex sanguine per intensionem generetur cholera, ex cholera vero melancholia. Impossibile est ex ea humorem vlterius generari: sed tantummodo incineratur, & ex illa incineratione naturalem humorem inficiente, ille humor pessimus accidentaliter procreatur, *vt dicit Constantinus lib. 1. ca. 24.* Istius humoris dominantis in aliquo corpore hæc sunt signa. Primo quia color cutis mutatur in nigredinem vel liuorem, in ore

ore sentit acidum, saporem ponticum & terrestrem, secundum humoris qualitatem patiens animo est timidus ne causa passio eius est melancholia, vnde omnes hanc assionem habentes sine causa sunt timidi, sæpius atque tristes, & hoc ex melancholico humore cor constringene. Vnde sic tristes interrogati, quid timeant, vel pro quo doleant, non habent quid respondeant. Alii tamen sibi mortem imminere putant irrationabiliter, alii inimicitias alicuius formidant, alii mortem diligunt & desiderant. *Vnde Galen. in libro passionum:* Non est mirum, inquit, si patiens choleram magnam tristitiam, vel mortis suspitionem patiatur, cum exterius in corpore obscuritate nihil sit timidius. Vnde, quando aliquod obscurum, vt est fumus melancholicus, operit cerebrum, necesse est, vt patiens timeat, quia causam, vnde timeat, secum portat, & ideo somniat terribilia & tenebrosa & visui pessima, & in odore fœtida, vel in sapore acetosa. Ex quibus omnibus generatur melancholica passio. Item maniacæ & melancholicæ dispositionis est, quando tales de tristabili gaudent & rident, de re vero exultanti plangunt atque dolent. Item tales pertinaciter tacent, vbi esset loquendum, & insolenter loquuntur vbi esset tacendum. Item alii putant se esse vas fictile, terreum, & timent tangi, ne rumpantur atq; frangantur. Item quidam putant se pugno mundum claudere, & omnia in manibus continere, & ideo manus ad cibũ non extendunt, timent, quod si manus extenderent, partes mundi defluerent & perirent. Item quidam putant angelum tenere mundum, & præ tædio velle mundum dimittere cadere, & ideo manus erigunt, & humeros volentes mundum corruentem sustinere, & multum recalcitrant, quando manus & humeros à medicis supprimere compelluntur. Item aliquibus videtur, quod caput non habeāt, vel si putent se habere, illud putant caput esse plumbeum vel asininum, seu aliter monstrosum. Item alii audientes gallos cantare, brachia erigunt, & sese percutiunt, & cantantes se esse gallos credunt, & tandem nimis clamantes, rauci in clamando vel muti fiunt. Item alii in suspicionem pessimam irreuocabiliter incidunt, propter quod amicos odiunt, vituperant & confundunt, imo quandoque percutiunt & occidunt. Has & multas alias mirabiles, incur-

runt melancholiæ passiones: *prout refert Alex. & Gal.* & multi alii auctores, quas quidem longum esset per si-gula enarrare, & hoc quotidie ad oculum experimur, sic nuper accidit, quandam nobilem, ad tantam desipientia melancholiæ vicio deuenisse, quod modis omnibus m-rilegum se putabat, vnde alias quam sublectis vbi cati i-sidiantur, muribus quiescere non valebat, forte tali pœn peccatis suis exigentibus percussa fuit. Nabuchodonoso qui, prout dicitur in historiis, bestiam triformem, scilic leonem, aquilam & bouem septem annorum spacio se p-tabat. Hæc autem de melancholia & de aliis humorib naturalibus, quantum ad hoc pertinet opusculum, dixis nunc sufficiant.

BARTHOLOMÆI ANGLIC de dispositione membrorum, Liber quintus.

Dicto de proprietatibus humorum, restat aliqua dic re de dispositione membrorum, quæ ex prædictis hu moribus componuntur. Et primo de proprietatibus eoru in genere, deinde de singulis in specie dicendum est ali quid, &c.

Cap. I.

De membrorum proprietatibus in generali.

NAm, *vt dicit Auicen.* Membra sunt corporea ex pri ma humorum cõmixtione procreata, *vel vt dic. sup lo.* Membrum est firma pars & solida animalis, ex similibu vel dissimilib. composita, ad aliquod speciale officium de putata, per hoc quod dicitur firma pars, differt membrun à parte, quæ non est firma, vt est spiritus. Per hoc auten quod dicitur ex similibus vel dissimilibus compositum, in sinuatur membrorum duplex diuersitas, simplicium siu consimilium, & compositorum siue officialium. Nam consimilia membra dicuntur & simplicia, quorum parte eiusdem naturæ sunt cum toto, vt, quælibet pars sangui-

nis est

nis est sanguis, & sic de aliis. Et huiusmodi membra scilicet similia, organicis & officialibus membris naturaliter sunt priora, vt puta ea, componentia, sicut principium componens, est composito prius. Organica siue officialia membra dicuntur ex consimilibus generata & statuta, quę ad completionem sensus & motus sunt animæ instrumenta vt manus, pes, oculus & consimilia. Fuit enim necessarium, quod in qualitate & quantitate diuersa essent, vt actio animæ compleretur. Natura enim fecit corporis instrumenta virtuti animæ congruentia, virtutes enim animæ sunt diuersæ, & ideo membrorum diuersitates sunt necessariæ, vt patet in manibus, in quibus sunt multi digiti in quantitate, & in qualitate diuersi, vt per eos possint magna, sicut minima retineri. Cum igitur sit triplex animæ actio, scilicet, animalis, naturalis & spiritualis: sunt membra istis operationibus animæ necessaria. Vnde membra animalem virtutem sequentia dicuntur animata, quæ fuerunt necessaria ad sensum formandum & motum voluntarium in omnib. animalibus, sicut cerebrum, nerui, oculi & alia instrumenta sensuum. Membra vero virtuti vitali obedientia, dicuntur spiritualiter vitalia, quæ facta sunt propter anhelitus & vitalis spiritus attractionem, & caloris mitigationem & vitæ conseruationem, vt cor, pulmo & huiusmodi. Membra autem virtuti naturali deseruientia, dicuntur naturalia & nutritiua, quorum quædam sunt nutritiua, quæ scilicet cibum in membrorum substantiam transmutant: sicut stomachus, epar & huiusmodi. Quædam vero sunt generatiua ad conseruationem speciei, vt scilicet specificarentur generalia & indiuiduarētur specificata. Cum enim omnia indiuidua consumantur, necesse est, vt per vim generatiuam, ne penitus pereant, reparentur, & sic in esse specifico saluentur. Habent autem hæc membra sibi alia deseruientia & adiuuantia, mutuo enim membra sibi inuicem subministrant. Hæc autem membrorum subseruientium vtilitas est multiplex, scilicet præparatoria, purgatoria, defensoria, deportatoria. Prima itaque sunt præparatoria, sicut organa sensuū deseruiunt cerebro, cordi, pulmoni, epati, stomacho, & cætera instrumenta cibabilia. Secunda sunt deportatoria, sicut sunt nerui, qui suscipiunt spiritum animalem à cerebro, & defe-

runt ad singula membra, ad motum & sensum faciendum. Similiter & arteriæ deseruiunt cordi, & venæ epati, nam spiritum suscipiunt arteriæ à corde, & deferunt ad pulsum faciendum, & venæ sanguinem ab epate ad corpus nutriendum. Tertia sunt purgatoria, scilicet ea, quæ expellunt superflua & nociua, sicut foramina narium in capite, & meatus, per quæ cor emittit superfluam fumositatem pulmoni, vt emittatur. Similiter cistis fellis, & splen purgant epar à superfluitatibus cholericis & melancholicis, sicut renes mundificant ab aquosis. Quarta sunt defensoria, sicut duo panniculi, cum cranio defendunt cerebrum a nocumento & læsione, & dicuntur à physicis dura mater, & pia mater. Similiter ossa pectoris defendunt cor, & lacerti & testudines costarum defendunt epar. Inter membra vero spiritualia cor est principalissimum, quia totius vitæ animalis est principium, & caloris naturalis fundamentū. Cuius adiuuatiua sunt pulmo, panniculi, lacerti & arterię, quorum motu aer ad cordis refrigerationem attrahitur, & fumosus calor superfluus ab ipso remouetur, cuius defensiua interius sunt sui panniculi diaphragma, & huiusmodi membrorum naturalium & nutritiuorum principale est epar, in quo sanguis digeritur, vnde corpus nutritur, cuius ministerio vicina sibi membra deputantur. Ex prædictis patet, quod quædam sunt membra principalia, quia aliorum membrorum inferiorum sunt principia & radicalia fundamenta, quædam vero sunt officialia, quæ influentiam virtutis recipiunt à prædictis, & ad conseruationem animalis sibi inuicem administrant. Quædam vero sunt similia, quæ *à Constan.* vocantur, homogenia, id est, simplicia, & hoc ab ὁμο quod est vnum, & μέρος quod est pars, quia vnius generis sunt cum partibus suis. quo ad naturam, quia quælibet pars visibilis carnis, est caro, & quælibet pinguedinis, est pinguedo, & sic de aliis. Recollige igitur ex prædictis, quod membra naturæ artificio ordinata sunt corporis animati perfectiua, sunt etiam influentiæ & virtutis ab anima receptiua. Item quadam mirabili proportione, harmoniaca pariter sunt coniuncta. Nam minora maioribus, & maiora minoribus neruis & aliis ligamentis pariter coaptantur. Item sibi mutuo sunt administrantia, & suarum virtutum & operationum pariter communi-

municatiua. Nam superiora inferioribus administrant influentiam & gubernationem, inferiora superioribus supportationem. Media vero vtrisque impendunt copulam & cooperationem. Oculi enim inferiora membra dirigunt & rectificant, pedes vero & crura pondus aliorum sustentant & supportant, sed manus & brachia, vtraq; adiuuant & defensant. Item membra quamdiu reguntur ab anima sana, permanent ad completionem suæ actionis, & perfectionem corporis sunt vtilia, sed priuata à regimine spirituum residuo corpori sunt nociua. Item membra puræ & imperturbatæ complexionis ad obediẽdum actioni spiritus sunt habiliora. Vnde *dicit Aristot. lib.* 18. quod caput ideo est paruæ carnis, & etiam pinguedinis, propter meliorem sensum & intellectum. Et hoc forsan ideo est, quod spiritus in neruis sensibilibus per carnis grossiciem in suo transitu nimis impeditur. Item tanta est connexio inter membra, quod propter mutuam ad inuicem colligantiam sibi mutuo compatiuntur. Vnde membrum minus compatiens condolet amplius patienti, & ideo si vnum membrum læsum fuerit, ad locum doloris confluunt humores aliorum membrorum, sicut dicitur in aphoris. Dolor membri maior superueniens, dolorem alterius membri denigrat, & eius diminuit sensibilitatem, videlicet in phreneticis, quibus si fortiter brachia ac crura constringuntur dolor capitis diminuitur, quia ad constrictum membrum confluunt spiritus & humores, ex quo superius caput alleuiatur. Item membra quanto sunt nobilioris substantiæ & compositionis, vehementius & citius sentiunt molestiã cuiusque læsionis, vt patet in oculo, qui grauius læditur puluere modico, quam manus vel pes magno vulnere. Et hoc accidit propter oculi nobilitatem, quia in eo spiritus sensibilis plus dominatur. Vnde læsio quantumcunq; modica, in iuncturis membrorũ, in sensibilibus neruis, maxime est nociua, quia per impedimentum talium membrorum potissime & citissime impeditur virtus sensibilis & motiua, & dissoluitur totius corporis harmonia. Item in membrorum procreatione ex errore naturæ aliquando accidit, quod membra fiunt superflua & monstrosa, *sicut dicitur lib. animalium* 17. Quod sæpe sunt visa animalia habentia vnum corpus & multa capita, sicut apparuit ser-

pens vnus, duo habens capita. Nec hoc est mirum, nisi quia rarum, quia vnum ouum aliquando habet duo vitella, quæ tamen ad inuicem vna tela sunt distincta, & hoc accidit propter concursum duorum spermatum, quæ diuerso tempore, tamen propinquo, mutuo se contingunt. Et dicit idem quod ex tali ouo accidit membrum monstrosum, sicut pullus habens vnum corpus & quatuor pedes, & quatuor alas habere est visus. Et *secundum Aristot. ibidem*, hic error monstrosus maxime habet locum in ouibus & in capris, & in animalibus multorum filiorum. Et ideo dicit quod visus est caper habens in cruribus cornua in antiquis temporibus. Ista autem monstrositas in membris superfluis generaliter accidit ex superfluitate materiæ & defectu virtutis informatiuæ, *Vt dicit ibidem in eodem*. Vnde debemus æstimare, quod ista monstrositas in membris accidit ex materia. Quando vero fortis est virtus operatiua, & materia est modica, vel occasione aliqua diminuta, tunc quidem contingit multa apparere membra, sed in omnibus incompleta, quia virtus propter defectum naturæ complere non potest, quod intendit, *sicut dicit idem*, virtus operatiua forte operans, operatur nihil perfecte scilicet vel complete. *August. autem recitat in lib. de Ciuit. Dei cap.* 8. Cenocephalos esse homines monstrosos, capita canina habentes, & vocis loco latratus emittentes, alios autem sine ceruice, oculos habentes in humeris. Narrat insuper idem, quod temporibus suis natus est puer, qui in superioribus membris erat duplex, in inferioribus simplex. Nam duo erant capita & duo pectora, quatuor manus, venter autem vnus & pedes duo, & multa alia recitat ibi Augusti. In quibus omnibus error naturæ designatur. Item inter ipsa membra quo ad dignitatem & ordinem magna differentia est. Nam quædam sunt tribuentia ex se, & aliunde non suscipientia, sicut cor, quod nihil ab aliis suscipit, *secundum Arist.* Et tamen aliis vitam & motum distribuit & diffundit. Et sunt quædam, quæ sunt distribuentia & suscipientia, sicut epar & cerebrum suscipiunt vigorem a corde, & sunt principia virtutũ, quia aliis administrant membris. Sunt etiam membra nec distribuentia nec suscipientia, sed sunt innixa propria virtute, *secundum opinion. medicorum*, sicut sunt membra consimilia. Et sunt membra susci-

ſcipientia & non tribuentia, ſicut ſunt membra inſtru-
entalia, quæ recipiunt à cerebro virtutem ſenſitiue vel
otiue, & quandoque vtriuſque, ſed ſuſceptam virtutem
d alia membra, quantũ eſt de ſe vlterius non diffundunt,
uia oculus non poteſt viſiuam virtutem, quam recipit à
erebro, dare pedibus vel manibus, vel alicui membro, nec
uris audientiam, & ſic de aliis. Et tamen iſta membra
orpori maxime ſunt neceſſaria, quia per officia ſibi ap-
ropriata, ſunt omnium aliorum membrorum corporis
egitiua, niſi forſan in ſuis actionibus fuerint caſu aliquo
mpedita, ſicut quando læſa ſunt vel corrupta. Hoc autem
roprium habent omnia officialia membra, vt pro princi-
alibus membris periculo ſe exponant, vt eſt videre, quod
nanus pro defenſione capitis vel cordis, ſine omni delibe-
atione naturaliter ſe opponit. Item membrum bene ſa-
um etiam membro infirmo ſubuenit, & materiam mor-
i ad ſe attrahendo, purgare vel alleuiare membrum mor-
idum conſueuit: vnde membrum ſanum pro non ſano
æpius læſum fuit. Membrum vero ſi putridum fuerit aut
nortuum, ſibi & toti corpori eſt nociuum. Et ideo non
eſtat, niſi vt abſcindatur, ne corrumpat aut deſtruat to-
um corpus. Et hæc de membris in generali nunc ſuffi-
iant.

Cap. II.

De proprietatibus capitis.

INter membra principalia hominis, primo à proprietati-
bus capitis inchoandum eſt. Eſt autem caput prima pars
& principalis inter omnia membra corporis exteriora,
quo ad ſitum & effectum, obtinens principatum. Eſt au-
tem caput à capiendo dictum, *vt dicit Iſidorus lib.* 11. *cap.* 2.
eo quod omnes ſenſus & nerui inde initium habeant &
capiant, atque ex eo quod omnis vigendi cauſa & ſentien-
di ratio oriatur. In capite enim omnes ſenſus apparent, vn-
de & ipſius animæ quæ conſulit corpori quodammodo
perſonam gerit. *Iſidor.* Eſt igitur caput ſedes ſenſuum prin-
cipium, & origo omnium ſenſuum organicorum, anima-
lis virtutis proprium domicilium, diffundens & tranſmit-
tens ad omnia membra inferiora ſenſum & motũ, habens
ſeptem foramina, quæ ſunt ſenſuum inſtrumenta, & hoc

ſecundum aliquos, ſeptem planetarum orbib. correſpondent. Caput itaque dignius & nobilius eſt omnibus membris, quia regnum & gubernaculum totius corporis, ei influens perfectionem virtutis ad ſuas peragendas ſenſibiles actiones. Et ideo à natura caput ſitum habet in corporis ſummo, vt regat, ordinet & diſponat omnia, quæ ſecũdum naturæ ordinem ſunt ſub ipſo. Sicut enim dicit *Haly. ſuper teg. Gal* Diſpoſitio capitis totius ſcitur ex tribus, ſcilicet ex quantitate eius & figura, & quod eſt ex ipſo, & ex capillis. Nam caput debet eſſe medium & mediocre inter magnum & paruum, & ad alia membra in quantitate proportionatum. Caput enim ſi fuerit nimis paruum eſt illaudabile. Signat enim defectum materiæ & debilitatem virtutis informatiuæ pariliter, ſi fuerit nimis magnum non erit laudabile. Nam ex defectu virtutis operatiuæ & ſuperfluitate materiæ hoc procedit, *vt dicit Haly*. Item figura capitis eſt rotunda, & hoc propter paſſibilitatis & læſionis amotionem & propter receptionem medullæ cerebri ampliorem. Eſt tamen caput oblongum, & circa tempora aliquantulum planum. Nam perfectio boni capitis eſt, quando in rotunditate diſponitur ad ſimilitudinem globi terrei inter manus vel ligna duo compreſſi. Talis n. globus eſt rotundus, & tamen aliquantulum in vtroque latere erit planus. In parte enim anteriori aliquantulum eſt acutũ & eleuatum, & hoc ad retinendum ventriculum cerebri in prora capitis, ex qua procedunt nerui, quinque ſenſus facientes. Simili modo parũ acuitur à parte poſteriori propter receptionem ventriculi in puppi, ex quo procedunt medullæ ſpondybiles, & nerui motum facientes voluntarium. Item ſignum bonitatis capitis eſt, quando perfectæ diſpoſitionis ſunt illa, quæ ex ipſo ſunt & ſibi immediatius coniunguntur, vt ſi collum fuerit forte & mediocriter groſſum, & omnes nerui fortes & magni fuerint & boni motus. Similiter ex capillis de capite procedẽtibus noſcitur caput. Nam ſecundum eorum qualitatem & quantitatem, velocitatem ſiue tarditatem creſcendi, de complexione capitis & interiori eius diſpoſitione iudicatur. Nam ſi capilli multi & criſpi cito naſcentes poſt partum, calorem ſignant capitis & humorem. Et è conuerſo ſicut dicetur inferius de capillis. Capilli enim bene diſpoſiti, quamdiu adhærent capiti ipſum

psum custodiunt, decorant & defendunt, ablati vero & à capite omnino præcisi ipsum turpe reddunt, vt patet in alopecia & in decaluatis. Itē caput ex multis ossibus constituitur, & hoc propter cerebri defectionem. Nam substantia cerebri tenera est & mollis. Et ideo de facili læderetur, nisi per interpositionem cranii & aliorum ossium à læsione extrinseca tueretur. Item caput aliquid habet de carnositate, & hoc fuit necesse ad temperamentum ossium & neruorum, ne forte frigiditate nimia ossium teneritudo cerebri occasionaliter lęderetur. Caput tamen in sua compositione parum habet carnositatis & pinguedinis, respectu aliorum membrorum. Et hoc propter sensus viuacitatem & iuuamentum intellectus. *Aristot. lib.* 12. Item caput quamuis in partium suarum compositione multam videatur habere duritiem & potissime in ossibus, multum tamen interius habet de mollitie & medulla, quia mollitie ipsius cerebri inter ossa capitis inclusi, tota corporis machina irrigatur. Item caput ex sua compositione prima, multum est neruosum, & hoc fuit necesse propter ossiū dissimilium coniunctionem, & etiam propter sensus & voluntarij motus operationem. Nam per neruum medium, anima motum & sensum in corpore operatur, & sine neruo descendente à capite, membrum membro nullatenus copulatur, immo si impediatur virtus effluens à capite per neruorum vitium & corruptelam, totius corporis dissoluitur vnitas & & compago. Item caput totius corporis est caminus, siue tectum, siue cooperculum, & ideo multarum fumositatum ascendentium de toto corpore est in se receptiuum, fecit itaque natura totam substantiam capitis porosam, occulte & manifeste. Occulte, vt per occultos poros, occulte fumositatum superfluitates euacuarentur, Manifeste, vt per emunctoria & foramina manifesta grossiora ne caput læderetur, purgarentur. Item aliquę sunt capitis proprietates quendam defectum naturæ repræsentantes, sicut patet in capitibus monstrosis. Dicit enim *Aristoteles lib.* 12. quod aliquando contingit vnum esse cor in animali, & tamen apparēt duo esse capita, vel plura membra. Et etiam è conuerso aliquando videntur duo esse corda & alia membra: & tamen non est vnum caput, sed hoc totum est monstrosum, & hoc non accidit nisi ex errore naturæ, vel ex super-

ftua materia, vel ex virtute defectiua. *ſicut dicit Ariſt. lib.* 18 vbi dicit, cauſa monſtroſitatis talis non eſt niſi in materia. Et ſequitur. Talis monſtroſitas inuenitur in animalibus generantibus multos filios, ſed in mulieribus raro, niſi in mulieribus Ægypti, quæ multos pariunt filios plus quam in aliis regionibus vel quam aliarũ regionum mulieres, niſi vbi aliæ mulieres mulieribus Ægyptiacis ſunt ſimiles. Item caput, cum ſit radix totius corporis & omnium corporalium virtutum, primum & principale fundamentum, ipſo bene diſpoſito & ordinato omnia, quæ ſibi ſubſunt, in meliori conſiſtentia diſponuntur, & ipſo, verſa vice corrupto & corruptionis ſymptomata patiente, omnia inferiora corporis membra neceſſario patiuntur. Patitur autem caput aliquando ex cauſa intrinſeca, ſicut ex illis paſſionibus, quæ naſcuntur ex ipſo cerebro & adiunctis eius, vt patet in cephaticis, phreneticis, epilepticis & huiuſmodi. Aliquando vero patitur à cauſa extrinſeca, ſicut ex aeris frigidi & calidi, ſiue alias diſtemperati immutatione, ſiue qualicunque alia ratione. Item quãdoque ex aliorum membrorum colligantia & aſſociatione, vt patet. Nam ex ſtomacho humoribus corruptis repleto, fumoſitates reſolutæ ratione vicinitatis cerebrum petunt, & concauitates, ſi quas inueniunt vacuas replentes pelliculas cerebri comprimunt & diſtendunt. Et ſic pungendo, cerebri pelliculis dolorem inferunt & includunt. Item idem accidit ex nimia inanitione & abſtinentia, vt patet in nimis abſtinentibus & vigilantibus. quia, *vt dicit Galenus*, longa vigilia generat dolorem capitis. Item, idem patet ex nimia repletione, ſicut accidit ebrioſis, qui ex vino & ſuperfluo fumo à vino reſoluto, cerebrum petente & pungente, maximas experiuntur capitis paſſiones. Dicit etiam *Conſtantinus*, quod omnis dolor capitis ex ſtomacho alleuiatur, quando ſtomachus exinanitur, augmentatur autem quando ſtomachus repletis cibis in malas qualitates immutatur. *Item ſicut dicit Ariſtotel. lib.* 12. Natura ordinauit in capite ſenſus & inſtrumenta ſenſuum, ſecundum eorum dignitatem, & ſecundum animalis neceſſitatem. Et ideo poſuit oculos in anteriori parte capitis & ſuperiori, quoniam animal debet videre, quod eſt anterius, quia ſenſus viſus ſubtilior eſt & nobilior. Organa autem auditus poſuit natura

in me-

in medio capitis rotundi, quoniam auditus non audit directe sed circumquaque. Sensum vero olfactus posuit natura post oculos, quasi medium inter visum & gustũ, nam ille sensus visu est grossior: gustu vero subtilior, vltimo ponitur lingua, quæ est instrumentum gustus & tactus, quorum operatio est circa substantiam magis grossam. Vnde sensibus sic ordinatis caput est perfectum & totius corporis perfectio & ornamentum. *Et sicut dicit Aristot. ibidem.* Non fuerunt ita bene posita instrumenta sensuum in capitibus quadrupedum & brutorum, quoniam auriculæ talium animalium sunt in parte superiori capitis & apparent ita quod tale animal non est rectum neque eleuati corporis, sed ad terram declinatum. Deuiat etiam quandoque natura, & errat in quibusdam monstrosis hominibus. Qui dicuntur etiam habere, videlicet totum corpus hominis, præter caput. Nam beluinam habent faciem siue caninam, *Vt narrat Solinus.* Similiter errat natura in quibusdam animalibus monstrosis, sicut patet in lamia, quæ secundum glossam super tren. caput virgineum habet corpus beluinum. Et dicitur quando lamiæ volunt aliquem hominem comprehendere, primo muliebri facie ei blandiuntur & secum coire compellunt, vsq; ad defectum, & quando vlterius earum libidini non potest satisfacere, ipsum dilaniant, & tunc eum morsibus interficiunt & manducant.

CAP. III.

De Cerebro.

CErebrum *Vt dicit Constan. in panteg. lib. 2 capit. 11.* Est corpus album, & sine sanguine de spiritu & medulla habens multum. In cellulis tribus est distinctum. Neruorum totius corporis est principium. Infra duas pelliculas scilicet piam matrem & duram est contentum. In summitate capitis tanquam excellentiori loco corporis collocatum. Fuit autem cerebrum naturaliter album, vt similitudinum cuiuslibet corporis esset facile susceptiuum Habuit multum de spiritu, vt multus in eo esset motus. Habuit etiam multum de medulla, vt caloris acumen generatum ex motu temperaretur. Parum vero habuit de sanguine, ne eius colore inficeretur, & sic omne apprehensum rubeum

esse videretur. Ideo etiam fuit sine sanguine humidum, vt cito in naturam sentiendi mutaretur, *Vt dicit Constantin.* Ex tribus autem cellulis est distinctum, quia cerebrũ tres habet concauitates, quæ ventriculi à Physicis nuncupantur. In anteriori cellula siue ventriculo formatur imaginatio, in media ratio, in posteriori memoria & recordatio. Cognominatur autem pars anterior prora, posterior pars puppis vocitatur. Puppis minor est, quia pauci nerui ab eo procedunt. Et est puppis dura, vt nerui motiui motum facilius patiantur. Frigida etiam est & sicca, vt in ea melius fieret retentio, parum habuit de spiritu, vt fieret quietis generatio, parum habuit de medulla, respectu anterioris, vt esset mediocriter dura, & sic formæ impressio diutius in ea teneretur. Prora vero scilicet pars anterior est maior, calidior & liquidior. Maior, vt nerui sensibiles ab eo procedant. Mollis, vt sensibiles nerui ad susceptionem sensus facilius disponantur. Calidior, vt ad suseptionem formæ imaginatiuę aptior redderetur. Liquidior & humidior parum, vt neruus sensibilis facilius moueretur. Cellula vero inter prorã & puppim media, calida est & humida, plus cęteris habens de spiritu & medulla, de spiritu plus vt perfectior fieret in ea per rationem discretio, sicut in aliis membris fit per digestionem puri ab impuro separatio. Multum habuit de spiritu, vt multus fieret motus & multum de medulla, vt temperaretur motus animæ vt sic melius discerneret concepta. In istis tribus cellulis sunt tres operationes principales, quia in prima forma à sensibus apprehensa, in fantasiã siue imaginatione recolligitur. Deinde ad mediam transmissa discernitur, tandem prius iudicium rationis ad ventriculum puppis transmittitur & memoriæ commendatur, fuit autem cerebrum rotundum, vt capacius sit spirituum & ne facile patiatur. Ad defensionem autem cerebri fuerunt necessarii duo panni, qui vocantur matres cerebri, vnus est grossus scilicet dura mater. Hic cranio supponitur, sed in medio cerebro ingrossatur, & ad maiorem fortitudinem solidatur, non tamen immediate cum craneo coniungitur, immo potius suspenditur, & huc atque illuc circa cerebri substantiam dilatatur. Hæc dura mater fuit necessaria, vt piam matrem, quæ ea tenerior est, à duritia cranii defensaret, & vt venas & arterias

cerebri

cerebri colligaret,& etiam si qua essent ibi spacia vacua,illa impleret. Secundus panniculus dicitur pia mater,quæ duræ matri supponitur, quæ mollior est dura matre: vnde substantiam cerebri circumuoluit & per dictas cellulas ab inuicem separat & discernit,nec superfluit pia mater,quia cerebri interius venas recolligit, etiam cerebrum, ne sua liquiditate diffluat,coadunando custodit,cerebrum etiam cooperiens & amplectens ipsum à dura matre defendit. Insuper per venas quas habet cerebrum nutrit, & per arterias quas continet,spiritum ei transfundit. Cerebrum etiam est membrum mouens & regens omnia membra corporis inferiora, singulis sensum largiens atque motum, quo impedito, omnia in corpore impediuntur, & bene se habente omnia, quæ sunt in corpore melius disponuntur. Habet autem cerebrum hoc proprium, quod sentit & sequitur motum lunę, qua crescēte, medulla cerebri crescit, & decrescente, diminuitur in substantia & virtute. Nam tunc seipsum contrahit, & animali spiritui ita libere non obedit,& hoc patet in lunaticis & in epaticis,qui in nouilunio & plenilunio potissime molestantur,& hoc idem est, *quod dicit Aristot. lib.* 12. de signis videlicet bonis & malis cerebri. Cerebrum,inquit,quando nimis exiccatur,vel humectatur, non faciet suum opus. Sed infrigidat corpus & similiter etiam liquefacit ipsum spiritum. Et etiam ideo accidunt infirmitates, & amissio intellectus, & tandem mors. Item animalia nimis magnum cerebrum habentia, sunt multi somni,& hoc forsan accidit propter humiditatem multam, quæ inde resoluta in fumum opilantē meatus cetebri inducit somnum. *Item Aristote. ibidem.* Cerebrum non habet in se sensum tactus, sicut nec sanguis,nec aliæ superfluitates animales, & non est in corporibus omnium animalium,nisi ad saluandum naturam, & quod mirum est cerebrū omnibus corporis partib. sensum tribuit & tamen de se & in se nihil sentit. Item ibid. sentit idē. Omne animal habens sanguinem, habet cerebrum vel aliud membrum conueniens loco eius, sicut animal multipes & sibi simile, & quamuis sit in omni animali sanguinem habente, nihil tamen sanguinis continet in substantia medullæ suæ, *sicut dicit Aristoteles lib.*3. *Item Aristoteles lib.* 16. Cerebrum est frigidum substantialiter & humidum,

midum, & ideo fonti caloris animalis scilicet cordi est oppositum, vt scilicet humectetur & temperetur superfluitas caloris, & siccitatis arteriarum, ex quibus rete cerebri est contextum, nam ex corde procedunt arteriæ, *sicut dicit Haly.* ex quibus componitur rete mirabile, in quo quasi inuoluitur cerebrum, & in illo reti digeritur spiritus animalis, & per ipsum spiritum fit penetratio virtutum cerebri ad alia membra. Et ideo *vt dicit Aristot. ibidem*, cerebrum est primum membrum in creatione animalis post creationem cordis. Galenus tamen dicit, quod cerebrum bene complexionatum debet esse in quatuor qualitatibus temperatum, *sed sicut ibi dicit Haly.* complexio cerebri naturalis magis esse debet frigida & humida, quam sit calida siue sicca, quod fuit necesse ad infrigidationem prædicti retis, & ad mitigationem caloris accidentalis cerebri, qui accidit ex assiduitate sui motus. *Item Aristot. lib* 15. Homo inter omnia animalia suæ quantitatis maximum habet cerebrum, quia cor maximi est caloris: vnde propter caloris dominium & bonitatem complexionis est homo boni intellectus, & intelligentior cunctis animalibus, & nõ possunt infantes longo tempore portare caput rectum propter magnitudinem & ponderositatem, donec à calore cordis mediantibus arteriis à suo pondere alleuietur, bona vero cerebri dispositio sicut & mala per suas cognoscitur actiones. Nam si fuerit substantia cerebri mollis, clara ac peruia, de facili recipit formarum impressiones & sigillationes. Vnde propter velocitatem sigillationis, formarum, rerum, est habens causam bonæ & velocis disciplinæ, quando vero è conuerso est non mollis vel turbida, habens causam durius & tardius recipit impressionẽ vel impressiones. Sed tamen cũ receptæ fuerint, receptas diu seruat, quod est signum siccitatis, sicut flexibilitas & labilitas signum est humiditatis, *vt dicit Haly.* & sic de aliis qualitatibus intelligendum est, verbi gratia. Si quis fuerit solicitus cõsuetudinaliter, mobilis, instabilis, audax, iracundus, calidum cerebrum videtur talis habere, è conuerso se habens frigiditatem prætendit. Si vero fuerit piger, obliuiosus, somnolentus, humidum nimis designat. Et etiam è conuerso si fuerit multum, vigil & memoria tenax designat siccum. Si vero excedens fuerit cum caliditate humiditas,

ditas, multæ fiunt superfluitates, & multæ accidunt capiti infirmitates, nocent autem calida & humida, & potissime meridionalis aer, & confert septentrionalis, adest somnus multus tali, nec potest longo tempore vigilare, & quando dormit, accidit ei subeth, id est, quies falsa, visum habet turbidum & sensus non claros.

Si vero excesserit cum caliditate siccitas, peiora accidunt symptomata, nisi quod tot superfluitates non generantur, sensus siquidem habent tales satis claros & à superfluitatibus mundos, sed plus vigilant quam alii homines, & sunt animosi, vaniloqui, & instabiles, & cito accidit talibus caluicium post adolescentiam, quamuis in eis præcesserint multi crines, similiter si excesserit frigiditas cum siccitate, solēt tales habere claros sensus & mundos meatus à superfluis in iuuentute, & omnino sine infirmitate, sed quando protenditur ætas de leui causa debilitanter & velociter senectus festinat, & apparent cito in capite, quia eis adueniunt cito, cani, & si fortior sit siccitas quam frigiditas, cum canitie efficiuntur calui, si vero fortior fuerit frigiditas, caluities non accedet, quando vero excedit frigiditas cum humiditate, accidit profunditas somni, & sensus eius sunt mali & superfluitates multæ, & si intendatur frigus aut humiditas patiens, incidit in apoplexiam vel in paralysim, vel in mortem, & non accidit habenti hanc dispositionem caluitium, *Vt dicit Galen. in tegn. & in commento dicit idem Haly.* Et hæc de proprietatibus capitis scilicet & cerebri dicta sufficiant.

CAP. IV.

De Caluaria.

CAluaria est anterior pars cranei, ab ossibus carnis sic dicta, propter capillorum defectionem, & neutraliter pronunciatur. *Vnde dicit Isido. lib.* 11. *cap.* 1. sic vertex dicitur superior pars capitis exterius vbi capilli capitis colligantur, & in qua cęsaries vertitur, vnde & nuncupatur, sic occipitium dicitur pars capitis posterior, quasi contra capitium caluaria capillis spoliatur cito propter eius siccitatem, vertex tardius, sed occiput tardissime siue nunquam propter humoris superfluitatem. De capillis autem quære infra eodem.

CAP.

CAP. V.

De Oculis.

OCuli, *vt dicit Isidorus in lib.11.cap.2.* quasi occulti sunt dicti: quia eos ciliorum tegmina occultant, ne qua incidentis iniuriæ offensione lædantur: siue etiam ideo, quia occultum lumen & secretum positum intus habent. Hi autem inter omnes sensus sunt animę magis viciniores. Nam in oculis omne iudicium mentis est. Vnde animæ perturbatio vel hilaritas in oculis apparet, similiter amor vel odium, & cæteræ passiones. Dicuntur & lumina, quia lumen exterius accipiunt, & acceptum communicant & refundunt. Sunt autem oculi instrumenta visus *vt dicit Constant.* Et sunt duo, vt si forte vnus pateretur, eius defectus per alterum suppleretur. Et quoniam oculus est loco speculatoris, ideo locauit natura oculos in eminentiori loco corporis. Sunt autem oculi, decem causæ ipsius substantiam componentes, scilicet septem tunicæ & tres humores. Inter humores vero primus albugineus, secundus crystallinus, tertius vitreus. Septem autem tunicæ sunt septem pelliculæ, siue telæ, quæ circumdant illos humores, & ab inuicem distinguunt, in quibus, vel in quorum medio formatur visus, & sic sunt a natura inuicem ordinatæ, quod quatuor à parte sunt anteriori, quarum prima dicitur tela aranea: secunda vuea: tertia cornea: quarta coniunctiua. Tres vero sunt à parte interiori, scilicet retina, secundina & sclirotica, id est, dura, vt post patebit. Inter hęc autem omnia vnum solum est visus instrumentum, scilicet humor crystallinus, à crystallo sic dictus, quia crystallo in colore assimilatur. Est igitur crystallinus humor, *secundum Constan.* albus, lucidus, clarus, in superficie planus, in medio omnium aliorum collocatus, & hoc ideo, vt ei ab aliis omnib. æqualiter seruiatur. Fuit etiam peruius, clarus, & dyaphanus, vt citius in oppositos colores transferretur, & ad omnium colorum indifferenter similitudinem immutaretur. Fuit etiam rotundus in forma & in substantia, vt non facile læderetur, nec in eius angulis superfluum aliquid colligeretur, vnde casualiter pateretur. Sed ne nimia rotunditate nimis esset mobilis, habuit aliquam planiciem, vt ad moderantiam eius velocitas duceretur.

ceret. Nam omnis res penitus rotunda elisa, in sua latera instabilis est & non firma, *Vt dicit Constan.* quod autem per istum humorem habeat fieri visus, patet per hoc, quod si aliquid inter ipsum & spiritum visibilem includeretur, vt humor, vel aliud accidens, actus videndi auferretur, cum spiritus visibilis ad ipsum penetrare propter obstaculum, non valeret. Oritur autem humor iste à partibus cerebri superioribus puris, peruiis & dyaphanis, & hoc proprie est pupilla siue medius oculi punctus, vbi est proprie vis videndi, vbi nobis propius videntibus relucent quædã imagines, velut in speculo apparentes. Sed de hoc infra dicetur. Hic autem humor in medio aliorum duorum collocatur, scilicet vitrei & albuginei. Vitreus autem humor à parte interiori collocatur. Albugineus vero à parte, scilicet anteriori, collocatur. Vitreus autem humor ad modum vitri purus est & perspicuus, & Arabice dicitur gelados, cuius iuuamen est duplex: primum & principale est, quoniam sanguinem nutriturum, crystallinum humorem suscipit, & dealbat & aptat, & sic facile conuertit in substantiam crystallini. Non enim fuit conueniens, vt tam purissimus humor impurum susciperet nutrimẽtum, quod quidem fieret, si sanguis rubeus, non digestus, non dealbatus, non subtiliatus crystallino humori occasione aliqua se misceret. Aliud etiam est iuuamentum, vt prohibeat humorem crystallinum à contractu & asperitate tunicarum, quæ respectu ipsius duræ sunt plerumq; atque grossę. Similiter vero humor albugineus, qui alio nomine dicitur euagaydos, est à parte anteriori, qui etiam dupliciter iuuat chrystallinum: nam prohibet eius læsionẽ, & in sua humiditate temperat chrystallini siccitatem, cum albugineus sit humor in oculis magis humidus, & crystallidos sit magis siccus. Spissitudine sua etiã aliquantulum spiritum visibilem aggregat & confortat. Istæ tres partes oculi, licet vocentur humores, non tamen secundum veritatem, sunt humores, quia non sunt liquidi & fluxibiles vt humores, sed maiorem longe habent in se humoris densitatem, sunt etiam corpora vegetata, & habentia virtutes innatas, quod alicui humorum non conuenit. Dicuntur tamen humores propter maiorem molliciem & perspicuitatem, quam habent supra cætera membra corporis, &

magis sunt obedientia, quam alia organa, sensibili actioni animalis spiritus & virtuti. Hi tres humores ne pariter commisceantur, tunicis interioribus & exterioribus ab inuicem separantur. Ordinantur igitur istæ septem tunicæ in hunc modum. Nam iuxta crystallinum humorem à parte interiori immediate est tunica, quæ dicitur retina, quæ à venis & arteriis piæ matris est orta & contexta, in modum retis, portãs secum cibum ad vitreum humorem, & cum suis neruis sensum ad crystallinum transmittit, post retinam vero, immediate sequitur tunica secundina, ab ipsa pia matre generata, quæ retinam nutrit & defendit, ne rumpatur casu aliquo aut lædatur. Tertio sequitur tunica quę dicitur sclirotica, id est, valde dura, à dura matre cerebri procedens, à duritia ossis omnia alia defendens, & est quasi ligamentum oculorum. A parte vero anteriori immediate, iuxta crystallinum humorem, est tela aranea, sic propter sui subtilitatem dicta, vt esset spiritui peruia ex subtilioribus partibus retinæ tunicæ generata. Hæc autem tunica posita est inter crystallinum & albugineum humorem, prohibens eos commisceri. Hæc tunica, scilicet aranea, coniuncta cum interiori retina primum facit orbem. Nam hæ duæ tunicæ intra se claudunt humorem crystallinum. Post hanc sequitur tunica vuea, sic dicta, eo quod vuæ nigræ assimilatur in colore, & hoc sano naturæ consilio. Nam omnia prædicta in compositione oculi erant alba & clara, & spiritus visibilis disgregatiua, & ideo necessaria fuit tunica vuea, vt sua nigredine lumen in oculo aggregaret. Nam nigredo est congregatiua visus. Hæc etiam tunica ad modum spongiæ est quodammodo porosa & villosa, neruorum *secundum Constan.* continens fila, vt crystallinum humorem à superflua humiditate depuraret, & spiritum circum[illegible]tibus aliis ministraret. Hæc tunica vuea à parte anteriori cum tunica secundina in parte interiori coniungitur, quæ coniuncta, faciunt secundũ orbem claudentes albugineum humorem, quem illic collocauit natura, vt spiritum clarefaceret & crystallino humori, humiditatis naturam ministraret. Post hanc immediate sequitur tunica, quæ ab effectu dicitur cornea, quia cornu lucido est simillima, vnde & peruia est. Et spiritus visibilis ratione suæ transparentiæ, & ratione aliquantulæ densi-

denſitatis ſuæ eſt aggregationis viſus aliquantulum comparatiua. Ratione enim ſuæ fortitudinis & coadhærentiæ à nocumentis exterioribus eſt interiorum minus fortium defenſiua. Et hæc tunica, quæ dicitur cornea, eſt interiori ſcilicet ſcliroticæ coniuncta, & alium facit orbem. Nam hæ duæ tunicæ, ſcilicet exterior cornea, & interior ſclirotica, vitreum humorem orbiculariter in ſe claudunt. Vltimo autem in ſuperficie oculi exterius ponitur coniunctiua, quæ à cranio deſcendens, non totum tegit oculum, ſed conſiſtit in angulis oculorum eos ſcilicet ligans & retinens, vt in debita maneant fixione.

CAP. VI.

De diſpoſitione oculorum.

AD oculum autem ſic diſpoſitum & perfecte organizatum, defertur ſpiritus viſibilis per hunc modum. A prora enim, id eſt, ab anteriori parte cerebri, exeunt duo nerui concaui, qui dicuntur obtici, qui in ſubſtantia cryſtallini humoris ſe infigunt. Hi duo nerui concaui tranſuerſaliter per modum crucis infiguntur in oculis, & termino ſiue puncto contactus coniunguntur, & hoc ingenioſe fecit natura, vt altero clauſo & impedito, ſpiritus vitalis ad alterum ſe transferat, & ibi perfectius ſuam compleat actionem. Vnde tunc pupilla videndi actu confortatur propter virtutis viſiuæ coadunatiotionem, vt patet in ſagittariis, qui vno oculo clauſo, directius iaculãt & ſagittant. Item ideo etiam pariter connectunt ſpiritus vitales, vt ſcilicet ex mutua ſuſtẽtatione efficiantur fortiores. Item ideo etiam conueniunt in termino contactus, ne vnũ duo videatur, ꝙ etiam fieret, ſi vterq; oculus propriũ idolũ diuiſum videret. Vnde oportet ꝙ virtus viſiua cõtinuetur ad vnũ organũ, in quo fit vna virtus fontalis', deriuata in pupillis, *ſicut dic. auctor perſpectiue*, vt patet in illis, qui digitos oculis ſupponunt, in quibus vna depreſſa pupilla, reliqua eleuatur, vnde & ſpiritus viſibilis diuiditur, & vna res duplex videtur, & hęc eſt cauſa, quia lumen ab vno oculo tendit ſurſum, & ab altero recedit retrorſum, vnde radius ab vtroque oculo exiens, tangens extrema, rei medium, intercidente aere, non penetrat, vnde quaſi duo videt corpora,

cum tamen non sit nisi vnum. Non tamen omnis strabo videt sic, quamuis sint oculi inæquales, quia radius pyramidalis recta linea egreditur ad superficiem rei visæ, *sicut supra dictum est de sensu visus lib.* 4. Oculus igitur bene dispositus consideratur quantum ad perfectam partium suarum compositionem, *vt patet sup.* Item quantum ad situationem, locum enim sibi vendicat superiorem, propter suæ subtilitatis dignitatem, & maximam quam habet cum anima vicinitatem, *vt dicit Isid. & Arist.* Item quantum ad quantitatis debitam proportionem, non enim debet esse nimis prominens & erectus, quia signat perturbationem discretionis, nec nimis profundus, quia signat defectum naturæ & virtutis. Mediocris igitur est laudabilis. dicit tamen *Arist. in lib.* 19. Profundus visus videt à remotis. Nam motus antequam exeat de organo visus, non diuiditur neque consumitur, sed directe vadit radius visibilis ad res visas, *sicut supra patet de visu.* Item consideratur quo ad motus diuersificationem. Nam in motu debet esse mediocris, quia si fuerit oculus nimis mobilis, signat excessum caloris, & prognosticat mentis instabilitatem, & affectionum mutabilitatem. Nimis vero tardus motus, contrariam signat dispositionem, scilicet excessum frigiditatis, & pertinaciam affectus & voluntatis. Mediocritas igitur motus laudabilis est, quia signat facilem mentis apprehensionem, & in apprehensis debitam fixionem. Vnde *dic. Arist. lib.* 12. Clausura oculi debet esse mediocriter festina, quia si fuerit multæ apertionis & paucæ clausuræ, inuerecundia denotatur & stultitia, *sicut dic. lib.* 1. Si vero fuerit nimis tarda apertio, designat defectum virtutis & compactionē materiæ in neruis, quæ actioni spiritus non obedit, vt patet in lethargicis. Item considerantur oculi proprie, quo ad suæ actionis perfectionem, scilicet si fortis est apprehensionis & de facili sine verberatione iudicat de obiectis, bonam dispositionem significat, vt patet in oculis aquilinis, qui solem in sua rota apprehendunt. Actio autem oculi consideratur secundum acutum & obtusum. Nam cuius visus subtilis fuerit & multus remota & propinqua apprehendit, quia multus videt remota, quia vero subtilis est, discernit ipsa visa. Oculus enim parui visus, *sicut dicit Aristot. lib.* 19. non bene videbit a remotis, spiritus

tus vero grossus & multus remota videt, quia multus, sed non perfecte, quia grossus, paucus vero subtilis videt prope & perfecte, sed non videt à longe, propter spiritus visibilis paucitatem, quia cum videt perfecte, videt propter eius subtilitatem. Paucus vero & grossus non videt lõge, & hoc propter sui paucitatem, neq; etiam videt perfecte propter sui grossitudinem. Secundum vero quod quis habet spiritum visibilem magis grossum & turbidum, tanto difficilior est, & debiliorem habet actum videndi. Item consideratur oculus secundum coloris variationem, *quia secundum Aristot. lib.* 19. Oculi in principio generationis habent viridem colorem, deinde mutantur in nigredinem vel glaucitatem, vel quemcunque medium colorem eos condecentem. Nam si fuerit humor multus, & spiritus visibilis paucus, in aliquo accidente perturbatus, color niger in eo fortificatur: si vero fuerit humor paucus & spiritus visibilis, debilis erit color glaucus. Nã *sicut dic. Ari.* Glaucitas quidem oculorum motus debilitatis est. Si autem fuerit humor mediocris, & spiritus fuerit temperatus, ex causis conuenientibus ad albedinem & nigredinem color erit varius. Oculi igitur si fuerint nigri, de die erunt visus acuti, propter luminis & humoris in organo visus aggregationem, de nocte vero erunt obtusi, quia lumen noctis est debile, & humor nocturnus naturaliter est grauioris motus, *Vt dic. Aristote.* Oculus vero glaucus è contrario de die debilis est: de nocte vero fortis, quia cum materia glaucitatis ex se sit lucida, adiuncta luci diurnæ multum disgregat, & ideo in actum videndi manente luce spiritus visibilis debilitatur, de nocte vero spiritu visibili in oculo coadunato, claritate intra humorem paucum contenta nondum recedente permanet in oculo potentia videndi, & inter obscura aliqualiter iudicandi, vt patet in murilegis. Item consideratur per partium circumstantium dispositionem, sicut ex ciliis & superciliis, quia si fuerint cilia coopertoria intus carnosa, & humore superfluo repleta, visum impediunt, quia huiusmodi cilia aerem grossum propter paruitatem sui, motus non intercidunt, *dicitur etiam lib.* 1. Si lacrymulæ, quod sequitur ad angulum oculi fuerit multæ carnositatis, sicut accidit oculis milui, signatur astutia & formatio mala. Alias proprietates ocu-

li, quære supra in tractatu de sensu visus. Et hæc de oculi compositione & effectu dicta sufficiant.

Cap. VII.

De Pupilla.

PVpilla *secundum Isid. lib. 12. ca. 2.* est medius punctus oculi, vbi est vis videndi, in qua, quia paruæ imagines videntur, pupilla appellatur, paruuli enim pupilli appellantur. Vocatur autem pupilla, eo quod pura sit, & impolluta, vt puella. Dicunt autem Physici easdem pupillas, quas videmus in oculis, per triduum morituros non habere, quibus non visis certa desperatio est. Habet autem circa se quendam circulum, qui corona dicitur, quo discernente per nigredinem albæ partes oculi, à pupilla separantur. Hæc corona rotunditate sui ornat ambitum pupillæ & in ipsa consistit maxima oculi pulchritudo. *Huc vsq; Isidor.* Sicut autem *dicit Haly.* pupilla est in qua formantur imagines eorum, quæ videntur in oculo. Omnia autem quæ sunt in oculo ex tunicis & humoribus, aut sunt iuuantia pupillam aut ei seruientia, & ideo sedet in medio omnium vt regina. Parua siquidem est pupilla in quantitate, maxima tamen est inter omnia membra in virtute, & ideo maxima, sicut & minima comprehendit interius à spiritu de cerebro veniente, exterius vero à lumine immutatur. Vnde mediāte luce, rei obiectæ speciē in se recipit, & receptam animæ iudicio transmittit. Nam à singulis partibus rei visæ confluunt lineæ, quæ faciunt pyramidem, cuius conus est in pupilla, & basis in re visa. *sicut supra de visu est ostensum.* Quære ibi. Hæc pupilla omnium colorum & figurarum rerum superficiem exprimentium est distinctiua & diiudicatiua. In mediis coloribus & figuris siue formis delectatur. Corrumpitur autem in extremis aut saltem propter disconuenientiam contristatur, *vt dicit Philosophus.* Item omnia quæ extra ipsam sibi sunt obiecta videt & diiudicat, seipsam autem nūquam videt per lineas rectas, super quas venit species rei visæ ad visum. Sed quando se videt, hoc accidit per radiorum reflexionem, scilicet quādo primo multiplicatur species rei a se visæ ad speculum, & à speculo fit reflexio ad visum, *sicut dicit auctor perspectiue.* Et ideo forsan spiritus visibilis in aspectu speculi delectatur, quia per

radio-

radiorum reflexionem quasi in se reuersus fortificatur, & quodammodo roboratur. Item pupilla omnia sub angulo comprehendit, quia siue radii à pupilla exeant ad rem visam, siue re visa ad pupillam redeant, semper in pupillæ medio siue centro, tanquam in cono angulariter vniuntur. Nam angulus duarum linearum alterius est contactus, & ideo quia omnes lineæ per quas formatur visus, vniuntur, & quasi angulantur in pupillæ cono, & ideo bene & & proprie dicitur à philosopho, quod oculus omnia videt sub angulo. Item inter omnes partes corporis est maxime sensibilis, & propter nobilitatem suæ complexionis maxime est passibilis. Et ideo citissime læditur, sed difficillime reparatur. Et ideo dedit ei natura defendendi tunicas & coopertoria, vt sic resistat facilius causis interius vel exterius inferentibus læsionem. De his autem oculi & pupillæ passionibus, quære infra in tractatu speciali, lib. 7.

CAP. VIII.

De Ciliis.

Cilia sunt oculorum tegmina, à celando sic dicta, eo quod oculos tegant & celent tuta custodia, *vt dicit Isidorus lib.* 11. *cap.* 2. Sunt autem cilia in substantia neruosa & tenuia propter facilitatem motus, quia suo motu continuo aerem intercidunt, & sic à læsione aeris exterius custodiunt oculos & defendunt. Hæc cilia palpebræ dicuntur, quia palpitando semper mouentur, assidue enim ad inuicem concurrunt, vt assiduo motu reficiant obtuitum, *vt dicit Constantinus & Isidorus* sunt minutæ palpebræ villis pilorũ, vt apertis oculis si quid inciderit vel etiã occurrerit, repellatur, & inuolutis ipsis securius & quietius dormiatur. Item vt aerem mediocriter intercidẽdo mitificent, & sic visum serenum custodiant & conseruent. *Huc vsque Isidorus cap. 2. supradicto.* Secundum Constantinum autem palpebræ habent pilos non omnino rectos, sed in extremitatibus mediocriter reflexos, & hoc adinuenit natura, vt habilius se claudant & fortius, si quid impedimentum occurreret ei efficacius obuiarent. Itẽ hæc cilia in crescendo determinatã habent quantitatem à natura, & ideo eorum pili non se extendunt nec crescunt, vt capilli, sed determinatam proportionem habent. Et ideo *secundum Constant.*

palpebræ non sunt molles nec porosæ, sed potius duræ, vt pili crescentes sint duri & reflexi, & non nimis in crescendo se extendant, sicut herba crescens in terra dura modica fit & erecta, & nõ illa, quæ in terra molli. Has palpebras & cilia fecit natura vt essent corpori ornamenta & oculis iuuamenta. Vnde *dicit Aristoteles lib.* 12. quod omne animal generans solum, habet pilos in palpebris, & omne animal quadrupes claudit oculum per palpebram superiorem. Auis autem habet loco palpebræ quoddam coopertorium ad custodiam sensus visus, & claudit oculum per telã quandam appropriatam extremitatibus oculorum, & quia natura oculi est aquea & humida, ideo indiget tali custodia. Item omnis auis claudit oculum palpebra inferiori. Item omne animal carens palpebris est debilis visus, vt patet in piscibus, leporibus, & huiusmodi, *vt dicit Aristoteles libro quarto &c.*

CAP. IX.

De superciliorum proprietatibus.

SVpercilia sunt dicta eo, quod ciliis sunt supra posita, quæ ideo pilorum multitudine sunt vestita, vt sint oculis iuuamenta ad depellendum humorem vel sudorem de capite influentem. Intercilium vero est illud medium spacium, quod est inter supercilia sine pilis *vt dicit Isid. lib.* 11. Sunt autem supercilia ciliorum iuuamenta *secundum Constantinum* ne quid nociuum extrinsecus aduenıat prohibentia sunt & honestantia, quia nullus sine eorum præsentia decoratur. Habent autem supercilia quandam vim latentem passionum animæ indicatiuam *secundum Arist.* quia cum fuerint supercilia recta sicut lineæ prætendunt fœmineam mollitiem vel animæ leuitatem. Item supercilia demissa & nimis pressa vel depressa signant inuidum, *sicut dicit Aristot. libr.* 1. Item supercilia eleuata & in pilis spissa animositatem prætendunt, depauperata vero à pilis & oblonga, timiditatem. Item si fuerint spissa & longi pili visum quodammodo obumbratiua excessum caloris signant. Item si fuerint multæ carnis & paucæ pilositatis sensum durum signant & obtusum, & frigiditatẽ in membris principalibus dominantem. Item si fuerint pilis spoliata aut interiorem signant sanguinis corruptionem, vt

patet

patet in leprosis, aut naturalis humoris consumptionem, vt in hecticis & similibus: aut meatuum & viarum humorum opilationem, vt patet *in castratis*. Et dicuntur crescere circa senectutem in tantum, quod visum impediunt nisi rescindantur, *Vt dicit Aristotel. lib.* 3. Item dicit idem *lib.* 3. in frequentantibus coitum nimis cadunt pili superciliorum vel albescunt, quod quidem accidit propter humiditatis consumptionem, & propter defectum virtutis, & propter frigiditatis cerebri augmentationem. Nam nimia siccitas caluitiem generat, superabundans vero frigiditas canitiem introducit, sicut supra dictum est.

CAP. X.

De Fronte.

FRons ab oculorum foraminibus est nominata, *Vt dicit Isidorus*. Hæc enim quandam animi imaginationem, & indicium mentis sua specie exprimit, dum læta vel tristis est. Secundum autem veritatem essentialem frons est, *Vt dicit Constantinus* os semicirculare nec multum durum, nec multum molle, quod ideo fuit necessarium, vt esset temperamentum, ne læderetur vicinitas oculorum, pelle autem extrinseca tuta est ad sui defensionem, ad aliorum organorum sensibilium continuationem, & ad totius capitis decorationem, totius enim animalis virtuositas potissime in fronte lucet, frons enim, *Vt dicit philosophus*, sedes est verecundiæ & honoris, & hoc quidem est propter vicinitatem imaginatiuæ virtutis, cuius virtute tristia, vel læta, decentia vel indecentia rationis iudicio subito deferuntur, vbi vtique discernuntur. Frons itaq; omnium neruorum à cerebro descendentium ad sensum perficiendum quodammodo turris est & defensaculum, infra cuius concauitatem descendunt nerui ad omnia instrumenta sensuum inferiorum, quo ministerio de omnibus obiectis sensuum apud rationis domicilium fit iudicium. *Vnde secundum Gregorium*. Frons est dignissima pars capitis exterioris, vbi imprimitur characteris signum, scilicet signum iustitiæ & salutis, vt signaculum crucis, quod quondam erat supplicium, modo locum habet in frōtibus imperatorum. Frons igitur bene disposita omnia prædicta manifestat; sed si fuerit à mediocritate degenerans, alia *secundū Philosophum*

losophum prognosticat & figurat. Dicit enim *Aristot. lib.* 1. quando frons si fuerit magna, signat ponderositatem declinantem ad stulticiam, & quando fit inter mediocritatem parua, signat bonitatem virtutis. Sed quando nimis eleuatur, & quasi in superficie rotundatur, excessum signat cholerę, & tales sæpe dispositi sunt ad cholericas passiones, sicut ad phrenesim & furorem, frons autem respectu aliorum membrorum faciei, modicæ est carnositatis & pinguedinis, cuius causa est *secundum Haly. & Aristotelem*, quia carnositatis & pinguedinis superfluitas impedit intellectum. Et ideo nimia carnositas in fronte cum quadam relucentia & extensione cutis signum est corruptionis, vt patet hoc in leprosis. Item nimia frontis attenuatio & superficialis pellis corrugatio interiorem designat cerebri defectum, & humoris substantialis finalem consumptionē, vt patet in antiquis senio vel morbo longissimo tempore inanitis.

CAP. XI.

De Temporibus.

TEmpus vel tempora dicuntur illa capitis membra ad dexteram sinistramque capitis adiacentia, quæ sic dicũtur, quia sui mobilitate continua quasi interuallis temporum immutantur, *Vt dicit Isid. lib.* 11. *cap.* 2. Sunt autem tempora *secundum Constantinum*, ossa vtrimque posita, in lateribus oculorum constituta, quæ quidem aliquantulum sunt mollia & neruosa, & hoc fuit necessarium propter sensum & motum oculorum perficiendum. Nam per tempora, ad instrumenta sensuum mediantibus neruis spiritus animalis defertur, & per eadem *secundum anatomiam*, spiritus vitalis per quasdam arterias à corde ad cerebrum demandatur. Vnde propter neruorum sensibilium & propter arteriarum venarumque pulsatilium in loco temporum colligantiam, tempora sunt passibilia & faciliora ad læsionem, vnde animal percussum in loco temporum de facili moritur: Quia *sicut dicit Aristoteles libr.* 19. Percussio quæ cadit super ossa tēporum mortalis est, quia si in eis contingit vulnus, animal periclitatur. Et hoc accidit quia humor, qui est in temporibus, cito exit propter tenuitatem ossium, & tempora citius canescunt propter humoris

moris paucitatem & ſiccitatem in eis dominantē, & propter conuertibilitatem ad naturam frigiditatis. Item tempora interius villoſa ſunt aliquantulum, vnde humorem à cerebro venientem recipiunt & ſomnū oculis inducunt. Et ſi illi villi fuerint compreſſi per eliquationem contenti humoris oculos lacrymare faciunt,

Cap. XII.

De Auribus.

AVris eſt inſtrumentum auditus, & eſt dicta auris, à vocibus hauriendis, aut quia Græci ipſam vocē audenſidem vocant, vnde dicuntur aures quaſi audes, vox enim repercuſſa per earum anfractus ſonum facit, quo ſenſum excipiunt audiēdi. Summa auris particula dicitur pinnula, pinum enim antiqui acutum vocant. *Hæc Iſidor.* Eſt autem auris proprie quædam ſubſtantia cartilaginea, quæ duabus cauſis fuit neceſſaria, defendit n. ne quid nociuum in auditum cadat, ſicut oculos defendunt cilia, præterea auditū adiuuant. Nam vox percuſſi aeris cum venerit ad cartilaginem ibi fortiter coadunatūr, vnde intrat foramina, quę ſunt auditus propria inſtrumenta. Sunt autem hæc foramina in petroſo oſſe conſtituta, in quibus nerui deſcendentes à cerebro ſunt infixi, ſenſum & motum auribus deferentes & immutationem vocis à foraminibus receptam iudicio animæ deferentes, & ſunt hæc foramina, ſicut torcular, tranſuerſa, & hoc, ne frigidus aer nimis cito intret, & interiores panniculos ſiue neruos lædat, & ne aliquid nociuum incidat quod auditus impediat inſtrumentum, *Vt dicitur in panteg. lib.* 4. *cap.* 15. patitur auris multipliciter: quia aliquando ex apoſtemate in aure exiſtente, vnde & ſanies egreditur ab aure. Item ex vermibus foramen ab extrinſeco intrantibus, vel ex putridis humoribus intrinſecus naſcentibus, quorū ſignum eſt prurigo intra auriculas & titillatio, & ſentitur eorū motio. Item ex ſuperflua carne atq; verruca patitur auricula, quando mali humores in ea adunantur. Item patitur ex mala diſpoſitione nerui aurem ingredientis, ſicut patet in ſonitu & tinnitu & huiuſmodi, quæ contingunt ex ventoſitate in panniculis cerebri ſe claudente, in parte nerui auricularis. Item patitur ex groſſis humoribus illic ſe mouentibus, & tunc ſentitur graui-

tas

tas capitis, cum ſonitu & tinnitu. Item deficit auditus ex defectu virtutis audibilis, vel ex contractione nerui ſenſilis, ſicut in ſenibus contingere conſueuit. Item aliquando fit ſurditas, cum puer procreatur in vtero, quando natura negligit inſtrumentum auditus perforare, & hoc eſt propter ſui defectionem vel propter materiam, quam inuenit ſibi natura inobedientem. Item patitur ex acuta ægritudine cum cholerici humores ad cerebrum aſcendentes auditum impediunt, hos adiuuat ſi per digeſtionē cholera purgetur: vnde *dicitur in aphoriſ.* ſurdis ſi ſolutio cholerica ſuperuenerit, ſurditatem tollit. *Huc vſq; Conſtant.* Item dicit *Ariſt. lib.* 12. inſtrumentum auditus plenum eſt ſpiritu naturali, quia ſicut ſpiritus naturaliter facit in venis motum pulſatilem, ſic in aure facit virtutē auditus, & propter hoc addiſcuntur res per ſenſum auditus. Et dicitur ibi quod creatio aurium fuit manifeſta tela, & continens fuit tenuis & hoc propter ſubtilitatem auditus ipſius. Debilitatur autem auditus temporibus humidæ complexionis & præcipue in frequenter coeuntibus, & hoc propter perturbationem ſpirituum, qui perficiunt auditum. Nam *vt dicit idem Ariſtoteles* frequens nimis coitus corpori & cordi nocet, *idem dicit Haly.* Item *ſecundum Ariſtotelem lib.* 12. In rationali animali aures ponuntur naturaliter in medio capitis rotundi, quia auris non in vna parte recte, ſed potius vndique vocum & ſonorum differentias comprehendit, in animalibus vero quadrupedibus, quæ caput habent inclinatum ad terram & non ſunt eleuati corporis, ſunt aures in ſuperiori parte capitis, vt patet in bobus, aſinis & equis, & motus auricularum huiuſmodi animaliū ſunt multi propter eleuationes ſui loci, & quia multum mouentur in partes diuerſas, recipiunt ſonum repercuſſione multa. *Item idem Ariſtoteles ibidem* nullum animal ouans habet auriculas expreſſas, nihilo minus tamen habent talia animalia quaſdam vias occultas, & etiam volatilia carent auribus exterioribus, habent tamen foramen medium, & viam apertā, per quam auditus perfectiſſime celebratur. Item homo inter omnia animalia habet aures minus mobiles, & etiam ſecundum dimenſionem ſitus breuiores, ſed ad audiendum maxime ſunt efficaces, *vt dicitur libr.* 1 & hoc eſt propter bonitatem complexionis, vnde quando nimis eſt

excessus in auribus hominis, in magnitudine, aliis signis concurrentibus signum est stoliditatis & tarditatis intellectus, *vt dicit Arist.*

Cap. XIII.

De Naso.

NAsus est instrumentum olfactus *secundum Isidorum*, à naribus autem dicitur nasus. Nares autem ideo sic vocantur, quia per eas odorifera & spiritualia quasi odoremus, & inter fœtidum & odoriferum discernamus: vnde quia odorifera nobis per eas manant, nares dicuntur, sicut per contrarium inscii, & rudes ac inexperti, ignari, quasi sine nare dicti. Nasus autē duo habet foramina, *secundum Constantinum*, quæ per quandam substantiam cartilaginosam ad inuicem sunt distincta. Et horum foraminū vnum ad concauitatem palati tendit, alterum superius ad pelliculas cerebri vadit, vt aerem attrahat cerebro, & deferat ipsis naribus spiritum animalē & ad sensum odoratus perficiendum adducat. Primum foramen fuit necessarium ad eiiciendas superfluitates à cerebro venientes, aliud ad spiritum attrahendum, & odoratum perficiendum. Sunt tamen propria instrumenta odoratus duæ carunculæ quæ dependent à naribus per modum mammillarū, quæ primo aerem attractum in se recipiunt. Deinde ad interiorem partem cerebri transmittunt. Istis autem carunculis subseruiunt nares exteriores, aerem scilicet attrahendo, & intra se includendo & subtiliando, vt tanto facilius & perfectius immutetur in organis odoratus: Neruus enim à cerebro veniens, illa duo vbera nasi subintrat & eis animalem spiritum administrat, *vt dicit Constantinus*. Fumus igitur mediante aere, per nasum attractus spiritui animali se associat, qui immutatus illam immutationem in cerebro animæ iudicio repræsentat. Nasus igitur *secundum Constan.* fuit necessarius ad aerem temperate attrahendum, ad cerebrum per sua emunctoria expurgandum, ad calorem innatum in ventriculis cerebri temperādum, nec non ad discernendum fumum à quacunque substantia resolutum, redolent suauiturē ac fœtentē. Et ideo *secun. Ari. li.* 12 sensus olfactus est diuisus, sicut sensus auditus, & si ita non esset, non faceret opus proportionatum & sensus, olfactus non

esset, nisi propter attractionem aeris in animali habente nasum. Et hoc membrum, scil. nasus in medio est, scil. anteriori parte capitis. Et propter hoc posuit natura nasum in medio trium instrumentorum sensibilium, quasi trutinam positam, propter motum anhelitus aliis sensib. necessariũ. Recollige igitur breuiter ex prędictis, quod nasus est membrum siue organũ officiale aeris attractiuum, & emissiuũ, inter odores discretiuũ, grossarum superfluitatum cerebri purgatiuum, spiritui animali ministratiuũ, per attractionẽ aeris pulmonis dilatatiuũ & cõstrictiuũ. Et ideo *sec. Const.* nares positæ sunt ex transuerso, & non ex opposito pulmoni, vt si frigidus aer quandoq; subeat pulmonem, subito nõ lędat, si quid cum aere sicut puluis vel quodcunq; aliud intrauerit, pulmoni obesse non possit. Est etiam nasus, *vt dic. Greg. super cant.* faciei maximum ornamentum, ita quod eius carentia tota facies residua dehonestatur. Debet autẽ dispositio nasi esse mediocris, ita quod in longitudine, latitudine, altitudine, modum debitum non excedat. Nam si nares fuerint nimis tenues vel latæ, multi aeris attractione ferocitatem animæ prætendunt, & mentẽ indignãtem. Ex dispositionibus n. membrorũ corporis sumuntur prognostica iudicia de affectionib. mẽtis, sicut dicitur in principio physiognomiæ. Nam accidentia mentis sæpe immutantur secundum accidentia corporis, sicut vinum albũ ex vitro rubeo, quando infunditur, colorẽ contrahit & ruborem. Et ideo mediocritas dispositionis mediocritatẽ designat bonitatis, *sicut dic. phil. in li. suo in prin.* Impeditur autem nasus in suo effectu, *sicut dic. Gale. super prog. ibi.* Nares acuti, oculi concaui, &c. propter vehementiam caloris humiditatẽ consumentis: vnde & acuuntur nares, & profundantur oculi in acutis, & est signum mortis, & accidit idem naribus, *sicut dic. Gal.* quando calor naturalis est debilis, qui non potest se expandere ad extrema, & ideo consequitur, quod spiritus & sanguis non concurrunt ad extrema. Et ideo propter frigiditatem mortificantẽ constringuntur membra & cor alteratur, & accidit acumen nariũ, quod est signum pessimum & mortiferum in patientib. acutã. Item impeditur nasus, *vt dic. Const. lib. 9. ca. 15.* aliquando ex mala cerebri dispositione, aliquando ex nerui odorabilis opilatione, aliquãdo ex humorum fœtidorum & corruptorum

in carunculis narium repletione, quãdoq; ex carnis superfluæ corruptæ in foraminibus nasi generatione, vt patet in polipofis & leprosis, & hæc læsio non solũ lædit olfactum, verumetiam facit minorationem vocis. Aliquando patitur ex nimio fluxu humoris in ventriculis cerebri defluentis, & hoc vel ex caloris dissolutione, vel ex frigiditatis nimia constrictione, sicut patet sæpius in catharro. Aliquando ex nimia repletione & acumine sanguinis, ora venarũ nasi aperientis. Vnde de naribus fluit sanguis, tamen fluxus maxime per nares in multis ægritudinibus causa est dissolutionis morbi, & certum iudicium conualescentiæ & salutis: vt patet in acutis febribus, quæ per fluxũ sanguinis narium sæpius terminantur. *Et in apho. dic.* Mulieri deficientibus menstruis sanguinem ex naribus fluere est bonum.

CAP. XIIII.

De Genis.

GEnæ sunt inferiores oculorum partes, vnde barbæ inchoantur, *vt dic. Isid. li* 11. *c.* 12. *γένος* n. græce barba dicitur, eædem enim partes dicuntur maxillæ, quæ per diminutionem à malis sunt dictæ, malæ autem sic eminẽtes, dicuntur oculi partes ab eorũ protectione suppositæ, vocatæ autẽ sunt malæ, siue quia in rotunditatẽ prominent infra oculos, quã Græci mala appellant, siue quia sunt supra maxillas, vnde & à malis diminutiue dicuntur maxillæ, sicut à palo paxillus, *vt dic. Isi.* Sunt autẽ maxillæ siue genæ *secun. Const.* ex neruis & ossib. interius cõpositæ, & harũ ossa cranio cerebri sunt coniuncta. Quæ ideo de variis & multis frustulis composita sunt, ne alia læderentur, si vnũ aliquid pateretur. Exterius autẽ sunt calidæ & carnosę, vt frigiditatem ossium & cartilaginũ aurium & nariũ temperarent, vt organis sensibilib. sibi vndiq; adiacẽtibus, suo calore fomẽtum administrarent. Et ideo maxillę oculis supponũtur ad eorum protectionẽ. In medio sensuum sunt positę propter nutrimenti administrationẽ, calidæ sunt & neruosæ ꝓpter frigiditatis instrumẽtorũ sensuũ mitigationẽ. Cãdidę sunt & rubicũdæ ꝓpter ornatũ faciei & vultus compositionem. Maxima n. pulchritudo hominis resultat in genis & maxillis, maxime sicut *dι. Const.* maxillæ potissime hominis ostẽdunt cõplexiones, quæ si fuerint multũ rubicundæ, mixtæ

cum

cum temperata albedine, & in substãtia non nimis crassę, sed mediocriter carnosæ, calidam & humidam prætendunt complexionem, & ipsius temperamentum. Si vero fuerint in colore albidæ sine alicuius rubedinis admixtione, & in substantia pingues, molles, & fluidæ frigiditatis & humiditatis ostẽdunt excessum; si vero fuscæ in colore aut citrinæ, in substantia autem tenues & macilentæ, dominium designant siccitatis nimiæ & caloris, vt patet in cholericis. Si vero fuerint quasi liuidæ in colore, & in sustantia à carnibus depauperatæ, excessum signant frigiditatis & siccitatis, sicut in melancholicis videri potest, nec solum declarant complexionum diuersitatem, verum etiam animi & affectionũ notificant qualitatem. Nam secundum animi affectiones, ex subito timore vel gaudio pallescunt, vel rubescunt subito, *Vt dicit Constantinus.*

Cap XV.

De Barba.

Barba *Vt dicit Constant.* faciei viri est ornamentum; vnde apparens, & cooperiens maxillas, in vna parte est ad ornamentum, in alia ad maxillarum adiutorium siue famulatum. Nam sua villositate neruos maxillares tuetur à nimia aeris frigiditate, & ideo maxillarũ est necessarium tegimẽtum. Barba vigoris & caloris naturalis est indicium. Et hæc est causa quare vir & non mulier barbescit, quia masculi fœminis naturaliter sunt calidiores, & ideo in maribus fumus qui pilorum est materia magis augmentatur, quem, quia natura non sufficiebat consumere, expulit per duo loca, scilicet per caput & per barbam: vnde accidit aliquando in mulieribus calidæ & humidæ complexionis, quod videntur barbescere. Et è contrario fit in masculis frigidis & siccis, quod barbescunt parum: vnde & in eunuchis non crescit barba quia perdiderunt illa membra calidiora, quæ calidis humoris & fumi, qui pilorũ est materia sunt generatiua. Ex quo patet quod barbæ spissitudo, caloris & humoris substantialis ac vigoris est indicium, & differentiæ sexuum certum experimentum. Item in pueris non crescit barba, quamuis paruuli calidi sint & humidi, quia fumosa superfluitas, quæ pilorum & capillorum est materia, transit in augmentum & nutrimentum puerorum.

rum. *Hucusq; Constan. secundum vero Arist. lib. 19.* pili barbæ, sicut & capilli in sua dispositione repræsentant qualitates vaporis, ex quo generantur, quoniam si fuerit humor calidus, fumosus & siccus, erunt pili barbæ sicut capilli crispi, reflexi & inuoluti. Et hoc accidit, quia per duas vias vadunt contrarias, quia pars terrestris mouetur ad partes inferiores, & calor mouetur ad partes superiores, & sic inuoluuntur pili, & erunt pili crispi propter debilitatẽ suam. Et hoc accidit propter paucitatem humiditatis, & multitudinem partis terrestris, vnde ex intenso calore corrugã-tur & inuoluuntur. Si vero fuerit vapor multum humidus, erunt pili lenes & longi. Nam humor decurrit lubrificando, donec perueniat ad pilos, & propter hoc, pili & barbæ eorum qui morantur in Thracia sunt lenes. Nam eorum complexio est humida, & aer continens eos est humidus. E contrario accidit in hominibus cerebrum siccũ habentibus, & habitantibus in regionibus calidis propter siccitatem aeris continentis. Item alteratur color pilorum barbæ secundum ætatis varietatem, & ideo canescit barba in senectute, propter debilitatem caloris & abundantiam frigiditatis, defluunt autem quandoque pili barbæ propter caloris & humoris interceptionem, vt in castratis, quandoque ex corruptione humoris, vt patet in leprosis. Nam, *sicut idem dicit Arist.* Casus pilorum similis est fluxui foliorum arborum, & causa istius est diminutio humoris calidi & pinguis. Et ideo non fluunt folia arborum in quibus est humor pinguis. *Hucusque Arist. lib. 19.*

CAP. XVI

De Mandibulis.

MAndibulę à manducando sunt dictæ, *vt dic. Isid. lib. 11.* Mandibularum autem quædam est superior, in qua dentes superiores infiguntur, quædam inferior, in qua dentes inferiores radicantur. Et est proprium mandibulæ superioris, quod in omni animali fixa est & immobilis excepto centeaculo, id est, crocodilo, qui mouet mandibulam superiorem contra naturam omnium animalium, & fixam & immobilem tenet inferiorem, *vt dicit Arist. lib. 3.* Sunt autem mandibulæ ex diuersis & duris ossibus com-

positæ, neruis & lacertis variis connexæ. Et hoc fuit necessarium propter motus continuitatem, & apertionis clausuræ necessitatem, *Vt dicit Constan.* Sunt enim quasi duæ molæ continuæ ad conterendum & molendum cibum se mouentes, vnde toti corpori nutrimentum mandibulæ subministrant. Mandibulæ autem quibusdam particulis carnosis & neruosis, quæ gingiuæ dicuntur, circumdantur vndique & velantur, & hoc propter fortiorem dentium in maxillarum fundamentis radicationem, & propter nutrimenti neruis dentium administrationem & frigiditatis dentium moderationem. Et dicuntur gingiuæ, *Vt dicit Isidor.* à dentibus gignendis, quia in eis dentes gignuntur & nutriuntur. Factæ enim sunt ad decorem dentium pariter & necessitatem, ne nudi horrori potius existerent quàm decori pelliculis labiorum circumdantur, quod fecit natura, vt tam dentes quam maxillas nō solum intrinsecus iuuarent, verum à læsione extrinseca defensarent, contingit gingiuas corrumpi in animalibus aliquando ex negligentia, & quandoque ex putridis humoribus infici & corrumpi, & tunc diuersas inferunt molestias & passiones, vt fœtorem dentium casum vel relaxationem.

Cap. XVII.

De Labiis.

LAbia, *secundum Isid.* à labendo sunt dicta, quod autem superius est, labium dicitur, quod vero inferius est, labrum nuncupatur. Sunt autem labia necessaria, *secundum Constan.* quia dentes muniunt atque tegunt. Sunt etiam neruosa, & ex diuersis lacertis composita, vt sic ad sensum & motum essent habiliora. Nam ad vocis formationem necessario se aperiunt vel claudunt, quia illis abscissis, vel per aliquam opilationem vel contractionem aliam impeditis, verba perfecte non possunt formari. Item labia mollia sunt & carnosa, & hoc propter duriciei dentium temperamentum fuit necessarium. Dentes igitur & eorum nerui, cum ex natura sint frigidi, nimis læderentur aeri frigido expositi, si non labiorum tegmine tuerentur. Item labiorum extrema sunt rubicunda, quod accidit *secundum Constan.* propter cutis labiorum subtilitatem, quæ de facili à colore sanguineo recipit quodammodo roseam qualitatem,

tatem, vnde rubedo labiorum signum est puritatis complexionalis & impermixtionis turbati sanguinis & interioris virtutis, sicut è conuerso labiorum liuiditas signum est defectionis virtutis & caloris naturalis. Item labia tenuia sunt in substantia & subtilia, vt sint flexibiliora ad motum, & habiliora ad aerem immittendum & intercidendum, ne subito attractus interioribus sua frigiditate inferat læsionem, & ideo labia aeri frigido se opponunt, & ipsum recipiendo depuratum reddunt, vt suauius & vtilius ad interiora attrahatur. *Hæc omnia secundum Constan.* Consimiles proprietates *narrat Aristot. lib. 12. circa finem*, vbi dicit: Labia hominis mollia sunt & carnosa, & separari possunt propter salutem & custodiam dentium, & vt conueniant ad exitum sermonis, vnde & labia duplicem habent vsum, sicut & lingua, cuius creatio est ad gustandum humidum, & ad sermonem proferendum, *sicut idem expresse dic. Arist.* & ideo oportet, quod labia sint humida, quia si creatio linguæ non esset talis dispositionis, ad labia non posset lingua pertingere, ad dicendos multos modos literarum, quoniam quædam ex eis dicuntur per percussionem linguæ, & etiam quædam per coniunctionem labiorum, & ideo necessaria fuit labiorum creatio, vt optima esset naturæ operatio, & propter hoc fuit caro hominis valde mollis, quoniam homo est boni sensus tactus, scilicet & gustus magis quam alia animalia. *Hæc omnia Arist. lib. 12.* Recollige igitur, quia labia sunt tegmina dentium custoditiua, mollicie sua duriciei dentium temperatiua, vocis articulatæ & literalis formatiua, aeris frigidi vel calidi interceptiua, sua rubicunditate vel liuiditate defectus, vel vigoris designatiua, virtutis interpretatiuę, ppria organa passionum animæ, scilicet odii & amicitiæ doloris vel tristiciæ expressiua, vnde dicitur quod tremor labiorũ in phrenesi, & acutis morbis mortem protendit, *Vt dicitur in prognosticis.* Et hæc de labiis sufficiant.

CAP. XVIII.

De Mento.

MEntum est dictum quasi mandibularum fundamentum, eo quod inde oriantur, *Vt dicit Isidor.* menti autem, *Vt dicit Constant.* duo sunt ossa, & ipsa iuncta sunt in

medio, vbi dentes subtiliores firmantur quadrupli atque pares. Horum ossium extremitas duas habet furculas, vna est acuta, cuius acumen quoddam ligamen inserit, quod ligamen à latere temporum protenditur, per quod etiam & bucca clauditur & aperitur. Altera vero furcula grossa est & rotunda, cuius rotunditate mentum fit mobile, *vt dicit Constan.* quia hoc membrum fuit necessarium propter originem mandibularum, & dentium inferiorum radicationem, & propter voluntariá aeris clausuram & apertionem, fuit etiam conueniens propter faciei complexionem & perfectam ipsius vultus consummationem, quod si fuerit proportionatum fronti, totam honestat faciem & decorat, *hæc omnia dicit Constan.* In mento autem animalis maxima est fortitudo, propter ossis duritiem, & neruorum compaginationem, & propter fortem dentium radicationem, & ideo bruta animalia se tangi per mentum de facili non permittunt. Nam mento confracto tota eorum ferocitas quasi armis perditis eneruatur, vt patet 1. *Regum* 17. vbi dicitur: Confregit Dauid mentum vrsi, & eruit ouem de ore eius, &c. Hominis vero mentum pertractari, amoris & fidei indicium est. 2. *Reg.* 16. *Tenuit Ioab mentum Amasá quasi deosculans eum.*

CAP. XIX.

De Ore.

OS est dictum ex eo, quod per ipsum quasi per ostium cibos immittimus, & sputum foris eiicimus: vel eo quasi de ostio sermones egrediuntur, *vt dicit Isid.* os etiam, vt dicit idem, animæ nuncius est, quia illud ore exprimimus, quod prius in mente concepimus. Est aũt os, *vt dicit Greg.* multis circumseptum custodiis, scilicet dentibus & labiis, vt tot intermediis mens prius discernat, quam proferat siue dicat, vt prius verbum transeat per limam, quam per linguam. Fuit autem oris instrumentum necessarium, *secundum Constan.* propter nutrimenti susceptionem. Nullum enim membrum in animali nutritur, nisi prius nutrimentum in ore recipiatur: os enim primo cibum recipit, & masticando & immutando aptum digestioni stomacho transmittit, & propter hoc natura fecit os humidum intrinsecus, vt cibi siccitas eius humiditate facilius immutetur.

tetur. Fecit enim os neruosum & mediocriter durũ & concauum. Neruosum, vt saporositas cibi facilius sentiretur. Durum, ne cibi asperitate læderetur, nec nimis factum durum est, sed mediocriter, ne nimia duritia sensualitas gustus impediretur. Concauum autem & rotundum fuit intrinsecus, vt cibus assũptus hinc inde facilius moueretur, & per dentes sine impedimento spiritus transduceretur. Item necessarium est os propter aeris & spiritus attractionem, aer enim attractus per os, in ipsius concauitate immutatur, depuratur & subtiliatur, & sic ad cordis refrigerationem per cannale pulmonis transmittitur, sine cuius refrigerio cor præ nimii caloris incendio vreretur & destrueretur. Item necessarium est propter vocis informationem, ad hoc enim est palatum oris concauum, vt plectrum linguę moueretur facilius, & ad vocem formandam expedite eleuaretur & deprimeretur. Item vtile est ad grossarum superfluitatum, à cerebro & pulmone venientium, crebram eiectionem, quibus per ostium oris eiectis, vitalis spiritus in corde, & animalis in cerebro, suas complent actiones expeditius. Item vtile est propter membrorum nutribilium à superfluis exonerationem, quando ergo stomachus crudis humoribus oneratur, natura per vim expulsiuam operãte per oris orificium expurgatur, *sicut dicit Constant. & Galen. super illud aphor.* in vomitibus & purgationibus quæ sponte fiunt, si qualia oportuit, fiant, conferunt & bene ferunt, si vero non, contrarium. Patitur autem os, *vt dicit Constan. in viatico*, quandoq; ex aliis membris sibi vicinis infirmantibus. Patitur autem pustulas, vlcera & huiusmodi ex corruptis humorib. aliunde ad buccam defluentibus, si rubeat ita quod nigredini attineat & caleat, doleat aut ardeat, materia sanguinea est & cholerica, si vero multum nigrescat, tanto molestius est & timidius, ne forsan ad cancrum deueniatur. Accidunt autem vlcera in ore lactentium paruulorum prouenientia ex acumine lactis, & eius corruptione. *Hucusque Constantinus in viatico particula secunda.*

CAP XX.

Dn Dentibus.

DEntes, *secundum Græcos* dicuntur ὀδόντες, quasi omnia opposita diuidentes & incidentes, *vt dicit Isido.* Et sunt dentes, *secundum Constant.* quædam plantaria in ossibus maxillarum & menti quibusdam radicibus inserti, & sunt in maribus, *secundum Constan.* 32. Sedecim enim in maxillaribus sunt positi, quorum quatuor in anteriori parte pares vocantur & quadrupli, & hi lati sunt & acuti, incisores vel præcisores à medicis nuncupantur, ad incisiones cuiuslibet cibi sunt apti, & quicquid in eis accipitur, in ore conteritur & mordetur. Sunt iterum duo qui canini sunt dicti collaterales quadruples, & in summitate acuti, duris cibis tamen molendis apti. Et dicuntur *secundum Isido.* canini, quia ad similitudinem caninorum consistunt, & canes per ipsos ossa rodunt, præcisoribus enim dentibus sunt fortiores, acutiores & rotundiores, & ideo à quibusdam columnellę vocantur, & quod priores præcidere non possunt, istis tanquam fortioribus ad confringendum tradunt. Sunt & decem alii ex vtraque parte superioris mandibulæ, qui collaterales quadruplis, hi sunt lati atque grossi, hi molares sunt vocati, & ad molendum bene sunt apti. Nam quæ concisa & confracta sunt à prioribus more molæ subigunt, *vt dicit Isid.* Sunt quidem in superiori mandibula 16. dentes, scilicet quatuor quadrupli atque pares, & duo canini, & nouem molares, & totidē etiam dentes numero collocantur in inferiori mandibula seu in mento. Dentes igitur quantum ad suum numerum & etiam ad officium quadrifarie diuiduntur: quidam enim sunt incisiui, & hi sunt quatuor, duo superiores, & duo inferiores, qui primo aspectui se offerunt: quidam vero sunt pares, & hi sunt quatuor, duo superiores, & duo inferiores, qui aliterutrum, iuxta incisiuos positi mutuo se contingunt. Quidam vero dicuntur collaterales seu canini, & hi quatuor, scilicet duo superiores & duo inferiores, se mutuo collidentes: quidam vero sunt molares, & hi 20. scilicet decem superius & totidem inferius mutuo se tangentes, & quæ ab aliis inchoata sunt quasi molæ continue concidentes. Hi omnes sunt mandibulis radicati & quodam-

dammodo furcati, sed diuersimode, quia anteriores, scil. quadrupli & pares, vnam habent furculam seu radicem: canini vero molares tres vel quatuor habere dicuntur, *Vt dicit. Constan.* Dentium quoque numerum discernit qualitas sexuum. Nam in viris plures, in fœminis pauciores inueniuntur, *Vt dicit Constan. & Isido.* Distinguuntur etiam dentes secundum processum ætatis, quoniam, *sicut dicit Aristot. lib.* 2. quod dentes senum generaliter sunt nigri & non acuti, vt patet in canibus, quorum ætas per dentes noscitur, quia dentes iuuenum sunt albi & acuti, senum vero è contrario. Excipit tamen *Aristo. ibid.* ab hac generalitate dentes equorum, quos dicit habere propriũ, quod procedente ætate magis albescunt. Dicitur etiam ibidem, oportet vtique scire, quod animalia quæ sunt multorum dentium & coniunctorum, sunt vitæ longioris, quæ vero paucorum sunt dentium & separatorum, sunt vitę breuioris. Item dicitur ibidem, omne animal quadrupes generans animal sibi simile, habet dentes.

Item homo eiicit dentes in iuuentute anteriores non molares, & hoc contingit forsan propter furcularum & radicum debilitatem. Molares autem non eiicit propter causam contrariam, & est generale in aliis animalibus, quæ non eiiciunt aliquem dentem priusquam alter sibi similis in loco oriatur primitus. Item *Aristoteles lib.* 12. Omne animal carens dentibus in superiori mandibula, est siccum & terrestris naturæ, omne animal habens dentes in vtraque mandibula est pinguedini simile. *Item idem lib.* 14. Natura non facit aliquid nisi quod melius & perfectius est, & ideo necesse est, vt materia partis terrestris declinet à quibusdam animalibus ad partem superiorem, scilicet in dentes & culmos prominẽtes, & in quibusdam in cornua. Et propter hoc nõ potest habere dentes in vtraq; mandibula animal habens cornua. *Itẽ ibi. lib.* 16. Solũmodo inter alia ossa crescunt dentes dũ remanet animal, & hoc est manifestũ in dentibus super excrescentib. & declinantibus à locis suis contingentib. se inuicem. Et causa incrementi illorum est propter operationẽ eorum. Si enim non crescerent, consumerentur cito, & propter hoc teruntur cito dentes animalium comedentium multum & carentium dentibus magnis. Et propter hoc ingeniata est natura, & aggregauit

dentes ad inuicem propter senectutem & finem, aliter si vita duraret per millenarium, semper dentes plures essent quam in prima creatione, *Vnde dicit idem lib. 2.* dentes qui oriuntur intra gingiuam, non oriuntur in viris & mulieribus nisi post viginti annos & forte in quibusdam mulieribus post 60. & origo eorum erit cum maximo dolore, *Item idem lib. 19.* Dentes acuti oriuntur ante latos, quoniã dentibus acutis indigetur ad abscissionẽ cibi prius, quia prius est abscindere quam molere, ideo etiam citius crescunt, quia minores sunt, quia origo minoris rei est ex calore ante originem rei maioris. Item calor etiam lactis facit oriri dentes cito, & propter hoc est quod pueri lactentes lac, calidius nascuntur in eis dentes citius. *Item idem etiam ibidem.* Anteriores dentes nascuntur in osse tenui & etiam debili, propter hoc sunt velocis casus. *Huc vsque Aristot.* Ad hæc *Constantinus in Viatico particula secunda.* Dentium magnum est iuuamentum, & cum iuuamento magnum corporis ornamentum ipsorum, inquam, non patientium, quoniam in patientibus actio corrumpitur. Quorum passio diuersa est. Cuius diuersitatis pars est visui manifesta, sicut putredines, fœtores, rupturæ, pforationes, motiones, casus, limositates, & similia, pars vero non apparens est & occulta, sicut quando dentes nimium dolent, & tamen exterius sani apparent. Causa autem talis doloris sunt humores à capite descendentes, vel à stomacho mediante fumositate ascendentes, vel humores acuti in gingiuis & tunc dolores nimii cum saltu & pulsu sentiuntur propter malitiam humorum & acumen. Si vero dolor est à capite, grauitas sentitur in capite & dolor, in facie rubor ex sanguine vel cholera ad radices dentium descendente. Si vero fuerit à stomacho, dolor sentitur in stomacho, & assidua eructatio egreditur & erumpit. Dentes etiam aliquando perforantur, aliquando rumpuntur, aliquando ex vermibus in citrinum viridem seu nigrum colorem mutantur, quæ omnia ex corruptis & pessimis humoribus, ex malis cibis per neruos ad ligamentum dentium descendentium accidere dignoscuntur. Dentes etiam aliquando mouentur, & causa motus humores sunt in dentium radicibus, quia si sint acuti, necesse est in dentibus foramina effici, ac fœtores & putredines generari. Quod si vermes fuerint in

causa, dolor maximus gignitur, quia neruum sensibilem corrodendo penetrant. Obstupescunt etiam dentes & exacerbantur ex humore acido intus, vel extra neruos sensibiles inficiente & dormitare videntur ex causa nimis frigida, sicut ex niue vel glacie neruos dentium constringente. Item dêtes quandoque cadunt ex nimia humiditate ligamenta dentium relaxante, quandoque ex nimia siccitate, vt patet in senibus, quorum dentes propter subtractionem humiditatis nutribilis dilabuntur. Has & multas alias dêtium recitat *Constantinus* passiones. Sed hæc sufficiant. Recollige igitur ex prædictis, quod dentes in mandibulis, tanquam in fundamentis propriis radicantur ex frigiditate dominante, albiores cæteris ossibus efficiuntur, propter sui duritiam de facili non læduntur. Substantia enim dentium est ex se impassibilis, cum non sit sensibilis, *vt dicit Constan.* vnde dens ruptus nullum dolorem patitur. Dicitur tamen pati & dolere propter neruum sensibilem, qui in eius radicibus sæpe læditur & grauatur. Dentes enim intrinsecus neruis colligantur, terminos carnis dentes excedunt, & tamen in carne radicantur nihil intra se, nec in se esse patiuntur. Clausi sunt labiis ne videantur. Indecens est enim cum apparent nisi forsan propter risum. Item superiores ad inferiores reuertuntur & sibi inuicem mutuo coaptantur, & si inferiores aliquando moueantur, superiores tamen fixi immobiles reperiuntur. Ordinate autem ad inuicem componuntur, ad informationem articulata vocis maxime cooperantur, toto corpori obsequuntur.

CAP. XXI.

De Lingua.

Lingua à lingendo cibum est dicta, vel quia per eam articularis sonus verba ligat, sicut enim plectrũ chordæ sic alliditur lingua dentibus, *vt dicit Isidor.* Est autem lingua instrumentum gustus & locutionis, *vt dicit Constant.* & componitur de substantia molli, carne porosa & spongiosa. Est autem neruosa, propter sensum & motum, porosa, vt facilius sapor penetret ad neruum faciêtem gustum, ad quem veniunt multæ venæ sanguine plenæ, vnde rubicunda est in colore. Hæc operatur panniculis quibus spacium buccæ & palatum induitur & vestitur, à superiori

parte patet tota, ab inferiori autē parte patet vsq; ad ligamenta, quibus merito est connexa, vnde radices linguæ & sensibiles nerui quibus recipit sensum & motum à spiritibus sunt occulti. In quibusdam autem hominibus, *vt dicit Const.* contrahitur lingua plus quam oportet, in tantum quod nec in diuersas partes mouetur, vnde oportet incidi ligamenta, vt motus per totum buccæ spatium amplietur. Passiones enim multæ accidunt linguæ, vt in substantia ipsius vel in neruis ad illam venientibus, *vnde in viatico Constantinus.* Lingua animalis perdit motum volūtarium. Vnde & vsum amittit sermonis, cuius causa est ex defectu virtutis motiuæ ex cerebro veniente vel ex neruo opilato, per quē virtus transit animalis. Aliquando ex apostemate vel ex pustulis in lingua accidentibus. Aliquando sunt propria vitia in substantia linguę, sicut complexio mala, ex qua est sensibilis distemperantia ex nimio calore, frigiditate vel humiditate vel siccitate, vel apostema vel tumor, & similia, quod si lingua videatur nimis tumida excessum caloris designat. Si vero alba, frigiditatē: si mollis, humiditatem: si sicca & aspera, siccitatem, & omnia talia linguæ impediunt vsum, vel tollunt in toto vel in parte. Si autem lingua sana videatur nullas habens maculas, loquela tamen sit ablata, ex cerebro est defectus vel ex neruis sensibilibus opilatis. Aliquando est perditio loquelæ ex perdita mente, vt in phrenesi vel lethargia. *Hucusq; Constantinus in viatico.* Alios designat defectus linguæ *in panteg. Constantin. vbi dicit:* accidunt pustulæ latæ & extentæ in pelliculis exterioribus linguæ, sicut accidit pueris malum lac sugentibus, & sunt quandoque albi, quandoque nigri coloris, accidit autem apostema linguæ, eam nimis magnificans, & ab ore exire faciens, & vocatur exilium linguę. Aliud etiam genus apostematis linguæ est quod rana vocatur, eo, quod sicut rana nascitur sub lingua, & aufert vsum linguæ, & ita rana muta dicitur ab effectu. Est autem aliud apostema linguæ sanguinolentum, vnde tota lingua patitur & loquela pariter cum gustu impeditur. Ex viscosis enim humoribus in lingua dominantibus sensus gustus corrumpitur & immutatur, ita vt dulcia amara & insipida iudicentur & è contrario, *vt dicit Galenus.* Item *Galenus super apho.* quod accidit linguæ balbuties ex nimia humiditate,

quando

quando lacerti linguæ præ nimia humiditate in extremis nequeunt dilatari, ſicut eſt videre in ebrioſis, qui balbutiunt, quando in cerebro humore nimio perfunduntur. Vnde *dicit ibidem Galenus.* Naturaliter autem balbutientes vel propter nimiam cerebri humiditatem balbutiunt, vel propter linguæ humectationem, vel propter vtrumq;. Illa etiam ſuperflua humiditas eſt cauſa quare aliqui efficiuntur drauli, qui aliquas literas proferre non poſſunt, ſcilicet r pro n, vel c pro t proferunt, & hoc patet in infantibus, qui multas literas corrumpunt, & eas proferre non poſſunt. Hæc omnia dicit *Galenus ſuper illum aphoriſmum* hypodrauli à diarrhœa maxime capiũtur, quia nimia humiditas talium quæ eſt cauſa draulizationis redit ad ſtomachũ & inteſtina ſæpe lubrificando inducit diarrhœam vel dyſenteriam, id eſt fluxum ventris, *ſicut dicit Galenus.* Item *dicit Conſtantin. in panteg.* quod in laterib. ligamentorum linguæ ſunt quædam venæ, quæ ſaliuam linguæ administrant. Hæc ab initio linguæ incipiunt, à quibus emanat quædam humectatio phlegmatica, quæ ſaliua appellatur, vnde illæ venæ vocantur à medicis ſaliuales, ſiue habitatio ſalitualis. Initium autem linguæ vnde exeunt hæ venę, eſt caro glandulofa & alba, ipſius ſaliuę generatiua, quę humectat linguam & temperat ciborum ſiccitatem, & augmentat eorum ſuccoſitatem, vt poſt dicetur. *Vnde dicit Ariſtoteles in 6.* quod oues aliquando habent ſub lingua venas albas, & illæ faciunt fœtus albos, & aliquæ habent nigras & illæ faciunt fœtus nigros, aliæ varias & illæ procreant fœtus varios, &c. Recollige igitur breuiter ex iam dictis, quod lingua eſt ſubſtantia carnoſa, ſanguinea & poroſa, influentiæ ſpiritus receptiua, in complexione calida & humida, in diſpoſitione tenuis & oblonga, anteriori parte ſimilis gladio in cono, in colore rubicunda, in loco concauo & humido, ſita ad motum facillima, vocum informatiua, ſaporum diſcretiua, per emiſſionem ſaliuæ oris humectiua, conceptionum animæ interpretatiua, dentibus & labiis quaſi muro duplici circumſepta. In diuerſis animalibus quoad figurã varia. Nam in quibuſdam breuis eſt & groſſa, in quibuſdam vero è conuerſo. Qui vero habent linguam groſſiorem, habent vocem grauiorem & è conuerſo. Quædam etiam animalia habent linguas medi-

medicinales & salutiferas, & hoc vel ex naturæ bonitate, vel ex occulta aliqua proprietate, vt lingua canis, *Vt dicit Caßiodorus.* Quædam autem linguas habent mortiferas propter malitiā & furiositatem humoris in eis dominantis, sicut lingua serpentis, draconis & rabidi canis, cuius morsus est summe venenosus, cuius lingua apparet semper extra os & distillat venenum & inficit aquam in quam cadit, de qua qui biberit, efficitur rabiosus, *Vt dicit Auicenna & Constantinus in tractatu de Venenosis animalibus & Venenis.* Vnde etiam serpentum linguæ, *secundum Aristotel.* nigræ sunt, siue liuidæ, siue subrufæ & maculosæ, acutæ & in motu velocissimæ, Et hoc contingit propter humorem furiosum & venenosum, qui tam velociter linguam agitat, vt vna numero bifurcari videatur, lingua tamen aspidis, quamuis in corpore viuentis serpentis plena sit veneno mortifero: separata tamen à corpore & desiccata, venenū perdit, & venenum si præsens fuerit, prodit, vnde in præsentia veneni sudore prorumpere consueuit. Vnde animalis lingua velut vtilis & proficua reputatur inter thesauros regios preciosa, quamuis prius fuerit venenosa, &c.

Cap. XXII.

De Saliuæ proprietatibus.

SAliua est humor phlegmaticus ex naturalibus venis linguæ generatus, *Vt dicit Constantinus.* Est autem saliua naturaliter humida, in colore alba, ex continuitate motus linguæ, & instrumentorum spiritualium spumosa, in sapore insipida, quia potentialiter est omnium saporum in se receptiua. Si enim esset alicuius saporis determinati, non esset alterius susceptiua. Est etiam *secundum eundem Constantinum* saliua inter gustum & eius obiectum media, nihil enim sensu gustus percipitur, nisi cuius sapor mediante saliua gustus organo præsentatur. Vnde etiam ipsa secundum qualitatem saporis rei gustatæ immutatur. Fuit autem necessaria saliua, *Vt dicit Constantinus* ad humectationem oris, vt saliuæ beneficio irrigaretur. Item propter digestionis præparationem. Cibus enim siccus in ore assumptus non vtiliter stomacho mitteretur, nisi saliua media prius humectaretur, quia sine saliuæ adminiculo, res sicca non de facili transglutiretur. Item vtilis est ad faciliorem

tem superfluitatum cerebri & pulmonis euacuationem, quia tales emunctiones calore vel frigore indurantur aut inuiscantur, non ita de facili per ostium oris extraherentur, nisi primo cum humoris salIualis adiutorio lubricando ad exitum pararentur. Item saliua hominis ieiuni habet quandam vim latentis infectionis, vnde & sanguinem animalis lædit, si in aliquo vulnere aliquid sanguini admisceretur, *Vt dicunt prædicti autores in tractatu de Venenis.* Et hoc forsitan est, *vt dicit Auicen.* ratione cruditatis. Humor enim crudus sanguini perfecte digesto in suis qualitatibus repugnat & suum, *Vt dicunt autores*, perturbat temperamentum. Hinc est etiam, *Vt dicunt sancti, & habetur à Plinio*, quod saliua siue sputum hominis ieiuni interimit serpentes & venenosis animalibus est venenum. *Sicut dicit Basilius super illud Verbum in hexameron.* Ipsa conteret caput tuum & tu insid. calca. eius. *Gen. 3. Item sicut dicit Galenus super aphor. ibi*, in saniei sputo fit phthisis & fluxus, & vbi saliua tenetur, moriũtur, &c. Phthisici propter vlcus pulmonis semper tussiunt, & à superfluitate saniei vlterius spuendo se exonerant prout possunt, sed tamen mors imminet, quando non spuunt, quia retenta eius saliua cum sanie, viæ spiritus interius clauduntur, & sic phthisici suffocati moriuntur. *Item sicut dicit Galenus in lib. crysis.* Inter sputum & saliuam est differentia. Nam saliua est superfluitas naturalis nutrimenti pectoris & generatur digesta. Sputum vero est illud quod ad pectus aduenit, secundum diuersitatem cursus naturalis & cursus præter naturam, nec est semper digestum. Et ideo sputum in acutis febribus & apostematibus si leuiter fiat cum signis digestionis & sine tussi laboriosa, fortitudinem signat virtutis & defectum morbi, *sicut dicitur in prognostica, & è conuerso. Et secundum Galenum & alios commentatores ibidem.* In saliua siue in sputo considerantur tria generaliter: Color scilicet, odor & sapor. Quia si sputum fuerit in colore liuidum, cordis & spiritualium signat læsionem. Si vero sanguineum cum sanie admixta, pulmonis designat alterationem. Si etiam fuerit in odore fœtidum, interiorem signat corruptionem. Item si in sapore fuerit amarum aut acidum, humoris corrupti in stomacho & pulmone seu in substantia linguæ signat dominationem. Item in sputis abundare, signum est phlegmatica

gmatica

gmaticæ complexionis, vnde & in senibus solent sputa abundare grossa & viscosa, secundum intensionem frigiditatis & resolutionem vel dissolutionem humiditatis substantialis, &c.

CAP. XXIII.

De Voce.

VOx est aeris tenuissimus ictus, plectro linguæ formatus, *vt dicit Isidorus & Priscianus.* Organa autem vocis siue instrumenta multa sunt, *vt dicit Constantinus* scilicet pulmo, arteriæ, guttur, vuula, os, dentes, labia, atque lingua. Sine enim istorum instrumento vox non formatur. Et horum quædam sunt vocis receptiua, sicut pulmo cum suis receptaculis & canalibus. Quædam vero sunt vocis ordinatiua, sicut vuula, quæ *secundum Constantinum* pulcram reddit & fortem, quando ad alia se habet proportionaliter. Aerem enim introeuntem temperat, & ne nimis impetuose exeat, cohibet & refrenat. A receptione etiam pulueris guttura & arterias prohibet & conseruat. Quædam enim sunt vocis emissiua, vt canales pulmonis, & arteriæ, quæ sunt quædam fistulæ, quæ si fuerint lenes, mundæ & temperatæ dulcem ac temperatam & æqualem reddunt vocem. Si vero asperæ fuerint, & plus debito fuerint latæ & strictæ aut distortæ, nimis grauem vel exilem dissonam aut inæqualem emittunt vocem. Ad formationem igitur vocis aer in folliculo pulmonis recipitur, & per ordinatum arteriarum motum per os emittitur. Vnde ex veloci aeris commotione & organorum vocis extensione sonus redditur, qui in ore animalis prolatus, & plectro linguæ formatus vox à sapientibus dicitur. *Hucusq; Constant. in panteg. Vnde Aristot. lib.* 4. Pulmo est primum vocis receptaculum. Et ideo omne animal carens pulmone, caret & voce ac loquela. Loqui enim est distinguere vocē. Vnde omne animal non habens linguam absolutam, non habet vocem, *vt dicit idem.* Apes vel muscæ carent voce, faciunt tamen crepitum in volando, extendendo, & contrahendo alas per aerem cadentē inter corpus & alas, & sic faciunt locustæ. Et huius probatio est, quod nunquam faciunt sonum in sedendo, sed tantummodo in volando. Rana autem habet vocem propriam & anterius linguæ suæ applicatur

eatur ori suo, & quod ex lingua propinquat cannæ pulmonis absolutum est, & propter hoc habet vocem propriã, & est coax, nec facit hoc nisi in aqua tantum, & proprie masculus tempore coitus, quando clamat fœminam per vocem cognitam. Rana vero multiplicat vocem, quando ponit mandibulam inferiorem in aquam, & extendit superiorem, & per extensionem duarum mandibularum vociferant, & propter nimium conatum extensionis lucent earum oculi sicut candelæ, cantant & vociferant plus de nocte quam de die, quia tunc est sæpius coitus earundem, &c. Item ibidem, aues parui corporis plus vociferant & garriunt quam magni, & maxime tempore coitus, quoniã vociferatio auium est maxime in illo tempore. *Item idem*: Gallus vociferat post bellum & victoriam. Item in auibus est quod masculus dat vocem & non fœmina, sicut gallus & mas coturnicum, loqui autem appropriatur homini, qui autem naturaliter sunt muti, sunt surdi, & habent vocem, sed omnino indiffinitam, *vt dicit idem*. *Item in eodem libro*: Omnes fœminæ sunt subtilioris vocis & acutioris quam masculi, præter vaccam, quia vox fœminę est grossior. Item ibidem exitus spermatis est in maribus apud alterationem vocis, & hæc est in termino duorum septennium, aliquando mutatur tamen vox citius in quibusdam, & est significatio motus ad luxuriam. Item ibidem, quando equi incipiunt coire, erit eorum vox maior, similiter fœminæ, vox tamen fœminæ clarior est. Item ibidem voces masculorum mutantur quando mutilantur. *Item dicitur lib.* 8. Voces omnium quadrupedum mutantur & efficiuntur, sicut voces fœminarum quando castrantur. *Et lib.*19. *dicitur:* Causa acuminis & alterationis vocis est, secundum alterationem ætatum, quoniam vox iuuenũ animalium est acutior voce senum, & mulierum quam virorum, & voces omnium animalium sunt acutiores in iuuentute. *Item idem*: Multæ fœminæ, & multi iuuenum vociferant voce acuta, quoniam propter debilitatem mouent paucum aerem, & quod est paucum mouetur velocius, & vox velox est acuta, grauitas autem vocis sequitur tarditatem, & aer multus mouetur tardus, mares autem & senes mouent multum aerem, & ideo sunt grauioris vocis, neruos enim & arterias habent fortiores masculi quam

fœminæ,

fœminæ, & senes quam paruuli, & non castrati quam castrati, propter debilitatem ergo neruorum erunt voces castratorum similes vocibus fœminarum. *Hucusque Aristo.* Vox æqualis clara, flexibilis inter acutum & graue mediocris est laudabilis, sicut è conuerso, vox tremula, rauca & aspera, debilis & dissona, nimis grauis vel acuta est vitupe-rabilis, nam vox vnica dissona & inordinabilis, multarum confundit vocum harmoniam. Vox itaque consona, dulcis & ordinata, est lætifica, amoris excitatiua, passionum animæ expressiua, vigoris & virtutis organorum spiritualium protestatiua, puritatis & bonæ dispositionis earundem ostẽsiua, laboris subleuatiua, tædii seu fastidii ablatiua, ætatis & sexus discretiua, præconii & laudis acquisitiua, affectionis audientium mutatiua. Sicut de Orpheo dicitur in fabulis, quod vocis suæ modulatione arbores & nemora, mõtes & saxa demulcebat, ita est etiam vox composita naturæ consona & amica, quia non solum delectat homines, verum etiam bruta animalia, quod patet in bobus, qui cantu bubulci dulci sono potius, quam iaculo ad laborandum excitantur. Volucres etiam in dulcis vocis modulo delectantur, in tantum quod sæpe per dulce sonum ad laqueos & pericula ab aucupe prouocantur. *Iuxta illud poeticum:*

Fistula dulce canit volucrem dum decipit auceps.

Item, per dulces cantilenas & harmonias musicas, infirmi & maniaci & phrenetici ad sensum mentis & sanitatem corporis sæpius reuocantur. *Vnde dicit Constantinus in viatico particula 1. cap. de amore qui dicitur Herecs sic dicit.* Dicunt alii quod Orpheus dixit: Imperatores ad conuiuia me inuitant, vt ex me se delectent, ego tamen delector ex ipsis, cum quo velim, animos eorum flectere possim de ira ad mansuetudinem, de tristitia ad lætitiam, de auaritia ad largitatem, de timore ad audaciam. Hęc est ordinatio musicorum, quæ circa suauitatem animæ esse dignoscitur, & cum dulcisona etiam melodia dæmones aliquando coarctantur, & exire de corporibus compelluntur, vt patet in Saule à quo spiritus malus voce Dauidica recedere cogebatur, *vt patet 1. Regum* 17. Ex quibus omnibus iam patet, quam vtilis sit iucunda vox atque dulcis. E contrario vero est de voce inordinata & horribili, quia non lætificat, sed contri-

contristat & aures ac mentem grauat. *Vnde Constantinus in quodam cap. supradicto.* Interrogatus quidam philosophus, quare homo horribilis grauior esset quam quodlibet pondus, taliter respondisse fertur. Homo, inquit, horribilis pondus animi est, &c. Hęc de voce bona & mala nũc sufficiant. Nam de his quæ vocem impediunt, sup. dictum est in tractatu de lingua. Et adhuc etiam dicetur infra, &c.

CAP. XXIIII.

De Gutture.

GVttur est extremitas canalium pulmonis, *vt dicit Constantinus.* Et est duplicis iuuamenti, maius & primum est, vt aerem attrahat & emittat, secundum est, vt cibos interius traiiciat & vocem faciat. Hęc canalis substantia cartilaginosa est atque dura, vt cum ventus exeat, vox emissa fiat clara, nam raucitas vocis fit ex humiditate canalis pulmonis. Componitur igitur à tribus cartilaginibus, prima est anterius, gibbosa exterius, concaua interius. Secunda priore est maior, & recte iuxta os stomachi collocatur. Tertia cartilago media inter primam & secundam. Ex istis cartilaginib. quasi quadam concatenatione guttur componitur, vt dilatetur & constringatur, intuitur tota substantia gutturis eisdem panniculis, quibus lingua induitur & palatum. Concauitas autem gutturis, quam aer intrat & exit, habet quoddam corpus linguæ simile compositum ex glande & pinguedine & pelliculis, & vocatur à medicis lingua gutturis siue cataracta, & est primum vocis vt dicitur instrumentum. Non enim potest aliter vox esse, nisi claudatur ista cataracta, quia si via gutturis fuerit aperta, impossibile est vocem esse: quia aer paulatim exit. Vnde gutturis cataracta ad flatum constringendum fuit necessaria, quia vero guttur patitur ab humoribus à capite descendentibus, vnde raucitas generatur & tussis, quandoq; à tractu corrupti & sicci aeris, quandoque etiam ab iniectu pulueris, ideo habet vuulam pro obstaculo, ne puluis & huiusmodi aliquid pulmonem valeant subintrare, quæ fuit necessaria, vt vocem faceret pulchram, fortem, & expeditam. Alleuiat autem aerem introeuntem, eiusq; temperat frigiditatem. Vnde quidam moriuntur, quando ra-

dicitus eis inciditur, quia nimium recipiunt aerem guttur & pulmonem infrigidantem. Est igitur guttur organum vocis informationi necessarium cibi & potus, in primum digestionis locum', scil. in stomachum inductiuum, quia ideo longum est & rotundum, vt amplioris aeris ad infrigidationem caloris cordis sit facilius attractiuum & expulsiuum. Est autem in vtraque extremitate magis concauum, & in medio magis strictum, vt sic sit vocis magis informatiuum. Est autem ex diuersis cartilaginibus more scyphi se cooperientibus compositum, vt fortius existat, & ita vt ex teneritudine cartilaginis ad vocem variandam facilius se reflectat. Ingeniata autem est natura circa guttur, vt secundum duplex officium, animali necessarium duplicem viæ habeat concauitatem. Habet enim viam canalem ad aerem attrahendum, & anhelitum perficiendum. Habet etiam & viam manifestam ad cibum recipiendum, & hæc duplex via quodam cooperculo quod epiglotis dicitur, distinguitur, habet enim se in superficie gutturis ad modum vestis, ad vtrumque foramen gutturis æqualiter se habentis. Cum enim natura cibum appetit clauso foramine anhelitus, foramen ad susceptionem nutrimenti omnino se aperit, & è conuerso, cum natura attractionem aeris desiderat, foramen aliud gutturis se claudit & obturat. Item contingit guttur multipliciter pati, scilic. per extrinsecam compassionem, siue qualemcunque læsionem. Item quandoq; per incautam cibi vel potus sumptionem. Si enim cibus intrauit meatum, per quem contrahitur aer, via spiritus de facili intercluditur, & animal suffocatur, quandoque per humorum fluxum & rheumatisationem. Contingit autem humores à capite ad canales gutturis cõfluere, & ibidem facere apostema, quod si materia cholerica fuerit & furiosa, cito mortificat animal & suffocat, nam, *Vt dicit Constan.* angustat flatum, ita quod infirmus vix cibum vel potum sumere possit vel recipere, dolorem patitur nimium, si autem sit materia sanguinea, infirmus apparet plenus corpore, rubeus in facie, venæ sunt plenæ, plenus pulsus, tumor calidus & dulcis, ex superabundantia sanguinis sentitur gustus. Si vero ex cholera rubea, dolor est fortis angustia nimia, calor cum siti maxima & vigilia, amaritudo in gustu est. Si autem sit ex phlegmate,

non

non tantum dolet, sed tumet lingua & mollescit. Si ex salso sit phlegmate, omnia saporat in gutture tanquã salsa, vox patientis efficitur, sicut paruulorum catulorum, quia ex siccitate salsi phlegmatis trachea arteria coarctatur, *vt dicit Constan.* Contingit autem istam materiam malam quandoq; totam recolligi interius in pelliculam, quæ diuidit viam aeris, quæ dicitur trachea arteria, à via per quã transit cibus, quæ dicitur œsophagus, & facit squinantiã, quæ in vno die interficit. Ex compressione enim tracheæ arterię denegatur aeri liber transitus ad cor. Ex compressione auté œsophagi ciborum transitus denegatur, quandoque colligitur materia, partim intra, & partim extra, & tunc iterum dicitur squinantia, & non est ita mortifera, quandoque tota materia est extra, & dicitur synantia, & est adhuc minus mortifera, tamen periculosa. In omnibus his est dolor vehemens gutturis, sed præcipue in prima cum suffocatione vocis, est etiam difficultas spirandi & respirandi, ita etiam replentur nerui ex squinantia, & ita maxillę spasmantur, quod vix etiam cum malleo possunt dentes aliquando aperiri, & ita acurtatur lingua, quod vix vel nunquam potest extrahi. In omnibus istis morbis guttur prementibus bonum signum est velox aspiratio anhelitus, & respiratio, quia trachea arteria non nimium est compressa. Vnde non ita timetur suffocatio, nihil enim ita timetur in hac passione, sicut amissio aeris, à quo non potest animal per vicesimam partem vnius horę sine periculo abstinere. Hæc & multa alia, *vt dicit Constan.* patitur guttur, scilicet vlcerationem & inflationem, sitim immoderatam, vocis raucitatem, ex humiditate nimia arteriam gutturis infundente & vocem impediente, vel quandoque extinguente, vocis asperitatem ex siccitate aeris vel corporis siue cibi vel pulueris instrumentum loquendi exasperante. Sed de gutture dicta sufficiant.

Cap. XXV.
De Collo.

COllum est dictum eo quod rigidum sit & rotundum, caput baiulans & sustentans, cuius pars anterior gula, posterior vero ceruix vocatur, *vt dicit Isido.* Ceruix autem est dicta, eo quod per illam partem ad medullam spi-

næ cerebrum dirigitur. Vnde ceruix quasi via cerebri dicitur, *Vt dicit Isid.* Est igitur collum membrum rotundum inter caput & corpus medium, & est osseum ex multis ossibus & neruis compositum. Osseum quidem est, vt fortius sit ad caput sustentandum; neruosum autem ad motum voluntarium faciendum, & ad sensum ad inferiores partes corporis deferendum. Collum enim influentiam virtutis motiuæ recipit à cerebro, & etiam sensitiue, & receptã ad inferiores partes corporis neruis mediantibus transfundit. Debet autem collum habere quandam conuenientiam & proportionem cum capite: nam si forma capitis fuerit temperate magis, & ceruix aliquantulum grossa, bonitatem signat complexionis & dispositionis, *Vt dicit Constant.* Si vero fuerit caput paruum, & collum magnũ, quantitati illius non proportionatum, abundantiam designat materiæ superfluam, & virtutis informatiuæ defectum, & eiusmodi caput super cephalica infirmitate, & auricularum dolore fatigatur, *Vt dicit Constan. secundum autem Arist. lib.* 14. colli dispositio variatur in animalibus & volatilibus. Nam in quadrupedibus spissi corporis, & crurium mediocrium collum curtum est & grossum, & huiusmodi animalium in collo plurima est fortitudo, vt patet in bobus & bubalis, & vrsis, & lupis, quorum maxima in spondylibus colli fortitudo est, & ideo solent boues per colla iugorum vinculis alligari, animalia vero longi cruris & grossioris corporis solent esse colli longioris, & hoc propter necessitatem pastus, vt patet in equis, camelis, ceruis, & huiusmodi. Maxima autem equi pulcritudo est in collo, nam secundum eius erectionem & spissitudinẽ & extensionem à pluribus æstimatur animosus. *Item Aristot. in eod.* aues habentes curuum rostrum, habent curtum collum; vt patet in accipitribus, aquilis & nisis Quæ vero sunt habentes rostrum longum & rectum, habent collum longũ, vt patet in gruibus, ardeis, anseribus, & hoc est, quia acquirunt cibum de profundo. Item idem Ibidem. Omnes aues pedum longorum habent collum grossum & spissum, & volant extenso collo, & si habuerint collum longum & habile ad declinandum, declinant illud & quasi complicant in volando. Item idem, si quod animal fuerit longi cruris, erit longi colli, & si curti: curti. Item omne animal habens

habens collum, habet pulmonem, tale vero quod non anhelat aerem, interius collum non habet. Animalia autem annulosi corporis non habent collum distinctum à corpore, sicut nec pisces, & hoc, quia non habent scapulas, quia non vocatur collum nisi membrum, quod est inter caput & scapulas, *vt dicit Aristoteles ibidem.*

Cap. XXVI.

De Humeris.

HVmeri dicti sunt quasi armi, ad distinctionem hominis à pecudibus mutis: vnde nos humeros, illi vero armos habere dicuntur, *vt dicit Constan.* Sunt autem humeri ex variis ossibus compositi, quorũ præcipue ista duo spatulæ dicuntur, ad modum spatæ latæ. Spatum enim latum dicitur. Fuerunt autem ossa necessaria, *vt dicit Constan.* de causis duabus, aut vt defendãt pectus, ne quid retro pateretur ab exterioribus, aut vt armorum ligent ossa, quę interius sunt concaua, exterius vero gibbosa. Erat autem intra concauitas, vt prodesset costis, quæ ossa sunt habentia nodos, quos medici vocant spatularum oculos, quod nomen ex officio assumpserunt. Sicut enim oculi totius corporis anteriores sunt defensores, ita ista à posteriori pectora & eorum costas & ossa defendunt & custodiunt. Sunt autem isti ideo oculi concaui, vt armorum acumina possint ingredi. Habet autem spatula duo acumina retro, vnum corui rostro assimilatur, per quod eadem spatula furculæ est cõnexa, ne à superiori locum suum exeat interius. Ad hoc natura posuit alterum, ne subtus exiret acumen armorum, furculæ autem fuerunt ad hoc necessariæ, vt armos ligarent, & à pectore differre facerent, horum ossa exterius sunt rotunda, interius vero concaua, & cum teneritudine pectoris ante colligata, retro vero cum corui rostro. Sunt autem eorum ligamenta ossa cartilaginosa, quæ vocantur spatularum capita ad hoc posita tantum, vt concatenationem facerent armorum. Ex iam dictis patet, ꝙ humeri & armi isti necessarii sunt etiam ad spiritualium membrorum defensionem. Item ad brachiorum, siue costarum, siue pectoris & vitalium ossium catenationem, & colligationem. Item ad ossium & spondylium colli sup-

portationem. Item necessarii sunt ad ponderum diuersorũ sustentationem, nam ratione suæ osseositatis & neruositatis maximam habent fortitudinem & vigorem. Item post caput & collum in corpore maximam obtinent eleuationem. Aliis enim membris supereminent sub capite constitutis, vt patet in omni animali. Item patiuntur humeri, quandoq; ab extrinseco, vt vulnera siue qualemcunque læsionem, siue propter nimiam laboris & oneris continuitatem, & tunc potissime curãtur per quietem, & alicuius vnguenti appositionem: *Vnde dic. Arist. lib.* 7. quod iuncturæ elephantis solẽt inungi oleo oliuæ, propter facilioré oneris & laboris tolerationem, vt melius dormiãt. Item quandoque à causa intrinseca, scil. ex fluxu humorum concurrentium ad iuncturas in neruis humerorum, ex quib. nerui grauantur, & in suo effectu impediuntur. Quandoq; etiam ipsæ iuncturę superfluis humoribus replentur, ex quorum acumine dolor in sensibili neruo generatur.

Cap. XXVII.

De Brachiis.

Brachia à fortitudine sunt dicta. Barim n. græce, forte dicitur latine, *Vt dicit Isido.* In brachiis enim thori lacertorum sunt, & insigne robur existit. Hi thori dicuntur musculi. Et dicuntur thori, eo quod illuc quasi viscera torta videantur, *Vt dic. Isi.* Brachium autẽ, *Vt dic. Const.* ex duobus constat ossibus, vnũ est supra, & appellatur cubitus superior, alterũ infra, & dicitur cubitus inferior. Est autẽ os inferius priori maius, quia portans portato maius esse debet & firmius. Concatenatur autem brachium cum armo superiori, & connectitur neruis fortissimis, quib. mediantibus, sensum & motum voluntarium recipit, & ad manum post transmittit. Sunt brachia rotunda propter maiorem ad operationem & motus habilitatem, & maiorem impassibilitatem, vt non facile patiãtur. Sunt etiam flexibilia in iuncturis tribus, scil. circa manum, cubitum, & armum, vt motui voluntario sint habiliora, & ad obediendum voluntatis imperio promptiora. Præterea brachia respectu aliorum membrorum minus sunt carnosa, & hoc propter substantiam ossium neruosam, ex qua componuntur propter

roboris

roboris & virtutis ampliationem. In brachiis enim maxima est hominis fortitudo ad portandum, ad eleuãdum, ad constringendum, ad repellendum, ad pugnandum, ad operandum. Item brachiorum ossa sunt grossa, dura, concaua, medullis plena. Grossa quidem sunt & dura, ne de facili rumperetur: concaua, ne nimia soliditate nimis ponderosa redderentur. Medullis plena, vt ossa sicca & dura medullarum pinguedine irrigarentur, & vt spiritus à neruis & venis confluentes medullari temperie seruarentur & nutrirentur. Cute, musculis & lacertis intermixta, carne teguntur, ne ab aliquo extrinseco de facili læderentur. In iuncturis & vertebris cartilagine vestiuntur, ne nimia duricie ossium mutuo se collidentium nerui sensibiles aliquã molestiam paterentur. Et vt ipsa ossa in suis iuncturis planicie & mollicie cartilaginea expeditius mouerentur, & nullius asperitatis occursu tardarentur. Item brachia propter vnitatem, quam habent cum regione cordis, spiritum & pulsum per quasdam arterias recipiunt, & variam ipsius mutationem & consistentiam, defectum & profectum in venis & arteriis pulsantibus manifestant. Item brachia propter vicinitatem cerebri familiarem habent conuenientiam cum capite, & ab eo recipiunt latentis virtutis influentiam. Et ideo pro defensione capitis secundũ sensum naturæ, & sine deliberatione, contra ictus ferientium se opponunt. Item venæ totius corporis, & maxime de regione capitis, cordis & epatis conueniunt in manibus, & digitis nutrimentum tribuunt. Et ideo, qui sanguine repletos se sentiunt, & grauatos aliquam de venis brachiorum aperire consueuerunt, & sic brachia sæpe vulnerãtur & percutiuntur, vt alia membra, sanitatis beneficiũ consequantur. Dicunt etiã medici, ꝙ sicut habetur in lib. de Phlebotomia. Qui infirmantur in vna parte corporis, debent venã in partẽ oppositam aperire. Vnde qui patitur in dextra, minuit de sinistra, & è conuerso, nisi materia fuerit venenosa, vel alias furiosa. Tunc enim sanguis ad partem oppositam non est attrahendus, ne materiæ venenositas transiens per cor vel aliud membrum nobile ipsum lædat, *sicut dicitur ibidem.* Brachia itaque propter vtilitatem aliarum partium corporis sibi mutuo seruiunt, & pro membrorum custodia vulnerari, & percuti, & à suo onere

minui non subterfugiunt, & se percutientibus resistunt. *Hoc autem dicit Galen.* brachia habent proprium, vt quod cor diligit, brachia diligant, & in amplexum eorum voluntarie se extendant. Quod autem corde diligi sentiunt, quanto vicinius possunt, cordi applicant & constringunt, intantum, vt totum dilectum toti amanti cordi imprimerent, si valerent. Et hæc de brachiorum proprietatibus sufficiant. Item denudatio & inquietatio brachiorum mortiferum signum est in acutis, *vt dicitur in prognosticis.*

Cap. XXVIII.

De Manibus.

MAnus est dicta, eo quod sit totius corporis munus, *vt dicit Isid.* Ipsa enim cibum ori administrat. Ipsa omnia operatur ac dispensat. Per eam accipimus & damus. Abusiue enim manus ars vel artificium dicitur, sicut aliquando de aliquo pictore vel scriptore dicitur. Iste habet bonam manum, id est, scribendi artem vel artificium. Dextra à dando est dicta. Nam *vt dicit Isidorus* dextra pignus pacis datur. Ipsa fidei & salutis testis adhibetur. Et hoc est illud apud Tullium, *fidem publicam iussu senatus dedi, id est, dextram. Et Apostolus ad Galat. Quibus dedi dextram fidei & societatis.* Sinistra autem dicitur quasi sine dextra, siue quia rem fieri sinat, à sinendo enim sinistra est vocata. Palma autem dicitur digitis expansis manus intensa, sicut contractis pugnus. Pugnus autē à pugillo est dictus, sicut manus expansa dicitur palma, ab expansis ramis. Est itaq; manus magnum corporis iuuamentú pariter & ornamentum, propriū & principale tactus instrumentum. Nulla enim pars corporis est tactu tam sensibilis, sicut vola manus *vt dicit Isid. & etiam Constantinus.* Manus autem *secundum eundem Constantinum* quo ad exteriorem partem sui, ex nouem paruis ossibus medulla carentibus diuersis & solidis est compacta, habuit autem tot ossa vt manus esset mobilis. Sunt autem ossa diuersæ formæ. Alia scilicet gibbosa, alia concaua, alia recta, vt cum omnia iungerentur, quasi vnum os redderetur. Ista autem ossa in duobus ordinibus stātia, ex vna parte cum volæ pectinibus, ex alia parte cum duabus brachiorum concatenationibus fortiter colligantur.

tur. Concatenatio ad ſuperiora habet horum trium vnam concauitatem brachia ſubeuntia, per quam manus lateraliter extenditur atque ſtringitur, concatenatio vero inferior atque minor interiori extremitati brachii iungitur ipſius acumen concauitate, quandoq; oſſium ſubintrante. Hæc vero concatenatio motũ facit ante, & ſimiliter etiã retro. Vola manus dicitur interior pars, vbi maxime viget tactus. Et ideo in illa parte eſt magis carnoſa & magis mollis propter tactus bonitatem. Et duas habet partes. Pecten eſt vna pars digiti pars altera, componitur autem ex quatuor oſſibus, vt ſi forte vnum lædatur, alterum non patiatur. In concauitatib. autem quatuor oſſium pectinis quatuor digiti ſunt inſerti, & in eis concatenati. *Et ideo dicit Ariſtoteles lib.* 14. Manus non eſt vnum inſtrumentum ſed multa. Natura enim dedit homini inſtrumenta virtutibus conuenientia, vtpote manus, in quibus ſunt multi digiti & diuerſi, vt per eos minima & maxima valeant retineri. Nam *vt dicit idem*, creatio manus eſt conueniens multis & oppoſitis operationibus. Eſt enim diuiſa & extenſa in multas partes, & poteſt homo vti vna ſola parte, & duabus & pluribus ſecundum diuerſos modos, habent enim volæ manuum hoc ſibi appropriatum, quod nunquam in homine pileſcũt, quamuis exterius in aliquibus pili creſcunt. Maxime autem hoc contingit in maſculorum manibus, & hoc propter caloris abundantiam dominantem. Eſt aũt manus dextra fortioris caloris, & maioris ſiccitatis quam ſiniſtra. Et ideo ad operandum dextra leuior eſt & habilior quam ſiniſtra. Vnde *Ariſtoteles lib.* 2. animalia quadrupedia quæ generant animalia, loco manuum hominis habent pedes anterius. Et pes ſiniſter in animalibus non eſt abſolutus, neque leuis motus, ſicut nec ſiniſtra manus in hominibus, præterquam in elephante. Elephas etiam *vt dicit Ariſtoteles libr.* 1. vtitur naſo forti & longo loco manuum, & per ipſum accipit cibum & reddit ori ſuo. Reddit etiam per naſum ori ſuo potum. Et nullum animal poteſt hoc facere niſi ipſe. Inter volatilia autem vtuntur pede pro manu pſittacus & porphyrio, ſcilicet pellicanus. Nam pſittacus pede cibum accipit, & intingẽs in aquam cibum cum pede ſuo ori porrigit ſic intinctum. Similiter & Porphyrio. Patitur autem manus multipliciter, ſcilicet con-

tractionem, arefactionem, pustulationem, scissionem, vermium corrosionem, pruritum & titillationem, iuncturarum dislocationem, & chiragricam passionem. Causatur contractio quandoque ex calidis & siccis humoribus neruos desiccantibus, vel frigidis & humidis eosdem inficientibus, & transitum spirituum includentibus, vt patet in paralyticis & leprosis, quorum manus ex putridis & corruptis humoribus neruos consumentibus & desiccantibus contrahuntur. Arescunt etiam manus ex debiti nutrimenti subtractione, vt patet in decrepitis & squalidis, fame laborantibus, & in confractis. Quandoque ex distemperantia caloris, & excessu totam humiditatem consumente, vt patet in phthisicis, hecticis & huiusmodi. Quandoque etiam ex vitio venarum & neruorum qui opilantur. Vnde ex defectu humorum & etiam spirituum virtus regitiua impeditur, ex quibus manus arescunt, & à vigore & corpulentia depauperantur. Pustulæ autem & vesicæ turgentes, generantur ex prauis & corruptis humoribus extrema petentibus, vnde & caro intus superficialiter corrumpitur, & cute eleuata in vesicas vel pustulas immutatur. Scissuræ autem & pruritus & huiusmodi accidunt ex humoribus calidis & acutis, fumis intercutaneis, qui cutem scindunt, & suo acumine carnis superficiem diuidunt & incidunt, & primum pruritum & titillationem faciunt, sed post dolorem non modicum superducunt. Item etiam humor corruptus sub cute latens, quando non expellitur, nec à calore naturali consumitur, paulatim plus & plus corrumpitur, & in paruos vermiculos conuertitur, qui paulatim cutem corrodentes, titillationem prouocant & pruritum. Dislocatio quandoque accedit ex casu vel percussura, vel compressione nimia. Vnde ex huiusmodi violentia, iunctura locum suum exit, & superinducitur dolor grauis & tota manus redditur impotens ad aliquid operandũ. Accidit etiam ab intrinseco, scilicet à nimio humore neruos iuncturæ infrigidante, lubrificante & relaxante, vnde de facili iunctura dislocatur. Chiragra vero dicitur eadem passio in manibus, quæ & podogra in pedibus nuncupatur. Generatur enim ex humoribus grossis & crudis, in iuncturis coadunatis & conglobatis, vnde & articuli & iuncturæ indurantur, & quasi nodosę efficiuntur. Et quando talis in-

firmi-

firmitas est longa, artetica solet in manibus generari, & vix curatur si fuerit diuturna, *vt dicitur in aphoris.* Multa alia incommoda solent præcipue manus occupare, sicut vesicæ & huiusmodi. Et hæc sufficiant. Hoc solum addendum est, *quod dicitur in aphoris.* Mulier ambidexter non fit, *Super quod verbum dic. Galenus.* Masculi ambabus manibus æqualiter operantur, quod à muliere fieri non vidimus nec audiuimus, quod ex suæ defectione est naturæ. Vix enim fortis est ad operandum in dextra, quanto minus in sinistra. Masculi autem fortes habent neruos & lacertos in vtraque parte, & calorem habent mulieribus fortiorem, & ideo sæpius contingit quod operantur sinistra sicut & dextra.

CAP. XXIX.

De Digitis.

Digiti nuncupati sunt vel quia decem sunt, vel quia decenter iuncti existunt. Habent inter se numerum & ordinem decentissimum, *vt dicit Isidor.* Primus pollex vocatur, eo quod inter cæteros plus virtute polleat, & prevaleat potestate. Secundus index & salutaris, sicut dicitur demonstratiuus, quia illo omnes fere salutamus, & omnia demōstramus. Tertius est medius, qui & impudicus. Quartus est annularis, quia eo annulus geritur. Et dicitur etiam medicus vel medicinalis, quia eo trita collyria à medicis colliguntur. Quintus est auricularis, sic dictus, quia eo aures scalpimus, *vt dicit Isidorus.* Componuntur autem digiti *secundum Constantinum* singuli ex tribus ossibus, quæ sibi inuicem concatenantur. Et quatuor digiti sunt qui cum pectine colliguntur. Pollex aūt cum brachij interiori concatenatione iungitur. Sunt aūt noduli inferiores, maiores quam superiores & latiores, sicut portans eo, quod portatur latius & firmius esse debet, *vt dicit Constantinus. Secundum autem Aristotelem lib.* 3. mobilitas digitorum conueniens est ad recipiendum & retinendum. Sunt etiam digiti in lōgitudine distincti, graciles, inter se diuisi, in extremitatibus vnguibus muniti, & quanto sunt erectiores & flexibiliores, tanto sunt ad operationes varias aptiores. Sunt modicæ carnis, propter motus facilitatem & faciliorem tactum, quia nihil facilius in corpore discernit inter

obie-

obiecta tactus, sicut extremitas digitorum. Et hoc forsan est propter viuacitatem neruorum, qui in digitorum summitatibus reflectuntur, & propter cutis in digitorum extremitatibus lenitatem, *Vt dicit Constantin.* Habent etiam digiti hoc proprium, quod ante cibum sunt grossiores, quam post cibum, vnde & annulus, qui propter sui cōstrictionem vix ante prandium diripitur de facili poterit post cibum amoueri, *sicut dicitur super aphoris. Item dicit Aristoteles lib.* 7. Aues aquaticæ habent intra digitos quasi corium, & eorum mansio est in aqua, & aues habentes digitos diuisos, manent proprie secus aquam, & cibantur ex eo, quod crescit in terra. Et istæ non comedunt carnem, nec viuunt de rapina, sicut aues habentes curuos vngues in digitis, quæ comedunt omnia animalia quæ possunt venari, & viuunt sanguine, tamen non comedunt se inuicem, sed parcunt auibus sui generis, quod non faciunt pisces, quoniam alios comedunt sui generis.

CAP. XXX.

De Vngula.

VNgula est pars digiti extrema, in superiori parte digitorum collocata, quæ, *Vt dicit Constantinus*, cum carne & cute sibi vicina est coniuncta, cuius ligamenta sunt cordosa, veniunt etiam ad vngulas venæ, nerui & arteriæ, vt eis dent sensum & naturale iuuamentum. Harum incrementum longum est & latum, quantitati autem digitorum proportionatum. Quod autem superexcrescit & neruorum tactum transit, nihil sentit. Et ideo sine dolore præscindi se permittit. Nam vngulæ incrementum & nutrimentum est simile nutrimento pilorum. Et ideo excedunt in crescendo extrema digitorum, *Vt dicit Constantinus*. Generatur autem ex quibusdam fumositatibus a corde resolutis, vsque ad digitorum extremitates circumfusis, vbi fumositates ingredientes exteriori aere desiccantur, & in vngulæ substantiam commutantur, *sicut dicitur super librum prognosti. in commento.* Et hoc ad extremitatem digitorum subsidium, quæ de facili propter sui teneritudinem læderentur, nisi per vnguium duritiam munirentur: vnde ipsorum digitorum sunt vngues iuuamentum, & non minimum ornamentum. Est autem vnguis osse mollior, carne

autem

autem & cartilagine durior, corneam quodammodo habens dispositionem & naturã, & ideo habet in se quodammodo corneam luciditatem & planitiem propter eius superficiem politam, & aliquantulum transparentem. Vnde & quandam in se repręsentat luciditatem & speciositatem, quia vero vnguis ex cordis fumositatibus generatur, cordis ipsius viuacitas vel mortificatio in eis apertissime prognosticatur. Calore enim cordis deficiente, vngues nigrescunt & pallescũt, & ideo etiam sui mutatione vel contractione, extinctionem caloris vel mortificationem naturæ præsentant & prætendunt, *Vt dicitur in lib. prognost. Item Aristoteles lib.* 7. Aquilarum vngues incuruantur & hebetantur, quando cubant super oua & nutriunt pullos suos, & albescunt alæ earum & debilitantur. Hoc autem habet aquila proprium vt residens super arborem & quiescens sæpius respicit vngues suos, timens forsan ne hebetentur. Nam vngues habet pro mucronibus, & ideo ne lædantur, non libenter residet super petram, *Vt dicit idem*, & quando quiescit, in se vngues claudit & reflectit, vt sic illæsi conseruentur. Hoc idem facit leo & animalia curui vnguis. *Item idem lib.* 7. Aues vncorum vnguium non potant omnino præter paucas, & omnes aues curuorum vnguium, curuum habent rostrum, & breue ac grossum collum, & cibantur à carne & venantur, aues tamen ex suo genere non comedunt, nec eas impetunt vel inuadunt causa cibi. Ad inuicem tamen pugnant rostro, ac vnguibus se dilacerant propter fœminas, & etiam propter nidos, variatur autem vngula in omnibus volatilibus & animalibus quo ad dispositionem, etiam quoad vsum. Nam in homine manus muniunt & ornant. In volatilibus muniunt, atque pedes eorum armant. Animalium vero pedes custodiũt & calceant. Vnde in quibusdam animalibus vngues sunt rotundi & integri, vt in equis: in quibusdam sunt longi & abscissi, vt in porcis. *Dicitur enim ab Aristotele lib.* 13. Omne animal habens culmos prominentes, sicut porci, habent vngulas scissas, & in vnguibus ponit natura fortitudinem animalium, *Vnde Aristoteles lib.* 14. Natura, inquit, semper ponit vigorem in membris, quibus vtuntur animalia, vt facit in dentibus, qui sunt quasi serra, & vnguibus propter vigorem & iuuamentum.

CAP. XXXI.

De Latere.

LAtus, *secundum Isidorum*, est dictum, eo quod in iacentibus latet. Est enim leua pars corporis vel sinistra. In latere autem dextro habilior est motus, sed pars leuę fortior est, & oneri ferendo accommodatior, vnde pars illa leua à leuando dicta est, eo quod aptior sit ad leuandum aliquid & portandum, *Vt dicit Isidorus*, ipsa enim gestat clypeum, ensem, pharetram & cultellum & cætera onera, vt expedita sit dextra ad agendum. *Isidorus* latera ossibus costarum potissime fulciuntur. Et dicuntur costæ *secundum Isidorum* eo quod ab ipsis interiora custodiuntur, & tota ventris mollities costarum munìmine conseruetur cautius & saluetur. Componuntur autem costæ laterales ex pluribus ossibus, dorsi spondylibus colligatis, & ex diuersis cartilaginibus ossa prædicta coniungentibus, *Vt dicit Constantinus*, & habent hæc ossa similitudinem semicirculi, quæ dum simul ex parte spondylium dorsi & pectoris iunguntur, circulum facere videntur, *Vt dicit Constantinus*, Sunt autem ossa quatuordecim, *Vt dicit idem*, septena & septena, ex vtroque latere collocata, quæ cum septem teneris ossibus cartilaginis speciem prætendentibus, in furcella pectoris coniunguntur, quorum summitas tenera, cartilaginosa, sicut gladius acuitur, & ori stomachi supponitur ad sui cordis defensionem, vnde in compositione costarum & pectoris in vniuerso triginta duo ossa cōcurrunt, quorum quatuordecim in lateribus, & in compositione pectoris, & decem posteriores in dorsi compositione, & octo ossa cartilaginosa omnia prædicta coniungentia conueniunt, *Vt dicit Constantinus.* Contingit autem latus sæpe pati ex causa extrinseca, vt ex casu ruptura concussione & huiusmodi, quandoque ex intrinseca, vt ex fluxu humorum, & concursu hypochondriorum ad locum & concauitatem costarum. Aliquando apostema generatur, vt patet in pleuresi, quæ generatur ex apostemate existente in teneritudine costarum. Cuius signa sunt dolor lateris, tussis, febris, febris acuta, cognoscitur autem præcipue per sputum sanguineum si ex sanguine, per citrinum si ex cholera, per album si ex phlegmate, per liuidum si fuerit ex melancholia

cholia, raro tamen ex humore melancholico generatur, *sicut in practica continetur.* Talia enim apostemata, quando radicātur in latere, grauissimum inferunt dolorem & suffocationem & inflammationem, & tunc in latere apostematico patiens quiescere non potest nec iacere. *Vnde dicitur in prognost.* quod in febribus acutis ægrum iacere in latere & præcipue in dextro bonū signum est, quia signat loca vicina non esse apostemata, & spiritualia membrā sunt liberiora, & habēt locum in quo dilatentur, & sic homo melius spirat & respirat, quia nec stomachus, nec alia membra comprimunt spiritualia. Contingit etiam in hypochondriis in regione vacua, sub costis ventositatem aggregari, & in costarum pelliculis includi. Ex quarum distensione punctura & dolor generatur. Quandoque etiam contingit ex humorum grossorum concursu locum opilari & indurari & ita loca lateralia vel indurari nimis & cōtrahi, vel etiam nimium eleuari. *Et ideo dicitur in prognostic. Hippocrat.* In hypochondriis si fuerint sine dolore & si molles sint si bene compositæ, hinc & inde bonum. Si vero fuerint, aut dolentes aut spasmo distentæ, id est, si contractæ fuerint, vt solet fieri in spasmo. Si inter se dissimiles. Si in aliqua earum fuerit pulsus magnus, vt saltus, malum. Signat enim angustiam vel alienationem, &c. Quod quidem verum est in acutis febribus, & maxime si fuerit visus oculorum horribilis & inordinatus, *Vt dicit idem commentator.* Si vero fuerit ordinatus motus oculorum, non est tantus timor de futura alienatione etiam in acutis, *Vt dicit idem.*

Cap. XXXII.

De Dorso.

Dorsum à duritie est dictum, eo quod sit durior corporis superficies ad modum saxi, ad portandum fortis, & ad patiendum durabilis, *Vt dicit Isidorus.* Dicitur etiam tergum, eo quod in ea parte supini in terra iacemus, quod solus homo potest. Nam bruta animalia aut in ventre aut in latere iacent, vnde in animalibus tergum abusiue dicitur, *Vt dicit Isidorus.* A terendo tamen potest dici tergum, quia variis flagellis teritur, non solum dorsum animalium, verum etiam dorsum hominum captiuorum, *Vt dicit idem.*

Vel,

Vel, *secundum Remigium*, tergum dici potest à τέρ© grece, quod est rotundum latine, eo quod dorsum animalis quandam speciem præfert rotunditatis, eo quod omnia ossa corporis fundantur supra dorsum, sicut carina nauis. Incipit autem dorsum, *secundum Constantinum & Isidor.* à puppi capitis & protenditur vsq; ad renum vicinitatem. Est autem dorsum ex variis ossibus & spondylibus compositum, & hoc ob quatuor causas fuit necessarium: primo quia omnium aliorum est fundamentum, super quod omnia alia ossa sunt posita, sicut nauis super carinam mediam est locata. Secundo quod viscerum interiorum defensio est, & cooperculum. Tertio quia neruorum à cerebro ad diuersas partes corporis inferius descendentium est adiutorium, vt hinc & inde motus voluntarius & sensus diffundatur. Quarto vt medullæ descendentis à cerebro sit vehiculũ, & ab intrinseca læsione illius defensiuum. Ex multis autem ossibus compositum est animal, vt facilius se erigat & inclinet, & vt onera superposita ferat fortius & supportet. Vocantur autem ossa dorsi spondylia, & sunt concaua, vt medulla spinalis, quæ à Physicis dicitur nucha, facilius feratur ad inferiora membra ad motum voluntarium faciendum. Eadem enim est natura & virtus in cerebro & in nucha, *Vt dicit Constantinus*, & ideo duplici pellicula sicut cerebrum est vestita, *Vt dicit idem.* Vnde si hæc medulla in spina dorsi ab aliqua causa fuerit impedita siue læsa, virtus animalis læditur, & in suis actionibus impeditur, sic & quando cerebrum læditur. Vnde & animal, læsa nucha, de facili moritur, propter quod natura fecit ossa spondylia dura & neruosa, & insuper acuta & spinosa propter maiorem medullæ defensionem & propter faciliorem resistentiam & repulsam iniuriæ scilicet inferentis læsionem. Est autem cutis dorsi siue pellis spissior & durior, quam in cæteris partibus animalis, & hoc propter causam supradictam. Patitur autem dorsum multa ab interiori & ab exteriori, quia exterius patitur verberationem & excoriationem & multiplicem læsionem, interius autem patitur neruorum contractionem, humorum nimiam repletionem, viarum & meatuum spirituum opilationem, puncturam & horripilationem & multiplicis guttæ infestationem, &c.

CAP.

Cap. XXXIII.

De Pectore.

Pectus est ossea pars & inferior inter mamillas & pulpas, & ideo pectus est dictum, quia est proximum inter partes eminentes mamillarum, *Vt dicit Isidorus. Secundum vero Isidorum & Constantinum*, pectoris fundamentum est infra dorsum positum, cuius magis est concauitas, vt intra posita custodiat & cor ac pulmonē cum aliis membris spiritualibus protegat & defendat. Magnitudo autem concauitatis pectoris fuit necessaria & vtilis, vt pulmo huc & illuc possit dilatari, ad refrigerandum calidum fumum cordis. Fuit autem osseum & neruosum propter maiorem fortitudinem & fortiorem vitalium defensionem, in quibusdam pelliculis interioribus, cum quadam pinguedine circumdatur interius & munitur propter caloris naturalis fomentum & conseruationem & frigiditatis ossium pectoris & thoracis mitigationem. Sunt autem, *secundum Constantinum*, duæ concauitates à se inuicem quibusdam pelliculis separatæ, & fuit hæc diuisio necessaria, vt si flatus pectoris in vna parte casu in aliquo amitteretur, in altera parte concauitatis ad vitæ animalis custodiam seruaretur, quod si vtraque concauitas infirmaretur, anhelitu intercluso de facili moreretur. Item pectoris pelliculis cor & pulmo colligātur, & ne de suo loco exeant inuoluuntur, *Vt dicit Constantinus lib. 2. cap. 15.* Est igitur pectus mamillarum fundamentum & hoc non solum propter ornatum, verum etiam propter necessarium pectoris iuuamentum. Nam sua carnositate cooperiunt, & eius osseam frigiditatē temperantes, ab extrinseca læsione aeris frigidi protegunt & defendunt. Nobilissimum itaque membrum est pectus humanum, quia sedes sapientiæ est, & domicilium caloris vitalis & vigoris, quo bene disposito, cum suis contentis atque sano, corporis totius vigor in suis actionibus confortatur: & è conuerso læso pectore, totius corporis compago deterioratur. Patitur autem pectus multipliciter, quandoque à nimia frigiditate constringente nerui & ligamenta thoracis percutiuntur, & in suis effectibus impediuntur: & aliquando ex nimia caliditate & siccitate substantialem eius humorem consumente, & neruos pectoris contra-

hente, vt patet in phthisicis & hecticis calore nimio cõsumptis, quandoque ex nimia humiditate sanguinea vel phlegmatica meatus pectoris infundente & replente, vnde & quandoque sequitur suffocatio, & quandoque raucitas, & quandoque vocis ablatio, *Vt dicit Constan.* quandoque ex humore corrupto in pelliculis pectoris collecto, vnde & pectus apostematur & impeditur anhelitus, & animal aliquoties suffocatur. Aliquando patitur ex colligantia aliorum membrorum, quę læduntur, nam gutture læso aut pulmone aut stomacho necesse est, vt pectus doleat & patiatur, maximæ autem sunt passiones pectoris periculosæ & præcipuę interiores propter cordis, vbi est sedes vitæ, vicinitatem. Vnde magis lædit modica punctura interius in pectore, quam vulnus maximum exterius in brachio vel in crure, variatur dispositio pectoris in hominibus & in volatilibus, *Vt dicit Aristoteles.* Nam homines habent pectus latum, & aliquantulum à dextris & sinistris eleuatum in medio, & ipsa eleuatio est signum animositatis & virtutis, & nullum animal habet mamillas in pectore præter homines & elephantes, *Vt dicit Aristo. lib. 2.* Animalia enim vbera habent aut in latere, aut in ventre, vt porci & canes, asini, vaccæ atque oues, *sicut dicit idem*, plures fœtus generant animalia habentia vbera in ventre, vt patet in canibus & in porcis, quã illa, quæ habent in pectore, vt patet in homine & elephante, qui nunquã generant nisi fœtum vnum, *Vt dicit idem lib. 5.* Aues autem generaliter habent pectus acutum, & maxime aues prædæ, quæ sunt curui rostri & acuti vnguis, & modicæ carnis ac boni volatus, & acuti visus, quoniam vident cibum suum à remotis valde, & ideo tales aues eleuant se in aere valde alte, plus quam alia volatilia, & hoc propter prædictam causam, *sicut dicit Aristoteles lib. 2.* acuitas autem pectoris in talibus auibus animositatis & generositatis est indicium, *Vt dicit Isido. de accipitre*, magis autem, inquit, animosus pectore quam rostro vel vngue accipiter est armatus, & ideo accipiter animosus pectore in aere percutit, & deiicit prædam suam.

CAP.

Cap. XXXIIII.

De Mamilla.

MAmilla enim à rotunditate est dicta, *μάσω* enim græce, rotundum latine *vt dicit Isid.* papilla vero dicitur caput mamillæ, quam infans sugit labiis & apprehendit, & dicitur papilla, quia à puero tangitur & palpatur. Dicuntur autem mamillæ vbera quasi lacte vbera, vel quia lactis humore in morem vtris sit plena. Nam post partum, si sanguis nondum fuerit pueri nutrimento consumptus, naturali meatu fluit in mamillas, & earum virtute albescens, lactis recipit qualitatem, *vt dicit Isido. Secundum Constant.* autem mamillæ de glandulosa substantia sunt compositæ, carne scilicet molli, & alba, sicut lactis est natura. Sunt autem venæ & arteriæ glandulosa in substantia mamillarum intermixtæ, per quas diffunditur sanguis ad mamillas cũ spiritu. Sunt autem mamillæ in pectore positæ, vt cordi essent vicinæ, vt per caloris cordis decoctionem sanguis in materiam lactis facilius conuerteretur. Nam sanguis per concauam venam ad cor veniens, & deinde ad pectus tendens tandẽ ad mamillas penetrat, & in earum carne spongiosa in materiam lacteam vi caloris se transmutat, caro enim ipsius mamillæ carnosa est & cauernosa, porosa scilicet vt spongia, vnde ad generationem lactis est apta ad cuiuslibet nutrimentum pueri. Habet autem mamilla hoc proprium, *vt dicitur sup. aphoris.* quod mulierum, quæ facturæ sunt abortiuum mamillæ exmollescant, *vt dic. Hipp.* Item si dextera mamma mulieris, postquam geminos conceperit, exmollierit: masculus abortiuus fit, si vero sinistra, fœmina abortiabitur, & si vtraque, vterque fœtus patietur abortiuum *cuius rationem assignat ibi Gale. in commento,* dicit enim quod gracilitas mamillæ paucitatem lactis signat, vnde cum infans debitum non habeat nutrimentum, necesse est vt abortiat ipse fœtus. *Item idem Hippocrates ibidem*, mulieribus in quibus sanguis calidus, superfluus conuertitur ad mamillas, insaniam futuram significat, cuius ratio est, *secundum Galen.* quia cum sanguis calidus & superfluus vel feruens ad mamillas fluxerit, si præ nimietate sui, & etiam caloris excessu non poterit in lac mutari, in fumositatem acutam resolutus, caput petit,

& sic insaniam propter perturbationem cerebri generat & inducit. *Item idem in eodem*, Mulieri, menstrua si voluerit retinere sitiam maiorem, idem ventosam debes apponere ad mamillam, id est, sub mamillarum venis de matrice ascendentibus, *Vt dicit Galen.* per attractionem ventosarum sanguis superfluus attrahitur ad mamillas, & sic inferior fluxus menstrui minoratur, *sicut idem recitat Galen. Item in eodem*, si mulieri habenti in vtero lac multum fluxerit ex mamillis, fœtum debilem signat, si vero fuerint vbera dura, iterum debilem signant esse fœtum, ideo enim non diminuitur lac, quia fœtus est debilis ad accipiendũ & conuertendum in suum nutrimentum, vnde nimia fluxibilitas mamillarum corruptionis & imperfectionis signũ est, *Vt dicit Galen.* si vero fuerint mediocriter duræ, sanitatem fœtus designant, nimia enim mamillarum gracilitas & macilentia post conceptum fœtum esse debilem signat & corruptum. Nam signum est quod subsequi debeat abortiuum, *Vt dicit idem.* Item si impiægnatio fuerit masculi, apparebit dextra mamilla maior sinistra, si vero fuerit fœminæ, erit sinistra maior, & hoc primo apparet, quando fœtus incipiet se mouere, *Vt dicit Aristo. lib.* 19. *Item sicut dicit idem*, sæpe ex lactis multitudine & coagulatione mamillæ nimis indurescunt, & si supercreuerit pilus aliquis tempore indurationis, accidit infirmitas magna, & dicitur pilosa, nec cessabit dolor quousque exeat putredo, *sicut ibid. dic. Ari. Item dicit id. lib.* 6. quod animalia, quę sunt multorum vberum, sunt multorum filiorum, & habent vbera à parte inferiori diffusa, vt patet in canicula & in porca, & cum parit porca, dat primo filio suo primam mamillam, secundo secundam, & sic de aliis. Animalia autem pauca vbera habentia, paucos habent filios, vt mulier & elephas, quæ habent vbera anterius in pectore collocata. Mamilla igitur est membrum nutrimento fœtus necessarium, sanguinis menstrualis ad generationem lactis susceptiuum, & suscepti sanguinis impuri depuratiuum, digestiuum, immutatiuum, dealbatiuum, dulcoratiuum, inspissatiuum, pectoris & cordis defensiuum, sexus & ætatis discretiuum, corruptionis monstratiuum, rotundum, oblongum, neruosum, carnosum, paruulorum dentibus expositum, cauernosum seu porosum.

CAP.

Cap. XXXV.

De Pulmone.

PVlmo cordis est flabellum, nomen trahens ex agitando græco. In pulmone enim πνεῦμα, scilicet spiritus est, qui flando etiam aerem recipit & emittit: vel dicitur pulmo, quia palpitat se aperiendo, vt flatum capiat, & stringendo emittat: vnde in continuo motu est inspirando & respirando, *vt dicit Isid.* Est autem pulmo de carne molli & aerea creatus, spumæ coagulatæ similimus, *vt dicit Constan.* cuius iuuamentum est, vt cor vndique circundet, & aerem frigidum ad sui temperiem administret. Est etiam pulmo instrumentum spiritus & vocis. Spiritus fuit necessarius propter cor, vt per attractionem aeris refrigeraretur, & per eius constrictionem fumosa superfluitas expelleretur. Et ideo pulmo inter cor & guttur est medius, ne subito ad cor aer irrumperet, sed potius aerem receptũ temperaret. Est itaque pulmo quędam cellæ similitudo, seruans aerem frigidum ad cordis scilicet feruorem mitigãdum, vel calidum ad vocem necessarium, vel ad flatum. Sine enim pulmone vox formari non potest, neque anhelitus, *vt dicit Aristot. lib.* 13. Propter ergo prædictas causas caro pulmonis mollis est & leuis, ac concaua, vt de facili mutet aerem in sui naturam, vt sic vitalis spiritus facilius transeat in ventriculo cordis ad conseruationem vitæ animalis. Et est generale, *vt dicit Aristot.* quod omne animal anhelans, habet pulmonem, & omnia animalia ambulantia anhelant, & quædam animalia aquosa anhelant, vt delphini. Item omne animal generans, habet nigrum pulmonem, & est multi sanguinis propter calorem naturæ. Pulmo vero animalis ouantis est paruus & siccus, & potest inflari & tumescere, *vt dicit Aristot.* Et *sicut dicit idem lib.* 13. Quædam animalia non habent pulmonem, sed branchias loco pulmonis. *Item ibidem lib.* 16. Omne animal habens pulmonem, calidius est animali carente pulmone, animal enim habens pulmonem, multum sanguineum est respectu animalis non habentis. Patitur autem pulmo multipliciter: quandoque enim ex humore rheumatizante ad canales pulmonis, & tunc variæ generantur passiones, secundum varias humorum ad pulmonis principium

fluxiones, sicut sunt synanche, tussis, phthisis, raucedo, asperitas vocis, & similia. Quandoque patitur ex coadunatione humoris in pennis pulmonis, vnde fit phthisis & alię horrendæ passiones, vt patet in sanguinem & saniem exscreantibus, *Vt dicit Constantinus*. Item aliquando patitur ex propriæ substantiæ vlceratione, & hoc accidit ex acumine humoris, ad pulmonis substantiam defluentis. Talis passio non de facili curatur, quia cum ex humoris acumine substantia pulmonis fuerit vlcerata propter ipsius pulmonis teneritudinem, & motus continuationem non de facili solidatur, vnde & tunc aer attractus per foramen vlceratum de facili euanescit, vnde ad temperiem caloris cordis non sufficit, quin potius propter aeris attracti paucitatem cor in se penitus marcescit. *Item dicit Aristoteles lib.* 18. Animal si anhelauerit in comedendo, cadit aliquid ex cibo in concauitatem pulmonis, & tunc accidit animali tussis & strangulatio. Nam tussis nihil aliud est nisi motus animatæ virtutis ad expellendum superflua circa spiritus instrumenta, *Vt dicit Constant.* Recollige igitur ex prædictis, quod pulmo proprium cordis est instrumentum, quia cor refrigerat subtilitate suæ substantiæ, aerem attractum alterat & immutat, vocem format, à motu nequaquam cessat, quia constringit se mutuo, & dilatat aerem ad supplementum caloris, in suis folliculis & poris reseruat. Vnde tamdiu potest viuere animal sub aqua sine suffocatione, quamdiu potest recollectum aerem retinere, sui motus continuitate, aerem admouet & deponit vel depurat. Spiritui vitali continuum nutrimentum ministrat: cor denique ab instrumentis sensibilibus separat, humorem spumosum generat, cordis substantiam localiter circumdat, quando aliqua occasione patitur, mortem accelerat, actionem virtutis vitalis impedit & perturbat. *Hæc omnia dicit Constan. per ordinem.*

CAP. XXXVI.

De Corde.

COR, *secundum Isidorum* à cura dicitur, eo ꝙ omnis solicitudo & scientiæ causa in eo manet, quod quidem pulmoni est vicinum, vt cum ira accenditur humidi pulmonis remedio temperetur. In medio cor animalis positum

situm est, vt ad omnia corporis membra vitam influat atq; motum, *vt dicit Isidorus*. Est autem cor, *secundum Constantinum*, substantia quædam carnea, villosa, dura, oblonga, & rotunda. Fuit autem cor concauum propter caloris conseruationem. Est enim cor totius corporis fundamentum. Fuit autem villosum, vt facilius dilatãdo & constringendo se moueretur. Fuit etiam durum, ne de facili læderetur. Fuit etiam rotundum, vt maior abundantia spirituum in eo reperiretur. Fuit & oblongum in forma pyri, scilicet tendens in acutum, vt actio caloris naturalis semper in conum tendens, fortior reddatur. Ponitur autem substantia cordis inter ambas concauitates pectoris in medio ipsius animalis, vt à corde quasi à centro, ad circumferentiam totius corporis spiritus vitalis deferretur. Caput autem cordis quod acutum dicitur, in sinistra parte humani corporis collocatur, & quia in hac parte cordis acuta plus viget, & inhabitat spiritus vitalis, ideo in sinistro brachio pulsus fortissimus inuenitur, vergit autem cor ad sinistram partem hominis, vt ipsius calore frigiditas sinistræ partis temperetur. Habet autem cor duas concauitates, scilicet sinistram, quæ in acumen tendit, & dextram, quæ intra subsistit, & hæ concauitates ventriculi cordis nuncupantur. Et inter istos duos ventriculos est vnum foramen, quod à quibusdam vena, vel via concaua nuncupatur. Hoc foramen contra dextram partem est latum, contra sinistram vero partem strictum. Et hoc fuit necessarium, vt sanguis à dextro ventriculo veniens subtiliaretur, & sic facilius spiritus vitalis in sinistro ventriculo generaretur. *Dicit enim Augustinus lib. de differentia spiritus & animæ*, quod in dextro ventriculo cordis plus est de sanguine quam de spiritu, in sinistro vero è conuerso, quia ibi spiritus vitalis generatur ad viuificandum animal, per quasdam arterias diffusus vndique dilatatur. Sinistra enim pars cordis, duplex habet foramen, vnum inter arterias venæ, quæ portant sanguinem à corde ad pulmonem. Alterum foramen est, vnde exit arteria maior, quæ est forma arteriarum totius corporis, per quam pulsus in corde generatur potissime in parte sinistra propter causam supradictam. Similiter pars dextra duo habet foramina, vnum intra venam, quæ dicitur concaua, portans ab epate sanguinem in dextram cordis con-

cauitatem, de altero vero exit vena arteriæ, vt nutriat pulmonem. Cooperiuntur autem foramina quibusdam pelliculis, quę aperiuntur, sanguinem à corde emittendo. Deinde clauduntur, reditum prohibendo pro humido. In vtroque autem cordis ventriculo est frustulum quoddam exterius, quod auriculæ assimilatur, & hæc duo frusta cordis aureolæ nuncupantur, in quibus venæ & arteriæ radicantur & solidantur, habet cor in sua latitudine quædam ossa cartilaginosa, quæ cordis sedes appellantur. Circumit autem cor quidam panniculus, qui dicitur esse capsula cordis, & hic cum panniculis pectoris consolidatur. Hic panniculus non nimium prope cor iungitur, ne forte eius motus impediretur, qui cordi fuit necessarius, vt esset fundamentum caloris naturalis, vnde animal generetur. *Hucusq; Constantinus lib.* 4. *ca.* 21. Dicit autem *Aristoteles lib.* 1. quod non est membrum in quo sit sanguis ita infixus, sicut in corde. Sanguis enim in pulmone est fixus, sed cordi fixior est. *Item idem li.* 11. Cor positum est in omni animali in medio pectoris, præterquam in homine, quia cor hominis declinat ad partem sinistram, pars autem acuta cordis declinat ad interius pectoris in omnibus animalibus præterquam in piscibus, quoniam pars acuta in istis ad partem capitis dependet in loco coniunctionis branchiarũ. *Item in eodem dicitur*, quod omne animal habens sanguinem, habet epar & cor. Item *idem lib.* 12. In corde enim est principium venarum, & prima virtus creans sanguinem, & eius sanguis est mundus, clarus, calidus & maioris sensus & conueniens intellectui. *Item in eodem* principium sensus animalis est in corde, & sensus cum corde sunt continui. *Et* 3. *&* 8. *libr. dicitur.* Cor ponitur in anteriori pectoris & in medio, qui principium est vitæ, & omnis motus & omnis sensus in eo est. Sensus autem & motus non sunt nisi in anteriori parte cordis, & propter hoc distinguitur medium & vltimum. Et anhelitus primo vadit ad interius cordis. Natura autem creationis cordis est ex venis, quia ex genere venarum. Et situs cordis est conueniens, quoniam est positum in loco superiori & in anteriori, quia nobilius ordinatur in loco nobiliori naturaliter, cor autẽ inter omnia membra nobilissimum est, & ideo positum est in medio corporis, quo indiget necessario, quia animalium est complemen-

plementum, nec est aliquod membrum ita necessarium ad vitam sicut cor, vnde corde læso non viuit animal. Et ideo corpus cordis est in medio, & creatio eius est in corpore spisso & naturaliter concauo, & est concauum, quoniam principium venarum est ex eo ad recipiendum sanguinem spissum, aut ad custodiendum principium motus. Et in nullo membro est sanguis sine venis, nisi in corde tantum, quia exit sanguis à corde & vadit in venas, & non venit sanguis ad cor ex alio loco, quoniam cor est fons & principium sanguinis, & primum membrum habens sanguinem, sicut manifestatur ex anatomia, quoniam creatio cordis apparet primo sanguinea, & est principium motuum delectabilium & offensibilium. Et vniuersaliter motus cuiuslibet sensus ex eo incipiunt, & ad ipsum redeunt, & eius virtus expanditur ad omnia membra secundum vnum modum. In aliquibus autem animalibus inuenitur os in corde propter sustentamentum eius, sicut ossa ponuntur in membris, & in chordis animalium, magni cordis sunt tres ventriculi, & in animali parui cordis sunt tantum duo ventriculi. Et ideo debet esse in corde animalis venter, quoniã cor debet esse locus receptionis sanguinis puri & temperati in quantitatem & qualitatem. Et est valde calidus & humidus, quia cor est membrum in quo est prima virtus. *Hucusq; Aristoteles libr.13. Vbi multa dicuntur de hac materia.* Item *idem lib.* 16. scilicet quod cor animalis debet esse complementum, propter hoc creatur cor prius. Et propter calorem cordis & exitum venarum ex eo posuit natura membrum frigidum ex opposito cordis, scilicet cerebrum, & propter hoc creatur caput in generatione, post creationem cordis. Contingit autem cor pati, vel ex aliorum humorum colligantia, *Vt dicit Constantinus*, vel ex propria distemperantia. Si enim in corde dominetur excedens caliditas, ebullit sanguis cordis, & agitatur & sic vitalis spiritus læditur. Si nimia frigiditate cor constringitur, congelatur sanguis, vnde & mors sequitur. Quandoque etiam patitur ex aliquo apostemate capsulã eius inficiente, & tunc animal non diu viuit. Item accidit cordi tremor, & hoc ex humiditate aquosa in pelliculis cordis dispersa, quæ debitam eius impedit dilatationem & constrictionem. Vnde videtur infirmo, quod corde loco ad locum

moueatur. Item accidit ei defectio ex spirituum vel virtutis spiritualis dissolutione, & spirituum euaporatione. Et hoc contingit vel ex nimia repletione virtutem aggrauante & confundente, aut ex nimia inanitione virtutem dissoluente, sicut patet in cardiacis, & in quibusdam post nimium sudorem, siue nimis acutam potionē. Item patitur aliquando ex fumositate aliqua corrupta & venenosa ad cor penetrante, & cordis meatus corrumpente, vnde mors sequitur indilate. Item patitur quandoq; de venæ concauæ opilatione, vnde & sanguis nutrimentum cordis & vitalis spiritus denegatur. His & aliis modis cor patitur, *vt dicit Constantinus lib. 9 cap. 23. Dicit ad hæc Gal. in tegn.* quod virtus ea complexio cordis ostenditur per hęc signa, scilicet per magnitudinem respirationis, vel velocitatem pulsus & frequentiam eius, per virilitatem & festinam actionem, per iram, audaciam & furorem, per amplitudinem pectoris & eius pilositatem. Hæc omnia calorem dominantem in corde signant. Omnia vero signa contraria designant eius contrarietatem. *Super quem locum dicit Haly in commento*, cor in homine se habet ad modum radicis in arbore. Arteria nascens ex sinistro ventriculo, similis est trunco vel cruri arboris, quæ elongata à corde ramificatur in duas partes, quarum vna tendit ad sursum, alia deorsum, & illæ ramificantur & diuiduntur ad modum virgæ ex ramis per totum corpus vsque ad arterias capillares sparsas in cute, & quando dilatatur cor, dilatantur & omnes arteriæ similiter, & quādo constringitur, & ipsæ similiter cōstringuntur, & per dilatationem earū attrahitur aer frigidus ex exterioribus cordis ad interiora eius, & in constrictione exprimitur, vilior fumus in eis generatus & extrahit ipsum ad exteriora, & per hoc eius calor euentatur, & per eius euētationem eius complexio adæquatur. Et *vt ait idem*, virtus motiua, quæ est fixa in corde, currit per arterias ad vnamquamque partem corporis, & defert vnicuique propriam vitam & proprium calorem vitalem. Seruit enim pectus cordi se aperiendo, & frigidum aerem attrahendo, & se claudendo, ac fumosum vaporem generatum ex corde expellendo: vnde si pectus & arteria & alia vitalia instrumenta fuerint salua, obediunt virtutes in operibus suis, & quando sunt infirma, non obediunt. Vnde boni-

bonitas & malitia subministrantium organorum promouet, vel impedit cor ad suas peragendas actiones. Vnde quando cor est forte, & habet membra sibi obedientia, bene in dilatando & constringendo se habentia, fortis procedit à corde respiratio, & fortis pulsus & fortis operatio secundum bonitatem organi & virtutis. Quando vero virtus est debilis & remissa, non potest extendere arterias in omnes dimensiones: vnde sequitur minor respiratio & minor pulsus. *Item ibidem.* Si cor fuerit nimis frigidum & nimis humidum, & pulsus mollis, erit homo priuatus virilitate & audacia, timidus atque piger, & à pilis in pectore nudus propter vaporis fumosi, vnde generantur pili, paucitatem. Si vero fuerit cor nimis siccum & frigidum, faciet pulsum asperum, durum & paruum, & respiratio tarda est & rara, maxime si pectus paruum fuerit atq; strictum. *Hucusq; Haly. super teg. Gal.* Et hæc sufficiant.

CAP. XXXVII.

De Anhelitu.

ANhelitus cordis & pulmonis est motus, propter attractionem frigidi aeris, ad temperamentum innati caloris cum eiusdem expulsione generatus. Cor enim nullo modo carentiam attrahendi aeris pati potest. Si enim per modicum spacium ab attractione aeris quiesceret, læderetur vel deficeret. Anhelitus ergo contrarios habet motus, quia dilatando pulmonem aerem trahit, & constringendo expellit. Anhelitus itaque est caloris cordis per attractionem aeris temperatiuus, & expellendo vaporem fumosum eiusdem purgatiuus. Est etiam animalis spiritus & vitalis nutritiuus. Item fortitudine vel debilitate consistentiæ spiritualium ostensiuus, sicut superius de pulmonis proprietatibus dictum est. Item in anhelando plus de spiritu attrahitur quam expellatur: pars enim non modica transit in vitalis spiritus nutrimentum. Infra enim pulmonem se recipit, & tamdiu animal sine suffocatione viuit, quamdiu inter instrumenta anhelitus spiritus se includit. Item patientibus instrumentis anhelitus spiritus corrumpuntur, & secundum qualitatem organi patientis immutatur, *Vt dicit Constantinus.* Patitur autem anhelitus quandoq; ex defectu virtutis mouẽtis neruos & regentis, quandoque ex constipatione instrumentorum spiritus, quæ

pro-

prouenit ex groſſis humoribus, vel ex groſſa ventoſitate, viam anhelitus opilante, vel ex aliquo apoſtemate pulmonis panniculos cordis aggrauante, ſiue ex nimio calore cordis in pulmonis ſubſtantia dominante, ex quib. omnibus debilis redditur anhelitus, atque rarus. Si autem fuerit velox & paruus, calorem alienum ſignat, qui virtutem ſuffocet & potiſſime vincat. Si tactus fuerit calidus, & ſitis ac linguæ deſiccatio ſubſequatur, anhelitus vero paruus & frigidus, vt in acutis febribus, ſignum mortis eſt. Eius enim tarditas defectum virtutis deſignat expulſiue, frigiditas vero extinctionem ſignat caloris naturalis, & defectum virtutis in ſubſtantia cordis & inſtrumentorum ſpiritus. Item immutatur anhelitus ex membrorum interiorum vniuerſali corruptione, vt patet in leproſis, quibus anhelitus fœtidus eſt & corruptus, & aeris vicini corruptiuus. Vnde talium flatus ſolet eſſe appropinquantium corruptiuus & infectiuus. Inficit enim aerem vicinum & reddit corruptibilem, ſicut ſibilus reguli flando aerem corrumpit, & aues volantes interficit, *Vt dicit Auicen. & Conſtan.*

CAP. XXXVIII.

De Stomacho.

STomachus græce, latine os dicitur, eo quod ſit oſtium ventris, & ipſe cibum recipiat atque ad inteſtina tranſmittat, *Vt dicit Iſidorus.* Eſt autem ſtomachus *ſecundum Conſtantinum* rotundus, oblongus, concauus interius, aſper in fundo & carnoſus, duo habens orificia, vnum inferius, alterum ſuperius. Eſt autem aſper & villoſus, vt cibum receptum melius retinere poſſit. Nam ſi eſſet lubricus & in ſuperficie planus, ex ſua lubricitate cibus exiret indigeſtus. Fuit autem & carnoſus in fundo, vt digeſtio confortaretur. Caro eius eſt calida & etiam humida, ex quibus qualitatibus maxime viget digeſtio in corpore animalis. Rotundus autem fuit, vt capacitate ſua cibum reciperet ampliorẽ. Præterea quoq; ſi alterius eſſet figuræ, ſcilicet triangularis, vel huiuſmodi humores mali in eo de facili ad putredinem colligerentur, cum talis forma non poſſet à ſuperfluis propter angulos deſiccari. Oblongus etiam fuit, ne nimia rotunditate ſua ſpiritualia comprimeret. Et vt

etiam tanto facilius cum superioribus & etiam inferioribus iungeretur. Præterea stomachus præcipue humanus in parte superiori est strictus. In parte inferiori latus, & hoc quoque fuit necessarium. Quia cum homo cæteris animalibus sit erectior, cibus eius semper ad inferiora descendit, & ideo vtilis fuit eius inferior latitudo, vt in eo recipi possit cibi multitudo. Item neruosus est, propter maiorem sensibilitatis & appetitus vigorositatem. Epate etiam circumdatur, vt ei calor maior ad ciborum decoctionem ab epate ministraretur. Epar enim suis quinque frustulis stomachum circumcingit, & ei calorem tribuens succositatem & humorem, vnde sanguis generatur per quasdam venas, quas miseraicas medici vocant, recipit & à fortiori caloris actione in sanguinem alterat & cõuertit. *Ad hoc dicit Constan.* quod si stomachus fuerit substantialiter calidus, cibos grossos bene digerit, delicatos vero consumit, & plus digerit quam appetit, & propter similitudinem cibos calidos maxime quærit, nec famem sustinere potest. Frigidus vero stomachus grossi cibi non est bene digestiuus, & ex eis cito grauatur, & eos cito mutat in humores acidos & corruptos. Stomachus vero siccus cito sitit, nec parum aquæ sufficit, quæ si superflua fuerit, rugitum in ventre facit. Quod si fuerit humidus stomachus, non sitit, humidum cibum appetit, sed parum digerit. *Hucusq; Constantin. lib.1.cap.14.* Accidunt autem stomacho, *vt dicit idem lib.9. cap.26.* diuersæ passiones, scilicet mala digestio, fumositas, diarrhœa, vomitus, singultus, inflatio, ructuatio, & hæc ex diuersis accidunt causis. Quia quandoque ex mala complexione, quandoque ex nimia inanitione, quandoque ex nimia repletione, quandoque ex nimio humorum acumine, quandoque ex cordis putrefactione, quandoq; ex virtutis digestiuæ defectione, quandoq; ex cibi qualitate, qui, si sit pungitiuus, stomachus pũgitur, & ad exeundum compellitur, aut si viscosus, lubricatur, & sic de facili egreditur, quandoq; ex virtutis expulsiuæ nimia debilitate, non solum ex se patitur, verum etiam ex aliorum membrorum colligantia & vicinitate. Stomachus enim est totius corporis paterfamilias, omnium membrorum nutrimentum recipiens, & singulorum membrorum, prout expedit, administrans necessitati, *vt dicit idem Constan.*

CAP.

CAP. XXXIX.

De Epate.

EPar siue iecur nomen habet, eo quod ignis in eo sedem habet, qui vsque ad cerebrum subuolat, & deinde ad oculos & cæteros sensus & membra se diffundit, & calore suo succum sibi attractum in sanguinē transmutat, quem ad vsum pascendi nutriendique corpus simul membris administrat: vnde epar dicitur, quia talia membra pascit. In iecore sedes est voluptatis & concupiscentiæ, cuius extremitates fibræ vocantur, quæ sunt quasi linguæ eminentes & stomachū amplectentes, calorē ad ciborum digestionem deferētes vel exhibētes & dicuntur fibrę, quia ad aras Phœbi ab hariolis deferebantur, quib. oblatis & succensis, responsa dabantur. *Hucusq; Isid.* Est autem epar, *vt dicit Constan.* membrum calidum, concauum & lubricosum, in dextro latere animalis collocatum, stomacho suppositum, vt suo calore primam iuuet digestionē. Est enim sanguineum & in colore rubicundum, quia succositas eius nimia caliditate in humorem sanguineum est transuersa. Aliquantulum est etiam durum, ne de facili lædatur. Variatur enim epar in hominibus in quantitate & partium multitudine, quia in hominibus est maius quam in aliis bestiis eiusdem quantitatis. Numerus partium eius in quibusdam est duplex, & hoc ad minus, in quibusdam triplex vel quadruplex vel ad maximum quintuplex inuenitur. A lata autem epatis concauitate progreditur quædam vena, quæ à medicis porta nuncupatur, & hæc antequam exeat, in quinq; diuiditur venulas, quinque partes epatis intrantes. Epar enim succositatem primæ digestionis per quasdam venas in sua concauitate attrahit, & per caloris naturalis ebullitionem celebrat digestionem, secundo in massam sanguineam, & quatuor humorum naturam conuertit. Quod enim calidum est & humidū, transit in materiam sanguinis cuius receptaculum sunt venæ, quod autem calidum & siccum est, in naturam choleræ, cuius proprium receptaculum est cista fellis, quod vero frigidum & siccum, in materiam cedit melancholiæ, cuius proprium receptaculum est cistula splenis, sed quod est liquidum & aquosum, in humorem transit, phlegmatis proprium receptaculum est pulmo.

pulmo. Ex quo patet, quod epar naturalis virtutis est principium, fundamentum primæ digestionis, stomacho maximum iuuamentum. Secundę vero digestionis in substantiæ suæ concauitate est perfectiuum, puri ab impuro separatiuum, singulis membris nutrimenti transmissiuum, amoris venerei excitatiuum, diuersarum passionum receptiuum.

Patitur enim quandoque ex nimia caloris intensione. Vnde & pori aperiũtur interius, ex quorum apertione virtus euanescens remissius operatur, quandoque ex nimia frigiditate conuersionem attractę succositatis in naturam sanguineam impediente, & ex hoc sæpissime contingit hydropisim generari, cum hydropisis nihil aliud sit secundũ philosophum, nisi error virtutis digestiuæ in epatis concauitate, hac enim virtute errante, & in sua operatione deficiente, necesse est sanguinem corrumpi, quo indigesto, corpus quod inde nutritur, in tumescendo extenditur: vnde & hydropisis generatur. Item patitur epar ex substantię suæ mala complexione, & hoc secundum humorum quatuor distemperantiam in ipsius essentia dominãtem. Item patitur ex viarum eius opilatione. Contingit enim sæpe humorem grossum & viscosum in venis epatis adunari. Vnde cum sanguis clausus exire non potest, causa est constrictionis & opilationis. Item etiam accidit ex nimio calore humorem sanguineum desiccante, & substantiam venarum epatis contrahẽte, quod non potest sanguis libere diffundi, ad alia membra corporis nutrienda. Hoc idem autem aliquando potest contingere ex nimia frigiditate humores congelante, & meatus epatis constringente, & ad membra nutrienda discursum sanguinis prohibente. Item idem etiam accidit ex apostemate substantiam epatis aggrauante, & putredinem in ipsius substantia generante. Item idem accidit ex inclusa ventositate, pelliculas ipsius epatis extendente, & ex membrorum inordinatione dolorem & mœrorem inducente. Item sæpe patitur ex immoderato fluxu sanguinis, qui accidit ex venarum ab ipso egredientium apertione, & hoc contingit ex nimio sanguinis acumine, vel ex nimia repletione, vel ex debilitate virtutis retentiuæ, vel ex nimio exercitio & labore, *sicut dicit Constant.* Ad hæc de natura & signis complexionis epatis,

dicit

dicit Galen. in tegni. Signum epatis quando est calidum, est amplitudo venarum non pulsatilium, *super quem locum dicit Haly.* quando dominatur & vincit calor in epate, fit epar maius, & vena eius maior dilatatur & magnificata est. Magnificantur omnes venæ nõ pulsatiles in omnib. membris, & calefit sanguis, & generatur quandoque cholera citrina, & per processum temporis post statum adolescentiæ aduritur cholera citrina, & fit ex ea cholera nigra, & diuersæ aliquando ex tali cholera accidunt passiones, aliquando autem nimio calori epatis cordis resistit frigiditas, nam à corde, velut à membro superiore & nobiliore epar in suis actionibus moderatur, *& hoc idem dicit Arist. lib.* 13. vbi præponit cor epati tanquam principium eius regitiuum. *Item dicit Galenus*, quod frigiditas epatis ex calore cordis temperatur, & signum frigiditatis & siccitatis epatis est strictura venarum, & paucitas sanguinis, sicut humiditatis eiusdem signum est mollicies venarum & sanguinis multitudo. *Item idem dicit Haly.* quod epar est fons humiditatis corporis, vnde cum sit radix humoris, si sit epar siccum, non poterit aliquod membrum corpus conuertere ad humorem vel humiditatem, vt eius possit resistere siccitati. Intenditur autem & remittitur siccitas & humiditas epatis, secundum cordis dispositionem. Epar ergo est membrũ nobile, cuius alteratione alteratur corpus, & influit nutrimentum, & virtutes nutritiuas & in membra reliqua inferiora sine medio, ad superiora vero mediante corde, *secundum iudicium Galeni. E conuerso autem ponit Aristot. lib.* 13. quod cor facit omnia prædicta mediante epate, quæ autem verior sit opinio, aliorum iudicio derelinquo. Et hæc de proprietatibus epatis dicta sufficiant.

Cap. XL.

De Felle.

FEl est dictum eo, quod sit folliculus, gestans humorem ex dominio choleræ rubeæ amarissimum, *Vt dicit Isido.* Est enim cistula fellis quædam pellicula super gibbum epatis collocata, & habet duos furculos, per vnum deportatur cholera rubea ad intestina, vt per ea virtus expulsiua confortetur, vt etiam acumine suo intestina melius

lius expurgentur. Per alium autem deportatur cholera ad stomachũ, vt sua caliditate virtutem adiuuet digestiuam. Est igitur fel membrum calidum & etiam siccum, gibbo quoq; epatis superpositum, est proprium choleræ rubeæ receptaculum. Cuius est iuuamentum, vt sanguis à cholera rubea mundificetur, sanguis enim ex præsentia choleræ incenderetur, nisi intra cistulam fellis eius superfluitas locaretur. Est autem sua caliditate decoctionis cibariorum iuuamentum sua subtilitate penetratiuum, sua mordificatione & acumine pungitiuum, & intestinorum corrosiuum, & ad superflua ac fœtida eiicienda excitatiuum, & etiam ex nimia caloris intensione amarissimum, & per sui admixtionem dulcedinis sanguinis immutatiuum. *Hucusque Constantinus. Secundum Aristot. in lib.* 3. delphinus non habet fel, genus omnium volatilium, & omne genus piscium, & omne ouans habet fel. Sed secundum maius & minus, & forte erit in viis subtilibus extensis ab epate vsque ad intestinum. Istæ viæ fortassis erunt fœtidæ, & forte erit fel in tali intestino, & diuersificatur, quia quandoque in superiori, quandoque in medio, & quandoque in inferiori, & quædam volatilia habent fel occultatum in intestino, vt columbæ, coturnices & hirundines: quædam habent fel magnum in epate, in ventre, & intestino, sicut accipiter, miluus. *Item Aristot. lib.* 14. Animalia quædam non habent fel omnino, sicut equus, mulus, asinus & elephas. Camelus etiam non habet fel distinctum, sed habet venas paruas in quibus est fel. Item quidam homines habent magnum fel in epate, & quidam non. Et est fel quoddam superfluum aggregatum, sicut fæx in ventre, illo tamen superfluo vtitur natura ad aliquod iuuamentum. In illis autem qui habent naturam epatis sanam, & quorum sanguis naturaliter est dulcis, non inuenitur fel, aut si inuenitur, erit paruum, & hoc in venis valde gracilibus, & propter hoc erit epar eorum qui carent felle boni coloris, & dulcius aliis; quando autem habet aliquod animal fel, inuenitur quod est sub felle valde dulce. Nam per collectionem fellis ad locum vnum aliæ vicinæ partes redduntur dulciores. Fel etiam ex suæ substantiæ subtilitate & acumine est grossorum humorum inscissiuum, & sua siccitate consumptiuum. Vnde in collyriis oculorum est ne-

cessarium ad visum clarificandum & acuendum, ad impedimentum spiritus vitalis remouendum, & maxime fel accipitris & aliarum volucrum viuentium ex rapina, *sicut in Viatico Constan. tangitur*, ex feruore autem nimio & ebullitione fellei humoris ad epar tendentis, inficitur sanguis, qui infectus, ea quæ ad nutrimentum membrorum transmittuntur, immutat & etiam ea inficit, & cuti croceum colorem vel viridem, siue etiam nigrum superinducit. Cuius passionis signa sunt ista, totius corporis infectio, sitis adest & oris amaritudo, dolor frontis, aurium videlicet tinnitus, & vrina crocea cum cõsimili spuma continua, vomitus croceus. Aliquando etiam contingit poros cistis fellis opilari. Vnde cholera inficit ipsum epar, ac consimilem inducit passionem, *Vnde Constant. in Viatico dicit*, quando patitur fellis substantia, id est, cistis, & deficit virtus eius, qua solet ab epate choleram rubeam extrahere, remanente cholera cum sanguine tingitur & alteratur. Idem etiam contingit, quando apostema est natum in viis, per quas cholera ad fel transit. Vnde ad epar rediens per totum corpus cum sanguine se diffundit, quia si porus inferior opiletur, ascendit ad viam superiorem, scilicet ad ipsum stomachum: vnde facies fit citrina, os amarum & siccum, in stomacho ardor & sitis, vrina cum egestione albescit propter elongationem cholerę ab epate & renibus, vbi vrina solet tingi. Si vero porus superior opiletur, cholera tingit inferiora, & apparent signa quæ prioribus sunt contraria, *Vt idem dicit Constan.* Et hæc de felle dicta sufficiant, &c.

Cap. XLI.

De Splene.

SPlen est dictum à supplendo, quia partẽ sinistram iecori contrariam supplet, ne vacua existeret, quem quidem causam risus esse existimant: nam splene ridemus, felle irascimur, corde sapimus, cerebro sentimus, iecore amamus, quibus constantibus sanum est animal & integrum, *Vt dicit Isidorus. Et secun. Constan.* splen in sinistra parte collocatur, cuius forma naturaliter est oblonga, & parum versus stomachum concaua, & versus costas est gibbosa. In his duobus locis quibusdam panniculis colligata. Et dicitur

tur ſplen duas habere venas, per quarum vnam choleram nigram à ſanguine epatis ſibi attrahit, per aliã vero quantum ſibi ſufficit ad ſtomachum, tranſmittit, vt eius appetitus confortetur. Splenis igitur eſt iuuamentum, vt ei in ſiniſtra parte corporis defectum ſuppleat, & ex oppoſito ad conſeruationem ſtomachi iecori reſpondeat, vt propter mundificationem epatis ſanguinis fæces ſibi attrahat, & quantum ad appetitum ſufficit, & ad confortationem ſtomachi tranſmittat. Eſt igitur ſubſtantia ſplenis rara & ſpongioſa propter faciliorem humoris fęculenti attractionem & remiſſionem, & eſt nigra propter melancholiæ, cuius eſt receptaculum, aſſimilationem. Eſt etiam à ſiniſtris inter coſtas & ſtomachum poſita, propter ſiniſtræ partis temperantiam & infrigidationem, ac propter conſeruandam ſtomachi, cui coniungitur, calefactionem, aliquantulum eſt dura, ne de facili ex qualitate humoris fæculenti contrahat læſionem. Contingit autem etiam ſplenem pati quandoque ex virtutis contentiuæ defectione, & hoc quando non ſufficit humorem attrahere, vel attractum ad locum alium deſtinare. Item quandoque ex opilatione, quando ſcilic. humores groſſi & viſcoſi in viis ſplenis opilantur & adunantur. Vnde & eius actiones impediuntur. Item quandoque ex nimia humorum repletione, quia humores ad ſplenem confluentes, propter ſui ſimilitudinem attrahuntur, & ſufficienter non euacuantur, vnde inuiſcãtur, & in concauitate ſplenis indurantur in tantum, vt ipſius ſpleni ſubſtantia creſcere videatur. *Sed ſecundum ſententiam Hippocratis*, ſi ſplen ſit magnus, corpus marceſcit, & ſi ſplen marceſcit, corpus impingueſcit. Vnde ipſius ſplenis mediocritas ad paruitatem potius quam ad magnitudinem intendens, bonitatem complexionis deſignat, *vt dicit Conſtan. lib. 9. cap. 27.*

CAP. XLII.

De Viſceribus.

VIſcera, *ſecundum Iſidorum*, inferiora dicuntur, proprie inteſtina membris vitalibus ſubdita & ſubiecta, quæ quidem dicuntur inteſtina, quaſi quodam interiori nexu, quadam familiari reuerentia, ſunt ſuperiorum mem-

brorum culcitra, & eorundē quædā necessaria instrumēta. Et dicuntur viscera quasi vitalia, quia locis vitalibus circa præcordialia, vbi gignitur, vita sunt interiorib. circūfusa. *Hucusq; Isi. Secun. Const.* autē intestina quædā sunt mēbra interius mutuo se tenētia, cōcaua, rotūda, per ventris longitudinem & latitudinem collocata, quorum compositio & substantia stomacho assimilatur. Sunt autem numero sex principalia intestina, quorum tria sunt subtilia, quæ superius sunt iuncta: tria vero sunt grossa ab inferiori incipientia. Primum intestinum trium subtilium vocatur duodenum, quia in sua longitudine secundum mensuram cuiuslibet hominis est duodecim digitorum, & hoc super dorsum erigitur, & in nullam aliam partem retorquetur. Secundum vocatur ieiunum, quia semper à cibis est vacuum, *& dicunt sapientes & experimentatores*, quod mortuo animali semper inuenitur illud vacuum, dicunt tamen quidam, quod hoc dicitur ab anatomicis, quia à se omnia eiiciens, nihil de acceptis ad sui retinet nutrimentum. Tertium subtile est appellatum, secundo similimum, sed tamen nunquam sine cibi corpulentia est inuentum. Inter grossa vero intestina, primum vocatur orbum, & in subtili extremitate habet os vnum, & est illud intestinum sic vocatum, eo quod ipsum sit orbatum, id est, quasi viduatum ab altero orificio. Cum enim cætera intestina duo habent orificia, illud habet vnum solum, & ideo se habet ad modum sacci, quia multa recipit, & pauca, respectu aliorum, eiicit vel emittit. Secundum vero intestinum sub orbo siue sub sacco positum dicitur ileon, & hoc à dextra in sinistram tendit, & dicitur ileon, eo quod in eo intestino iliaca passio fieri consueuit. Tertium intestinum vocatur à Græcis κώλον, & hoc etiam immediate cum inferiori totius corporis orificio est cōiunctum, & in hoc intestino grauissima passio scilicet colica generatur, vel ex ipsius intestini nimia constrictione, vel alicuius grossi & frigidi humoris coadunatione, & per consequens viarum illius intestini intrinseca opilatione, *sicut narrat Constant. & etiam Galen. super aphoris.* Patet igitur ex prædictis, ad quid necessaria sunt intestina, quia cibum immutant, & in sua concauitate superflua recipiunt ad naturæ exonerationē, ad hoc etiam sunt necessaria viscerum rotunditas, gibbo-
sitas

sitas & volubilitas, *Vt dicit Constantinus*, vt cibus transmissus à stomacho in eorum gibbositate aliquantulum inhæreret, & secundum animalis necessitatem superflua expelleret, & necessaria retineret. Sunt autem rotunda, ne à stomacho in aliquo angulo superflue collecta remanerent, quæ corruptionem inducerent intestinis. Sunt etiam intestina duobus panniculis minimis vel ad minus inuoluta, & hoc fuit necessarium, quia si vnus panniculus pateretur, ab altero panniculo subueniretur. Sunt autem intestina aliquantulum villosa, & eorum villi per latum etiam extensi, vt fęcis superfluitatem expellerent, & necessaria nutrimento conuenientius retinerent. Sunt autem viscera siue intestina inuoluta ad inuicem & connexa, ita vt minora maioribus, & graciliora & debiliora grossioribus & fortioribus innitantur, vt sic actiones virtutis naturalis, & in expellendo superflua, & in recidēdo necessaria aptius perficiantur. *Dicit etiam Aristot. lib.* 2. quod secundum varietatem dentium in mandibulis animalium, variatur in quantitate & qualitate natura intestinorum. *Vnde dicit*, quod intestinum omnium animalium habentium dentes in vtraque mandibula, est minus intestino nō habentium, & nullum animal habet intestinum rectum, nisi habeat dentes in vtraque mandibula. *Item ibidem*, venter serpentis est strictus, & est similis intestino amplo, & si fuerit naturaliter paruus, habet fel in intestinis, & si fuerit magnus super epar. *Item idem lib.* 13. Omnia animalia ampli & recti intestini sunt gulosa valde, quia propter diminutionem vsus cibi, & indigestionem eiiciunt superfluitatem cibi indigestam, & cito exit cibus, & ideo appetunt multum, & continue quærunt cibum. Contingit autem pati viscera & intestina multipliciter, *Vt dicit Constan. lib.9. cap.26.* Quandoque ex cholerico humore, vel ex melancholico, substantiam intestinorum corrodente, & fluxum dysenteriæ inducente. Et hæc passio pessima est & mortifera, *Vt dicitur in aphoris.* Solutio ventris in cuius initio cholera exit, nigra est mortale. Item quandoque ex ipsorum viscerum interiori punctura & vulneratione, & hoc vel ab exteriori apostemate, putrefactionem & puncturam in panniculis ipsorum viscerum inducente vel ab exteriori læsione. Item quandoque ex interclusione vnctuositatis

panniculos & neruos extendente, & ille dolor grauis est intantum, vt aliquando intestina penetrari videantur. Item, quandoque ex humore grosso & phlegmatico inferiores partes intestinorum obturāte, & stercorum exitum prohibente, & iliacam passionem vel cholericam inducente. Vnde hic morbus pestilentialis est & mortalis, raro sanitatem suscipiens, & sæpe die secundo vel tertio interficiens, nisi celerius succurratur. Cæteras intestinorum passiones, *quære infra in tractatu de infirmitatibus de cholerica passione, &c.*

Cap. XLIII.
De Renibus.

Renes, *Vt ait Varro,* sunt dicti eo quod obscœni humores ab his nascuntur. Nam venæ & medullæ tenuem humorem desudāt in renibus, qui liquor rursus à renibus, à calore venereo resolutus, recurrit, & ad loca genitalia se diffundit, *Vt dicit Isidorus.* Locus autem in lateribus spondylium dorsi, in quibus est sedes renum, dicuntur lumbi, *qui secundum Isid.* ob libidinis lasciuiam lumbi sunt dicti, quia in viris à renibus & lumbis est causa venereæ voluptatis. De renibus autem *dicit Constan.* quod fuerunt facti, vt ab epate aquaticum sanguinem sugentes, eum depurarent, & eius colamentum scilicet vrinam ad vesicam per meatus vritides, id est, vias vrinales transportarent. *Quod etiam dicit Haly. super tegni.* Ordinauit, inquit, creator summus duos renes, vt attrahant aquositatem sanguinis ab epate, & eam transmittant ad vesicam, expulsionis gratia. *Quia dicit Aristot. lib.* 13. Renes, inquam, fuerunt creati propter vesicam, vt sic operatio vesicæ esset melior & perfectior, quia renes sunt ad colandum superfluum humidi decurrentis ad vesicam. *Item idem:* Renunculus dexter altior sinistro est in omni animali habente renes, & hoc quia calor in dextra parte fortior est vel superior. *Item idem:* In omnibus animalibus renes habentibus, renunculus dexter est minoris pinguedinis quam sinister, & altior, quoniam natura in dextra parte leuior est & maioris motus & caloris, calor autem dissoluit & consumit pinguedinem. Item renes sunt de vltimis membris interiorum, & propter hoc indigent magno calore. Recollige igitur,

igitur, quod renes ſunt calidi, & naturalis caloris conſeruatiui frigiditatis, & dorſi ſpondylium ſunt temperatiui, à concauitate epatis aquoſi humoris attractiui, ſanguinis colatiui, virtutis naturalis confortatiui, humoris ſeminalis generatiui, poroſi, rotundi, pinguedine cooperti, carnoſi quippe ſunt & poroſi propter faciliorem aquoſæ ſuperfluitatis attractionem, rotundi, ne colligant aliquem humorem ad putrefactionem, pinguedine ſunt muniti, ne ex frigiditate oſſium dorſi aliquam ſuſtineant læſionem. Recipiunt autem renes quaſdam venas ſtomachi ab epate egredientes, quibus humor in ſecunda digeſtione ſuperfluus defertur ad ipſos renes, vnde opilatis illis venis & in ſuo officio impeditis, renes vna cum epate patiuntur. Accidunt aliquando in renibus variæ paſſiones, *Vt dicit Constantinus lib. 2. cap.* 34. quod ſi venæ epatis præcluduntur ab humore ſanguineo ad ſui nutrimentum depauperantur, vnde neceſſario extenuantur: ſi vero meatus eorum inferiores calore & frigore conſtringantur, ex præſentia humoris ſuperflui, eorum ſubſtantiam ſubintrantis nimis extenduntur & dilatantur, & per conſequens corrumpuntur, vel humores deſiccati putrificantur, & in calculos conuertuntur. Multis etiam aliis modis patiuntur, ſicut ex apoſtemate, ventoſitate, frigore nimio vel calore.

Cap. XLIIII.

De Veſica.

VEſica, *ſecundum Iſidorum* à venti capacitate eſt dicta. Nam per venti contractionem aperitur & dilatatur, ſicut è conuerſo per venti emiſſionem contrahitur & arctatur. Vocatur autem veſicula per diminutionem à veſica, dicta quædam pellicula pendens in gutture auis, ſicut burſa, in qua volucrum primo recipiuntur cibaria, quæ in prædicta veſicula digeſtioni ſecundæ in iecore faciendę ſeparantur, & in eodem folliculo, tanquam in promptuario proprio contra futuram eſuriem reſeruantur, ſed veſica prout hic ſumitur *ſecundum Conſtantinum* eſt pannicu-lus durus, rotundus, concauus ſicut ſaccus in omni parte clauſus, excepto ſolo orificio ſuperiori. Fuit autem ſubſtantia eius dura ne acumine vrinæ cuius eſt receptaculum

læderetur. Fuit autem ex omni parte clausa, inferius, vt liquor subito attractus inuoluntarie expelleretur. Vnde per vnum & idem foramen vrina ingreditur, per quod egreditur, *Vt patet in anatomia*. Fuit etiam rotundum vt in augmentum colamenti sanguinis dilatetur, & ad ipsius susceptionem capacior redderetur. *Dicit enim Aristoteles lib*. 13. quod omne animal habens pulmonem, multum sitit, & propter hoc indiget cibo humido plus quam sicco, & ideo fuit necessaria vesica ad recipiendum huius superfluitatis humiditatem. *Item ibidem*. Nullum animal habens plumas aut squamas aut cortices siue testas, habet vesicam omnino præter tortucam marinam aut syluestrem. Nam superfluitas in huiusmodi animalibus transit in nutrimentum plumarum & squamarum & huiusmodi. *Item ibidem lib*. 3. Omne animal generans habet vesicam, ouans autem non, præterquam genus lacertarum, & non exit humiditas à vesica mortuorum, & forte aggregatur in vesica superfluitas sicca, & ex eo contingit lapis. *Item ibidem libr*. 6. In animali omni carente vesica, est vna via apparens exitus stercoris & superfluæ humiditatis.

Cap. XLV.
De Vrina.

VRina, *secundum Isaac*, est colamentum sanguinis & aliorum humorum, ex actione naturæ generatũ. Nam ab epate sumit initium, sed in renibus recipit substantiam & colorem, aquosa enim substantia sanguinis per quasdam venas subtiles transmittatur ad renes nutriẽdos. Vnde cum ad renum deportata fuerit regionem vbi colatur & ad modum seri eliquati depuratur, & vi caloris epatis & renum tingitur & colatur, & sic desudans per poros vritides in vesicam in ipsius concauitate adunatur. Vnde hæc substantia humida & liquida à vesica emissa est vrina, sic dicta, quia est vritiua & mordicatiua. Quia, *Vt dicit Aegid*. Quod tangit, mordet, desiccat & vrit, vritiuam enim & desiccatiuam habet naturam, vnde valet contra scabiem, serpiginem & impetiginem, contra pustulas & vesicas si patiens inde se abluerit, in potu spleneticis confert, mundat vulnera putrida & loca saniosa. Cum felle etiam accipitris collyriata & oculis caute linitis immissa, pannum corrodit &

dit & delet maculas oculorum, *sicut expresse dicit Constantinus & Galenus*. Et ideo vrina non est abhorrenda, quia in multis vtilis est & accepta. Dicitur etiam vrina ab vrith græco, id est demonstratiua. Demonstrat enim interiora, quia vt certificemur de interioribus, vrinæ iudicio ducimur, demonstrat enim virtutem naturalem in epate & in aliis membris inferioribus, per vrinæ substantiam & colorem & maxime per eius sedimen siue subsistentiam quam medici hypostasim vocant, certificamur. Nam si fuerit illa residentia in fundo vasis alba, pinea, coadunata, non diuisa, fortitudinem designat virtutis, & completam actionem caloris naturalis in ipsis membris. Per mediam autem regionem vrinæ, quam medici enormiam dicunt, de media regione corporis, id est de corde & sibi adiacentibus iudicamus, nam si vrina in medio fuerit in colore & substantia bene disposita non liuida, non volubilis aut obscura, vel obumbrata, spiritualia membra iudicat esse sana. Similiter per partem vrinæ superiorem quam nephilem nuncupant, de fortitudine virtutis animalis in regione capitis prognosticamus. Nam si non fuerit circulus nimis grossus non igneus, non liuidus, non viridis, non granulosus, sed in colore & substantia temperatus, cerebrum & omnia alia membra animali virtuti seruientia denunciat esse tuta. Si vero contraria signa fuerint in vrina, contrariam designant corporis dispositionem. Iudicatur autem præcipue vrina secundum substantiam & colorem. Nam aliud signat quando tenuis est in substantia, quoniam humoris dominantis siccitatem, aliud quando est mediocris, quic tunc designat temperamentum siue æqualitatem & mediocritatem, secundum colorem autem iudicatur, quia multi sunt colores, scilicet 20. *Vt dic. Isaac & Aegidius*, quorum quidam caloris vel frigiditatis intensionem, alii remissionem, alii mediocritatem prętendunt. Nam remissum calorem designant glaucus, lacteus & huiusmodi. Intensum vero à rufo superius. Mediocris vero subcitrinus & subrufus. Inter quos quidam designant mortificationem, vt niger, viridis, liuidus, quidam indigestionem, albus, lacteus, glaucus: quidam digestionis imperfectionem & imperfectam inchoationem, vt subpallidus, pallidus. Quidã perfectam digestionem, vt citrinus, rufus. Quidam excessum siue ex-

cedentem intensionem, vt subrubicundus, rubicundus. Quidam adustionem, vt in opostian. Quidam superadustionem & mortificationem, vt niger, viridis. Nigredo tamen causatur quandoque à frigiditate, calorem naturalē penitus extinguente, sicut prætendit liuiditas, sed quando procedit ex vltimata adustione, tunc procedit viriditas. Istorum autem colorum causas dicere non pertinet ad hoc opus. Sed qui eas scire voluerit, *libros Isaac & Theophili, Constantini Aegidii legat, in quib. tractatur perfectissime de Vrinis, sed ista ad præsens hic sufficiant.*

Cap. XLVI.

De Ventre.

VEnter, vterus & aluus inter se differunt, *Vt dicit Isidorus.* Venter enim est qui acceptos cibos digerit, & apparet extrinsecus. Et est dictus venter, eo quod per ventrem veniat cibus ad totum corpus. Aluus est qui cibum recipit & purgari consueuit. Vterum solę mulieres habent, in quo concipiunt, & dicitur vterus, eo quod fœtu impleatur interius, *Vt dicit Isidorus.* Est igitur venter nutrimenti totius corporis receptaculum, *Vt dicit Constantinus*, membrorum nutribilium sedes, primæ digestionis & secundæ fundamentum, cuius creatio est carnosa, calida & humida, & hoc propter digestionis necessitatem, panniculis diuersis circumdatur, propter interiorem conseruationem, cuius dispositio est rotunda, propter liberiorem ciborum nutribilium collocationem. Oblonga fuit, propter faciliorem ipsius cum superioribus & inferioribus coniunctionem siue colligationem. Medium enim locum in corpote sibi vendicat, vt nutrimentum inferioribus & superiorib. membris distribuat & transmittat. Est igitur venter inter omnes partes corporis mollior & infirmior, & tamen cæteris est vtilior. Nam tanquam nutrix corporis, pro omnibus alendis corporis membris, cibos recipit & decoquit, & ad singula membra debita nutrimenta deriuat & transmittit. Superfluitates multas, propter aliorum membrorum nutrimentum, in se recolligit, sed eas diu ferre non sustinens, ipsas à se reiicit & repellit. Ex mala dispositione membrorum nutribilium, quæ intra se continet, diuersas infirmitates contrahit, aliquando & incurrit, quę quidem passiones

tanto

tanto sunt periculosiores quāto ventri, & aliis vitalib. sunt propinquiores. Patitur siquidem sæpius propter nimiam repletionem, & tunc non curatur nisi per contrariam euacuationem. Et è conuerso quando molestatur propter nimiam inanitionem & succurritur per contrariam repletionem. *sicut dicitur in aphoris.* Quæcunque enim ægritudines ex plenitudine fuerint, euacuatio sanat, & quæcunq; ab inanitione soluit plenitudo. Item actiones ventris secundum diuersitatem temporis variantur. Nam in hyeme naturalis calor in interiorib. ventris conclusus fortius operatur, vnde appetitus in hyeme magis accidit & digestio fortior generatur, quia *vt dicitur in aphoris.* ventres in hyeme & vere sunt calidissimi natura & somni longissimi.

CAP. XLVII.

De Vmbilico.

VMbilicus medius est corporis locus sic dictus, quasi ilborum vmbo, sicut vmbo in medio clypeorum locus est dictus. Ex vmbilico enim infans impendens nutritur. Est enim vmbilicus *secundum Constantinum*, ex neruis, venis & arteriis compositus, quo mediante, fœtus sanguinem subtilem attrahit & sugit, & per ipsas arterias spiritum recipit. Rumpitur autem vmbilicus iuxta matricem, dum fœtus egreditur, & cum fœtu exit, quem obstetrices ligant quatuor digitorum longitudine, & ex hac ligatura fiunt extremitates vmbilici & rotunditates. *Hucusq; Constantin. Super Ezech. autem* 16 *dicit Hieron. sic.* Naturale est infantibus ortis primo vmbilicum præscindi: deinde ad sanguinem diluendum aqua lauari, tertio humorem paruulorum sole siccari, quarto tenera corpora pannis coustringi ne membra diffluant, & sic deprauentur. *Ibidem etiam dicit glossa Gregorii*, quod vmbilicus est quo fœtus alitur in vtero, sicut arbores & virgulæ per radices, humore occulro terræ nutriuntur. In vmbilico autem sita sunt genitalia mulierum, sicut in lumbis genitalia virorum, & ideo vmbilici nomine luxuria designatur *in Iob.* 40. *Virtus eius in lumbis eius, & fortitudo eius in vmbilico ventris eius.* De vmbilico autem dicit *Aristoteles in lib.* 13. quod omne animal generans & ouans habet vmbilicum tempore partus

& cum

& cum crescit partus auis, latet vmbilicus, & nihil omnino apparet, quoniam continuatur cum intestino per aliquam partium venarum. *Item idem lib.*16. Creatio vmbilici non est nisi cortex, continens venas, & cum vmbilico continuatur, & currit sanguis à matrice per venas vmbilici, quasi per canale ad pueri nutrimentum. Crescit ergo cõceptum per esse vmbilici, *Vt dicitur in eodem*

CAP. XLVIII.

De Genitalibus.

GEnitalia sunt partes corporis, vt & nomen ipsum docet, quæ gignendæ sobolis virtutem acceperunt, *Vt dicit Isidorus.* Hæc etiam pudenda præ verecundia dicuntur, vnde & teguntur, ita quod non habent eandem speciem decoris, sicut alia membra, quæ in promptu sunt locata. Et ideo reputantur inhonesta, inter quæ vnum dicitur veretrum, vel quia viri est tantum, vel quia membrum est verecundum, vel etiam ex quo virus emittitur. Nam proprie dicitur virus ille humor à viri natura fluens, *Vt dicit Isidor.* Sunt etiam alia membra virtutis generatiuæ fundamenta, scilicet testiculi, diminutiue à testibus dicti, quorum numerus incipit à duobus, sine quorum testimonio non est aliquis vir perfectus, hi semen calamo administrant, quod à spinæ medulla & à renibus suscipiunt gratia procreandi. *Hucusq; Isidorus. Secundum Constantinum* substantia eorum composita est de carne glandulosa, alba, molli, & rara, & hoc fit propter caloris obseruationem, & sanguinis immutationem in albedinem, quod fit per vehementem calorem in ipsorum substantia sanguinem decoquentem. & in albedinem commutantem. Et dicuntur hæc membra principalia, quia principalis actionis virtutis naturalis scilicet generatiuæ sunt proprie instrumenta, quæ si præcisa fuerint, vigor virilis sexus eneruatur, & masculina complexio in fœmineam alteratur. Et ideo *secundum Aristotelem lib.*3. Eunuchi quando castrantur ante pollutionem in somno, non oritur in corpore eorum post hæc pilus. Si vero castrentur post pollutionem, præter pilos pectoris omnes pili defluunt & efficiuntur effœminati & molles animo & corpore imbecilles. *Vnde Aristoteles lib.*8. Voces hominum quando castrantur, mutantur & efficiuntur sicut fœmi-

fœminarum,& formæ eorum alterantur & figuræ. Animalia autem q̄n castrantur in iuuentute, efficiuntur maiora, sed si castrentur post perfectionē, non augmentātur. Cerui etiam si castrentur post perfectionem, non augmentantur. Cerui etiam si castrentur ante incrementum cornuum, non oriuntur eis cornua, & si post ortum castrentur, non vlterius crescunt cornua, amplius nec mutant cornua, nec eiiciunt ea sicut faciunt non castrati. Dicitur *etiam ibidem* quod si vituli non castrentur cito post annum, remanent parui, & dicit quando castrantur, extrahuntur radices neruorum, & si acciderit loco vulneris apostema, cremabunt testiculum abscissum, & ponunt cinerem super apostema. Et quædam animalia castrantur solum propter testiculos sicut castores, qui etiam, quando persequuntur à venatoribus, ipsis dentibus truncant testes ne vlterius persequantur. Dicit etiam quod onagri masculi castrant filios, & eis dentibus testiculos præscindunt, sed matres à masculis occultant eos, & præcauent eis à maribus ne castrentur. *Item dicitur lib.16.* quod auium testiculi post tempus sibi ad coitum à natura deputatum, efficiuntur paruuli in tantum, quod tunc non apparent, sed tunc quando instat amoris tempus crescunt valde. Sunt igitur illi testiculi cum aliis membris sibi administrantibus humoris seminalis principium, & eius primum & radicale fundamentum. Nam *vt dicit Constantin.* Deus ad animalium generationem conuenientem conuenientia procreauit membra, in quibus inseruit materiale principium generationis, quod quidem sine amoris affectu non potest produci ad effectum talem, membris genitalibus siquidem inseruit inseparabilitatem & appetitum, vt vnumquodq; animal ad conseruationem speciei & multiplicationem sui animaretur, & hoc quidem diuino nutu factum est, ne forte abominato coitu ab animalibus generatio euitaretur. Ad generationis autem talis completionem necesse est duo animalia conuenire, scilicet masculum & fœminam, ex quorum semine mutuo procrearetur quodlibet indiuiduum, ita quod in vno scilicet generantium, scilicet in fœmina esset quasi principium materiale, & passiuum. In masculo vero esset formale principium & principaliter effectiuum. *Et ideo dicit Aristoteles li.5.* quod generatio animalium duplex habet principium,

cipium, ſcilicet marem & fœminam. Ex mare autem principium motus eſt ſicut forma. Fœmina autem eſt ſicut materia, ex commixtione autem vtriuſq; fit creatura, & creatio embryonis, &c. Aptauit igitur Deus membra generantium, vt alterum emitteret ſeminale principium, alterum reciperet. Et hæc membra taliter à Deo ſapientiſſime ſunt formata, vt ad opus ſuum nec meliora poſſunt eſſe neque perfectiora *Vt dicit Conſtantinus.* Sed certe his membris plurimi abutũtur, quoniam ipſis ad generationis fructum non vtuntur, ſed potius contra rationis ordinem & naturæ iura non ad ſeruiendum proli, ſed potius turpitudini ac libidini eadem complere dignoſcuntur. Et ideo de iſta materia dignum duxi ſub ſilentio præterire, ne forte ſpermatis explanando originem, progreſſum vel finem videar carnalibus occaſionem cogitandi carnalia exhibere, de hoc ſolum admonens vniuerſos, ne quis putet prædictorum membrorum officio eſſe, pro libito abutendum. Nam quicunque præter legitimæ generationis conceſſum vſum voluntarie membris genitalibus ludibria libidinis exercuit, Deum naturæ parentem & genitorem iam perdidit, nec in generatione iuſtorum, niſi cum digne pœnituerit, locum inter filios gloriæ poſſidebit. Nam abuſus generatiue præter patris luminum iniuriam, & quam meretur offenſam tollit gratiam, vulnerat naturam, perdit ſocietatem angelicam, acquirit gehẽnam, denigrat famam, euacuat ſubſtantiam, & ſpoliat gloriam ſempiternam, *Vt dicit Ambroſius.*

CAP. XLIX.

De Matrice.

MAtrix in fœmina eſt ſingulare membrum ad modum veſicæ diſpoſitum, ad ſuſceptionem humoris ſeminalis à natura deputatum, ad quam tanquam ad muliebris corporis ſentinam confluit humoris menſtrualis ſuperfluitas, quæ propter menſtrualem fluxum & refluxũ menſtruum eſt vocatum, eo quod circuitu lunaris luminis ſolet accidere hoc ſuperfluum, *Vt dicit Iſidorus.* Hæc etiam muliebria nuncupantur, quæ in mulieribus durant naturaliter, quam diu viget in eis vis concipiendi, quibus totaliter

liter deficientibus, deficit conceptionis virtus. Et dicuntur muliebria, quia in solis mulieribus hæc infirmitas inuenitur. Nam sola mulier animal menstruale est, *vt dicit Isidor.* cuius cruore contactæ fruges non germinant, moriuntur herbæ, amittunt arbores fructus, &c. Huius sanguinis proprietatem & naturam *quære supra libr. 3. in tractatu de humoribus.* Hoc menstruum est humanæ generationis principium, hoc nobilium & ignobilium est commune in matris vtero nutrimentum. Vnde ager nostræ natiuitatis irrigatur, & nutritur infantulus, quamdiu in matrice conseruatur. Habet autem duas cellulas siue concauitates, dextram scilicet in qua masculus generatur, & sinistram quæ conceptioni fœminæ deputatur. Fœtus autem inter duas concauitates conceptus vtriusque sexus dispositionem habere consueuit. In anatomia autem dicitur, quod matrix tres habet cellulas à dextris masculo appropriatas, & tres à sinistris fœminis deputatas, in medio vero nascitur hermaphrodita, in matrice vero concipitur fœtus, qui à fouendo est sic dictus, cuius folliculus siue pellicula qua circumdatur, secundina dicitur, quæ simul cum infante nascitur, & si in matrice casu aliquo post partum in vtero manserit, periculum inducit, nisi naturæ vel medicinæ remedio expellatur. Subiacet autem matrix ipsa multis passionibus, quandoq; patitur superfluorum humorum retentionem, & hoc ex viscoso humore ora venarū opilante, vel ex frigiditate coarctante, vel & siccitate cōsumente, & hæ diuersitates dignoscuntur per signa propria. Item quandoq; patitur nimium humorum menstrualiū fluxum & effusionē, & hoc vel ex nimia abundantia, quam natura non potest retinere, vel ex nimia acuminis humorum violentia, & hæc passio si antiqua fuerit vix curatur, ex quo enim orificia venarum longo tempore sunt aperta, difficile consolidantur. Item patitur matrix suffocationem, in qua passione videtur mulieri debere suffocari, matrice spiritualia comprimente, quod contingit ex nimia humorum repletione matricem extendente, vel corrupta & venenosa fumositate a corrupto humore resoluta, vacuitatem matricis replente & extendente. Vnde matris repleta superius eleuata comprimit spiritualia: vnde mulier pene suffocatur. Item quandoque patitur præcipitationem, quando dextrorsum

vel sinistrorsum plus debito inclinatur, vel de loco suo exterius egreditur, quod accidit ex neruorum ipsius relaxatione ex superfluis humoribus ipsam matricem aggrauantibus. Item patitur aliquando apostematis interioris puncturam & dolorem, *Vt dicit Constantinus*, ex humoribus collectis ad apostema: vnde sequitur punctura, dolor grauissimus & arsura. Item patitur post imprægnationem dolorem, & distensionem ex motu fœtus, & maxime circa partum, tunc enim mouetur motu fortiori. Vnde necesse est tunc temporis matricem concuti atque lædi. Maxime autem patitur quando in partu se exonerare nititur, & exitus fœtus à casu aliquo impeditur, quod contingit aliquoties ex angustiis viarum ipsius matricis, quandoque ex pinguedine mulieris, aliquando ex nimia fœtus magnitudine & debilitate ac defectu virtutis expulsiuæ in corpore parturientis, aliquando etiam contingit fœtum esse mortuum, & ideo non adiuuat mouendo ad exitum siue ad partum, & aliquando credit se mulier habere puerum & gestat in vtero aliquod frustulum menstruosum, *sicut narrat Aristotel. lib.*18. Accidit etiam mulieribus post imprægnationem infirmitas, quæ mola dicitur, putabat enim quædam mulier, quod post coitum viri esset imprægnata & inflabatur venter eius, & apparuerunt in ea signa imprægnationis, & cum peruenit tempus pariendi, non diminuebatur in ea tumor ventris, sed sic mansit per tres annos, tandem peperit frustum carnis ita durum, quod vix potuit ferro diuidi, & tale frustum mola dicitur, & hoc quidem accidit, *sicut dicit Aristot. ibid.* quando videlicet fit suffocatio concepti ex pauore & humore malæ digestionis, quia tunc generatur frustum, quod quidem mola dicitur in matrice, &c. Istis enim & multis aliis patitur misera matrix mater nostra, &c.

CAP. L.
De Natibus.

NAtes dicuntur eo quod ipsis innitimur dum sedemus, *Vt dicit Isid.* Vnde conglobata est in eis caro, ne prementis carnis mole doleant, in natibus itaque fertur truncus corporis, qui à collo incipit, & vsque ad nates se extendit, *Vt dicit Isido.* Nates, *secundum Constant.* sunt neruosæ,

uosæ, & hoc propter coxarum & femorum cum trunco corporis colligationem, & ideo fuerunt carnosæ ad temperandam neruorum & etiam ossium frigiditatem, & etiam ad defendendam neruorum sensibilitatem, *vt dicit Constan.lib.3.cap.8. &c.*

CAP. LI.

De Femoribus.

FEmora dicuntur eo, quod ex illa parte corporis viri à fœminis discernuntur. Extenduntur autem ab inguinibus vsque ad genua, & mouentur femora in coxis, quorum concaua vertebra dicuntur, coxæ vero quasi coniunctæ axi dicuntur. Flectuntur autem femora intus & non extra, subtus scilicet & non supra, sicut brachia. Vnde à quibusdam frustragines nuncupantur, *vt dicit Isido.* Sunt autem femora ex magnis ossibus composita, *vt dicit Constan. lib.* 3. *cap.* 8. tota quidem à superiori parte concaua, à parte anteriori gibbosa duo habentia acumina. Fuit autem necessaria magnitudo, vel quia totius corporis sunt ossium fundamenta, vel quia maiores portant lacertos & neruos, per quos fit pedum motio voluntaria, fortitudo partis exterioris fuit necessaria, vt locum habeant lacerti & nerui, qui si essent intrinsecus, contristarentur & læderentur. Sunt autem eadem intrinsecus aliquantulum rotunda, & hoc fuit necessarium, quod si ex vna parte tantum tortuosum esset, totum corpus esset tortum & non rectum, concauitas insuper fuit necessaria cum gibbositate interiori, vt firmior esset incessus eorum. Concauitas fuit necessaria, vt cõcauitatum crurum essent subintratiua, sunt etiam femora carne & musculis munita, vt ossa haberent tutelam ab intrinseca læsione, & etiam frigiditatem ossium temperarent. Sunt etiam versus partem hominis superiorem grossiora, ad partes vero inferiores graciliora, & hoc erat necessarium, vt tanquam media inter extrema debitam haberet cum vtrisque proportionem.

Cap. LII.

De Genibus.

Genua, *secundum Isidor.* coniunctiones sunt femorum & crurum. Et sunt dicta eo, quod in vtero genis sunt composita. Cohærent enim sibi, & cognata sunt oculis lacrymarum, indicibus & misericordiæ. Nam à genio genua dicuntur. Cum enim quis gignitur, ita formatur, vt genua sursum sint, quorum coniunctione oculi formantur, vt concaui aut reconditi efficiantur, *secũdum verbum philosophi: Genua comprimit arcta gena.* Inde est quod cum homines ad genua se prosternunt, facilius lacrymantur. Voluit enim natura eos vteri materni rememorari, vbi in tenebris consedebant, antequam ad lucem venirent. *Huc vsque Isido.* Sunt autem, *secundum Constan. lib. 2 cap.* 18. ossa quædam rotunda, cartilaginosa atque concaua. Fuerunt etiam rotunda & vt crura & coxa, in ipsorum concauitate facilius iungerentur, neruosa sunt, vt de facili crura à superioribus separentur, propter hoc etiam sunt neruosa, vt actiones spiritus animalis, ad motum gressibilem faciendum, ad partes inferiores transmitterentur. Depauperantur autem genua à carnositate & pinguedine, propter motus continuitatem. Si enim essent nimis carnosa, tunc de facili opilarentur, & sic actiones virtutis sensibilis per aliquam carnis grossiciem impedirentur. Vnde & genua quia neruosa sunt, valde & sensibilia sunt, de facili læsionem incurrentia, quando nerui sensibiles interius vel exterius aggrauantur, *vt dicit Constantinus, &c.*

Cap. LIII.

De Cruribus.

Crura à currendo sunt dicta, quia his currimus & gressum facimus. Et sunt dictæ tibiæ, quia tibiæ sunt similes siue tubæ in specie & longitudine, *vt dicit Isidorus.* Sunt autem crura, *secundum Constan.* inter femora & pedes intermedia, quibusdam neruis & lacertis cum inferioribus concatenata, per quæ influentia gressibilis motus & regitiuæ virtutis ad pedes deriuatur. Sunt autem crura ex ossibus fortissimis composita, quæ tanquam columnæ cor-

poris

poris ad deferendam ipsius molem sunt habilia. Sunt etiam quibusdam musculis & carnositate à parte vestita superiori, vt sic in complicatione eorum cum femoribus, nec ab eis reciperent, nec eis inferrent offendicula. Vnde tanquam culcitra ad molem corporis supportandum, carnositas ipsorum crurium in parte superiori interius est collocata. Sunt etiam neruosa, vt sic ad motum velociorem essent fortiora. Sunt etiam medullis plena, vt virtus vitalis & animalis per neruos & arterias diffusa custodiretur, & ossium siccitas medullæ humectatione irrigaretur, *vt dicit Constantinus.*

Cap. LIIII.

De Pedibus.

PEs, *vt dicit Isid.* dicitur à πόδες grecê. Nam pedes quidem alternis motibus solo fixi incedunt. Est autem pes extrema pars ipsius hominis, sustentans etiam pondus totius corporis. Componitur autem *secundum Constant.* ex ossibus quadragintaquatuor, quorum duo sunt calcaneorum, duo manicularum rastæ pedum decem, digitorum triginta. Est autem subtus carnosus in extremitatibus planus, in medio aliquantulum concauus. Ideo carnosus, vt ossa & arteriarum duritie tuerentur. Planus fuit vt superposita facilius portarentur. Ideo concauus fuit, vt si pes acuto supponeretur, ad concauum locum refugium haberetur, diuersis ligaminibus & neruis ossa pedum colligantur, quod fuit necessarium ad maius robur propter fortiorem corporis sustentationem, & vt pedes motum haberent leuiorem. Variantur autem pedes in animalibus. Dicit enim *Aristot. lib.* 14. quædam animalia pedes habentia, habent pedes anterius & posterius. Et quædam in lateribus sicut animal habens sanguinem & multipes. Et hoc genus habet proprium, quod pedes eius sunt in anteriori corporis. Et causa illius est, quia pars anterior & posterior sunt adunatæ in loco vno. *Item ibidem dicit*, quod natura posuit loco manuum in quadrupedibus pedes anteriores. Pedes autem posteriores sunt necessarii, vt portent pondus animalium. Et fuit hoc necessarium, vt essent quatuor pedes in quadrupedibus. Nam ad terram totum eorum corpus naturaliter inclinatur, & etiam ad terram mouetur to-

to brutali appetitu. Et ideo necesse fuit tot fulcimentis erigi, vt possent habilius & facilius motu progressiuo pergere & moueri. Ideo etiam fuerunt pedes posteriores necessarii, *quia sicut dicit Aristot.* quod pars anterior omniũ animalium quadrupedum maior est & spissior parte posteriori. Et ideo vt faciliter possent erigi & moueri posterius sicut & anterius, pedes posteriores sunt necessarii. Sic suo modo est de pueris, scilicet quia pars anterior est ponderosior inferiori, & propter hoc incedunt pueri super manus incuruati, & vtuntur manibus pro pedibus in repenndo, quia non possunt eleuare corpora sua, quoniam superior pars corporis maior est inferiori. Cum ergo iuuenescit homo, augmentatur pars inferior, & attenuatur pars superior corporis magis inferiori, vnde paulatim sursum erigitur. Dispositio autem quadrupedum est è conuerso, quia pars inferior primo est valde magna, sed in iuuentute proficit pars superior & eleuatur. Et propter hoc erit eleuatio capitis & anterioris partis equorum multo maior quam partis posterioris. Signum huiusmodi est, *sicut ibidem dicitur*, quod pullus equinus pede posteriori tangit caput suum, sed quando intrat ætatem, non potest facere idem. *Item dicit Aristot. lib.* 2. quod pes sinister in animalibus in parte anteriori absolutus non est, neque ita leuis motus sicut sinistra manus in hominibus, præterquam in elephante. *Item Aristo. ibidem dicit*, quod elephas in sedendo flectit pedes suos, sed non potest flectere quatuor simul propter pondus corporis, sed flectit pedes posteriores sicut homo. *Item ibidem dicitur*, quod volatile flectit pedes suos ad posterius, sed alas, quæ quidem sunt loco manuum, flectit ad anterius. *Item ibidem etiam dicitur*, quod pes dexter maioris est motus generaliter in animalibus quam pes sinister. E*t ideo dicitur*, quod animalia quædam quando ambulant, primo mouent pedem dextrum, sicut leo & camelus Arabicus, scilic. Dromedarius. Aliquando tamen quædam animalia mouent pedem sinistrum, sicut vulpes & lupus, qui habent pedes & tibias sinistræ partis parte contraria longiores. Et ideo semper claudicant à dextris, à sinistris altius se erigendo, & se ad dextrum deprimendo. Est itaque pes dexter maioris caloris, motus & vigoris generaliter in animalibus quam sinister. Et est signum

gnum *ad hoc quod Galenus super aphoris. dicit*, quod mulier in vtero fœtum gerens & iunctis & compositis pedib. dum subito fuerit vocata, si masculum habuerit in vtero, primo ad mouendum pedem dextrum admouebit. Si vero fœminam gestauerit, è conuerso. *Item dicitur ab eodem lib.* 2. *&* 3. quod omne animal multorum digitorum in pedibus, est multorum filiorum, & è conuerso. *Item lib. secundo*, pedes omnium quadrupedium sunt ex osse & neruis, & modica carne. Similiter & volatilium & bipedum præter hominem, cuius pedes sunt subtus multæ carnis, & hoc propter ossium & neruorum multiplicium defensionem. Item sunt animantia vtentia pede loco manus, vt simia in quadrupedibus, & psittacus & porphyrio in volatilibus. Nam pedum adiutorio se iuuant in cibando. *Item idem lib.* 13. Nullum animal habens scissuras multas in pede habet cornua. Et tamen omne animal habens culmos in ore prominentes, habet vngulas pedis scissas, sicut aper. *Item lib.* 14. Pedes in apibus posteriores, maiores sunt quam medii vel anteriores propter ambulationem, & vt cito eleuentur à terra, quando voluerint euolare. *Item lib.* 16. Omne animal quadrupes habens multas scissuras in pedibus, vt leo, canis, lupus, vulpes, generant filios cæcos. De pede vero recollige, quoniam pes est in vltimo animalis, ad eius perfectionem longus, planus, & concauus, propter fortiorem vestigii impressionem, digitis etiam distinctus propter sui fortiorem detentionem. Osseus & nerueus propter meliorem durationem, in animalibus necessarius ad eorum erectionem & motionem. Insuper ad eorum defensionem. In volatilibus scissi pedis & curui vnguis ad victus acquisitionem, in volatilibus clausi pedis ad sui regimen, in aquis & directionem. Et hæc de pedum proprietatibus iam sufficiant, &c.

CAP. LV.

De Planta.

PLanta pedis est extrema pars animalis, à planicie sic dicta. Planicies enim in ea sic exigitur, vt fortius terrę imprimatur, *vt dicit Isid.* duriori cute vestitur quam cætera pars corporis, ne a spinis vel etiam ab aliis obicibus patiatur subito. Ideo & animantium pedes vngulis & etiam so-

leis muniuntur, ne de facili calcando offendantur. Plantæ quoque etiam totius corporis mole & pondere opprimuntur, & ideo calceis & soleis indigent ne lædantur, *Vt dicit Isidorus, &c.*

CAP. LVI.

De Calcaneo.

CAlcaneus posterior pars pedis est & inferior, à calcando dictus, quia eo terræ vestigia imprimuntur, *Vt dicit Isido.* Et est rotundus dispositione, *Vt dicit Constantin.* & aliquantulum oblongus. Rotundus, ne de facili lædatur, oblongus, vt imprimatur firmius. Solidus etiam fuit factus, ne de facili premeretur. Ex mollibus ligaminibus cum cauilla colligatus, vt sursum & deorsum facilius moueretur, vulnera sibi impressa, difficilis sunt curationis, tum propter paucitatem carnis, tum propter motus continuationem, *Vt dicit Constantinus lib. 2. cap.* 10.

CAP. VII.

De Ossibus.

DIcto de proprietatibus membrorum principalium & officialium, de consimilibus membris & eorum conditionibus nunc dicendum est, & primo de ossibus. Nam ossa sunt totius corporis solidamenta, *Vt dicit Isid.* In ipsis enim robur consistit animalis. Sunt autem ossa ab vsto dicta, quia ab antiquis vrebantur, vel vt alii putant, ab ore ossa dicuntur, eo quod in ore pateant. Nam vbique cute & carnibus tecta celantur, excepto solo ore, in quo ossa dentium demonstrantur. Compago enim ossa capitis sunt dicta, eo quod sunt compacta neruis, velut glutino quodam adhæreant, verticulæ autem dicuntur summæ ossium partes, nodis grossioribus conglobatæ, sic dictæ eo quod ad flexionem membrorum vertantur, *Vt dicit Isidor. lib.* 11. Os est durior & siccior pars corporis animalis. Et hoc fuit necessarium, aut quia ossa sunt corporis fundamenta, super quæ totius corporis fabrica est sita, & ideo oportuit ea esse firmiora, aut quia ab exterioribus defendunt interiora. Sunt autem ossa in corpore multa, in specie diuersa, & hoc propter maiorem corporis fortitudinem, vel propter

pter motus leuioris facilitatem, vel propter cauendam nimiam corporis passibilitatem. Tanta enim est inter membra corporis colligantia, quod vno patiente omnia compatiuntur. Vnde natura omnia fere duplicauit membra, vt si vnum pateretur, alterum compateretur, & ideo vbi oportuit, plura compegit ossa. In quantitate sunt diuersa, quia in magnis membris sunt magna, & in paruis parua. Item sunt qualitate diuersa, cum quędam sunt longa, quædam rotunda, quædam concaua, quædam solida. Solida sunt quidem propter maiorem firmitatem. Concaua vero propter maiorem motus leuitatem. Nam quia magna erant & mobilia, fecit ea natura concaua, quæ duabus de causis medullis sunt plena, ne scilicet concauitate frangerentur, & vt inde nutrirentur. Vnde per euaporationem medullæ per poros, ossium carnes, quæ sunt ipsis ossibus vicinores, sunt cæteris dulciores. Sunt etiam ossa quibusdam neruis inuicem constricta, ne ex nimio motu ossium se iungerentur, & sibi inuicem efficacius cooperentur. In prima autem ossium coniunctione inest quædam viscosa humiditas, vt leuius inuicem mouerentur. Sunt etiam in extremitatibus cartilagine vestita, ne ex nimia confricatione læderentur. *Hucusque Constan. lib. 2. cap. 2.*

Secundum enim Aristotel. lib. 12 ossa fuerunt creata propter salutem corporis mollis, quoniam natura eius est valde dura. In animali carente ossibus est membrum conueniens ossibus, eorum defectum supplens, sicut arista in piscibus, sicut & omnium principium venarum est cor vel epar, sic spondylus dorsi omnium ossium principium est, super quod fundantur & radicantur omnia ossa, sicut nauicula super carinam suam. Natura itaque ossium est continua cum spōdyli, quoniam ossa spondylia sunt custodientia teneritatem corporum animalium, & ossa, quæ vicinantur, ventri sunt parua, vt non prohibeant tumorē ventris propter cibum animalis. *Item idem.* Ossa masculorum fortiora sunt ossibus fœminarum generaliter, & duriora & maxime ossa leonis, quę propter sui duritiem ex se ignem mittunt more lapidis, si ad se inuicem collidantur. ossa vero auium sunt debiliora aliis & similiter piscium. *Item idem Aristoteles libr.* 3. Ossa abscissa non recrescunt, sicut nec cartilago, quia creatio illius est propinqua crea-

tioni illorum, cum cornua & vngulæ animalium & auium rostra possunt ad ignem mollificari & incuruari, ossa nec incuruantur, nec mollificantur, nec flectuntur, sed contunduntur. *Item idem Aristoteles lib.12.* Animal habens spinas loco ossium, est pauci sanguinis. Item omne animal habens dentes in vtraque mandibula, habet ossa medullata, & ipsorum medulla similis est pinguedini. Quædam tamen ossa sunt spissa & dura, vnde videntur esse sine medulla, vt ossa leonis & elephantis, quia medulla taliũ animaliũ latens est in poris ossiũ & occulta. Recollige igitur breuiter ex prædictis, ꝙ ossa sunt totius corporis fundamenta, frigida, dura & sicca, & propter dominium frigiditatis naturaliter sunt alba, fortiora & frigida & firma, interius cõcaua, medullis plena, ligamentis neruosis coniuncta, continuo se supportantia. Nam minora super maiora radicantur, & maiora minoribus, miro naturæ artificio coaptantur. Sunt etiam cute & carne vestita, quasi vtriusque fulcimenta, inflexibilia nerui naturali iunctura à calore carnis & sanguinis temperamentum recipientia. Sunt etiam ex se insensibilia, tamen vehementem inferunt corpori læsionem, quando sunt conscissa vel confracta, & hoc propter neruorum vicinitatem, quorum ligamentis sunt inuicem coniuncta. Contingit autem ossa pati ex causa extrinseca, sicut ex fractione, concussione, abscissione, & iuncturæ egressione, & huiusmodi: quandoque ex causa intrinseca, & hoc aliquoties ex materiæ furiosæ corrosione, vt patet in erysipelam, id est ignem sacrum patientibus: quandoque ex nimia humorum in iuncturis ossium aggregatione & repletione, vt patet in arteticis, & quandoque ex medullæ interioris corruptione, vt accidit in leprosis, quandoque ex humoris medullaris consumptione, vt accidit in hecticis & consumptis. Dolor autem ossium tanto est grauior & etiam periculosior, quanto in profundioribus ossium concauitatibus radicatur. Vnde ossa corrupta carnem sibi proximam paulatim corrumpunt, & putrefactionem inducunt, &c.

CAP

Cap. LVIII.

De Medulla.

MEdulla, *secundum Isidorum* est appellata eo quod madefaciat ossa, Irrigat enim & confortat ossa, vt scilicet eorum temperet qualitatem frigidam. Est autem medulla, *secundum Constantinum* substantialiter calida & humida, & ex purissimis partibus & vnctuosis humoribus nutribilis, in ossium concauitatibus generata: vnde sua caliditate ossium temperat frigiditatem, & sua humiditate eorum siccitatem irrigat, & sua substantiali proprietatę virtutem animalis nutrit & cōseruat. Medulla enim influentiam spirituum recipit à cerebro & præcipue medulla ossium spondylium, quæ à physicis nucha appellatur, & hæc medulla mediantibus quibusdam neruis, substantiam & motum, membris sub collo positis, administrat, *Vt dicit Constantinus li.2.cap.*10. Medullæ etiam *secundum Isidorum* sua subtilitate & liquida vnctuositate per ossa euaporant, & liquorem tenuem desudant, qui liquor, calore venereo resolutus in renibus animalium amoris & voluptatis generat incentiuum, *Vide supra de renibus.* Vnde & animalia quæ habent ossa medulla plena, in libidinem sunt prona, *Vt dicit Varro*: quæ vero habent solida, & medullis vacua, rarius in Venerem commouentur, vt patet in elephante. Medulla n. *Vt dicit Var.* naturā lunę imitatur, nam crescente luna, crescit, & decrescente decrescit. Vnde per occulta quædam respiracula vim lunæ sentiens, secundum mutationem minoratur in sua substantia, vel augetur. Hoc est videre in animalibus, & etiam arboribus, quarum humor medullaris superabundat in plenilunio, & in nouilunio depauperatur. Vnde tunc arbores inserere non est bonum, quia fructus efficiuntur vermiculosi, & de facili computrescunt. Et hoc forsan accidit propter superfluam humiditatem, quam surculus tunc insertus, concipit in medullam, cuius superfluum non potest regi & dirigi à natura: vnde talis humor transmissus ad fructus, est causa vermiculationis & celeris putrefactionis. *Item dicit Aristoteles libro* 12. quod animal habens dentes in vtraque mandibula, habet medullam similem pinguedini, & quædam animalia non habent multum de medulla, sicut leo, qui habet ossa dura

& ſpiſſa, in quibus parum eſt de medulla, & ideo fingitur quod omnino medullam non habeat, &c. Medulla, *ſecundum Dyaſ.* medicinalis eſt valde, & præcipue volatilium, & animalium ſyluestrium. Nam labiorum ſanat excoriationes, & eorum vlcera cõglutinat, & etiam ſciſſuras, aurium dolorem mitigat, glandium duritiem emollit, pedum veſicas ſanat, dolorem gutturis mitigat, & mamillarũ phthiſicis & hecticis ſingulare eſt remedium. Virtutem enim reſumptiuam habet, vnde & humorem deperditum in membris reſtaurat.

CAP. LIX.

De Cartilagine.

CArtilago eſt oſſium teneritudo, & dicta eſt cartilago, eo quod leui ictu caret dolore dum plectitur, *vt dicit Iſidorus*, vt patet in auribus & naribus & coſtarum extremitatibus. Nam cartilaginoſa duriora ſunt carne & oſſibus molliora. Fecit autem natura talia loca talis diſpoſitionis, ne forte rumperentur cum plicarentur, *vt dicit Conſtantinus lib.2.cap.9.* Veſtit autem cartilago extremitates oſſium, ne in ſuis iuncturis ex mutua confricatione exaſperentur, & vt facilius oſſa cum carnibus iungerentur. *Dicit autem Ariſtoteles libr.* 13. quod cartilago abſciſſa non recreſcit, quia eius creatio creationi oſſis eſt ſimilis, nec habet cartilago ex ſe ſenſum aliquem, ſed tantummodo neruus coniunctus, cauſa eſt ſenſus & motus, quando ſentit vel mouetur, *vt dicit Conſtantinus.* In medio autem cordis animalis eſt os cortilaginoſum in ſua latitudine poſitum, & hoc ſedes cordis eſt appellatum, *vt dicit Conſtantinus lib.3.capite* 20. *&c.*

CAP. LX.

De Neruis.

NErui ſunt corporis partes, quas Græci vocant neuros, eo quod artuum coniunctiones his fortius cohæreant. Maximam enim virtutem facere neruos certiſſimum eſt, qui quanto fuerunt denſiores, tanto propenſius augent firmitatem, *vt dicit Iſidorus. Secundum Conſtantinum* autem fuerunt neceſſarii, vt ſenſum & motum deferrẽt membris,

bris, præcipue ossibus & cartilaginibus & huiusmodi, quæ ex se sensum non habent neque motum. Omnium autem neruorum præcipuum fundamentum est cerebrum, quia voluntarii motus & sensuum est principium. Omnes autem nerui aut de cerebro procedunt, aut de medullis cerebri, id est de medullis spondylium, tale medium fuit necessarium, ne si immediate omnes à cerebro procederent, aut rumpendo læsionem incurrerent, aut propter nimiam viæ longitudinem à principio sensus in actu sentiendi, & in potentia vegetandi, tantam potentiam non haberent. Nerui ergo à cerebro procedentes sunt molliores. De nucha autem, id est de medulla spinali sunt duriores, sed exeuntes à prora cerebri sunt mollissimi, quia sensum portant aliis, nam mollities cito mutatur in sensualitates, procedentes vero à puppi fuerũt duri, vt motum possint pati, quia mollia veloci motu cito rumpuntur. Neruorum autem à cerebro exeuntium sex sunt paria, quorum primum par progreditur ad oculos & alia organa sensuum, vt eis deferant sensum & motum, hi & aliis neruis concauiores & molliores & maiores sunt, ideo magis concaui, vt amplior spiritus per eos sensibus administretur, sunt & maiores ne eorum concauitate eorum substantia rumperetur, & vt maior quantitas spirituum in eis includeretur. Fuerunt & molles, vt in eis sensus velocius & expeditius perficeretur. Hi nerui in egressione à cerebro sunt molles & lenes, sed quanto plus elongantur, tanto duriores efficiuntur. Secundum par neruorum incipit à posteriori parte priorum, & illud par exit per quoddam foramen vicinum concauitati oculorum & oculis motum tribuit. Par tertium incipit retro post secundum, & per sedem capitis exiens à puppi cerebri in quatuor neruos particulares se diuidit, & per diuersa loca reticulariter se diffundit. Quartum par primo pari coniungitur, sed ab eo diuisum post matrem piam dispergitur, vt per ipsam sibi tactus præbeatur. Quintum vero par in egressione sua in duos diuiditur neruos, quorum vnus auricularium foramina intrat, & ibi se dilatans auditum auribus administrat, alius ad maxillas per tempora se diffundens, membrorum collateralium adiuuat actiones. Sextum vero par à puppi videtur exire, & ab vnoquoque horum trium iterum alii exeunt, & ad motum sensus perfi-

ciendum

ciendum inferius & ſuperius vniformiter ſe diffundunt. Et adhuc præter iſta paria exit à puppi par vnum, & ex iſto nucha ortum ſumit, hoc per lacertos linguæ & gutturis ſe diffundit, & eis motum & ſenſum tribuit. Præter neruos iam dictos omnes alii nerui corporis à cerebro quidem egrediuntur, ſcilicet nucha, id eſt, medulla ſpondylium mediante. In vniuerſo vero dicuntur eſſe duo neruorum paria, & 30. & vnum tantum impar, & hi omnes multipliciter defenduntur, & concatenationibus corporis & membrorum miro naturæ artificio vndique diuiduntur. *Hucuſq; Conſtantinus lib. 2. cap.* 10. *Secundum Ariſtotelem lib.* 3. in locis oſſium eſt multitudo neruorum, & neruus naturaliter in longum funditur & non in latum, & ipſe extenditur extenſione multa, & in circuitu nerui eſt humiditas viſcoſa conſeruans neruos, & omne animal habens ſanguinem habet neruum, & neruus præſciſſus non recreſcit, nec diuiſus reconiungitur ſicut vena, quæ ſcilicet inſciſſa de facili reintegratur. *Dicit etiam idem lib.* 19. quod maxima virtus animalium eſt in neruis, & maxime in tauro, qui, quanto ſenior, tanto durior & fortior, & durior eius neruus eſt, vnde extenditur ſicut chorda. Recollige igitur ex prædictis q neruus à cerebro principium ſumit, & ab eo ſenſum & motum recipiens aliis ſenſum tribuit, partes corporis diuiſas colligit & annectit, in ſuo exitu mollem, ſed in fine durum ſe oſtendit, in ſua concauitate ſpiritum recipit & cuſtodit, ſua flexibilitate oſſa inflexibilia flectit. Diuerſas paſſiones in ſe recipit, *Vt dicit Conſtantinus*, ſcilicet inciſſioné, puncturam, contractionem, relaxationem, opilationem, *Vt patet in pantegn. lib.* 9. *cap.* 8. *& lib.* 11. *&c.*

Cap. LXI.

De Venis.

VEnæ ſunt dictæ eo quod ſunt viæ natantis ſanguinis atque riui per totum corpus diuiſi, quibus vniuerſa membra rigantur & nutriuntur, *Vt dicit Iſidorus*. Incipiunt autem venæ *ſecundum Conſtantinum*, ab epate, ſicut arteriæ à corde, nerui à cerebro. Et fuerunt venę neceſſariæ ſicut vaſa ſanguinis vt ſanguinem ab ipſo epate ad membra totius corporis nutrienda deferrent. Sunt autem venæ neceſſariæ

cessariæ naturæ tenerioris atque mollioris quam nerui, ideo vt epatis naturæ vicinio mutarent aliquantulum sanguinem ad se venientem. Sunt autem venæ omnes ex vna tunica factæ, non ex duabus sicut arteriæ. Nam arteriæ spiritus recipiunt & custodiunt. Venæ igitur exeuntes ab epate, ab ipso velut à matre, nutrimẽtum sanguinis sugunt, & secundum vniuscuiusque membri exigentiam ipsum distribuunt. Vnde per singulas partes corporis se diffundunt, & miro quodam naturæ ingenio sibi mutuo subseruiunt. Inter alias autem patentes & occultas est vena, quæ etiam vocatur arteria, quæ naturæ fuit necessaria, vt calorem naturalem à corde ad omnia alia membra deferret. Sunt autẽ hæ arteriæ ex duabus tunicis vel pelliculis compositæ. Et sunt in forma similes in substantia dissimiles. Earum interiora sunt villosa quarum substantia est dura, & multo grossior quam sint exteriora. Extrinsecus autem sunt villosæ per longitudinem, quarum substantia est dura propter necessitatem motus, scilicet dilatationis & constrictionis. Nam dilatando se ipsam à corde recipit & hoc per villos longitudinis. Constringendo autem se fumosam superfluitatem expellit, quod fit panniculis in latitudine villosis, in quib. retinetur spiritus, qui à corde trahitur: vnde duriores sunt exterius omnibus aliis venis, quod fuit necessarium ne forte rumperentur. Hæ autem venæ à corde incipiunt à sinistra concauitate. Ex hac enim parte dicuntur duæ pulsatiuæ, quarum vna interior panniculum habet mollem, & hæc vena pulsatilis vocatur, quæ necessaria fuit: ideo vt multam quantitatem sanguinis & spiritus pulmoni deferret, & aerem exciperet quem admisceret sanguini & eius feruorem temperaret. Hæc vena pulmonẽ intrat & ibi multiformiter diuiditur. Altera arteria est priore maior, *quam Aristoteles* horten *vocat.* Illa à corde ascendendo in duas partes diuiditur. Nam vna tendit sursum deferens sanguinem depuratum, & spiritum vitalem ad cerebrũ, vt inde spiritus animalis generetur, nutriatur & conseruetur. Altera vero descendit inferius, & hæc dextrorsum & sinistrorsum, antrorsum & retrorsum, multipliciter diuiditur. *Hucusq; Constantinus lib. 2. cap. 12.* Recollige igitur quod vena est vehiculum sanguinis, custodia vitæ animalis, quatuor humores sanguineos continens in se depuratos,

ratos, quibus singulæ partes corporis nutriuntur. Insuper vena est concaua vt facilius sanguinem recipiat, & secundum naturæ indigentiam vena ad venam sanguinem reducat & transfundat. Vena etiam sanitatis & infirmitatis est nuncia. Nam per arteriarum pulsum & venarum dispositionem de debilitate cordis siue fortitudine à medico iudicatur, vena etiam si corrupta fuerit corrupti sanguinis contentiua, totius corporis est corruptiua, vt patet in leprosis, quorum sanguis est corruptissimus in venis à quibus membra nutriuntur sugendo, insanabilem cõtrahunt & corruptam infirmitatem & corruptionem. Vena etiam in brachio læditur, contrahitur & aperitur, vt ex eius lęsione totius corporis infirmitas subleuetur, venæ etiam nimis angustæ carne vel pinguedine nimis pressæ, minus habent de sanguine & spiritu quam aliæ. Et ideo in earum substantiis calor naturalis deficit & vitalis spiritus minoratur, vnde & talia animalia minus viuunt, *vt dicit Cõstantinus lib.* 11. *cap.* 17. *Aristoteles autem dicit lib.* 2. Vena, inquit, si fuerit abscissa vel inscissa, crescit & reconiungitur, quod non facit neruus. *Item idem lib.* 6. Quales sunt venæ sub lingua animalis tales sunt in colore fœtus eius. Vnde dicit quod oues habentes sub lingua venas albas, habent fœtus albos, & è conuerso. Quære supra de proprietatibus linguæ, &c.

Cap. LXII.

De Carne.

Caro autem secundum Remigium à carie est dicta, id est putredine. Est enim caro *vt dicit Gregorius*, alterabilis, & per consequens de facili putribilis. Et cum caro multiplex sit, *vt dicit Greg.* quia alia est caro piscium, alia volatilium vel volucrum, alia serpentum. In hoc humana caro obtinet priuilegium, quia caro humana formæ nobilissimæ, scilicet rationali animæ est cõiuncta. Ideo quod super omnia mirabilissimum est in nouissimo tempore, caro hominis caro Dei est effecta, *quando verbum caro factum est & habitauit in nobis*, quando caro, quæ erat ex conditione infima, ex assumptione quidem à verbo suprema omnium est effecta, *vt dicit Gregorius.* Est autem caro *secundum Constantinum* naturaliter calida & humida, caloris

loris naturalis fomentum, ossium, neruorum & lacertorum cooperimentum, eorum defensio, & frigiditatis eorum temperamentum. Cuius tres sunt species. Quædam enim pars musculis neruis siue cordis est admixta, & dicitur lacertus. Alia pars est inter durum & molle temperata, sicut cartilago. Tertia pars est inter hæc glandulosa caro sola, quæ maxime est in dorso & in gingiuis. Caro autem quę in coxarum iacet parte exteriori, ossium super eam quiescentium est quasi culcitra, & necessarium fulcimentum. Caro vero dorsi tam interior quam exterior fuit necessaria duabus de causis. Nam medullam spondylium scilicet nucham calefacit, & concauitatem inter ossa replet & custodit neruos, ne ascendentes & descendentes propter viæ longitudinem disrumpantur, contra aeris intemperiem & extrinsecā læsionem dorsi maxima defensio est. Caro vero inter dentes eorum seruat radices, nutriens eas vt sint stabiles. Caro autem glandulosa est triplex. Quædam humectat, vt caro mamillarum & glandes sub lingua quæ generant saliuam, ne os & lingua & maxillæ siccitate nimia in motu intro retardentur. Alia vero pars nodosa & glandulosa loca replet vacua, & venarum ac neruorum fouet loca, & earum recipit superflua quæ resudant. Tertia vero circumdat stomachum & intestina, cui admiscentur neruorum & arteriarum quædam reticula, motum & sensum interioribus deportantia, nec illarum via fuisset tuta nisi eis esset substrata hæc glandulosa caro, vt nerui & arteriæ super eam suauius quiescerent, & vt si quid eis durum occurreret, forte mollem locum, ad quem refugerent, inuenirent. *Hucusq; Constan. lib. 2. cap.* 14. Caro vero inter pinguedinem & maciem temperata laudabilis est & sana, pręcipue quando corrupto sanguine non est intermixta, vel ab eodem generata vel nutrita, quia talis caro principium est corruptionis, *sicut dicit Aristoteles lib.* 3. *& Constantinus lib.* 11. *cap.* 17. *Dicit etiam Aristot. lib.* 12. quod caro nimis abundans, impedit spiritus operationes. Et ideo creatio capitis non fuit ex multa carne, vt esset melioris sensus, & intellectus perfectioris. *Item idem lib.* 1. Quando locus circa oculos est multæ carnis, malitiam designat dispositionis, astutiam & malitiam consuetudinis & malæ formationis, id est defectum informatiuæ virtutis. Vnde si fuerit caro vel

ro vel massa carnea multa nimis, & virtus informatiua ... bilis, monstrosas generat in corpore passiones, *sicut di... ibidem lib.*16. vt ponit exemplum de muliere, quæ credi... se concepisse fœtum, & tandem peperit horridum car... frustum, quę à medicis mola dicitur, &c. Pars etiam corp... ris carnosa tenera est & mollis, & ideo impatiens est ... boris. *Vnde dicitur lib.*2. quod pedes cameli sunt multę ca... nis, sicut pedes vrsi, quapropter fiunt camelo sotulares ... corio fortes, quando debent laborare, vt auferatur ab ... dolor. Nec etiam caro est, *sicut dicit idem lib.*13, primum ... strumentum sensus, nec est membrum conueniens sen... sed neruus est organum sensus intra carnem. Et ideo c... mortua vel præscissa nihil sentit, quia ex se nō habet p... cipium sensus, sed ex neruo. Quo corrupto, vel ex tot... pilato, fit insensibilis ipsa caro, vt patet in paralyticis. ... mnes autem aues curui rostri & acuti vnguis vescũtur ca... ne, similiter & feræ & earum præda est caro, propter ne... sitatē victus, *Vt dicitur li.*14. Aues aũt prædę, quæ sunt p... cæ carnis, sunt animosæ & boni volatus, & acuti visus, ... *ut ibidem dicitur.* Aues autem multę pinguedinis sunt ... dioris motus & volatus, & pinguiores & carnosiores ... in hyeme, quam in æstate, tum quia pori tunc clauduntur & humores in pinguedinem & carnem cōdensantur. T... etiam ratione quietis, quia de loco ad locum minus so... tunc mouentur, *sicut dicit Isaac in diatis.*

CAP. LXIII.

De Pinguedine.

Pinguedo est res humida, super pelliculas & loca ne... sa collocata, *Vt dicit Constantinus.* Sanguis enim ... tilis & vētuosus pinguedinem non congregat in locis ... lidis & sibi penetrabilibus, sed cum peruenerit ad loca ... turaliter frigida, ibi cōgelatur tandem, & in pinguedi... conuertitur. Quod fecit natura ex necessitate magna ... scilicet nerui & pelliculæ naturaliter siccæ pinguedinis ... miditate tēperarentur, & difficilius casu aliquo rumpe... tur, & vt ex calore & pinguedine interclusa interio... exteriori frigiditate aeris munirentur, *Vt dicit Const... lib.*2. *cap.* 14. & *Aristot. lib.* 2. Pinguedo ex sanguine ...

gio in corporibus animalium generatur, & maxime pro-
pter paruitatem motus. Et quanto magis augmentatur
pinguedo, tanto diminuitur sanguis: vnde in hominibus
de crassis est sanguis paucus. *Item lib.* 13. Motus dissol-
uit pinguedinem, similiter & calor; vnde in omnibus ani-
malibus renunculus dexter minoris est pinguedinis, quam
sinister, & est altior; quia in dextra parte calor naturalis
fortior est quam in sinistra, & maioris est motus. Pinguia
vero corpora, *secundum Constant.* & nimia adipe repleta,
pessima sunt, & pessimis morbis appropriata, qa naturalis
calor in huiusmodi corporibus sæpius suffocatur, & via
spirituum opilatione pinguedinis intercluditur; & ad re-
gimen neruorum & arteriarum spirituum influentia de-
negatur. *Et dicit ibidem*; quod omnia corpora pinguia
propter superfluam humorum abundantiam in eis aduna-
tam, prolixiorem incurrunt infirmitatem & curam tardio-
rem. Nam pondere pinguedinis pressa, ad nullum se mo-
uent exercitium, & calor naturalis augetur, & sic pinguedo
congelata dissoluitur. Vnde & calor naturalis deficit, &
mors subitanea sequitur, nisi forsan citius occurratur, *Vt*
vult Constan. lib. 11. *cap.* 17. Recollige igitur, quod pingue-
do vnctuositate sua est ignis nutritiua, sua aerea leuitate
ad superficiem petitiua, neruorum & iuncturarũ mitiga-
tiua, defensiua & relaxatiua, pellis siue corii remollitiua,
pororum inferiorum opilatiua, caloris naturalis conser-
uatiua, vacuitatis & concauitatis corporis repletiua, ruga-
rum cutis extensiua, venarum & arteriarum corporis com-
pressiua, actionum animæ sensus scil. & rationis impediti-
ua, complementi generationis animalium tardatiua. *Di-*
citur etiã in aphoris. quod mulier nimis pinguis non conci-
pit, si non marcescit, nec mirum, quia pinguedo viam ma-
tricis intercludit. Est etiam pinguedo humectiua, de fa-
cili enim non siccatur. *Vnde dicit Aristot. lib.* 3. quod bro-
dium animalis abundantis in pinguedine non coagula-
tur, sicut equi & porci. Item omne animal habens pin-
guedinem non separatam à carne, est paucę pinguedinis in
ventre, & cum ventres erunt parui, caro erit multæ pin-
guedinis. *Item idem*, quod est prope pupillam oculi, in o-
mnibus animalibus est multi seui, quamuis oculus sit du-
rus, & omne animal multi seui est pauci seminis, siue sit

mas siue fœmina, & non habet seuum animal habens dentes in vtraque mandibula, *vt dicitur ibidem.* Mox autem quando à corpore extrahitur, in aere frigido coagulatur. Est autem idem secundum substantiam pinguedo, adeps & aruina. Sed, *vt dicit Isidorus*, aruina est pinguedo adhærens cuti. Adeps est pinguedo intestina obuoluens, & membra interius custodiens, zirbus vocatur pellicula cui adhæret pinguedo illa, quæ à multis alluta dicitur, & de his dicitur versus:

Intus adeps aruina foris, pinguedo fit vbi vis.

id est, conuenienter pinguedo de omnibus dicitur.

CAP. LXIV.

De Cute.

CVtis est prima pars in superficie corporis animalis, & est sic vocata, *secundum Isido.* eo quod corpori superposita incisionem patiatur. Cutin enim græcè, incisio dicitur latine. Dicitur & pellis, eo quod exteriores repellit à corpore iniurias, ventos scilicet & pluuias, Solisq; perferat molestias & ardores. Pellis enim abstracta mox corium dicitur. Corium autem diminutiue caro dicitur, eo quod caro corio tegatur, *vt dicit Isidorus.* Est igitur cutis exterior corporis superficies carnem & ossa circumplectens, & omnia interiora muniens atque tegens, & secundum variam membrorum necessitatem, nunc se contrahens, nunc se extendens. Est etiam pro interiorum defensione variis aeris passionibus se exponens. Habet cutis naturalem tenuitatem, *vt dicit Constantinus*, ne corpus nimis occupet, habet & soliditatem, vt facilius, quod interius est, contineat, & exteriori læsioni obuiet & resistat. Est autem cutis mollior in hominibus, quam in aliis animalibus, & hoc propter bonitatem tactus, si enim foret dura & spissa, sicut testę conchylium, nihil sentiret, si pilosa, sicut asinorum pilorum massa, sensum tactus attenuaret. Vnde in volis manuum subtilior est substantialiter cutis superficies, quā in aliis partib. corporis, vt citius ad tactum immutaretur. Est autem cutis tota porosa, præcipue cutis capitis, propter necessariam fumosæ superfluitatis expulsionem, per calorem enim pori aperiuntur, & ea quæ inter cutem & carnem

nem sunt superflua, per vapores & sudores expurgantur. Cutis etiam hominis non in omnibus membris est æqualis, nam cutis faciei est aliis tenuior & subtilior, & hoc propter sensus perfectionem & decoris ostensionem. Si enim fieret nimis grossa, rubori sanguinis peruia non esset. Si nimis spissa, operationi sensuum, qui vigent in facie, non conueniret. Sic autem coniungitur cutis cum suppositis, quod de facili excoriari non potest, & potissime in volis manuum & plantis pedum, in quibus adhæret neruis cordis & lacertis, *vt dicit Constan. Dicit autem Aristot. lib. 3.* quod secundum colorem corii variantur colores vnguiũ, & solearum & pilorum in animalibus, quia si nigra fuerit cutis, & prædicta erunt nigra, & si alba, alba. Et omne animal habens sanguinem, habet corium, & corium abscissum caret sensu. Et habet hoc proptium corium, quod cum fuerit in aliquo loco carente carne, non recrescit abscissum, nec consolidatur, vt patet in præputio, & in extremis palpebrarum. *Item lib.* 19. Cutis in quibusdam animalibus est rara, in quibusdam spissa, secundum dominiũ humoris grossi vel tenuis. Vnde & pili grossi generantur ex cute grossa, & tenues ex tenui. Item in senectute cutis grossescit & indurescit, contrahitur & corrugatur apud senectutem, propter defectum caloris, & consumptionem humoris naturalis, & tunc immutatur species. Patitur autem cutis sicut & alia membra, quandoq; ex causa intrinseca, sicut ex vulnere discontinuationem, ex calore exustionem, ex frigore pallorem vel liuorem seu qualemcunque discolorationem, quandoque ex causa intrinseca, sicut ex consumptione humiditatis substantialis corrugationem, vt in senibus, quandoque ex humoris infectione, vt in morpheam & in lepram patientibus. Nam natura materiam infectam expellit ab interioribus, vsque ad cutem quæ sub cute manens ipsam immutat, & superinducit infectionem aliquando, quandoq; squamositatem: quandoque pruriginem & impetiginem: quandoque cutis excoriatiouem, & multiplicem aliam passionem. Pelles autem animalium infinitis vsibus hominum accommodantur. Vt vestituræ, armaturæ, scripturæ, caligaturæ, & huiusmodi, quæ longum esset enarrare, & vix inuenitur animal

aliquod, cuius pellicula alicui vſui hominum non ſit apta, ſed hæc dicta iam ſufficiant.

CAP. LXV.

De Pilis.

PIlus de pelle, de qua exit, eſt dictus, *vt dicit Iſid.* Naſcuntur autem pili ex fumo calido & ſicco, *vt dicit Conſtant.* Subtilitas enim fumi, dum egreditur per poros exteriori aere exſiccatur, & dum mollicies exterioris fumi exit, exeuntem & non ſe diuidentem aer exſiccat, & in naturam pili conuertit. Sunt autem pili iuuamentum corporis, pariter & ornamentum, *vt dicit Conſtan. lib. 2. & vlt. Dicit Ariſtot. lib. 3.* quod pili non creſcunt niſi in corporibus animalium generantium animalia. Variantur autem pili ſecundum varietatem corii animalis, in quo creſcunt, *vt dicitur lib. 19.* Nam animalia groſſæ cutis, groſſum habent pilum, & hoc accidit propter multitudinem terreſtris partis, & viarum ſiue pororum amplitudinem. Et cum cutis fuerit continua & ſpiſſa, erunt pili multum tenues & ſubtiles propter ſtricturam viarum, & quando humor fumoſus, quieſt in cute, fuerit velocis ſiccitatis, non erunt pili magni neque longi, & cum fuerint groſſi & pingues, erunt è contrario, & propter hoc elongantur capitis pili hominis valde, quia ille humor pinguis eſt, nec de facili deſiccatur, & ideo habitantes in regione humida, humidam habentes complexionem, lenes habent pilos & molles, ſicut illi qui morantur in Thracia, & è conuerſo, duros habent & criſpos pilos, qui calidam & ſiccam inhabitant regionem, præſertim ſi conſimilem habuerint complexionem. Nam ex calore corrugantur & obuoluuntur, *ſicut ibidem dicitur*, & efficiuntur pili criſpi in naſcendo de cute, quia per duas vias contrarias egrediuntur. Pars enim terreſtris, fumi calidi & ſicci egredientis mouetur inferius. Pars autem calidi mouetur ſuperius, & ſic inuoluuntur pili, & efficiuntur criſpi, & quando ſeneſcunt animalia habentia pilos, indureſcunt tunc pili plus quã prius, ſicut indurantur plumę auium, & hoc propter paucitatẽ humoris. *Item ibidẽ dicitur*, cum caſtratur homo, non creſcunt in eo vlterius pili, & hoc propter paucitatem humoris, & hoc eſt propter caloris & humoris in membris principalibus

diminu-

diminutionem. Item pili quandoque diuersificantur ex causa extrinseca. Nam *vt dicitur ibid. li.*19. Aquæ calidæ faciunt pilos albos, nigros frigidæ, & causa illius est, quia in aquis calidis est spiritus plus quam in frigidis, & ideo cum aer calefacit ex eo efficitur albedo, sicut in spuma contingit videre. Ista autem mutatio accidentaliter prouenit in pilis, sicut in capillis, sed non semper ex aquæ frigidæ vel calidæ alteratione.

Cap. LXVI.

De Capillis.

Capilli dicuntur quasi capitis pili, *vt dicit Isidorus* ad hoc facti, vt decorem præstent, & cerebrum aduersus frigus muniant & defensent. Capillaturæ autem inscissio cæsaries dicitur, à cędendo. Virum enim tonderi decet & non mulierem. Comæ autem sunt capilli non scissi, & est græcus sermo. Nam *comam tondere dicitur.* Crines autem proprie mulierum sunt, & dicuntur crines, eo quod vittis discriminentur & diuiduntur, vnde & discriminalia dicuntur vittæ quibus capilli diuisi recolliguntur. *Hucusq; Isidorus. Secundum Constantinum autem* capillus ex fumo grosso & calido nascitur, qui ex calidis, igneis & intensiuis humoribus per poros capitis egreditur, & ab aere extrinseco desiccatur, & sic in substantiam capilli cõuertitur. Hoc humore crescente, crescunt capilli, vtpote ab ipso generati & nutriti. Huius fumi materiam qui perdiderit, capillos perdit & amittit. Pro qualitate igitur fumi erunt & capilli, quia si fumus niger & capilli nigri, & si multus fuerit fumus, multi erunt capilli, & si paucus, pauci, qui fumus si omnino defuerit, pereũt penitus capilli, & fit homo caluus, cum vlterius capilli non possunt recrescere, vlterius non subueniunt medicinæ. Si autem fumus talis non deficit, sed illum potius alius humor inficit aut impedit, caluities non est proprie, sed infirmitas quædam specialis, quæ alopicia à medicis nuncupatur. Ex qua infirmitate, corrupto capillorum nutrimento, cadunt capilli, & nudata parte capitis, anterior capitis superficies deturpatur. Tales enim more vulpium, qui ex calefactione immoderata patiuntur pilorum casum, casualem pilorum fluxũ patiuntur. Ἀλώ-

ἀλώπηξ enim græce, vulpes dicitur latine. Alias autem capillorum passiones & causas, *quære infra in tractatu de infirmitate & de casu & vitiis capillorum.* De canitie autem & causa eius *quære ibidem. Quære etiam supra in tractatu de capite*, vbi capillorum inuenies dispositionem, naturas, diuersitates & complexiones *secundum Galenum Haly & Hippocratem.* Tamen de canitie hic nota, quod *secundum Constantinum & alios autores*, canicies accidit ex humoris nutrimentalis capillorum nimia infrigidatione. Nam dominium phlegmatis frigidi & humidi est canitiei generatiuum, Ex fumo enim albo & frigido, albi efficiuntur tam pili quam capilli. Capilli autem temporum, *secundum Aristotelem* citius canescunt quam alii crines & hoc propter humoris paucitatem, & ossium ibi existentium prædominantem frigiditatem. Canities igitur vitæ & ætatis designat maturitatem, & extinctionem libidinis, & vitiorum puerilium mortificationem vitæ præsentis, & futuræ instantis necessariam nouitatem. Caluities est priuatio capillorum siue amissio ex defectu fumi humidi in anteriori parte capitis prouenlens. *Vt dicit Constantinus.* Fit autem aliquando propter abstinentiam cibi, & defectum fumi humidi, qui est materia capillorum *secundum Arist. libr.* 3. Capilli in frequenter coeuntibus paulatim caluitiem inducunt, & si ante iuuentutem fluxerunt, iterum oriuntur, post iuuentutem vero fluentes iterum non recrescut. Defluunt autem & deficiũt in parte anteriori capitis, & tunc talis fluxus capillorum dicitur proprie *caluities.* Et solet accidere vel propter nimiam cutis raritatem, & propter humorum paucitatem. Ab occipite non recedunt neque caluescunt, propter cutis spissitudinem, & pororum densitem, & propter humoris ibi existentis viscositatem, ex quo capilli habent vegetari, *Vt dicit Galenus super aphoris. Vnde ibidem etiam dicitur* quod pueri & etiam mulieres non caluescunt, & hoc propter abundantiam humiditatis in capitibus eorum, similiter nec castrati, & hoc propter alterationem suæ complexionis, & dominantem frigiditatis qualitatem, quæ poros cutis capitis constringit, & fumum coadunando euaporare non permittit. Alii tamen pili in mulieribus & in castratis defluunt, *Vt dicit Arist. lib.* 19. Capilli ergo caput custodiunt, honestant, defendunt, quibus si ca-

ficaruerit homo, magis reputatur inhonestus. Accidit autem etiam iste defectus prope iuuentutem, & maxime etiam circa senectutem, ex causis supradictis, &c.

BARTHOLOMÆI ANGLICI de proprietatibus Ætatum, liber sextus.

Dicto de proprietatibus partium hominis in speciali, restat dicere de proprietatibus eiusdem in speciali & generali, secundum ætatis varietatem, & secundum sexus distinctionem, & rerum naturalium ac contra naturam multiplicem diuersitatem. Ex istis enim omnibus diuersæ hominis proprietates attenduntur.

CAP. I.

De Aetate.

AEtas igitur hominis, *secundum Remigium*, nihil aliud est nisi tenor virtutum naturalium, secundum contrarios motus vel quietem intermediam, consideratus, quia secundum ista homo præterit & mouetur, & nunquam in eodem statu permanet. Vel *secundum Isidorum* Ætas est spacium vitæ animalis à conceptione fœtus incipiens, post seniumque deficiens seu desinens. Sunt autem plures diuersitates ætatis, *secundum Constantinum & Isid.* Prima est infantia, dentium plantatiua, scilicet ætas nouiter genita, quæ vsq; ad septem durat menses, quæ nimis est adhuc tenera, mollis, fluida ac limosa, vnde continuis indiget fomentis. Infantia autem prout est dentium plantatiua, vsque ad septem extenditur annos. Et dicitur *infans quasi non fans*, eo quod fari non potest, neque exprimere sermonem, dentibus nondum bene ordinatis, *vt dicit Isid.* Cui succedit pueritia, quæ se extendit vsque ad septenarium secundum, scil. vsq; ad annos quatuordecim. Est vero dicta à pubertate vel à pupilla, quia adhuc pueri sunt puri, vt pupilla, *vt dicit Isidorus*. Huic succedit adolescentia, & hæc secundum viaticum terminatur in tertio septenario

in 21.anno. *secundum Isidorum* vero vsque ad quartum septenarium scilicet vsque ad annum 28.extenditur. Medicus vero protendit hanc ætatem vlterius vsque ad annum 30.& 35.Dicitur hæc ætas adolescẽtia, eo quod ad gignendum sit adulta, *vt dicit Isidorus*, & ad crescendi vigorem sit magis apta.In hac ætate sunt membra adhuc mollia, *vt dicit Isidorus* & extensibilia. Et ideo crescunt virtute caloris dominantis in eis vsque ad complementi perfectionem. Huic adolescentiæ succedit iuuentus, & hæc inter omnes ætates est media, & ideo fortissima, & protenditur *secundum Isidorum* vsque ad annos 45. vel vsque ad 50. in quo finitur. Est autem iuuentus à iuuando dicta. Est enim iuuenis in termino incrementi positus, & ideo fortis ad iuuandum. Huic succedit *secundum Isidorum* senecta, quæ inter iuuentutem media est, & senectutem, quæ *ab Isidoro* grauitas nuncupatur. Senioribus enim contingit hæc ætas & maturis.In hac ætate est declinatio à iuuentute in senectutem.Talibus autem nõdum est senectus, sed resistit iuuentus, *vt dicit Isidor*.Huic succedit senectus, secundum quosdam anno 70 finitur, secũdum quosdam autem nullo certo annorum numero finitur. Sed post prædictas ætates quantumcunque vitæ superest, senectuti seu senio deputatur. *Et secundum Isidorum*, dicitur senectus à sensus diminutione, eo quod senes præ vetustate desipiant. Dicunt enim physici, *vt dicit Isidorus*, homines frigidi sanguinis stultos esse, sicut prudentes esse, in quibus sanguis calidus dominatur.Vnde & senes, in quibus iam sanguis friget, & pueri, in quibus nondum calet, sapiunt minus. Senes siquidem delirant præ nimia senectute; pueri propter lasciuiam & leuitatem quid agant, ignorant, *vt dicit Isidorus*.Vltima autem pars senectutis dicitur senium, sic autem dicitur, eo quod sit terminus vitæ ætatis atque finis. Hæc enim ætas multa secum affert incommoda & etiam commoda, bona scilicet & mala, *vt dicit Isidorus*.Bona siquidem, quia nos à potentibus, & etiam à Tyrannis liberat, imponit etiam finem libidinis, frangit & impetum iræ, & viget sapientia vt in multis, & saniora dat consilia, terminus est miseriæ & felicitatis principium, recessus à periculo ac accessus ad brauium.Perfectio in merito & dispositio ad perfectum. Mala vero affert secum, *vt dicit Isidorus*, quia senium miserum

est

est debilitate & tædio. Subeunt enim morbi tristisque senectus. Nam duo sunt quibus minuuntur corporis vires, scilicet morbus & senectus. In senio autem calor naturalis extinguitur, deficit virtus regitiua & humor dissoluitur. Deficit virtus, & carnositas consumitur, contrahuntur nerui. Cutis corrugatur & incuruatur, corpore perit species, & decor corporis adnullatur. Et hæc omnia in senio, senex ab omnibus vilipenditur, & grauis & onerosus ab omnibus iudicatur, tussibus, sputis & aliis passionibus fatigatur, quousque resoluatur cinis in cinerem, & puluis in puluerem reuertatur. His enim spaciis temporis & ætatis, philosophi descripserunt humanam vitam, in quibus mutatur & ad mortis terminum defluit continue. *Hucusque Isidorus.*

CAP. II.

De Morte.

MOrs dicta est eo quod sit amara, vel à Marte qui mortem fingitur efficere. Est autem *secundum Isidorum* triplex mors, scilicet acerba, immatura, & merita. Prima est infantium: secunda iuuenum: tertia naturalis atque senum. Omnis autem mortuus aut est funus, aut cadauer. Dicitur autem funus à funibus accensis, quos antiqui ante feretrum pauperis cera circumdatis deferebant. Cadauer à cadendo est dictum, scilicet quia mortuus cadit & proiicitur in sepulcrum. Dicitur tunc defunctus, quia vitæ officio tunc functus est. Dicitur & sepultus quasi seorsum pulsus, quia sub terra tumulatur. *Hucusq; Isidorus lib. 16. cap. 2.* Alias mortis proprietates, quære infra in fine illius, *6. libr.* in fine de infirmitatibus.

POst hæc de proprietatibus hominis quoad ætatem infantilem, dicendum, & de generatione eius primo, quia eius creatio est tanto cæteris animalibus excellentior, quanto dignior, non solum secundum mentem, verum etiam secundum temperatissimam corporis complexionem. Dicit enim Aristoteles libr. 2. sicut frustum auri vel argenti se habet ad nummum monetatum, sic omnes dispositiones

aliorum ad hominem: vnde cum homo sit dignissima creaturarum, ingeniata est natura homini conferre membra nobilia & diuersa, nobilioribus operationibus & variis conuenientia, propter quod de eius creatione secundum corpus breuiter quædam sunt dicenda.

Cap. III.

De creatione infantis.

Circa creationem itaq; infantis exigitur materia conueniens, locus expediens, naturæ ministerium, scilicet calor, velut causa efficiens & spiritus virtutem corpori influens atque regens. Materia siquidem infantis est humor seminalis, decisus per actum generationis, ex singulis partibus vtriusque parentis. Primo materia in loco conceptionis dispersa, vi naturæ attractiua in cellulis matricis recolligitur, & per calorem operantem pariter commiscetur, quia nisi commixtio digesti sanguinis vtriusq; parentis fieret, infantis creatio non posset fieri. Nam materia sanguinis à mare procedens spissa est & calida. Vnde præ nimia spissitudine se non potest dilatare, & ex superabundantia caloris materia destrueretur infantis, nisi ex sanguine mulieris contrarias qualitates habentis, reciperet temperamentum. Hæc materia in dextræ partis cellula adunata, in naturam cedit maris. In sinistra vero cedit in naturam mulieris. Et hæc diuersitas accidit propter dominium caloris in parte dextra potius, quam in sinistra. *Et sic dicit Galenus & Constantinus & Aristoteles lib.* 15. Si fuerit virtus sanguinis in mare vincens, fœtus patri assimilabitur, & è conuerso. Et si fuerit æqualis in vtroque, consimilis vtrique assimilabitur. Hæc materia virtute caloris excocta, quadam pellicula tenuissima circumdatur, intra quam instar lactis coagulatur, & hæc materia est pellicula embryonis, quæ est theca & coopertoriũ, vnde puer tegitur in vtero matris, & hęc cũ puero nascẽte egreditur ruptis tenaculis, quibus matricis villulis adhærebat. Si vero aliquo casu in vtero manserit post partum, mulier in periculo remanebit. Materiæ ergo conceptæ & vi retentiua coadunatæ transmittit natura sanguinem menstrualem, ex cuius calore & humore fœtus conceptus fomentatur. Huiusmodi autem

autem fomento ager humanæ natiuitatis irroratur. Nam cum semen coagulatur *secundum Galenum & Constantin.* cum spiritu & calore naturali fit plenum per quasdam venas & arterias, ex substantia seminis ortas, & sanguini mẽstruali coniunctas nutrimentum sibi attrahit & fomẽtum. Et hoc fuit necessarium vt per venas materia infantis nutriretur, & per arterias spiritus ei attribueretur. His duobus scilicet materiæ seminali & humori nutrimentali cooperatur calor naturalis, qui interclusus per vim informatiuam nititur formare membra corporis infantis. Nam de essentia ipsius seminis format cerebrum, ossa, cartilagines, & pelliculas, neruos & arterias. De sanguine vero menstruali format natura epar & omnia mẽbra carnosa, quorum substantia ex sanguine procreatur. Primo autem natura format principalia membra, scilicet cor, cerebrum, & epar, quæ aliorum sunt fundamenta. Et hæc in principio quando sunt in massa sanguinis, sibi vicinantur, sed postea ab inuicem diuiduntur. De his tribus fundamentis ália tria nascuntur, de cerebro nerui & nucha dorsi, de corde arteriæ, de epate vero venæ oriuntur. His quasi fundamentis iactis, formauit natura ossa hæc custodientia, sicut cranium ad defensionem cerebri, & costas pectoris ad defensionem cordis, & costas lateris ad defensionem epatis, & sic similiter de aliis. Post ista nascuntur alia membra istis posteriora, vt manus, pedes, & consimilia. Hæc autem non simul sed paulatim formantur ac successiue. Infans enim quatuor gradibus concreatur. Primus est cum adhuc sit vicinus lacti. Secundus est cum iam semen sanguini se commiscet. Tunc enim nondum epar, cor & cerebrum perfecte formantur, sed sunt quædam massa sanguinea quem gradum Hippocr. vocat fœtum. Tertius gradus cum corde & cerebro & epate iam formatis, alia membra informia & indistincta sunt. Vltimus gradus est ab Hippo. infans vocatus. Iam enim corpore organizato, & ad susceptionẽ animę disposito viuificatur, & iam incipit se mouere, & pedibus calcitrare, & si est fœmina, in sinistro latere plus mouetur, & si est masculus, plus in dextro *vt dicit Galenus*. In lactis autem gradu est infans per sex dies, in gradu vero sanguinis per 9. in gradu vero massæ carneæ per 12, in

quarto

quarto autem ante plenam perfectionem per 18. vnde versus.

Sex in lacte dies ter sunt in sanguine trini.
Bis seni carnem, ter seni membra figurant.

A die conceptionis vsque ad diem completionis & viuificationis fœtus, sunt dies 46. ita quod primus & vltimus inclusiue teneantur. Ex quo patet, quod in quadragesimo sexto viuus & completus est fœtus, quantum ad effectum generationis. Et secundum istum modum computat *Augustinus* ædificationem templi, sub numero 46. annorum, cui comparat perfectionem corporis Iesu Christi *super Iohannem 6. & lib. 4. de Trinitate cap. 5.* inter cætera interserit ista verba: quadragesies sexies seni ducenti sunt & 70. & 6. dies, qui numerus dierum complet 9 menses, & 6 dies, & sequitur *in eodem capite.* Natus autem dominus traditur 8 kal. Ianuar. A die ergo conceptionis, qui traditur fuisse 8 kalend. Aprilis, vsque ad 8 kalend. Ianuarii ducenti 66. dies reperiuntur computati, qui senarium numerum quadragesies sexies habent, quo numero templum est ædificatum &c. *Constantinus in lib. 3. cap. 34.* dicit, quod masculus, qui in mense octauo est nasciturus, 30. diebus formatur, & 70. completur, deinde subdit, masculus 10. mensium, 46. formatur diebus, & in 90. completur, masculus vero, 9. mensium, formatur in 40. diebus, & in 80. completur. In eodem etiam loco describitur tēpus viuificationis & completionis sexus muliebris, sed de hoc supersedeo causa breuitatis. Hoc solum attendendum, quod fœmina tardius formatur & completur quam masculus, *vt patet ibi*, & huiusmodi ibidem assignatur ratio, quia semen vnde nascitur masculus, fortius est & calidius, & in calidiori loco collocatur quam semen, vnde fœmina generatur. Dicit etiam ibidem *Constantinus & Galenus, super aphoris. dicit Hippocrates*, omnem infantem in octo mensibus motum habere, quia si adeo fortis esset vt possit exire, quoquo modo ad vitam conualescit. Si vero non exierit ipso motu debilitatur, ita & patitur, vt in sequenti exiens mense nullatenus conualescat. Si vero vsque ad nonum mensem, vel saltem vsque ad principium decimi mensis natiuitas protrahatur, roboratur, & etiam sine periculo nascitur, *vt dicit Constantinus lib. panteg. 3. cap. 34.*

CAP. IV.

De Infante.

INfantulus igitur ex ſeminibus contrarias qualitates habentib. generatur, in dextro ſi mas, in ſiniſtro aũt latere ſi fœmina, collocatur, ſanguine mẽſtruali in vtero nutritur & fomentatur. Ex tam vili enim materia & infirma, homo recipit à principio nutrimentum, virtute caloris, natura cooperante & dilatante ſingula membra paulatim, & etiam nõ ſubito informatur. Solus enim CHRISTVS ſubito fuit formatus in vtero, & diſtinctus, quando in vtero eſt conceptus, *Vt dicit Auguſtinus.* Anima ſubintrante vita profunditur, & ſenſu naturæ ſentiens circumdationem pelliculæ ad ipſius rupturam mouetur, ex cuius motu maternus vterus concutitur & grauatur, & completa actione naturæ circa infantuli creationem, ſi partus ſit ſalubris 8. vel 9. vel 10. menſe ad exitum de vtero nititur & conatur, exiens vero ſecundina circumdatur, in cuius exitu vterus maternus dolore nimio fatigatur, & hoc accidit quando partus nimis prope anticipatur: deinde ad aerem nimis frigidum, vel nimis calidum veniens calamitati & miſeriç exponitur, quod eius innatus clamor apertiſſime atteſtatur. Caro infantuli recenter nati fluida eſt & tenella, & ideo neceſſaria ſunt ei varia remedia & fomenta. Et ſicut dicit *Conſtantinus lib. 3. cap.* 22. Infantes, inquit, vterum exeuntes, in roſis cum ſale tritis inuoluãtur, vt eorum membra confortentur, & à viſcoſa humiditate liberentur: deinde palatum & gingiuæ cum digito, melle vncto, fricentur, vt interiora oris mundificentur & confortentur, vt dulcedine & acumine mellis appetitus infantuli prouocetur, frequenter balneentur, cum oleo myrtino aut roſaceo vngantur, omnia eorum membra fricentur præcipue maſculorum, quorum membra debent eſſe propter exercitium duriora, ſomnus eis ſemper in loco obſcuro prouocetur, vt lumen ipſorum coadunetur. Lucidus enim locus nimis viſum diſpergit, & tenellos adhuc oculos lædit, & ſæpius luſcos facit, & ideo non ſunt nimis lucido aeri exponendi, ne ſpiritus viſibilis diſgregetur. Super omnia cauendum eſt, ne malo lacte & corrupto nutrimento nutriantur, quia ex viſcoſo lacte nutriti, peſſimas ſolent incurrere paſſiones,

ſicut

ficut oris vlcerationem, vomitum, febrem, ſpaſmum, ventris ſolutionem, & huiuſmodi, nec eſt danda infantulis medicina cum ægrotant, ſed nutrix in medicina, & in conuenienti diæta procuranda eſt, vt ſic infantis defectum ſuppleat virtus gerulæ nutricis, *ſicut ibidem dicit Conſtantin.* Ex bona autem diſpoſitione lactis nutrimentalis, bona fit conſiſtentia prolis, & è conuerſo, & ex corruptione ſanguinis nutricis neceſſario læditur corpuſculum pueri vel infantis, & hoc propter puerilis naturæ mollitiem, & propter facilem nutrimenti lactei conuertibilitatem. Vnde membra infantilia, propter ſui teneritudinem, ad diuerſarum figurarum ſuſceptionem habent flexibilitatem, & ideo faſciis & aliis ligaminibus congruis infantilia membra ſunt liganda, ne torta efficiantur ſeu aliquam incurrant difformitatem. *Quære lib. 5. de Vmbilico.* Item quia infantuli multum accipiunt nutrimenti, ſomno multo indigent, vt calor naturalis ad interiora reuocetur, & ad nutrimentum ipſorum digerendum celebretur, & ideo ex naturæ inſtinctu, nutrices ſolent infantulos in cunabulis poſitos, hinc inde mouendo impellere, vt ex motu temperato, calor confortetur, & ſomnus mulcebris, per fumoſitatum reſolutionem in infantis cerebro prouocetur. Solet etiam cantus adhiberi, vt ſenſus infantuli ex vocis dulcedine delectentur. Ad hoc dicit *Ariſtoteles lib. 2.* quod in infantulis abundat cerebrum, & ſecundum quantitatem ſui corporis eſt valde magnum. Vnde ſuperior pars corporis infantuli eſt maior & ponderoſior aliis partibus, & ideo infans in principio ſui motus ambulat ſuper pedes & ſuper manus, deinde vero erigit ſuum corpus paulatim, quia pars anterior diminuitur, & per conſequens leuior redditur, pars vero inferior creſcit, per conſequens grauior efficitur. Ætas ergo infantis terminum habet in inchoatione ætatis puerilis.

CAP. V.

De Puero.

PVer à puritate eſt dictus, *vt dicit Iſidorus.* Tunc enim puer proprie dicitur quando eſt ablactatus à lacte, & ſeparatus ab vbere, doli efficitur capax, & ideo diſciplinæ ſuſceptibilis reperitur, & tunc ſub tutoribus poſitus cogitur

tur subesse disciplinæ. Est autem ætas puerilis calidæ & humidæ complexionis, in quibus motus venerei, propter viarum angustiam non inualescunt, vsque dum ad annum pubertatis perducantur, & ideo à puritate naturalis innocentiæ pueri nuncupantur, *Vt dicit Isidorus*. Sunt igitur pueri carne molles, corpore flexibiles, ad motum habiles atque leues, animo dociles, sine cura & solicitudine, & tutam vitam ducentes, sola iocosa appreciantes, nullum periculum magis quam ictum virgæ formidantes, plus pomum quam aurum diligentes, puerili tempore nuditatem detegere verecundiam non habentes, laudem quando laudantur, sicut nec vituperium, quando vituperantur, ab aliquo reputantes, propter mobilitatem caloris & carnis & humoris de facili irascuntur, & de facili placantur, propter corporis teneritudinem de facili læduntur, & labores difficilime patiũtur, ex motu calidi humoris in eis dominantis mobiles & instabiles efficiuntur, propter fortem calorem multum appetunt cibi, vnde propter nutrimenti superfluitatem de facili ad infirmitates varias disponuntur, à corruptis parentibus geniti, corruptionem contrahere dignoscuntur, vt patet in filiis leprosorum & podagricorum, qui ex corrupto humore parentum, lepra & podagra sæpius inficiuntur, per vocem & vultum pueri ab adultis dignoscuntur. Vnde *Aristoteles in lib.* 3. In pueris vox non alteratur ante motum ad libidinem, quando enim vox in pueris mutatur, signum est pubertatis, & tunc ad generandum habiles inueniuntur. Item paruuli pueri sępius malos habent mores, sola enim præsentia cogitant, & de futuris nihil penitus curant, ludos & vanitates amant, lucris & vtilitatibus intendere recusant, minima maxima reputant, & è conuerso maxima modica vel nulla putant, sibi noxia & contraria desiderant, & imaginem pueri plusquam viri appreciant, plus de amissione pomi vel pyri quam de amissione patrimonii plangunt & plorant, & beneficium acceptum non reuocant ad memoriam, omnia quæ vident appetunt & affectant, & voce & manu pariter ea rogant, puerorum sibi consimilium colloquia & consilia amant, senum vero consortia fugiunt & declinant, nullum secretum celant sed quicquid vident vel audiunt recitant, & reuelant, subito rident, subito plorant, continue clamant &

gar

garriunt & cachinnant, vix silent quando dormiunt vel dormitant, loti à sordibus, iterum se coinquinant & immundant, quando à matre lauantur pel pectinãtur, recalcitrant pro viribus & repugnant, solum ea quæ ventris sunt cogitant, imo proprii ventris mensuram ignorant, semper comedere, semper bibere desiderant & laborant, vix de lecto surgunt & subito cibum petunt.

CAP. VI.

De Puella.

PVella dicitur quasi pura vt pupilla, *vt dicit Isidorus* super omnia enim quæ diliguntur in puella, maxime diligitur pudicitia. Sunt autem puellæ considerandæ, quia secundum complexionem sunt calidæ, humidæ & tenellæ, secundum corporis dispositionem graciles & flexibiles atque pulcræ, secundum mentis affectionem verecundæ, timidæ & iucundæ, quo ad exteriorem compositionem moribus disciplinatæ, in sermonibus cautæ & tacitæ, in vestibus delicatæ. Nam *vt dicit Seneca*: *Vestis decentia pudicas decet, &c.* Est autem puella nomen ætatis, integritatis, & etiam honestatis, *vt dicit Isidorus*. Nam virgines puellas vsualiter appellamus. Dicitur autem virgo ab ætate viridiori, sicut & virga. Vel dicitur virgo ab incorruptione, quasi virago, quia veram ignorat fœmineam passionem, *vt dicit Isidorus lib.* 11 *cap.* 2. Omnis autem fœmina, *vt dicit Aristo.* habet generaliter flexibiliorem capillum & molliorem quam vir, & ceruicem longiorem, color muliebris generaliter est magis candidus, & vultus lætus, mollis, serenus, blandus, ab humeris vsque ad vmbilicum habens corpus magis angustum, ab vmbilico vsque ad genua & etiam ad pedum infima magis prolixum, manus & omnia membrorum extremitates habens flexibiliores & subtiliores, vox tenuis, sermo volubilis & facilis, incessus breuis, passibus breuibus & curtatis, animus insolens, ad iracundiam pronus, tenax odii, misericors, inuidus, laboris impatiens, docilis, subdolus, amarus, in libidinem præceps. *Vnde Arist. lib.* 8. Fœminæ, inquit, sunt omnibus generibus animalium debiliores maribus, præter vrsam & leopardam, quia fortiores maribus reputantur & audaciores. In aliis autem animalibus non fœminæ sunt leuiores ad instruendum & astutio-

astutiores & molliores, & sunt magis solicitæ circa fœtum nutriendum. Et mulier quia est maioris pietatis quam vir, eiicit citius lacrymas, & magis est inuida, & magis diligit, & malicia animæ magis est in muliere quam in viro, & est debilis spei, & est magis mendax, & inuerecunda, & maioris segniciei quam vir; & tardioris motus; *Vt dicit Aristoteles lib.* 8.

Cap. VII.

De Matre.

MAter, *secundum Isido.* dicitur eo, quod fœtui nutriendo mammam porrigat. Solicita est mater circa fœtum. Fœtus enim in vtero existens sanguine nutritur, sed eo nascente natura mandat sanguinem illum ad vbera, vt mutetur in lac, ad puerum nutriendum. Vnde infantulus materno lacte nutritur laudabilius quam alio. Concipit autem mater cum voluptate; sed cum angustia parturit & dolore, fœtum suum tenerrime diligit, amplectitur, osculatur, solicite nutrit & fouet. Item mater postquam impraegnata fuerit, sanguinem menstrualem non emittit, quia, *Vt dicit Aristo.* in nutrimentum transit creaturæ. Ex cõceptu masculi pueri minus grauatur mater, & ideo pulcrioris est coloris & mundioris, & etiam motus leuioris, quam ex conceptu fœmineo; *Vt dicit Aristot. & Constant.* quanto plus appropinquat partui, tãto mater plus affligitur, & ex motu ipsius fœtus plus fatigatur. Signum autem impraegnationis, *secundum Aristot. & etiam secun. Galen. super aphoris.* postquam impraegnatæ fuerint ipsæ matres, res diuersimodas desiderant; colores mutant; sub oculis liuescunt, vbera turgescunt, vterus paulatim intumescit; ex magnitudine fœtus matricem extendentis, nauseam & vomitum sæpius patiuntur, graues, & laboris impatientes efficiuntur, in pariendo præ dolore clamare compelluntur, leuiter periclitantur, præcipue iuuenes, quarum membra sunt exilia atque stricta, quanto autem mater pro puero dolores patitur grauiores, tanto plus natum puerum diligit, & diligentius nutrit atque instruit. Impedimenta vero matris in concipiendo, in fouendo, *quære sup. lib.* 5. vbi tãgitur de matrice & mamilla, & infra eodem vbi tangitur de aborsu, & de causis abortiendi, &c.

Cap. VIII.

De Filia.

FIlia sicut & filius à fouendo est dicta, eo quod mater eam fouet, & ei materiam fouendi alios derelinquit. Nam eandem concipiendi virtutem, quam mater a parentibus accipit suæ filiæ, quantum ad generationis semen derelinquit. Tanto autem filia matri est carior quanto eidem in sexus discretione est similior. Filiæ autem conueniunt eædem proprietates quæ dicuntur de puella. *Quare supra eodem cap. proximo, &c.*

Cap. IX.

De Nutrice.

NVtrix à nutriendo est dicta, eo quod ad fœtus nutrimentum sit accommodata. Nutrix, *vt dicit Isid.* supplet in nutriendo paruulum vicem matris. Vnde nutrix ad modum matris congaudet puero gaudenti, & compatitur puero patienti, subleuat puerũ cadentẽ, lactat paruulum plorantem, deosculatur puerum iacentem, ligat & colligat paruulum se diffundentem, abluit & mundificat paruulum se sordidantem, pascit puerum digito se renitentẽ, ad loquendum instruit puerum nescientem, balbutit nutrix & quasi frangit linguã, vt sic facilius instruat loquentẽ Medicina vtitur, vt ad idoneitatem perducat puerum ægrotantem. Nunc manibus, nunc humeris, nunc genibus releuat, & subleuat puerum vagientem, cibum primo masticat, & masticando puero edentulo præparat, vt facilius transglutiat cibum, & sic reficit puerum esurientem. Sibilis & cantilenis demulcet puerum dormientem, fasciis & linteolis constringit membra puerilia, & rectificat ea, ne aliquam contrahat paruulus curuitatem, ipsum deformantem balneis & vnguentis refouet paruuli carnẽ. Quære supra eodem de infantulo, &c.

Cap. X.

De Obstetrice.

OBstetrix autem dicitur mulier quæ habet artẽ iuuandi mulierem parientem, vt facilius pariat & infantu-

lus

lus partus tempore periculum non incurrat. Hæc quibusdam vnguentis & fomentis delinire solet vterum parientis, vt minori difficultate & dolore fœtus de vtero abducatur. Hæc etiam paruulum nascẽtem de vtero suscipit, & ipsius vmbilicum longitudine quatuor digitorum circumnodat, sanguinem paruuli à qua diluit, sale & melle ad desiccationem humoris & membrorum confortationem delinit, membra panniculis inuoluit. *Quære supra libr. quinto de Vmbilico, &c.*

CAP. XI.

De Ancilla.

ANcilla est famula vxoris obsequio deputata, hæc laboriosis & vilioribus officiis deputatur, grossioribus cibis reficitur, vilioribus pannis induitur, seruitutis iugo premitur, si filium conceperit prius seruus quam natus redditur, & ab vtero seruituti mancipatur. Ancilla etiam si seruilis fuerit conditionis pro libitu nubere non permittitur, & qui secũ contrahit si primo liber fuerit, seruus efficitur, post contractum pecunia venditur & emitur sicut pecus. Ancilla sicut & seruus propter ingratitudinis vitium reuocatur, post manumissionem conuitiis afficitur, virgis & verberibus atteritur variis & contrariis vexationibus & angariis opprimitur, respirare inter miserias vix permittitur, vnde inter miserias miserabilior est conditio seruitutis, *Vt dicit Rabanus exponendo illud Verbum Iere. 9. Seruietis Diis alienis qui nocte & die requiẽ non dabunt vobis, &c.* Est autem proprium ancillarum & seruilium personarum, *Vt dicit Rabanus*, contra suas dominas vel dominos insolescere. Et quando metus eos non reprimit, contra superiorum imperium tumido animo superbire, vt patet in Agar Ægyptiaca ancilla Saræ, quę videns se concepisse, contempsit dominam suam, *Genes.* 16. nec ad cor reuersa est hæc ancilla, nisi quando à domina sua fuit exposita ad flagella, *Vnde consequitur ibi. Affligente eã Sara domina sua, &c.* Seruiles enim personas & ancillares timor humiliat & deprimit, quas benignus amor in superbiæ contemptum aliquoties eleuat & extollit, *Vt dicitur ibidem.* Scriptum est, *qui delicate nutrit seruum suum in fine inueniet eum contumacem.* Quære infra eodem de seruo nequam.

Cap. XII.

De Masculo.

MAsculus à mare diminutiue est dictus, qui in omni genere animalium quoad sexus dignitatem obtinet principatum, *vt dicit Isidorus.* Maior enim est masculus fœmina quoad complexionem, quoad operationem, & quoad sensus discretionem, & quoad potestatem & dominationem. Quoad complexionem patet, quod vir siue masculus respectu fœminæ calidus est & siccus, ipsa vero è conuerso. In masculo vigent virtutes formales & actiuæ, in fœmina vero materiales & passiuæ. *Vnde dicit Aristotel. lib.15.* quod vir se habet ad modum formæ, mulier per modum materiæ patientis. Item præualet masculus quoad naturalem operationem, quia naturalis operatio plus viget in masculo generaliter quam in fœmina, in eo enim maior est virtus, & ideo vir à virium eminentia est dictus, *vt dicit Isid.* Nerui enim virorum, lacerti maiori robore sunt fundati, & ideo fortioribus actionibus erunt apti. Ossa enim masculorum sunt fortiora, grossiora, & in iuncturis solidiora, & ideo ad omnia fortiora opera naturaliter sunt fortiores. In masculis etiam, *secundum Constan.* sunt corda ampliora & maiora, & ideo ad receptionem abundantiæ maioris spiritus & sanguinis sunt habiliora. Et ideo propter abundantiam spirituum & calidi sanguinis audacior est naturaliter mens viri quam mulieris, in qua causa est contraria, propter caloris fortitudinem, & complexionis siccæ vigorem. Nulli viro accidit passio menstrualis, sicut mulieribus accidere consueuit. Quicquid in masculorum corporibus superfluitatis gignitur, aut per intensum calorem consumitur, aut in pilos resoluitur, aut per exercitium euacuatur. Item distat conditio viri & mulieris in sensus discretione. In omni enim genere animalium masculus in præcauendis insidiis, & in fugiendis nociuis solertiorem habet animum fœminis & prudentiorem, *vt dicit Arist. lib.5.* Vnde vir præcedit fœminam, etiam ratione intellectusque perspicuitate, *vt dicit Augustinus*, qui præfert virum mulieri, *secundum Apostolum*, in imaginis diuinæ similitudine & dignitate, & ex ista dignitate præcellit masculus in autoritate & potestate. Autoritas enim docen-

docendi & præsidendi viris conceditur, fœminis vero consuetudinaliter denegatur, *vt dicit Apostolus* 1. *Corin.* 6. *Mulierem in Ecclesia docere non permitto. Scriptum enim est, sub viri potestate eris, & ipse dominabitur tui. Gen.* 3. Sunt igitur viri fœminis calidiores & sicciores, viribus fortiores, animosiores, ingeniosiores, constantiores, mulierum zelatores, vnde & animalia pugnāt pro mulieribus suis, *vt dicit Aristot.* Sunt etiam corporis durioris, & hispidioris, vocis grossioris, aspectus fortioris, in omni genere animalium, excepta vacca, cuius vox est grossior, *vt dicit Aristot. lib.* 4. Sunt etiam omnes masculi in omni genere animalium plurium dentium quam fœminę, & maiori indigent cibo & corporis nutrimento, propter abundantē fortitudinem caloris dominantis in masculis, humiditatem cibi de facili consumentis, *vt dicit Aristot. lib.* 4.

CAP. XIII.

De Viro.

VIr à virtute virium est dictus, *secundum Isido.* Nam in viribus vir mulierem præcellit. Caput enim mulieris est vir, *vt dicit Apostolus.* Vnde tenetur regere vxorē suam, sicut caput totius corporis curam gerit. Hic maritus quasi matrem tuens est dictus. Nam vxoris suæ, quæ mater est filiorum, curam suscipit & tutelam. Hic à spondendo, id est, obligando & promittendo sponsus dicitur. Nam in contractu coniugali fide intermedia se obligat, vt indiuiduam cum vxore vitæ consuetudinem teneat, vt debitum ei reddat, & fidem thori sui custodiat, & eam pro altera non dimittat. Tantus autem est amor viri ad vxorem, vt ipsius causa quælibet pericula subeat, amorem eius amori matris præferat, & vt pro eius cohabitatione patrem, matrem, & patriam derelinquat, *sicut dicit Dominus: Propter hoc relinquet homo patrem & matrem suam, & adhærebit vxori suæ.* Hic sponsus ante sponsalia, muneribus & donis ad sui amoris amplexum sponsam allicit, literis & nunciis votum suum circa ipsam exprimit, multa largitur, & plurima repromittit, vt ei placeat, ludis & spectaculis se exponit, frequentat tyrocinia, robis & mutatoriis se ornat & componit. Quicquid etiam rogatur dare vel facere pro eius

amore, pro viribus statim facit, nulli denegat aliquid, qui sub nomine sponsæ rem aliquam sibi fieri petit. Blandæ eam alloquitur, & blando vultu, ac ardenti oculo eam facie ad faciem intuetur. Tandem in eandem finaliter consentiens, consensum suum coram parentibus verbis exprimit, & annulo eam subarrante in coniugem eam ducit, & in signum ratificationis coniugii iam contracti dona & dotalitia ei impendere, & sub chartæ vel chirographi testimonio concedere consueuit, festa & conuiuia nuptialia celebrat, munera aduenientibus donat, choreis, cãtilenis & instrumẽtis musicalibus pręsentes lætificat & exhilarat. His completis sponsam introducit, & ad secreta thalami recipit & admittit, sociam mensę & thori eam statuit, eam dominam pecuniæ suæ & familiæ facit, deinde non minus vxoris suæ quam suiipsius causam vel etiam curam gerit, ex amore & etiam zelo ipsam corrigit, & etiam custodiam circa eam adhibet & apponit, gestus & affatus pariter & aspectus vxoris suæ considerat, ingressus & regressus eius trutinat atque pensat. *Viro autem bonam mulierem habente nullus est felicior.* Qui vero habet vxorem clamorosam, malam, rixosam, ebriosam, luxuriosam, multiuolam, sibi contrariam, sumptuosam, curiosam, inuidiosam, desidiosam, tædiosam, vagam, amaram, suspiciosam, odiosam, nullus tali viro miserabilior est & infelicior. Hæc omnia & superius posita, *tangit Fulgent. in sermone quodam de nuptiis in Cana Galilea.* Vnde comparat Christum sponso, Ecclesiam sponsæ bonæ, synagogam vero sponsæ malæ & adulteræ. In sponsa autem & vxore bona exiguntur istæ conditiones, scil. vt sit frequens & deuota, quo ad Dei ministeriũ, humilis & subdita, quo ad obsequium mariti, affabilis & benigna, quo ad domesticos, liberalis & larga, quantum ad extraneos, misericors & benigna, quo ad miseros, mansueta & pacifica, quo ad vicinos, circumspecta, & prudens in præcauendis, fortis & patiens in sustinendis, sedula & diligens in agendis, mõdesta in habitu, & sobria in motu, cauta in affatu, pudica in aspectu, honesta in gestu, matura in incessu, verecunda in publico, iucunda cum marito, continens in occulto. Talis vxor est laude digna, quæ plus compositis moribus quam tortis crinibus, plus virtutibus quam pulcris vestibus studet placere viro suo,
quæ

quæ plus causa prolis quam causa libidinis, in bonis matrimonii conuersatur, quæ ex coniugio potius habere filios gratiæ, quam naturæ delectatur. Et hæc de vxore bona nunc sufficiant.

CAP. XIIII.

De Patre.

PAter est principium generationis. Naturaliter enim desiderat pater suam speciem multiplicare in filiis, vt naturam quam non potest seruare, in se custodiat in sua prole, *vt dicit Constant.* & ideo ad filiorum generationem de sua substãtia per generationis officium diuidit & transfundit, & tamen propter hanc delectationem, naturæ suæ diminutionem non recipit. Generat autem filium sibi similem in specie & etiam in effigie, maxime, quando virtus in semine patris, vincit virtutem in semine matris, *vt dicit Aristot. lib.* 8. Et ideo pater circa filiorum procreationem solicitus existit, & naturaliter fœtum suum diligit in tantum, vt etiam nutrimentum sibi subtrahat, vt nutriat fœtum suum, & hoc generaliter est verum in omni genere animalium, exceptis paucis, in quibus natura degenerat, & ideo non multum solicitantur circa fœtus suos, à se eos eiiciunt, *sicut dicit Aristot. lib.* 6. de aquila, quæ eiicit pullos, & alis, & rostro, & vnguibus eos fugat. Homo autem puerum suum siue fœtum diligit & nutrit, ablactatum suũ commensalem facit filium, & in iuuentute verbis erudit, & verberib. corrigere non desistit, sub custodia tutorũ ipsum constituit, & ne præsumat, vultum hilarem filio nõ ostendit, filium sibi similẽ magis diligit, & in ipsum oculum cõsueuit figere, secundum ætatem & primogenituræ dignitatem, vestes & ciborum portiones filiis suis diuidit, pro filiis acquirere & hereditatem augere non desistit, acquisitam excolit, & excultam filiis heredibus derelinquit. Pater vero qui à pascendo est dictus, qui pascit filios in eorum iuuentute, in senectute à filiis pascitur, sicut est videre in auibus coruini generis. Nam iuuenes pascunt senes, *sicut dicit Aristot.* quando præ senio non possunt acquirere victum suum, & ideo vitæ longioris promissio honorantium parentes, & sustentantium est remuneratio specialis, *vt dicit Ambrosius.* Scriptum est enim: *Honora patrem &*

matrem tuam, vt sis longæuus super terram, Exo.20. Eccl.3. Qui honorat patrem, vita viuet longiore. Vnde dicit glossa, *quod honorare parentes est primum mandatum in promissione, & per consequens magnum est mandatum in remuneratione, & eius transgressio maxima est in punitione.* Vnde patris maledictio nocet filiis, vt patet in Cham, qui propter paternam offensam, pœnam meruit seruitutis, *Gen.9.* Est itaque pater ex filiis honorandus, sustentãdus, supportandus, lætificandus & defensandus, magnificandus & laudandus, exaudiendus & imitandus, *vt dicit glossa ibid. Si filii Abrahæ estis, opera Abrahæ facite.* Filius ex parentum substantia originem ducit, & ab eis fomentum recipit, & sine parentum adiutorio neq; proficit neque viuit, quanto plus à patre diligitur, tanto ab eo diligentius instruitur, frequentius cæditur, & sub disciplinæ custodia arctius custoditur, & cum à patre maxime diligatur, diligi non videtur, quia verbis & verberibus, ne insolescat, sæpius lacessitur, tanto affectuosius quidem à patre diligitur, quanto sua effigies in filio similior & expressior inuenitur. Paterna quoque facies confunditur, quando aliquid turpe de filiis subauditur. Paternus animus grauiter offenditur, quando aliqua contumax rebellio in filiis præsentatur. Circa filiorum autem educationem maxima parentum cura dirigitur, & ob spem posteritatis filiis hereditas custoditur, propter paternam offensam & contemptum, sæpe secundum leges exheredationis pœna filius percutitur & punitur. Nulla prorsus maior est ingratitudo, quã peruersorum filiorum, quando secundum acceptum beneficium à parentibus eis non succurritur, nec à filiis necessitatis tempore subuenitur, pro honorificentia parentum filiis sæpe impenditur honor & largitur, primogenito filio deberi maior hereditatis portio à legibus diffinitur, sed propter patris iniuriam ius primogenituræ prærogatiua aliquando à primogenito tollitur, & alius qui dignior est primogenituræ titulo, inuestitur, *sicut dicit Hieron. super glo. Gen.49. Ruben primogenitus meus, &c. Tu, inquit, iuxta ordinem natiuitatis tuæ hereditatem, quam iure primogenituræ habere debuisti, regnum scilicet & etiam sacerdotium perdidisti, &c.*

Filii igitur, qui per naturam deberent esse sicut parentes,

tes, nobiles, diuites, & etiam liberi, per culpam efficiuntur viles, pauperes atq; serui. Quære infra de malo seruo.

CAP. XV.

De Seruo.

SEruus, *secundum Isidorum*, à seruando est dictus. Nam quondam quidam captiui seruabantur, vel vt capite plecterentur, vel vt precio redimerentur. Vel à seruiendo sunt dicti, eo quod vilioribus officiis, quæ dominis non conueniunt, nec filiis mancipantur. Seruorum triplex est genus, *vt dicit Isidorus*. Quidam enim sunt vernaculi siue originarii, scilicet qui in seruitute sunt nati & tales multis pœnis legalibus subiiciuntur, quia sua vendere vel alienare non possunt, nec contrahere, nec dignitatis officium assumere, nec etiam testimonium perhibere nisi dominorum suorum voluntate. Vnde sine infamia existentes sæpe infamiæ pœna puniuntur. Alii sunt serui emptitii qui à barbaris vel hostibus capti vel empti, iugo seruitutis sunt oppressi. Tertii conductitii, qui non ex necessitate, sed voluntate seruiunt, ob spem lucri, & hi proprie famuli à famulando sunt dicti, id est, obsequendo, *vt dicit Isidorus*. Sunt itaque multæ viles conditiones seruorum malorum, de quibus supra dictum est in tractatu de ancilla. Quære ibi, &c.

CAP. XVI.

De seruo malo & nequam.

HIc de seruo nequam addendum est, quod in multis sibi & aliis est nociuus. Solet enim ebriosus esse, & tunc bona domini sui vel negligit, vel furtiue subtrahit & expendit. *Prouerb.* 30. *Operarius ebriosus non locupletabitur.* Item remissus est & ociosus, & tunc tempus concessum ad laborandum inutiliter perdit, sicut seruis dixit paterfamilias. *Quid statis hic tota die ociosi. Et Eccl.* 32. *Mitte seruum in operationem ne vacet.* Sic enim decet illum. Item de bonis domini sui prodigus omnia dissipat & consumit. *Luc.* 16. *Diffamatus est villicus, quod dissipasset bona Domini sui.* Item piger, & somnolentus & desidiosus omnia negocia domini sui negligit & omittit. *Eccles.* 37. *dicitur. Cum seruo pigro tracta de opere. Et Luc.* 19. *dicitur, seruus piger abscondit*

talentum Domini sui in terra & abiit. Item proteruus & ceruicosus etiam supra Dominum se extollit. *Eccles.* 10. *Vidi seruos in equis, &c. Et prouerb. 29. per seruum cum regnauerit, &c.* Item cupidus est, & lucri auidus, lucrum Domini sui in proprium suum conuertit. Exemplum de Giezi seruo Helysæi, qui sub nomine Domini sui pecuniam petiit, obtinuit, detulit, & abscondit, 4. *Reg.* 5. Item superbus & præsumptuosus Domini imperium paruipendit, sicut dixit Miphiboseth de Siba seruo suo, *seruus meus contempsit me Domine mi Rex, & asinum sternere noluit.* 2. *Reg.* 16. & *Iob* 19 *seruum meum, &c.* Item cum sit durus & malitiosus, gratiam sibi fieri desiderat & appetit, sed obtentam aliis non impendit. *Matth.* 18. *Serue nequam, omne debitum dimisi tibi, quia rogasti.* Item incircumspectus est, obliuiosus & ignorans quod de suis excessibus sit rationem domino suo redditurus, ad memoriam non reducit. *Luc.* 12. *Si dixerit Dominus meus moram facit venire, &c.* Item iracundus & seditiosus, totam perturbat familiam & offendit. *Luc.* 13. *Si inceperit seruus ille bibere & inebriari & familiã percutere, veniet dominus eius, &c.* Item maledicus & linguosus de omnib. & præcipue de domino suo maledicit, sicut patet de Siba seruo Miphiboseth, qui eum apud regem accusauit, 2. *Reg.* 15. *Eccles.* 7. *Ne audias seruum maledicentem tibi.* Item si fuerit delicatus & deliciose nutritus, contra Dominum suum recalcitrat & resistit. *Prouerb.* 29. *Qui delicate nutrit seruum suum, &c.* Et iterum, *non decent seruum delitia.* Item fraudulentus & dolosus insidias domino ponit, & quandoque ipsum interficit siue prodit, 4. *Reg.* 29. *tetenderunt et insidias serui sui & interfecerunt Regem in domo sua.* Item domino suo existens iniuriosus, ab eo fugit, & ipsum deserens, aduersario suo se coniungit, I3. *Regum* 2. *Fugerunt serui Semey in Geth &c. Et* 1. *Reg.* 25. *Increuerunt serui qui fugiunt dominos suos.* Item cum sit nequam & flagitiosus, vix per verba de malitia compescitur. *Eccl.* 23. *ibi Sicut seruus interrogatus, id est tormentis castigatus frequenter à liuore, id est liuoris crimine non minuitur, ed magis ad odium prouocatur*, quasi diceret, seruus inter tormenta non melioratur, sed potius peioratur. Item cum sit ingratus, gratiam factam à Domino non recognoscit, sed de iustitia plus quam de gratia sibi fieri credit. *Eccles.*

23. *Laxa*

23. *Laxa manus seruo & quaeret libertatem.* Item si fuerit criminosus & culpatus Domino suo, sine flagellis ab eo extorqueri veritatis confessio non valebit. *Eccl.* 42. *Seruo pessimo sanguinate latus, ibi glossa. Seruus qui verbis non corrigitur, vulneribus corrigatur.* Item cum sit astutus, & labor ei odiosus, vocatus ad labores dormire se fingit, & quasi non audiens de vno latere ad aliud se conuertit. *Prouerbior.* 29. *Seruus verbis non potest erudiri, quia quod dicis intelligit & respondere contemnit. Et Luc* 12. *Seruus quidem sciēs voluntatem Domini sui, &c.*

Cap. XVII.

De conditionibus boni serui.

Boni autem serui conditio consistit in diuersis. Nam bonus seruus est docilis & ingeniosus ad intelligendū. *Prouerb.* 27. *Seruus sapiens dominabitur stultis filiis. Et Eccl.* 7. *Seruus sensatus, &c.* Item humilis est & obsequiosus ad quodlibet obsequium impendendum. *Psalm. O Domine ego seruus tuus & filius ancillae tuae. Ad Philip.* 2. *Humiliauit se formam serui accipiens.* Item hilaris & iocosus ad conuiuendum, decet enim seruum in suo ministerio esse hilarem & iucundum. Totum enim seruitium displicet, quando seruiens facie laeta caret. *Genes.* 45. *Et nos laeti seruiemus regi. Et Esa.* 65. *Serui mei laetabuntur & laudabunt prae exultatione, &c.* Item affabilis & gratiosus ad loquendum, quia multum diliguntur serui, quando affabiles sunt & benigni. Et ideo de Dauid qui seruiebat Saul, dicitur. 1. *Reg.* 18. *Acceptus erat Dauid in oculis vniuersi populi, & maxime in conspectu seruorum Saul. Et in eodem. Ecce places regi & vniuersi serui eius diligūt te.* Item virilis & animosus se contra aduersarium Domini sui ponens primo. 1. *Reg.* 17. *Non concidat cor cuiusquam in eo, ego seruus tuus vadam & pugnabo aduersus Philistaeum, &c.* Item fidelis est in commisso, scil. negocio, & studiosus ad exequendum. *Luc.* 19. *Euge serue bone & fidelis, &c. Et numeri* 12. *Seruus meus Moyses fidelis in omni domo mea.* Item habilis est & artificiosus ad lucrum domini procurandum. Plus enim intendit bonus seruus augmentare, & multiplicare domini sui peculium, quam suum proprium, quia in multiplicādo domini sui lucrum pro-

procurat & ipse suum. *Luc.* 19. *Vocatis decem seruis suis, tradidit illis decem minas & ait: negociamini dum venio, &c.* Item bonus seruus cautus est & multum curiosus, ad rationem & computum domini sui persoluendum, de datis & acceptis. Nam de bene computatis remunerationem certus expectat, de non computatis vero semper dubitat & formidat, *vt patet Luc.* 19. *Vbi dicitur, Domine ecce mina tua decem minas fecit. Cui dixit Dominus. Esto Dominus habens potestatem super decem ciuitates.* Item solicitus est bonus seruus & animo studiosus prius domino suo præparare cõmodum, sicut prandium siue lectum, quam se disponere ad prandendum, siue qualitercunque alias ad quiescendum. Nunquam enim bonus seruus commodum sibi fieri putat, quando videt quod dominus suus adhuc laborat. *Luc.* 12. *Quis vestrum habens seruum, & si venerit de agro dicat ei primo discumbe, &c.* Ideo commendatur Vrias, qui dixit ad Dauid. 2. *Reg.* 11. *Dominus meus Ioab. & serui domini mei super faciem terræ manent, & ego ingrediar domum meam, vt comedam & bibam, &c.* Item seruus fidelis & timorosus domini sui aduẽtum præstolatur, nec se disponit vel deponit antequam veniat ad dormiendũ, nec subintrat lectum suum ante aduentum suum. *Luc.* 12. *Beatus seruus ille quem cum venerit dominus inuenerit vigilantem.* Item seruus qui circa dominum est sedulus & amorosus, aliis dormientib. vigilat ad dominum suum custodiendum. Vnde merito reprehendit Dauid Abner & alios seruos regis Saul dormientes, 1. *Reg.* 26. *Non erat qui vigilaret, sed omnes dormiebant,* & sequitur: *Filii mortis estis vos, qui non custoditis Christum Domini.* Itẽ seruus qui in obsequiis domini sui est affectuosus, oculis ac manib. semper circa dominũ est intentus, ad suum beneplacitum peragendum, ne aliquod scilicet incommodum sustineat vel defectum, siue ad aliquod beneficium à domino benefico recipiendum. *Psal.* 123. *Sicut oculi ancillæ in manibus dominæ suæ, ita, &c.* Item bonus seruus nunquam à labore est vacuus, nunquam ab vtilitate domini sui est ociosus, quia siue comedat, siue abstineat, siue vigilet, siue dormiat, omnia quę facit ad vtilitatem illius cui seruit, ordinat & reducit. *Iob.* 7. *Sicut ceruus desiderat vmbram & mercenarius præstolatur, &c.* Item bonus seruus nec in victu, nec in vestitu, domino suo est onerosus: imo

veteri

veteri roba domini sui aliquando per anni circulũ est contentus, scit enim quod cōpleto seruitio suo plura est à domino beneficia recepturus. Ideo in lege præceptum est: vt sine veste & viatico, & supra precium conductitium, seruus in anno septimo, nullatenus à domino dimittatur. *Exod.21. Et Deut.15.* Item seruus in moribus disciplinatus & virtuosus, solet esse coram domino gratiosus, & in oculis eius acceptus, & ideo seruus sensatus, ad hoc diligentiam adhibet, vt vrbane & curialiter & munde domino suo administret, quia aliquando plus diligit dominus munditiam seruientis, quam ipsam exhibitionem seruitutis, *Psal. Ambulans in via immaculata, hic mihi ministrabat. Eccles. 7. Seruus sensatus est, &c.* Item seruus bonus à domino correptus, contra corripientem se, non est murmurans, neq; querulosus, scit enim quod bonus dominus iuste arguit seruum suum. Et talis quidem arguitio sibi accidit ad profectum. *Eccl. 10 seruo sensato liberi seruient, & vir disciplinatus non murmurabit correptus, imo potius gaudebit. Vnde Prouer. 9. Argue sapientem & diliget te.*

CAP. XVIII.

De bono Domino siue dominio.

SIcut autem seruus est nomen subiectionis, sicut dominus est nomen prælationis & potestatis. Vnde à domino, à quo est omnis potestas, iustum dominium est statutum. Sine enim dominio non posset stare salua respublica, nec esset humana societas pacifica vel quieta. Sublata namque de medio dominorum iustorum potentia, libera esset malitia, nunquam innocentia foret tuta, *vt dicit Isidorus.* Iusta itaque dominatio per tyrannidem suos non opprimit, sed suos aduersarios reprimit, & etiam repellit. Dominorum etiam potestas seruos non deserit, imo etiam pro subditis contra potestatem aduersariam se opponit, *vt dicit Gregorius.* Vnde etiam patet, quod dominus est nomen potestatis, & nomen æquitatis. *Iustus enim est Dominus & iustitias dilexit, &c.* Et ideo quoque dominus qui iustus est per viam videlicet iuris, causas, lites & etiam controuersias inter subditos dirimit & diffinit, vnicuique quod suum est tribuit, contra malitiam gladium extrahit, pro defen-

denda

denda innocentia clypeum iustæ potentiæ contra maleficos obiicit & opponit. Pupillos, viduas & orphanos de manu opprimentis excutit, prædones, maleficos & fures persequitur atque punit, acceptam potestatem, non secundum voluntatis impetum, sed secundum legis imperium, ordinat & disponit Ex quo patet quod dominus est nomen æquitatis. Est insuper nomen liberalitatis. Nam boni & iusti domini liberales sunt & pii. Et sicut dicitur *Ester.13. Cum inquit, totũ orbem dominationi meæ subiugassem, nunquam volui potentiæ abuti magnitudine, sed clementia & lenitate gubernare subditos, &c.* Et ideo verus dominus, ad omnes, præterquam ad maleficos, liberalem & affabilem se ostendit, plus amari quam timeri diligit, non hominibus, sed bestiis, id est, bestialibus & malis dominari se cognoscit, *vt dicit Gregorius super illum locum, Genes. 9. Sit terror vester super cuncta animantia, &c. Homo, inquit Gregor. non rationalibus, sed irrationalibus animalibus est prælatus, vt non ab hominibus, sed animalibus timeatur.* Omnes enim homines natura æquales generauit, sed pro variis meritis, aliis alios iusta Dei dispensatio præponit, vt humana formidine peccare metuant, qui diuinam iustitiam non formidant. Ex hoc ergo timore, domini non superbiant, non suam gloriam, sed subditorum iustitiam quærant. Non enim hominibus sed bestiis dominantur, quia ex illa parte qua bestiales sunt, dominio ipsorum prosternuntur. Est etiam dominus nomen nobilitatis, *sicut dicitur Deutero. 1. Tuli de tribub. vestris viros sapientes & nobiles & constitui eos dominos & principes, & tribunos & centuriones.* Nam domini debent esse nobiles & generosi, tam carne quam mente. Ideo *secundum Ambrosium,* natura in animalibus nobiliores & viribus fortiores præposuit aliorum reges & ductores, & patet in animalibus & volatilibus, & etiam in apibus, in quibus omnibus, illi aliis dominantur & pręficiuntur, in quibus nobiliores conditiones secundum naturæ beneficium inueniuntur, vt sic addiscat homo nobilior præesse secundum rationem & gratiam, ex quo sic animalia pręsunt animalibus nobiliter per naturam. Item dominus est nomen honoris & dignitatis, *sicut dicit Apostol. ad Ephes. 6. Serui obedite dominis carnalibus cum timore & terrore, &c.* Dominus enim iuste à subditis honorem & reueren-

reuerentiam accipit, & officii sui merito subditos honorificentia dignos facit, propter enim vnum regem bonum vel dominum tota patria honoratur, frequentatur & timetur. Item dominus est nomen pacis & securitatis. Nam guerras & pugnas dominus iustus sedat, & discordes ad concordiam reuocat, vnde sub bono & forti at pacifico domino coloni patriæ sunt securi, quia nullus audet inuadere terminos suos, ac infringere pacem suam.

CAP. XIX.

De malo Domino siue dominio,

SIcut autem bono & iusto domino nihil reipublicæ vtilius est, ita domino malo nihil peius. Nam malus dominus subditos suos, quos iuuare deberet, spoliat & opprimit, & in debitis officiis & seruitiis angariat & angustat. *Mich. 2. Qui violenter pellem tollitis desuper, &c.* Propter munera iustitiam violat, & pauperi non iudicat. *Mich. 3. Audite principes, qui abominamini iudicium populi. A quo recipitis vectigalia & tributum, ab inuasoribus non defenditis.* Nam ei in malitia sua non consentientem cruciat & crudeliter flagellat. *Esa. 19. Dabo Aegiptum in manus dominorum crudelium, &c. Hier. 6 Crudelis est, &c.* Aliena tanquam propria vendicat, & omnia sua esse putat. *1. Reg. 8. Filios tuos & agros tollet, &c.* Timeri potius quam amari desiderat, *Baruch. 6. Ostentantes metum gentibus, videte ergo, &c.* Honorari ab hominibus & reuereri affectat. *Dan 2. cadentes adorate statuam, &c.* Leges & statuta antiquorum destruit, & sua ordinat, *Esa. 10. Væ qui condunt leges iniquas.* Sub specie iustitiæ crudelitatem & malitiam palliat & occultat. *Esa. 52. Dominatores eius iniqui, exactionibus & talibus sæpe vexat. Esa. 3. Populum meum exactores spoliauerunt. Et Dan. 9. cap. & 11. dicit.* Occasiones extorquendi & aliquid rapiendi captat. *Esa. 52. Assur absque causa calumniatus est eum.* Mendaces & delatores diligit, & eorum consiliis aures accommodat. *Prouer. 29. Princeps qui libenter audit verba mendacii, &c.* Fidem & pactum nulli seruat. *1. Mach. 6 Iurauit illis rex & principes eius, sequitur. Vidit munitionem & rupit citius iusiurandum.* Epulas & delicias de alienis laboribus sibi parat. *Psalm. deuo. ple. meam, sicut es. pa.* Exemplum de Balthasar. *Dan. 5. & Ezech. 19.* Eos qui diutius

tius & fidelius seruierunt peius remunerat, sicut voluit Laban remunerare Iacob, qui dixit. *Nisi Deus patris mei adfuisset mihi, modo nudum forsitan dimisisses.* Item nullius seruitia grata reputat, & ideo omnia quæ fiunt minora debito fore putat, *sicut dicitur Iudith 3. Nec ista facientes ferocitatem pectoris eius mitigare potuerunt.* Item aliis laborantibus in ludis & in potibus ipse vacat. Eccl. 10. *Væ terræ cuius rex puer est, cuius principes mane comedunt, & 3. Reg. 20. Rex bibebat temulentus de vmbraculo suo, &c.* Hæc de proprietatibus hominis, quo ad membrorũ diuersitatem, & quo ad ætatem, & quo ad sexus discretionem & variam qualitatem nunc sufficiant. Nunc de quibusdam accidentibus quæ contingunt circa hominem, & secundum naturam, & præter naturam aliqua, Dei adiutorio, sunt dicenda, & primo de cibo: deinde de potu: tertio de vigilia & somno: deinde de exercitio.

CAP. XX.

De Cibo.

DIcto de proprietatibus hominis, quo ad illa, quæ ipsum constituunt naturaliter, dicendum restat de illis proprietatibus rerum, quæ ipsum secundum naturam in esse custodiunt. Et sunt *secundum Ioan.* aer, exercitatio, quies, potus, cibus, vigilia & somnus. Sine istis non custoditur humanum corpus. Nos autem ordinem istum hic non sequimur, quia in loco suo de aere postea dicemus. De cibo ergo primo dicamus, quantum hic sufficit, quia cibus est *secundum Constantinum* substantia conuertibilis in essentiam corporis, quo cibatur corpus, augmentans, nutriens & sustentans. Calor enim fortis membrorum interiorum & exteriorum in continua est actione & resolutione, cui continua debetur restauratio; ad deperditi beneficium facienda. Cibus autem sumptus in similitudinem corporis vertitur, & in ipsius naturam transmutatur. Vnde in cibo procedit ipsius præparatio; deinde eius masticatio: tertio in locũ digestionis receptio: quarto ipsius digestio, & puri ab impuro separatio: quinto ipsius attractio, & per singula membra distributio: sexto naturæ membri assimilatio. Si enim cibus non assimilaretur membris, nunquam in eorum naturam incorporaretur vel conuerteretur; vltimo post

mo post omnia ista fit istius cibi incorporatio, & in naturam corporis conuersio. Nam quod calidum est & humidum, transit in naturam sanguinis & carnis, quod vero frigidũ est & siccum, in naturam nerui, & in naturam ossis, & sic de aliis. Cibus itaque assumptus & incorporatus adhuc in iuuenibus corpus nutrit & augmentat. In senibus vero calorem naturalem reparat, deperdita etiam restaurat, & custodit corpus ne pereat. Ciborum autem sunt multæ diuersitates. Quidam enim cito in sanguinem conuertuntur propter suam substantialem humiditatem & caliditatem, & illam quã habent cum sanguine viciniratem. Quidam vero è contrario propter contrariam causam tardius conuertuntur. Quidam vero cibi multum nutriunt, quia multum sanguinis generant. Quidam vero parum, imo potius onerant, tamen aliquantulum refocillant. Et generaliter omnis cibus laudabilis generatiuus sanguinis magis est conueniens in regenda sanitate. Laborantibus tamen est conueniens grossior cibus spissioris sanguinis generatiuus. Item omnis cibus de quo generatur multus sanguis, paucam habet superfluitatem. Et è conuerso, cibus de quo gignitur paucus sanguis, multas generat superfluitates. Et generaliter secundum diuersitates ciborum disponuntur & variantur complexiones membrorum, & corporis qualitates, *vt dicit Constantinus lib.*1. Circa cibum autem ista considerantur, sicut & circa diętam, *vt dicit Galenus super aphoris.* scil. cibi substantialitas, qualitas, quantitas, sumentis necessitas, temporis congruitas. Oportet enim medicum cognoscere substantiam & qualitatem ciborum ad custodiam & regimen corporum humanorum. Est enim quidam cibus pure nutrimentalis, & facile conuersiuus, & talis est naturæ conseruatiuus. Quidam est cibus medius, & hic est facile alteratiuus & naturæ adiuuatiuus. Quidam vero est cibus pestilentialis, & naturæ corruptiuus, sicut cibus venenosus, qui à tota specie mutat & destruit ipsum corpus. Et ideo oportet ciborũ cognoscere substantiam & qualitatem, ne venenum assumatur loco cibi. Qualitas autem cibi attenditur, vel secundum vltimam elementarum qualitatum remissionem, & sic est cibus calidus vel frigidus in primo gradu, vel secundum vltimam earundem intensionem, & sic in quarto gradu, vel secun-

dum harum meditationem, & sic dicitur esse in tertio vel secundo gradu secundum maiorem excessum vel minorem. Hoc etiam attendendum est, quod tam secundũ substantiam, quam secundum qualitatem, *Vt dicit Constantin.* Aliquis cibus est subtilis, qui scilicet de facili digeritur, cuius quantitas multa parum nutrit, quia *secundum Auicen.* subtilis ex eo generatur sanguis qui cito resoluitur à membris, & ideo parum nutrit, vt dicit idem, Et est cibus grossus qui scilicet tardius digeritur, & eius pars modica multum nutrit, ex quo sanguis grossus generatur, qui tardius resoluitur ab ipsis membris. Nam *Vt dicit Isaac*, ex subtili cibo fit generatio subtilis sanguinis, & è conuerso, & est cibus in substantia & qualitate temperatus. Cibus autem purus laudabilis est, quando est inter hæc temperatus, & è conuerso, *secundum Auicennam*, herbæ crudæ & fructus nimis recentes minus sunt boni, quoad cibum propter humiditatis excessum. Nam sanguinem replent aquositate, & disponunt ad putrefactionem, & ideo potius sunt medicina quam cibus. Cibus debet esse vniformis, ne scilicet in vna mensa simul diuersa nutriētia assumantur, quia *secundum Auicennam*, dum vnus cibus digeritur, alter corrumpitur, & stomachus nimis extenditur & repletur. Consideratur etiam in cibo quantitas dimensiue & extensiue Nam attenditur vel secundum minimum, vel secundum nimium, vel secundum inter hæc medium. Si vero fuerit cibus nimius, naturam grauat, stomachum distendit & inflat, rugitum & torsiones generat, malos humores & cachinnos augmentat, nauseam & vomitum prouocat, calorem naturalem, sicut oleum lampadem extinguit & suffocat, spasmum & contractionem neruorum causat, vlcera, scabiem & apostemata viri procurat, senium ac mortem accelerat, contra quam per ciborum multitudinem homo munire & defendere se credebat. Quando vero cibus nimis paucus est, naturam debilitat, visus & omnes sensus hebetat, fluxum capillorũ & caluitiē generat phthisim & hecticam accelerat, corpus extenuat, & peiores infirmitates quas repletio nimia generat. *Vnde dicitur in aphoris.* In tenuibus diętis peccant maxime ægrotantes. Cibus vero medioeris est laudabilis, quia deperdita in corpore restaurat, virtutem etiam conseruat, sanguinem augmentat, calorē temperat,

perat, ingenium acuit, vires operandi tribuit, sanitatem corporis auget & custodit, suauem somnum & mulcebrem generat & inducit. Vnde si fuerit maior per cibū restauratio, quam fuerit præcedens per resoluentem calorē deperditio, cibus corpus augmentat, vt patet in adolescentia. Si vero fuerit maior deperditio, quam per cibum sequentem restauratio, corpus minuitur & deficit, vt in senectute. Sed si fuerit æqualis restauratio contra dissoluta, corpus conseruat in consistentia & in statu, sicut est videre in iuuentute. Consideratur cibus vel cibi effectus respectu comedentis, quia alius conuenit sano & alius ægro, alius iuueni alius seni, alius exercitanti, alius quiescenti. Multa enim sunt salubria sanitatem habenti, quæ sunt mortifera infirmanti. Et etiam in sanis differentia est, quia allium & piper, quod alicui phlegmatico est remedium, alicui cholerico est venenum, & iusquiamus, qui est mors homini, gratissimus cibus est passeri vel coturnici, *vt dicit Galenus.* Variandus est etiam cibus secūdum varietatem morbi. Nam aliquis cibus est salubris in quartana, qui est mortiferus in acuta, & aliquis cibus qui est vtilis in principio morbi, est nociuus quando infirmitas est in summo. Nam tunc debet dari cibus tenuis, *vt dicit Hippocrat. & Galenus*, quia tunc natura circa digestionem morbi est totaliter intenta: vnde tunc eius effectus diminuitur & impeditur, si occupata circa grossa cibaria teneretur. Alius etiam cibus & alio modo dandus est necessarius in morbo chronico & diuturno, & alius in contrario, quia in principio timetur defectus virtutis, & ideo est necessarius maior cibus. In contrario autem morbo timetur infirmitatis augmentum & ideo debet tunc dari minus. Cibatio ergo facienda est secundum diuersitatem morbi, secundum virtutem infirmi, & secundum qualitatem & substantiam ipsius cibi, & secundum hoc vtilitas cibi iudicatur. Item alio modo cibandus est iuuenis & adolescens, & alio modo ipse senex. Nam abstinentia cibi, quæ senibus est facilis, pueris & iunioribus est difficilis, *iuxta illud Hippocrat. Senes facilime ferunt ieiunium, secūdo consistentes facilius, pueri vero minus.* Nam in senibus debilis est calor naturalis, in aliis autem est fortis. Et ideo maior cibus ad repressionem caloris naturalis necessarius iuuenibus & paruulis, minor vero il-

lis. Eadem etiam est ratio quare minus cibandi sunt quiescentes, quam se exercitantes, quia in illis calor est debilior, in istis vero fortior est, vt post patebit. Consideratur autem in cibando temporis congruitas. Nam grossiori diœta & largiori indigent homines in hyeme, quam in æstate, *sicut dicit Hippocrates*. Ventres in vere & in hyeme natura calidissimi sunt, & somni longissimi. In his igitur horis plures oblationes sunt dandæ, quia tunc innatus calor est multus, multo igitur indiget nutrimento, &c. In hyeme enim viget appetitus, & fortior etiam est digestio calore existente fortiore. In æstate vero contrarium est. Calor enim in hyeme ingreditur ad interiora, & ibi coadunatur. In æstate vero suo simili congaudens & exteriora petens dissoluitur, & in corpore minoratur. Quoniam igitur in hyeme multum digeritur, multus excitatur appetitus, & illud patet in pueris, qui sunt multi caloris, & ideo multum appetunt, & multo indigent cibo. Similiter in athletis in quibus ratione exercitii augmentatur calor naturalis, & ideo multo indigent nutrimento, *sicut ibi exemplificat Galenus*. Est igitur cibus omni animali necessarius, & maxime conueniens est, quando vniformis est, & inter superfluum & diminutum temperatur, nimia enim cibi repletio siue saturitas mors animæ & corporis esse consueuit, & potissime periculosa est saturitas post præcedentem sterilitatem siue famem, *Vt dicit Auicen*. Plus enim tunc natura appetit, quam digerere possit, & ideo citra appetitum & saturitatem cibus assumendus est.

CAP. XXI.

De Potu.

POtus est substantia liquida, ad animalis nutrimentum necessaria, potus siquidem *Vt dicit Constant. lib. 5. ca. 27.* multiplici de causa necessarius est. Corpus enim siccum humectat, & quod humidum de corpore resoluitur, restaurat cibus per ipsum, & defertur ad loca remotiora, qui sua grossitie non potest transire per strictos meatus & angustos. Potus etiam *Vt dicit Constantinus & etiam Auic.* diuersificatur tripliciter. Est enim potus, qui est tantum potus, vt aqua, quæ non est corporis nutritiua: & est potus, qui est potus & cibus, sicut vinum, quod *Vt dicit Constant.*

per

per omnes partes corporis portat cibum nutriens, & calefaciens spiritum & etiam sanguinem, & calorem confortans naturalem, & est potus medicinalis, qui non exhibetur secundum viam potus, sed potius secundum legem & regulam medicinæ, sicut syrupus, oximel, occizucara, & huiusmodi. Sicut autem *dicit Constantinus* in sanitate custodienda & infirmitate curanda, aqua est necessaria, & ideo oportet, quod medicus aquarum conditiones non negligat cognoscere, & naturas vt laudandas tribuat, & caueat non laudandas. Aquarum autem quædam est sapida, quædam non sapida. Aqua ergo sapida in substantia clara, fontana, aeris orientalis, leuis, cito calefiens, cito frigescens. Huiusmodi autem *vt dicit Constantinus*, in sanitate custodienda est laudabilis, non grauans, cito enim exit cibum, per hoc enim quod est clara, patet quod sordibus non est intermixta, per hoc autem quod est leuis, patet quod non est indigestibilis, per hoc autem quod est cito calefiens & cito frigescens, patet, quod substantiæ est subtilis. Vnde si vis scire de duabus aquis quæ sit subtilior in substantia, & laudabilior ad bibendum, intinge vnú pannum lineum bene mundum in vnam, & alium bene mundum in aliam, & expone soli, qui prius erit siccus in aqua, subtiliori est intinctus. Secundo post hanc aquam commendabilis est aqua fontana septentrionalis, quæ est inter orientem & aquilonem posita, fluens versus aquilonem, per hoc enim quod libere exponitur ventis septentrionalibus, ex motu ventorum subtiliatur, est in hyeme calidæ naturæ, & frigidæ in æstate. Frigus enim septentrionale fugat calores ad interiora fontium sibi obiectorum, qui coadunatus frigiditati obuiat & resistit, & aquam fontis aliquantulum calefacit. In æstate vero è contrario calor aeris vincens, fugat frigiditatem ad capita fontium, quæ ibi coadunata aquam frigefacit, *vt dicit Macro. & Const.* Item aqua fluens fortiter de montibus super petram vel arenam limpidissimam, sicut alicuius magni fluminis secundum gradum obtinet sanitatis, *vt dicit Constantinus*, aqua vero pluuialis, *vt dicit Constantinus*, melior est aliis aquis, & sapidior, leuior, & mundior, *sicut dicit Hippocrates in Hypericonnoxomaton. Pluuia inquit est fumus aquarum à Sole attractarum.* Natura enim Solis non, nisi quod subtilissi-

mum est, attrahit, & ideo cæteris aquis melior est et digestibilior, sed propter sui subtilitatem, vicina est putrefactioni, tamen *Vt dicit Constantinus*, ex putredine non est vituperanda, sed ex subtilitate sua potius est laudanda, omnis enim aqua corruptionem cito admittens est subtilis, lædit enim quando est putrida, quia raucitatem generat atque febres, sed non putrida optima est, & ideo à putredine est cauenda. *Item dicit Constan.* Aqua quæ ex tenuissima colligitur pluuia, melior est naturaliter, quæ vero descendit cum tonitru melior est post hanc. Nam tonitru suo motu pluuiã ipsum subtiliat. *Dicit etiam Constan.* quod quicunque frequenter bibit àquam frigidam, non euadit frigidas ægritudines saltem in senectute. Aqua vero calida, *Vt dicit Constan.* ieiunum stomachum lauat à ciborum fæcibus, purgat phlegma, & omnem putredinem ventris purgat & mundificat, ventrem soluit, naturam alleuiat & confortat, eius tamen frequens vsus nocet, stomachum enim remollit, digestiuam virtutem turbat & impedit, & sanguinem de naribus manare facit. Item calida aqua laudabilior est ieiunis mane, maxime his, qui de nocte crapulati sunt. *Dicit enim Auicen. Testificati sunt, inquit, antiqui sapientes, quod aqua cocta est minoris inflationis & facilioris penetrationis, quia corpora & permixta actione ignis dissoluuntur, & descendere compelluntur, & subiungit, torpidi (inquit) medicorum æstimati sunt, quod subtilius exhalet per decoctionem, & quod grossius est, remaneat*, sed hoc falsum est, ex partibus enim consimilibus constat aquæ substantia tota, tamen posset fieri decoctio tanta, quod nihil remaneret nisi fæx, & pars terrestris, vt patet in aqua ex qua fit sal per violentam decoctionem. Aquæ autem ex niue & grandine resolutæ, cæteris sunt illaudabiliores, præter aquas lacuales & palustres. Istæ aquæ omnes sunt cauendæ, quia, *Vt dicit Constantin.* splenem magnificant, epar & stomachum confundunt, cutem horridam faciunt, & varias febres faciunt, lapides gignũt. Si autem penitus vitari non possunt, *autoritate Auicen.* bulliantur. *Dicit autem Aristot. in lib. meteor.* quod aqua niuis vel glacei caloris solutione ad priorem subtilitatem redibit, aqua vero insipida est quadruplex, *secundum Constantinum*, aliqua enim est salsa, alia sulphurea, alia alumino-

minoſa, alia metallina. Salſa vero, *vt dicitur*, ventrem emollit, mordicando inteſtina & laxat, ſæpe tamen bibita deſudando & conſumendo humorem, ventrem ligat, conſtipat corpus, deſiccat ſcabiem, & pruriginem ſanat, hydropicos iuuat ſi comedatur ſeu bibatur. Aqua vero ſulphurea ad frigidas facit infirmitates, neruos calefacit, intercutaneos humores conſumit, vide infra de ſulphure, vbi virtutes eius plenius poteris intueri. Aqua autem aluminoſa & bituminoſa infrigidat & deſiccat, ſanguinis fluxum conſtringit, & ſedat, & hæmorrhoides curat. Aqua vero metallina naturam metalli ſequitur & effectum. Nam tranſiens aqua per venam ferri: ventrem conſtipat, membra confortat, ſplenem deopilat, apoſtema curat. Aqua de metallo æris humiditati ſubuenit, ſtranguriam ſtringit. Aqua de metallo argenti refrigerat & deſiccat. Hęc autem aqua multiplex potui dare non conſueuit, ſed ſolum confert vſui medicinæ. Eſt autem potus qui ſimul eſt cibus & potus, ſcil. vinum. Diuerſificatur enim vinum in ſubſtantia. Quædam enim ſunt groſſiora vina, duriora aliis & nutribiliora. Alia vero ſunt ſubtilia & parum nutrientia, ſtomachum ſtatim exeuntia, dolorem quoque cholericum de capite auferentia, vrinam prouocantia. Alia vero ſunt mediocria, & in ſuis actionibus temperata. Præter iſtam autem vini conſiderationem quo ad ſubſtantiam, conſideratur vinum, *ſecundum Conſtan.* quatuor modis, ſcilic. quo ad differentiam temporis: quo ad redolentiam odoris: quo ad ſaporis ſuauitatē: & quo ad coloris claritatem. Nam in tempore diuerſificantur vina, quod enim nouiter de torculari eſt expreſſum, non tranſit in caliditate gradum primum, *ſicut dicit Galenus lib. de ſimplici medicina: Vinum, inquit, conſtat ex quatuor ſubſtantiis, ſcilic. aquea, ſpumoſa ſeu aerea, vinea ſiue etiam ignea, & terrea.* Aquea per longam moram conſumitur, & pars vinea cōfortatur. Vina itaque veteriora ſunt aliis calidiora. In odore diuerſificantur vina, quia quædam ſunt odorifera bene nutrientia, alia vero odore horribilia, malum ſanguinem & capitis dolorem generantia. In ſapore etiam maxime diuerſificantur vina, quædam enim ſunt dulcia, aliis nutribiliora, & ventrem humectantia, alia vero ſunt pontica, ſtomachum confortantia, ventrem conſtipantia, pectori & ſuæ

pertinentiæ nocentia, alia sunt acerba, quæ & diuretica, alia vero amara & cæteris minus calida. In colore insuper variantur. Nam quoddã est album minus calidum, quod dam citrinum magis calidum, quia, *Vt dicit Constantin.* Omnium membrorum est penetratiuum, sanguinis cholerici generatiuum, & doloris capitis commotiuum, aliud vero nigrum, quod cęteris est magis nutritiuum, aliud autem est rubeum siue rubicundum, & illud aliis magis est calidum, tamen quia terrestre & grossum respectu albi vel citrini, non ita est perforatiuum nec læsiuum. Vinum autem quod in omnibus prædictis est mediocre, præ cæteris est laudabile. Nam naturalem calorem confortat, per omnia membra animam refocillat, gaudium & audaciam generat, virtutem corpori administrat, choleram rubeam cum sudore & vrina euacuat, choleram nigram temperat, membra ex humore desiccata temperat & etiam humectat, vires reparat & corpora impinguat, appetitum prouocat, vim digestiuam adiuuat & procurat, intellectum acuit, opilationem splenis & epatis aperit, superflua etiam in corpore destruit & consumit, albugines oculorum & lippitudines tollit, eloquentem efficit, lapides in renibus soluit, & arenulas dissipat & educit, sanandis vulneribus conuenit, menstruis subuenit, sanis & infirmis conuenit, si modo debito ab aliquo assumatur, si vero in qualitate & quantitate modum excesserit, abutenti non erit remedium vinum, sed mors erit potius & venenum, sicut patet infra de ebrietate, quære ibi. Tertium genus potus est potus & medicina, sicut est oximel & syrupus, nam talis potus confert sanitatem, quia humores in corpore digerit, diuidit & expellit, quandoque laxat, quandoque constipat, quandoq; infrigidat & desiccat, quandoq; vero calefacit, remollit & etiam humectat. Sed tamen horum potuum differentias medicis dimittamus, &c.

CAP. XXII.

De Prandio & conuiuio.

CIbus itaque & potus ad prandium & conuiuium habent ordinationem & respectum, in prandiis ergo primo cibaria præparantur, conuiuæ pariter conuocantur, sedes & etiam sedilia exiguntur, in cœnaculo ordinantur mensæ, & mensalia disponuntur & ornantur, hospites,

ſpites cum domino in menſæ capite collocantur, non prius ad menſam reſident, niſi prius manus hoſpitum abluantur, ſeorſum filiæ dominæ, & ſeorſum famuli pariter ad menſam combinantur, cochlearia, cultelli & ſalſaria primitus in menſa ponuntur, & panes cum poculis mox ſuperadduntur, fercula multa & varia ſubſequuntur, clientes & miniſtri cum diligentia ſingulis obſequuntur, ſe mutuo inuitantes, iucunde pariter collocantur, viellis & citharis exhilarantur, nunc vina, nunc fercula renouantur, ſibi inuicem fercula appoſita condiuidunt & partiuntur, fructus tandem & ſpecies ſubinferuntur. Completo prandio, menſalia cum reliquiis deferuntur, & menſæ de medio remouentur, & manus abluuntur iterum & tergũtur. Gratiarum actiones Deo & hoſpiti perſoluuntur, exhilarationis gratia, pocula iterum & iterũ offeruntur. His in prandio completis, vel ad lectulum, quietis gratia, recipiuntur, vel ad propria redire permittuntur.

Cap. XXIII.

De Cœna.

Coena dicitur à cœnando, non quod eſt cõmune propter veſcentium communitatem. Apud veteres vero ſolitum fuit in propatulo veſci, & communiter epulari, ne ſingularitas luxuriam generaret. Sed modo poteſt cœna dici à cenos, quod eſt vmbra, quia iam veſcentes propter parcitatem quærunt cœnandi latibula, *Vt dicit Papinius.* Vel potius à κύων quod eſt canis, propter defectum charitatis & carentiam? Vnuſquiſque enim ſuam cœnam præſumit ad manducandum, 1. *Corinth.* 11. Omnia autem quæ ſuperius de prandio vel conuiuio dicta ſunt, cœnæ conueniunt. Iſtam tamen cœnam multa magnificant & exaltant, & hæc omnia occurrebant in conuiuio Ahaſueri, *Vt patet Eſter* 1. Primum eſt temporis congruitas. Decet enim cœnam fieri tempore congruo, ne ſcilicet nimis tempeſtiue, nec nimis tarde. Secundum eſt loci opportunitas, quantum ad ſpatioſitatem, amœnitatem & etiam ſecuritatem. In locis enim ſpatioſis, amœnis & ſecuris, ſolent nobiles facere feſta ſua, & ideo de Ahaſuero dicitur, quod fecit conuiuium ſuum in veſtibulo orti conſiti, &c. Tertium eſt inuitantis liberalitas, quo ad vultus hilaritatem. Nihil enim valet cœna vbi facies hoſpitis cernitur turbulenta.

Ester 1. cum incaluisset, &c. Quartum est ferculorum multiplicitas, vt qui non vult de vno, saltem gustet de alio. *Ester 1. Aliis atq; aliis vasis cibi inferebantur.* Quintum & vinorum & poculorum diuersitas. Vnde *Ester 1. dicitur. Vinum etiam quod regia magnificat, &c.* Sextum est ministrorum vrbanitas seu honestas. *Ester 1. Præposuerat mensis de principibus suis, &c.* Septimum est discumbentium amicorum grata societas. *Ester 1. Fecit conuiuium cunctis Medis & Persarum inclitis, &c.* Octauum est cantorum & instrumentorum musicorum iucunditas. Sine enim cithara vel symphonia non solent cœnæ nobilium celebrari. *Luca 15. cum audisset vocem, &c.* Nonum est luminarium & cereorum copiosa numerositas. Nam in tenebris cœnare dedecorosum est, & etiam periculosum propter muscas. Et ideo cerei candelabris infiguntur, lucernæ lampades & candelæ necessario accenduntur. Decimum est omnium appositorum deliciositas. Nam in cœnis nõ solent grossa & communia apponi cibaria, sicut in prandio, sed potius quędam specialia & leuia & deliciosa cœnantibus apponuntur, maxime in curiis dominorum. Vndecimum est cœnæ diuturnitas. Solent enim homines quando expediti sunt à labore protrahere cœnam suam. Cibus enim nimis cito sumptus contra noctem nocet, & ideo morose est cœnandum. Ideo conuiuium Ahasueri diu durauit, per dies, 100. & 50. Duodecimum est indemnitas, quia sine damno cœnantis est quilibet ad cœnam inuitandus. Inhonestum enim est post cœnam voluntarie oblatam compellere aliquem ad symbolum persoluendum. Tertiumdecimum est quietis & soporis suauitas, post cœnam enim est quiescendũ, quia tunc somnus est valde dulcis, & ideo erant lecti eburnei & aurei strati per pauimentum in palatio Ahasueri, *vt patet Ester 1.* Nam *vt dicit Constan.* cum ciborum fumus cerebrum ingreditur, facile dormimus.

CAP. XXIV.

De Somno.

SOmnus, *secundum Aristotelem*, est quies animalium virtutum cum intensione naturalium. Nam sensibilis & motiua virtus in somno ligatur, virtus autẽ naturalis tunc fortissime operatur, scil. digestiua, quæ in somno intenditur & confortatur. Alio modo dicit *Augustinus in libr. de*

quanti-

quantitate animæ. Somnus, inquit, est quædam insensibilitas naturalis communis corporis & animæ passio, sicut enim sensus communis est corporis & animæ, ita & somnus. Nam *vt ipse dicit:* Somnus est quædam immobilitatio & iuuamen sensuum. Quod autem dicit insensibilitas naturalis, dicit ad differentiam eorum, quæ sunt contra naturam, vnde dicit quod somnus est priuatio vigiliarum, sicut cæcitas priuatio visus, quia priuatio, illud, quod est secundum naturam diminuit & destruit. Somnus autem naturam confortat, & est secundum naturam sicut vigiliæ. Præterea anima non delectatur in priuatione, sed in somno delectatur, vnde somnus priuatio non est, sed est dispositio naturalis. Alio modo diffinitur somnus sic: Sõnus quædam est passio mulcebris, meatus cerebri, & vias sensuum opilans, naturalem virtutem confortans, calorem naturalem ab exterioribus ad interiora reuocans. In somno enim interiora corporis calescũt, exteriora vero frigescunt. Vnde profundato calore, ligatur in somno & opilatur organum sensus communis, quod est centrum omnium sensuum particularium, à quo omnes alii sensus particulares oriuntur, & extenduntur, quemadmodum lineæ à centro ad circumferentiam protrahuntur. Illo igitur ligato & opilato, potentiæ particulares extendi non possunt ad organorum sensuum extremitates. Hoc autem fecit natura, vt animal à motu voluntario quiesceret, cum semper moueri voluntarie sit impossibile. Somnus autem *vt dicit Constantinus in panteg.* Alius est naturalis, alius innaturalis, de quo nihil ad præsens. Naturalis vero fit ex humiditate cerebri temperati, vt ex fumo humido & claro, à toto corpore ad cerebrum ascendente. Fumus autem ille ingrossat spiritus & replet neruos, & ita vinculat & ligat sensus. *Augustinus autem in prædicto libro, docet,* quod somnus aut est ab intrãtibus extrinsecus escis, aut ab humore intrinsecus temperato, qui cum resoluitur in fumum, petit cerebrum, & ibi resolutus, distillat, frigidus inferius licet ibi ascendat calidus, distillando autem remittit calorem cordis & impedit processum operationum. *Secundum autem Augustinum & Aristotelem*, cor est principium operationum, & omne bonum vel malum à corde procedit. In somno autem quiescit virtus animalis, aliis manentibus

bus, ſicut prius, ſcilicet ſpirituali & naturali. Quod patet per pulſum & inſpirationem, & per digeſtionem. In ſomno enim maxime digeſtio celebratur. *Auicenna enim ſic diffinit ſomnum*: Somnus, inquit, ſermone naturali, eſt reditus ſpiritus ab inſtrumentis ſenſuum & motus ad principium, cum quo principiantur inſtrumēta ipſorum ſpirituum, & ſomnus quidem naturalis eſt ſpiritus reditus cum profundatione, vt digeratur nutriens, vt patet in ſomno exercitantium. Fit enim in eis ſomnus profundus, propter ſuperfluitatem reſolutionis ſpiritus, natura enim deſiderans additionem in ſubſtantiam ſpiritus profundat ipſum in interioribus, & facit ipſum latere in interioribus, vnde fit ſomnus profundior & prolixior in ipſis. Et hoc genere ſomni dormiunt euacuati medicina laxatiua. Reſoluitur enim plurimum de ſubſtantia ſpiritus cum ſuperfluitatibus, & hic ſomnus plurimum confert eis, reddit enim eos virtutibus ſuis, *Vt dicit Auicenna*. Sicut *dicit Ariſtot. lib.* 3. Somnus conuenit cuilibet animali ſanitatem habenti, licet in quibuſdam ſit ſomnus valde leuis & occultatus. Ex prædictis patet quod cauſa materialis ſomni, eſt fumus indigeſtionis à corpore reſolutus. Cauſa vero formalis eſt in capite apud communem ſenſum & originem omnium neruorum ſenſibilium, qui opilantur & ligantur, & quieſcit animal & omnia membra recreantur. Actio autem ſomni *ſecundum Conſtantinum* dupliciter variatur, ſecundū quantitatem & ſecundum magnitudinem materiæ, quam inuenit in corpore. Secundum quantitatem, quia ſi ſit nimis, augmentata virtus deficit, corpus refrigeratur, & humectatur, quia fit diſſolutio humoris, & per conſequens fit extinctio caloris naturalis, phlegma maioratur, calor naturalis minoratur. Si vero ſit nimis pauca, virtus digeſtiua deficit, corpus deſiccatur. Si vero ſit moderatus, cibus bene digeritur, corpus impinguatur, animus confortatur, calor naturalis augetur, humores temperantur, mens clarificatur. Item ex materia quam inuenit eius actio variatur, quia ſi materia fuerit multa, calor naturalis debilis', per ſomnū fit maiorum humorum reſolutio, quam intrans calor naturalis, vincitur & extinguitur. Et ideo præcipitur pocionatis & minutis ne dormiant, ne ſcilicet per ſomnum tanta fiat reſolutio humorum, quod non poſſint à natura regi. Sed

gi. Sed si fuerit cibus temperatus similiter & humores, calor naturalis per somnum interius reuocatus, cibos digerit, humores temperatos reddit, corpus humectat, calefacit & impinguat. Recollige igitur breuiter ex prædictis, quod somnus calorem naturalem ad interiora reuocat, exteriora infrigidat, & à sanguine depauperat, interiora vero calefacit, nutrit ac fortificat. Impura & cruda decoquit & maturat, motus animales & sensibiles recreat & quietat. Si fuerit in qualitate & quantitate temperatus, ægrotum alleuiat, futuram tamen naturæ victoriam contra morbum, & bonam crisim denunciat. Si autem è conuerso somnus se habuerit, merito est suspectus, *vt dicit Constantinus*.

CAP. XXV.

De eis quæ in somno fiunt.

In somno igitur consideratur dormientis voluntas, quia voluntarie ad dormiendum se disponit. *Nam secundum Auicennam*, somnus nihil aliud est quam in vi sensitiua quietis appetitus. Item dormitationis breuitas. Homo enim quando ad dormiēdum se disponit, celeriter à somno surgere ordinat & proponit. Item virtutis in dormitatione vnitas. Nam virtus dispersa in vigilādo, aggregatur & coadunatur in corpore dormientis, *vt dicit Auicenna*. Itē dormientis insensibilitas, *vt patet ex iam dictis*. Frequenter enim contingit, quod aliquis ita fortiter dormit, & tā profundi est somni, quod vix sentit aliquid exterius, etiamsi verberatur. Item quietis suauitas. Nā dulcedo, quam consequitur quis in dormiendo, facit præteritorum laborum & etiam præsentium obliuisci. Item dormientis securitas, quia dum dormit, etiam hostis præsentiam non pauescit. Item figuræ dormientis mutabilitas, quia exterius videtur mortuus, & interius viuus, foris pallidus & intus rubeus, foris frigidus, & intus calet, foris tota virtus in effigies quasi contrarias se diffundit, sed intus tota virtus se recolligit. Item in dormiendo attenditur diuersitas. Sunt enim qui dormiunt palpebris clausis inuicem & reductis, & omnia talia animalia sunt acutioris visus, quam illa, quæ apertis dormiunt oculis & non tectis, *sicut dicit Aristoteles*. Vnde & pisces sunt debilis visus, quia dormiendo nō claudunt

dunt oculos. Et ſicut dicit *lib.* 4. Piſces quieſcunt in ſomno, ſed modicum, quia ſubito expergiſcuntur & fugiunt. *Quare ſuperius lib.* 5. *de palpebra & de oculo.* Item ſomniorum & phantaſmatum imaginabilitas. Nam in dormiẽdo propter permixtionem rationis cum phantaſmatibus multæ animæ occurrunt phantaſiæ, quarum quidem formas & ſimilitudines anima imaginarie apprehendit, ſed de ipſis imaginibus & phantaſiis ad plenum non diſcernit, ideo ſæpe cum euigilauerit, quæ in ſomnis viderit, non aduertit. Item in dormiendo præcipue attenditur vtilitas. Nam quando ſomnus eſt naturalis & temperatus, multas & infinitas confert corpori commoditates, *ſicut patet ſupra in verbis Auicennæ & Conſtantini* & maxime quia tunc fit digeſtio, & puri ab impuro ſeparatio. Nam quod purum eſt, & corpori ſimile, tunc corpori vnitur. Quod vero impurum & diſſimile eſt, vi expulſiua à corpore ſeparatur. De malo vero ſomno & innaturali, *quære infra libr. ſeptimo de lethargia.*

CAP. XXVI.

De Vigilia.

VIgilia eſt quædam animalis diſpoſitio, cum diffunditur & effunditur ſpiritus ad inſtrumẽta ſenſus & motus, vt eis vtatur. Vnde vigilia nihil aliud eſt quam libera ſpiritus, per organa ſenſus & motus, diffuſio, animatæ virtutis in corpore peragens actiones. Differt autem vigilia ab inſomneitate, quæ eſt ſuperfluitas in vigiliis, prouenięs ex egreſſu animalis virtutis à natura ſiue à re naturali. Et eius quidem cauſa, quandoque eſt caliditas & ſiccitas complexionis, quandoq; propter igneitatem ſemper ſpiritus mouetur ad exteriora, & ſic animal nõ quieſcet. quandoq; eſt propter malam materiã lædentem cerebrũ, ſicut accidit ex diſpoſitis ad phreneſim & ad maniã: quandoq; eſt propter vaporem malum perturbantem cerebrum & eius puritatem, ſicut accidit in diſpoſitis ad melancholiam, quandoque etiam ex viſcoſitate humiditatis in cerebro exiſtentis, vt patet in decrepitis: quandoque eſt cauſa doloris, tam corporalis quam ſpiritualis, & vtrumque non permittit ſpiritum quieſcere, quandoque etiam eſt in cauſa malitia digeſtionis, & multitudo repletionis, opprimẽs

ſpiri-

ſpiritum animalem, & quieſcere non permittens, vt patet in nimis inebriatis, in quibus fumus vini acutus, pungens neruos ſenſibiles, & lædens eos quieſcere non permittit, & tales ſæpe ad mortem vel furorem diſponuntur, niſi ab arte vel natura ad dormiendum citius inducantur. Vigiliæ autem naturales refrigerant intrinſecus, quia calor egreditur ad exteriora, & ideo calefaciunt & deſiccant exterius. Si vero modum exceſſerint, calorem augmentant, corpus attenuant & deſiccant, oculos & palpebras nimis grauant, viſum hebetant & debilitant, dolorem capitis generant, & totum corpus debilitant & eneruant, moderate autem, exterius calefaciunt & humectant, quia calor & humiditas petunt exteriora, quando vero immoderate ſunt, ex vehementi motu ſpirituum calefaciunt & deſiccant, & intro ac exterius conſumunt, & naturam lædunt, *vt dicit Conſtan.* Conueniunt igitur vigilię moderate laborantibus, vt mercedem augeant & acquirant, ſpeculãtibus, vt inſidias præcaueant, expectantibus, vt dominum venientem gaudenter recipiant, medicinam ſumentibus, ne ſe lædant, ægrotantibus & maxime lethargicis, vt citius conualeſcant, itinerantibus, ne diœtam dormiendo negligant, gregem paſcentibus, vt damnum à lupo aut ex aliis hoſtibus non incurrant, orantibus, vt coronam promiſſam vigilantibus non amittant.

Cap. XXVII.

De Somnio.

SOmnium dormientium quædam eſt diſpoſitio, qua diuerſarum rerum formæ & etiam ſimilitudines imaginarie dormientium mentibus imprimuntur. Habent autem fieri multis modis, *vt dicit Gregorius & Macrobius de ſomnio Scipionis.* Nam propter colligantiam & vnionem, quam habet anima cum carne, aliquando diſpoſitiones & paſſiones, quæ oriuntur à corpore, per quandam applicationem carnis, ad animam reſultant in ipſa mente, & ideo ſolet ſomniando talium rerum imagines intueri quales ſolet vigilando aliquoties experiri, ſicut etiam bruta animalia ſomniant, *vt dicit Ariſt. lib* 3 quia canis ſomniat, quod patet ex eius latratu, ſimiliter & equus, quod patet ex eius hinnitu. Et talia ſomnia cauſantur aliquando ex nimia repleti-

pleti•

pletione, vel ex nimia inanitione, quandoque ex pręcedenti forti imaginatione seu cogitatione. *Vnde Augustinus super Gen. lib.* 12. Sicut caro, quando omnino spiritui subditur, spiritualis dicitur: sic spiritus, quando omnino carni innititur, carnalis & animalis nuncupatur. Vnde mirandum non est, si carni intendens, carnalium rerum imagines in se repræsentet. *Item idem ibidem.* In somniis specierum & corporum videmus rerum similitudines: non ipsas res, tamen species rerum quas somniando videmus: rerum nominibus nuncupamus, & quod rerum est propter solam similitudinem eis appropriamus. Vigilando itaque rerum formas sensu comprehendimus, sed dormiendo spiritu rerum imagines intuemur. Somnia autem aliquando sunt vera, aliquando falsa, aliquando tranquilla, aliquando perturbata. Quæ autem vera sunt, aliquando sunt nuda aliquando figuratis & obscuris significationibus inuoluta, vt patet in somnio Pharaonis. Tales autem impressiones fiunt aliquando in animo dormientis, per diuinam inspirationem, aliquando per angelicam administrationem, vt patet in Iacob qui vidit in somnis virgas populeas, & angelum dicentem sibi, tolle virgas, &c. *Gen.* 30. aliquando per malorum spirituum illusionem, vt patet in phanaticis & falsis prophetis & arreptitiis. *Vnde dicit Augustinus ibidem*: Cum spiritus bonus in hæc visa spiritum humanum assumit aut rapit, non est dubitandum, illas imagines visas esse rerum aliquarum, quas nosse vtile est. Dei enim munus est. Consimiles autem imagines aliquando operatur angelus Sathanæ, qui se transfigurat in angelum lucis, vt cum illi in manifestis bonis creditum sit, seducat ad sua, sed quando huiusmodi somnia fiant per reuelationem, iudicat sobrius intellectus, quādo diuinitus per gratiam est adiutus. Somniis itaque non est passim fides adhibenda, nec omnino simpliciter respuenda, cum aliquando certa habeatur de futuris diuinitus per somnia coniectura. Somnia itaq; indifferentia causantur aliquando ex cōplexione, vt sanguineus somniat læta, melancholicus tristia, cholericus ignea, phlegmaticus pluuias, niues & aquatica, & cætera huiusmodi, quæ vniuscuiusque conueniunt complexioni, sexui & ætati, *vt dicit Constantinus.* Aliquando ex appetitu & affectione, vt famelicus somniat de cibo, ebrius, sitiens de po-

de potu, & de eius contrario, quanto autem talis plus somniat bibere vel comedere, tanto expergefactus, vehementius esurire se reperit vel sitire. Aliquando ex vehementi studio & mentis circa aliquid applicatione, vt auarus semper somniat aurum, semper videtur ꝙ cõputet pecuniã, vel quod augeat vel diminuat argentum suum. Aliquando ex cerebri perturbatione, vt patet in dispositis ad phrenesim & maniam, qui mira somniant & inaudita, secundum enim vaporem cellulam phantasticam inficientem vel immutantem, ipsa somnia immutantur. Aliquando ex sanguinis infectione, qui enim corruptum habent sanguinem, somniant se ambulare per loca immunda, corruptionem habentia & fœtorem. Aliquando ex aeris immutatione, aer enim ad immutationem dispositus, corpus immutat ad eandem immutationem. Vnde fumi resoluti, nouas faciunt in cerebro impressiones, quæ sunt causa variorum & dissimilium somniorum. Item ex ætatis alteratione, infantes enim nihil somniant. *Vnde Ari. li.* 4. Homo, inquit, inter omnia animalia præcipue somniat. Puer autem non somniat ante quinque annos, & sequitur. In antiquo tempore fuerunt viri & mulieres qui non somniauerunt, & quidam eorum somniauerunt, postquã venerunt ad senectutem, & post modicum accedebat eis mors & infirmitas, &c.

CAP. XXVIII.

De Exercitio.

EXercitium ad naturæ conseruationem est necessariũ, *vt dicitur in panteg.* Est autem exercitium duplex, aliud enim est animale, aliud corporale. Animale, sicut studium, vigilia, ira, tristitia, solicitudo, & huiusmodi, si fuerint naturæ proportionata, multum faciunt ad corporis & animæ sanitatem, *sicut infra dicetur de anima accidentib. in fine septimi libri.* Exercitium vero corporale, aliud est æquale, aliud est inæquale. Æquale, medium est inter debile & forte, magnum & paruum, velox & tardum, quod scilicet non semper addit in caliditate vel siccitate. Inæquale est quod istam temperantiam excedit, & si multum excedit in suo principio, calefacit & desiccat, & si multum

vlterioraretur per virtutis dissolutionem, & spiritus euaporationem infrigidat & desiccat. *Dicit autem Constant.* quod triplex est vtilitas exercitii, quia calorem naturalem excitat, superflua dissoluit, membra indurat, & eis soliditatem tribuit. Inæquale vero exercitium, aliud est vniuersale, aliud vero particulare. Vniuersale est quod omnia membra mouet, vt fodere, itinerare & huiusmodi. Particulare vero est, vbi quædam membra quiescunt, & quędā mouentur, vt suere, scribere, & similia. Hæc autem varia exercitia, corpus variant, secundum varia hominum officia, & etiam artificia, quoddam calefacit & desiccat, sicut ars fabrilis. Nam aer à fornace inspiratus, cum sit calidus & etiam siccus, eos desiccat & calefacit. Ars vero piscatoria è conuerso frigidat & humectat. Exercitium vero particulare, aliud est forte, aliud est debile, aliud mediocre. In exercitatione igitur hæc sunt consideranda, scilic. quantitas, qualitas, tempus, locus. Quantitas, vt non sit nimis intensa, vel nimis remissa. In qualitate ne nimis velox, vel nimis tarda, sed mediocris, vtilis est & laudanda. Tempus quod maxime valet, est ante prandium, vt superfluitates lubricæ factæ, & resolutæ, per exercitium euacuentur, ne cibus superueniens corrumpatur, post cibum vero cooperatur virtuti digestiuę ad ciborum decoctionem, ita tamen si fuerit temperatum, nimium vero non est bonum, quia potius est causa calefactionis membrorum, tam interiorū quam exteriorum. Attendendus autem est locus, quia alius est aquosus, & infrigidat & humectat, vt locus piscatorum, Alius vero est siccus & nemorosus, vt locus venatorum, & talis quantum est de se, calefacit, ratione laboris & discursus, ac desiccat. Et sic de aliis. Vnde quidam sapiens interrogatus, ad quid exercitatio laboris esset necessaria? respondit in hæc verba: *Honestus*, inquit, *labor, humana vita est fida custodia, dormientis naturæ stimulus, sopiti caloris lima, superfluitatis consumptio, vitiorum fuga, morborum mors, languorum medicina, lucrum temporis, iuuentutis debitum, adolescentia disciplina, senectutis gaudiū, salutis adiutorium, nutricis omnium malorum scil. ocii est æmula seu etiam inimica.* Ille nempe solus ab exercitio se abstrahat & labore, qui felicitatis gaudio vult carere. *Verba præmissa etiam continentur in sermone Fulgentii contra*

ociosos,

otiosos, vbi exponitur illud verbum: Panem ociosa non comedit. In quo sermone multum commendat pii laboris exercitium. In fine sermonis tamen labori præponit deuotum contemplationis ocium, dicens: Mariam propter contemplationis ocium, minime fore inter ociosarum mulierum numerum computandam, quin potius omnib. præponendam. Quomodo enim panem illa ociosa comedit, quæ pane vitæ plena, aliis panem frangit. Panem siquidem frangit qui orationis patrocinio, conuersationis exemplo, piç eruditionis verbo esurientes & sitientes iustitia refouet atque pascit. Maria ergo quæ oratione subuenit, conuersatione ad bonum allicit, prædicatione instruit, panem frangit, &c.

CAP. XXIX.

De quiete.

QVies autem est cessatio ab exercitio & etiam à labore. Sicut enim necessaria est ad naturæ conseruationem exercitatio: sic etiam & quies. Nam quies finis existit & consummatio motus & laboris. Sine enim quiete nihil finaliter est durabile, quia:

Quod caret alterna requie durabile non est.

Vnde cœlum quod maxime est mobile, motu suo tendit ad quietem. Similiter, sol, luna, sidera, ignis, aer, aqua & omnia, quæ secundum naturam sunt mobilia, tendunt finaliter ad quietem. Vnde *dicit Augustinus*: Quies naturaliter habet inclinationem ad centrum. Et ideo principium est & dispositio aggregationis & adunationis partium in loco suo. Et ideo omnia quæ sunt ordinata secundum naturam, ad quietem nobiliora iudicatur & digniora, quando sunt finaliter in quiete, quam quando sunt in motu, sicut finis dignior est his, quæ sunt ad finem. Quies autem prout opponitur exercitio, tot modis consideratur quo ad effectum, quot & ipsum exercitium. Alia enim est spiritualis, alia corporalis, quarum vtraque si fuerit naturæ commensurata, erit salutifera animæ & corpori, sanitatis hominis conseruatiua: si autem non, è conuerso. Item quies aliquando est nimia. Et hæc est malorum humorum generatiua, nutritiua, multiplicatiua, corruptionis inducti-

na. Nam aquæ, quando nimis quiescunt, putrescunt. Similiter ferrum & quodlibet metallum rubiginatur, quando minus debito vsitatur. Alia est nimis parua, & hæc similiter viciosa, quia naturam lassam non recreat, debilitatem non reparat, consumpta non restaurat. Mediocris autem inter has est laudabilis, nam calorem naturalē confortat, sensum recreat, digestionem emendat, corpus mediocriter purgat. Item quo ad qualitatem, quies alia est vera, & hæc est laudabilis, si non sit nimia, alia non vera, vt in febribus, & hæc minus laudabilis est, sicut post dicetur.

BARTHOLOMÆI ANGLICI De proprietatibus infirmitatum, Liber septimus.

Postquam compleuimus, auxiliante Deo, tractatum de illorum proprietatibus, quæ hominis naturam perficiunt & custodiunt: dicendum est de his, quæ contra naturam sibi accidunt, eiusque naturam destruunt & corrumpunt. Tria enim sunt quæ hominis naturam lædunt, scili. causa morbi, ipse morbus, & accidens sequens morbum. Causa morbi est illud, vnde prouenit mala & innaturalis in corpore dispositio, vt mala complexio, nimia repletio vel inanitio, virtutis defectio, qualitatum alteratio, continuitatis dissolutio. Omnia enim ista, causa vel occasio morborum sunt. Morbus, secundum Iohannicium, *est res ex qua accidit complexioni corporis læsionis nocumentum, sicut febris, apostema, &c. Accidens est res sequens ad istam introductam in corpore passionem, siue sit contraria naturæ, vt dolor capitis in cephalica, siue non sit contraria, sicut patet in peripneumonia, rubor accidit in maxilla. Bona autem corporis dispositio dicitur sanitas, per quā corpus hominis in sua complexione & compositione tale existit, vt suas libere & perfecte peragat actiones. Ab hac tempe-*

temperantia si fuerit natura lapsa, incidit necessario in ægritudinem & in morbum. Nam ex distemperantia & inæqualitate humorum, accidit morbus consimilis, vt est febris, hydropisis, & huiusmodi. Ex mala vero dispositione membrorum incipit morbus dissimilis, vt in oculo ophthalmia, vel in manu arthetica. Ex mala vero dispositione vtriusque prouenit morbus vniuersalis, sicut est elephantia siue lepra. Omnis igitur morbus vel est consimilis, & humores & alia membra consimilia inficiens, vt febris vel officialis, qui membra impedit, vel est vniuersalis, qui naturam interius & exterius destruit & corrumpit.

CAP. I.

De dolore capitis & eius causis & signis.

DE istarum itaque infirmitatum proprietatibus, scil. de earum causis, effectibus & signis & remediis aliqua sunt dicenda. Non quidem de omnibus, sed solum de his, quæ in diuina scriptura generaliter exprimuntur. Et ideo de ordine prosequendi non est hic curandum. Primo igitur de passionibus capitis est inchoandum, *Esa.* 1. *Omne caput languidum, &c.* Dolor capitis, *vt dicit Constant.* cephalea dicitur, & prouenit duobus modis, aut ab exterioribus, vt ex percussione, vel ex calido aere dissoluente, vel ex frigido constringente. Secundo modo scil. ab interioribus prouenit, vel causa priuata vel remota. Ex priuata, quæ aliunde quam ex capite non prouenit, ex causa remota, vt à stomacho. Et si sit dolor ex causa priuata, vel ex vicio solius qualitatis maxime frigiditatis vel caliditatis, aut ex vitio humorum, vtpote sanguinis phlegmatis, &c. Qui dolor si sit interpolatus, modo veniens, modo recedens, signum est quod est à stomacho. *Vnde Galenus.* Si dolor est in capite, nulla certa causa extrinsecus veniente, acuti humores grauant stomachum. Si vero est sine intermissione, ex humoribus est. Si ex sanguine, calorem patitur in capite, grauitatem in fronte, quia anterior pars capitis sedes est sanguinis, oculi rubescunt, faciei venæ sunt

plenæ. Si vero ex fumis cholericis, calor sentitur in naribus, siccitas in lingua, vigiliæ & sitis non desunt, maior in dextra sentitur dolor, quam in sinistra, quia ibi choleræ sedes est. Facies cum oculis est citrina, amaritudo sentitur in ore. Si vero ex melancholia, in sinistra parte erit dolor intensior cum frigore. Vigiliis grauitate facies erit liuida quasi terrei coloris. Oculi concaui lippitudo, oris acetositas. Si vero fuerit ex phlegmate, sequitur dolor grauatiuus, per os & nares exit superfluitas, & quandoque cum tussi & graui spiritus attractione & querela. Facies pallida & subtumida, oculorum lippitudines, oris insipiditas, dolor à parte posteriori maior. Est enim ibi sedes phlegmatis. *Vnde Galenus in libro institutionum.* Nosse oportet caput diuidi in quatuor partes. Nam sanguis in fronte dominatur: cholera autem in dextra: melancholia in sinistra: phlegma vero in occipitio dominatur. Istis & aliis modis plurimis accidit dolor capitis, sicut ex acumine fortis vini, cuius fumus pungit pelliculas cerebri, & grauem infert capiti passionem. *Hucusque Constantinus.*

Cap. II.

De medicina & remediis doloris & passionis capitis.

PAtitur autem caput dolorem quendam interiorem, quem physici, *vt dicit Constan.* vocant emigraneam, & hic dolor, *secundũ Const.* est grauissimus. Sentit n. in capite quasi malleationem & percussionem, non potest pati sonum, nec vocem, nec lucem vel splẽdorem. Et hic dolor est ex fumo cholerico & calido cum ventositate. Et ideo sentit puncturam, arsuram & tinnitum. Patitur autẽ caput specialiter in cute exterius pustulas & scabiem, saniem ad modum mellis emanantem, & ideo talis scabies *à Constantino* vocatur fauus. Habent enim pustulæ modica foramina, ex quibus sanies egreditur, qui fauus prouenit ex humore fiscoso, vsque ad cutis superficiem pertingente vel vlcerante. Item patitur caput quandam in pueris familiarem passionem, quam *Constantinus vocat* squamam, nos autẽ dicimus eam tineam, quia ad modũ tineæ superiorem

cutis

cutis capitis substantiam corrodit, & quasi inseparabiliter tenet eam. Talis enim passio pruritum in capite generat immoderatum, de quo post confricationem quædã squamæ dilabuntur. Hæc passio sæpe euenit infantibus, propter abundantiam humoris, & mollitiem ipsius cutis, abundantiam cibi amplioris. His, *vt dicit Constantinus*. cibos subtrahimus, & tunc humore vicino sublato vnguenta & alia remedia adhibemus. Summum autem lactentibus, *vt dicit Constan.* est remedium, vt apertis retrorsum in auriculis venis sanguis extrahatur, & extractus super locum doloris calidus inungatur, quia poros caliditate sua & subtilitate aperit, & subintrando materiam diuidit & consumit. Et quia capillorum radicibus illa squamositas adhærere consueuit, sanari de facili non potest, nisi radicitus de capite subtrahatur. Quæ passio si inueterata fuerit, vlterius vix sanatur, vix enim tinea sic sanitati restituitur, quin semper post in capite vestigium relinquatur. Item patitur caput exterius dispendium in ornatu, quando vel capilli capitis defluũt vel caluescũt, *sicut sup. dictũ est lib. 5. de capillis quære ibi diligenter*. Item patitur caput in suis capillis, quandam corrosionem & indecẽtiam, quam medici vocant furfuriscam. Nam aliquoties quædam squamæ granis furfuris simillimæ, oriuntur iuxta radices capillorum in capite. Et hoc vel ex vitio cerebri, vel ex vitio fumi egredientis à capite ad nutrituram capillorum, sed hæc immũdicia mundificatiuis ablutionibus & medicinis diligentius est abluenda, sicut & pediculi & furiones, & quasi insensibiles vermiculi, sunt quibusdam necessariis medicaminibus de regione capitis amouendi. Capitis passionibus supradictis, sic *secundum Constan.* breuiter subuenitur. Si acciderit dolor ex humoris vicio, sicut ex sanguinis vel alteriusmodi humoris repletione, sanguinem de cephalica extrahimus, debitis & congruis medicinis corpus mundificamus, præcipue si in stomacho materia fuerit, vomitum prouocamus, & conuenienti medicina educimus. mundificato corpore, caput, manus, pedes aqua tepida perfundimus, vt pori aperiantur, & fumi facilius euaporent. Si dolet pars posterior, venam latam in fronte aperimus, & sanguinem extrahimus, & prodest, *vt dicit Constantinus*, vel tibias inferius scarificamus, & sic humores,

& fumus & spiritus, qui causa sunt doloris, à capite ad inferiores partes reuocantur. Si vero pars anterior dolet, fluxum sanguinis a naribus prouocamus. Et si fuerit humor calidus & cholericus, frigidis occurrimus medicinis, tẽpora, nares & venas pulsatiles aqua rosacea cũ lacte mulieris masculũ nutrientis inungimus & somnũ prouocamus. Si vero materia fuerit frigida & viscosa, in stomachi orificio posita digesta materia, damus colaturam vomitus paratiuam, sic de fundo stomachi conuenienti eam educemus medicina, fomentis mediocriter vtimur calidis & vnguẽtis, diætam mediocriter calidam adhibemus, & sic cõtraria contrariis curamus. Si vero fuerit dolor capitis sine humoris vitio excessu alicuius qualitatis, tũc patiens non indiget purgatione, sed potius alteratione. Qualitatibus igitur peccantibus adhibemus contrarias qualitates. Si vero fuerit dolor ex nimia cibi vel potus repletione, sicut accidit nimiũ crapulatis: optimum remedium est aquam calidam bibere in maxima quantitate, & tunc modica mora interposita, vomitũ prouocare, fortioribus si vis vti medicinis, recurre *ad Viaticum Constant.* sapientis industriæ hæc sufficiant, &c.

CAP. III.
De Catharro.

IVdith octauo. *Venit æstus super caput Manasse & mortuus, &c.* Causa accelerationis mortis Manasse fuit immoderatus fluxus rheumatis, in capite ad interiora defluens ex violentia æstus, & caloris ipsius, humores capitis dissoluentis, *Vt tangit Bernardus*. Talis enim fluxus à medicis dicitur catharrus, & fit in capite multis de causis. Quandoque ex caliditate aeris humores fluxibiles dissoluentis. Quandoque ex frigiditate eiusdem cerebrum constringentis, & partes liquidiores educentis. Quandoq; ex abundantia humorum per incontinentiam effluentium ex interiori calore dissoluente, vel ex frigiditate comprimente vel exprimente, aliquando ex humiditate lubricante. Quandoq; ex humorum liquiditate & fluxibilitate se diffundente. Quandoque ex debilitate virtutis retentiuæ. Fluxus autem proueniens ex humorum nimia abundantia talia habet signa, habitudo corporis plectorica est & repleta,

pleta, facies eius subtumida, oculorum eminentia, superfluitatum oris & narium abundantia cum corporis grauitate. Caloris dissoluentis hæc sunt signa, color in facie rubeus, cum rubore venarum, maxime in oculis, fluxus lacrymarum calidarum mordificantium oculos, & calefacientium ipsam cutem, calor sentitur in profundo. Frigiditas constringens his cognoscitur signis, color faciei est pallidus, lacrymæ frigidæ, frigus sentitur in profundo. Si vero fiat ex liquiditate humorum, cognoscitur per multitudinem superfluitatum ab ore & naribus, & eorum fluidam sine cohibentia distillationem. Si igitur superfluitas est in causa, curatur per superfluitatis eductionem, maxime si ad spiritalia fiat fluxus, & per humoris fluidi constrictionem. Si enim fuerit fluxus frigidus & humidus maxime, valent in contrarium calida & sicca, constrictiua humoris & consumptiua, sicut laudanum, thus, storax, castorium. Si autem fuerit fluxus calidus, restringatur per frigidorum fomentationem, per rosarum in aqua pluuiali decoctionem & subfumigationem, & ipsarum rosarum ad foramina narium applicationem. Attendendum est autem, quod quamdiu catharrus est in vehementia fluxus, nullum epithimum est apponendum, nullum fomentũ adhibendum, quia maior fieret dissolutio, *vt dicit Constantinus*, nec aquam debet capiti infundere, nisi forte aquam rosaceam vel salicis, vbi caliditas est in causa.

CAP. IV.

De Phrenesi & eius causis, signis & remediis.

DEutero. 28. *Percutiet te furore & amentia & stupore, &c.* Furorem vocat phrenesim, *quam sic describit Constantinus:* Phrenesis, inquit, est calidum apostema, in quibusdam cerebri pelliculis, quam sequuntur vigiliæ & alienationes. Vnde à phrenibus, id est, à pelliculis cerebrum obuoluentibus phrenesis dicitur. Accidit autẽ duobus modis, ex cholera rubea ꝓprio calore & febrili leuigata, quę furiosa effecta rapitur superius, per venas, neruos & arterias, & colligitur ad apostema, & fit vera phrenesis, vel fit ex fumo, à corpore ad cerebrum ascendente & perturbante, & fit paraphrenesis, id est, phrenesis non vera. Patitur phreneticus terribilia accidentia, scilic. sitim nimiam,

ſiccitatem linguæ,nigredinem & aſperitatem,moleſtationem & anguſtiam nimiam, ſyncopim, propter defectum ſpirituum & mutationem caloris naturalis in non naturalem. Fit enim rubeus ſi ſanguis,citrinus ſi cholera eſt in cauſa. Accidit autem hæc paſſio calidis & ſiccis in tempore æſtiuo,& hæc omnia choleræ cooperantur.Paraphreneſis vero quæ generatur ex aliorum membrorum colligantia,vt ex apoſtemate ſtomachi vel matricis,his membris in ſtatum primum redeuntibus: redit cerebrum, & paraphreneſis tunc curatur. Sed cum apoſtema fit in ſubſtantia cerebri tunc phreneſis peſſima eſt & moleſtiſſima,& ideo periculoſiſſima. Signa vero phreneſis ſunt, vrinæ diſcoloratio,maior febre inſania, vigiliarum inſtantia, oculorum mobilitas & extenſio, diſſoluta manuum proiectio, capitis commotio,dentium frendor & colliſio, ſemper volunt ſurgere de lecto, modo cantant,modo rident, modo plorant, ſe cuſtodientem & medicantem libenter mordent & lacerant;raro ſilent, multum clamant, hi periculoſiſſime ægrotant, & tamen ſe ægrotare tunc ignorant. Cito igitur his ſubueniendum eſt ne pereant, & hoc tam in diœta quam in medicina. Diœta enim debet eſſe tenuiſſima, ſcilicet mica panis,quæ in aqua pluries eſt abluta. Medicina eſt vt in principio caput infirmi abradatur, & cum tepido aceto abluatur, in loco obſcuro bene teneatur vel ligetur, diuerſi vultus & picturæ coram eo non oſtendantur, ne inſania irritetur, ſilentium circumſtantibus indicetur, ſtultis verbis ſuis non reſpondeatur, in principio de medicina vena frontis minuatur,inquantum poteſt teſta oui capere, ſanguis extrahatur,ante omnia in principio, ſi virtus & ætas permiſerint de cephalica minuatur, medicina autem eſt digeſtio procuranda, & cholera extinguenda, ſuper omnia vnguẽtis & fomentis ſomnus prouocetur, cum pulmone porcino vel pecorino caput raſum ſæpius cataplaſmetur, tempora & frons cum ſucco lactucæ & papaueris liniantur, ſic his communiter exhibitis, adhuc perſeuerat inſania per tres dies cum inſomneitate & vrinæ diſcoloratione,non eſt de conualeſcentia ſpes habenda,ſi vero incipiat vrina colorari, & mala ſigna minui, ſperandum eſt.

CAP.

Cap. V.

De Amentia & eius caussis & signis.

AMentia idem est quod mania, *secundum Plat.* Est autem mania infectio anterioris cellulæ capitis, cum priuatione imaginationis, sicut melancholia est infectio mediæ cellulæ capitis cum priuatione rationis, *Vt dicit Constantinus lib. de melancholia.* Melancholia, inquit, est suspectio dominans animæ, quam timor & tristitia induxerunt. Et differunt passiones istæ secundum diuersitatem læsionis operationum, quia in mania principaliter læditur imaginatio, in alia vero ratio. Et generantur hæ passiones aliquando ex cibis melancholicis: aliquando ex potatione fortis vini, exurentis & incinerantis humores: aliquando ex animæ passionibus, scilicet solicitudine, tristitia, nimio studio, timore: aliquando ex morsu rabidi canis siue alterius animalis venenosi: aliquando ex corruptione aeris pestiferi & infecti: aliquando ex malitia humoris corrupti, dominantis in corpore hominis ad talem infirmitatem præparati. Secundum autem diuersas causas diuersa sunt signa. Nam quidam clamant, saltant, se & alios vulnerant, & in latebris latitant, de quorum dispositione & differentia supra habitum est *lib.* 5. vbi agitur de cerebri passione. Horum medicina est vt ligentur, vt à propria vel aliena cessent læsione, maxime sunt tales recreandi, & à solicitudinis & timoris causa & materia amouendi, & instrumentis musicis lætificandi, mediocriter exercitandi, & tandem si purgationes & electuaria non sufficiunt, arte chyrurgica sunt curandi.

Cap. VI.

De Stupore & Lethargia.

DEutero. 28. *Percutiet te Deus cæcitate (alia litera) stupore.* Et vocatur stupor mentis *secundum Constantin.* quædam cæcitas rationis, quæ est, quasi somnus oculis clausis, quando propter defectum spirituum anima non iudicat de visis sensibiliter nec discernit, sicut percussi fuerunt Sodomitæ in foribus Loth. *Sicut dicit glossa Gen.* 30. *& Sapient. Vltim.* Hic stupor, *secundum Constantinum* fit duobus

duobus modis, quia vel accidit ex perturbatione rationis non aduertentis, vel fit ex superfluitate humoris vias spirituum in cerebro impedientis, vt patet in ebriosis, vel ex nimia frigiditate aeris, neruos sensibiles comprimentis, vt patet in his, qui congelantur in glacie vel in niue. Fit etiã ex totius cerebri opilatione, vt in apoplecticis & lethargicis hoc videmus. Stupor etiam dicitur membrorum rigor & extremitatum corporis constrictio, quando præ frigore membra videntur contrahi & dormire. Alio autem modo dicitur stupor, *secundum Damascenum*, qui dicit, ammoratio est stupor de re noua, &c. Stupor autem prout hic accipitur, est quędam somniculositas, quæ est quædam dispositio sæpę ad maximas infirmitates, & maxime ad lethargiam, quæ est apostema in posteriori cellula capitis generatum. Et dicitur à λήθε, quod est obliuio, eo quod obliuionem inducit. Fit autem frequenter in senibus ex phlegmate & in hyeme, per se autem nunquam prouenit, sed semper accidit ex præcedente aliqua ægritudine. Nam in quibusdam ægritudinibus enutritum phlegma actione febrilis caloris ebulliens rapitur ad cerebrum, & in posteriori cellula recolligitur ratione conformitatis, & generat apostema, cuius signa sunt, febris continua, vrina discolorata & spissa, oppressio oculorum, falsus somnus, æger vocatus respondet, & si contingat respondere, loquitur aliena, supinus iacet, & si super latus, quo ad horam, vertatur, proprio impetu iterum supinatur, in extremitatibus notabiliter infrigidatur. Horum remedium est vt æger in loco lucido statuatur, loquentium & disputantium adsit garrulitas, per pilos & barbam vehementius trahatur & etiam per capillos, facies aqua frigida sæpius perfundatur, pedes inferius confricentur, fumi fœtidi inferius apponantur, vt cornu capræ exustum & huiusmodi. Clysterium super omnia adhibeatur & apponatur, sternutatio prouocetur, caput abradatur, fricetur, & apertiuis, vt de synapi & similibus, fomentetur, sternutatio in hac causa optimũ signum est. Si vero dormitatio perseuerauerit, tremor cum motu brachii & frendor dentium superuenerit, mortale est. Et est notandum quod si de phrenetico fiat lethargicus pessimum est. Si vero è contrario fit, bonum est, scilicet, quando de

do de lethargico quis in phrenesim moueatur. Hęc omnia extrahuntur de *Platone & Constantino.*

CAP. VII.

De Vertigine.

MIscuit Dominus spiritum vertiginis, *Esa.19.* Vertigo, *secundum Constantinum,* idem est, quod scotomia, visus scilicet & spiritus sensibilis corruptela, qua omnia subito videntur voluentia & tenebrosa. Causa autem huiusmodi est nimia humorum abundantia cum ventositate mixta. Nam hi humores mouentur in capite; ventositate de corpore siue stomacho ascendente ad cerebrum. Si hæc passio in solo fit cerebro, sentit patiens grauitatem in capite, sonitum in auditu, corruptionem in odoratu, & talis vertigo de facili non dimittit. Si vero est ex stomacho, patiens sentit abominationem in ore stomachi & dolorem, sed talis vertigo recipit interpolationem, quia ascendente fumo, tunc vertigo incipit, quando vero non ascẽdit, tunc dimittit. Horum remedium est medicina purgatiua, & phlebotomia, & si aliud non impediat, pedes infirmi in aqua sunt ponendi, à vino abstineat: cum dissoluat, & etiam ab inflatis cibis, & à grossis, vomitus etiam leuis prouocetur, quia multum valet.

CAP. VIII.

De Vigilia.

VIgilia est insomneitas, quæ est quædam cerebri passio quasi opposita lethargiæ. Prouenit enim hæc passio ex nimio motu cerebri & siccitate choleræ rubeæ siue nigræ, ex intemperato calore & ex humoribus nimis salsis. Ex illis omnibus nascuntur vigiliæ inordinatæ, sequuntur angustiæ, mutatur color, intenduntur solicitudines, cogitationes & alienationes mentis, irrationabiles suspitiones, corpus subtiliatur, desiccatur, virtus digestiua corrumpitur, tota hominis complexio immutatur, palpebræ & facies intumescũt, & pessimæ passiones in corpore nutriuntur. His cito ne pereant medicandum est. Horum facies & tempora cum soporiferis inungantur, lacte muliebri somni

mni gratia perfundantur corpora, bonis cibis reficiantur, *De vigiliis quare supra lib.6.*

Cap. IX.

De Morbo Caduco.

CEcidit in terram spumans, &c. *Matth.9.* Morbus caducus *à Constantino & aliis auctoribus* epilepsia nuncupatur. Et hic morbus ab antiquis ira Dei vocabatur. Est aũt epilepsia, *vt dicit Constantinus*, humor humidus, quo ventriculi cerebri non perfectè opilantur, prohibens animam, id est, spiritum animalem, ad declarandum actionem suam, quousque ab illo humore exopilauerit cerebro viam suam. Dicitur autẽ hæc infirmitas in passione ἱερὰν νόσον, id est sacra passio, quia sacram partem corporis occupat, scilicet caput. Dicitur autem Herculeus, quia hæc passio fortis est vt Hercules. Dicitur & morbus caducus ab effectu, quia opilatis neruis membra, quæ sunt instrumenta virtutum, à regimine spirituum depauperantur & destruuntur, & ideo homines in hac passione cadere compelluntur. Est autem epilepsia apoplexiæ vicina, locus enim idem est vtrisque & materia, vnde nascitur, frigida enim est & viscosa. In hoc autem differunt, quia apoplexia omnium ventriculorum est cerebri opilatiua, cum priuatione rationis & diminutione sensus & motus. Epilepsia enim non omnium, sed principalium ventriculorum cerebri est impeditiua. Dicitur autem a b ἐπὶ quod est supra, & λῆψις quod est læsio, quia superiorum præcipue est læsiua. Dicitur & morbus puerilis, eo quod pueris sæpe accidat. Patiens autem morbum istum subito cadit, obtorquetur os & facies cum tremore ceruicis, & totius corporis, cum constrictione dentium & stridore, ore spumant & plures superfluitates emittunt. Vocant autem medici epilepsiam apoplexiam paruam, quæ ex tribus est causis, *vt dicit Constantinus*, quia vel ex humoribus phlegmaticis, vel ex melancholicis nascentibus in prora cerebri, vel ex ventositate frigida & grossa, cerebro vel alicui membro dominante sicut stomacho. Est enim aliquis humor qui nascitur in illo membro, & fumus ascendit ad cerebrum, cuius grossitudine viæ animalis spiritus opilantur, & deinde morbus caducus

ducus procreatur. Hæc passio, *Vt dicit Constantinus* superuenit tempore determinato. *Vt dicit Galenus* Epilepsia, inquit, quæ crescente luna venit, sui naturam signat esse humidam. Omne enim humidum crescēte luna habet incrementum. Quæ vero venit deficiente luna, frigidissima est, sed tamen parum humida est. Epilepsiæ autem tres sunt species, secundum triplicem locorum speciem, vbi fuerit, scilicet: Epilepsia autem fit in capite ex materia existente tantum in cerebro. Analepsia vero fit ex materia existente in stomacho, non in concauitate, sed in neruis eius & arteriis ipsius stomachi, per quarum medietatem materia ebulliens rapitur ad cerebrum. Catalepsia vero fit ex materia existente in extremitatibus, vt in manibus & pedibus, quæ propriis quidem signis dignoscitur. Nam catalepticí morbum suum præsentiunt. Sentiunt enim receptionem quandam quasi formicarum, vel motum cuiusdam auræ ex materia superius ascendente, & sæpe pro constructione extremitatum præseruantur à casu. *Et Vt testatur Galenus*, isti sæpe febriunt, quando sine caloris ebullitione materia vix ab interioribus potest rapi ad superiora. Analeptici autem ex repletione stomachi laborant, & maxima indigestione & ciborum eructatione & abominatione, & hi etiam casum suum præsentiunt. Epileptici autem non præsentiūt, sed continua capitis grauedine laborant. Fiunt autē hæ passiones quandoque ex sanguine, sed sæpius ex phlegmate, sæpius etiam ex melāncholia, & causæ istæ per propria signa dignoscuntur, maxime per corporis habitudinem sanguineam & phlegmaticam. Vel melancholicam per faciem rubeam, vel pallidam seu liuidam per ætatem, per regionem, per diætam. Si autem fuerit ex melancholia, in defectu lunæ lædit maxime & infestat. Si vero ex sanguine vel ex phlegmate, in plenilunio maxime se ostendit, hæ passiones sunt maximæ adhærentiæ, & eas curare difficile est. Confert tamen eis & medicina & diæta, oportet vt à nociuis cibis abstineant, & à coitu & à nimia frequentia hominum, quia in talibus locis solet eos citius accessio occupare, bonis cibariis & lenibus vtantur & temperate, plus de mane, minus autē vel nihil de vespere comedent, vinum temperate bibant, secundum medicinam purgentur, secundum humoris peccantis exigentiam. Experi-

perimentum Platonis, contra Epilesiam, tres sanguinis guttas dicit esse per scarificationem extrahendas à scapulis, & cum ouo corui in fine accessionis patienti offerendas, dicit etiam oua corui multum conferre. Similiter dicit pæoniam potatam conferre multum. *Idem confirmat Galenus & Constantinus & Dioscor.* Dicit etiam coagulum leporis bibitum eos iuuare epilepticos, quia prohibet ne humor dissoluatur qui ascendens opilat cerebrum. Dicit etiam quod epar asininum assatum confert, si comedatur. Caprinum vero si detur epilepticis, mouet epilepsiam. Multa alia *dicit Constantinus* experimenta, de quibus nihil ad præsens.

CAP. X.

De Sternutatione.

IOb 41. *Sternutatio eius, &c.* Sternutatio, *Vt dicit Constantinus*, est violenta cerebri commotio, ad expellendas fumosas ipsius cerebri superfluitates. De diuersis autem causis nascitur. Aliquando enim ipsa natura operatur, cum fumos superfluos satagat expellere à cerebro, qui vel causa sunt morbi vel causa futuri vitii. Humanum enim cerebrum humidius est cerebris aliorum animalium. Vnde & humores ibi adunantur, & cooperante natura, inde cum sternutationibus expelluntur. Aliquando enim fit sternutatio vi morbi potius, quam naturæ expulsione, sicut in coriza accidit & in peripneumonia. Aliquando etiam habet fieri sternutatio sic. Canales narium humanarum curti sunt: vnde cito ad cerebrum nociua ab extrinsecis veniunt, sicut puluis, aer frigidus, calor solis, & huiusmodi, quæ, cum ad cerebrum veniant, expelluntur à cerebro vigore & motu suo, & inde fit sternutatio. Quæ si fiat in acutis febribus, siue rheumate, signum est laudabile. Signat enim naturam confortatam in expellendo, quod sibi est nociuum. Si vero fiat cum rheumate, malum signum est, signat enim materiæ exuberantiam. Vnde symptomatica est sternutatio & augmentum rheumatis. Et ideo in pleuresi & in consimilibus malum signum est & illaudabile. Sternutatio igitur cerebrum commouet & exonerat, totum corpus concutit & alleuiat in suo exitu. Ex violenta commotione aeris in canalibus narium strepitum facit, quæ si

plus

plus debito post expulsionem superflui fumi permanserit, lædit, quia nimis dissoluit, & aliquando graues passiones excitat & inducit. Restringatur igitur per medicinas, sicut per fumigationes constringentes spiritus reparantes & superfluitates consumentes, sicut est chamæmelum, mentastrum, rosa, ireos, nigella, & huiusmodi.

CAP. XI.

De Tremore capitis.

POsuit Dominus signum in Cain, scilicet tremorem capitis *secundum glossam Strabi*. Omnis, *inquit Strab.* qui inuenerit me per tremorem capitis & agitationem furiosæ mentis, cognoscet me reum mortis esse. Tremor autem capitis, qui & iectitatio dicitur *à Constantino*, prouenit ex defectu & debilitate virtutis regitiuæ in neruis spondylium ipsius colli & in lacertis membrorum. In hoc autem morbo duo sunt motus, qui sibi sunt oppositi: alter enim mouetur sursum, & alter deorsum. Superiorem vero natura operatur, inferiorem autem morbus. Morbus autem nititur membrum deprimere inferius: sed natura quæ ipsum à suo regimine nondum destituit: nititur ipsum regere & ponere in propria positione, & ita sursum eleuare. Et ideo ex tali motuum contrarietate surgit tremor. Causa autem inceptionis tremoris est defectus virtutis commouentis lacertos, *Vt dicit Constantinus*. Quæ virtus quandoque deficit causa malæ complexionis vel ex accidentibus animæ, sicut ex timore propter spiritus confluentes ad cor, vnde membra ponderositate sua tendunt inferius. Vnde quia natura non habet sufficientes spiritus ad membri regimen confluentes, nõ ex toto potest membrum in sua consistentia detinere, & sequitur statim tremor. Talis autem tremor quædam est dispositio ad paralysim, maxime si acciderit dormitatio frequens cum tremore. Cuius causa est frigiditas substantiam neruorum coagulans & constipans, ne virtus sensibilis eam penetrare possit.

Omnis autem paralysis leuior est ad curandum cum tremore, quam illa, quæ est sine tremore, quia in prima non est membrum omnino destitutum, à natura sicut est destitutũ penitus in secunda. Talis itaque tremor vna cum dormitatione, calefactiuis & confortatiuis & dissolutiuis

& consumptiuis curabitur medicinis, sicut est theodoricon, hieralogodion, & similia. Valent & balneationes, fricationes, & cũ calidis & apertiuis herbis suffumigationes, vt pori clausi aperiantur, vt humores superflui consumantur, vt spiritus excitentur & nerui confortentur.

CAP. XII.

De Spasmo.

SPasmus est neruorum violenta contractio, motum voluntarium auferens & retardans. Talis contractio prouenit aliquando ex nimia repletione, quandoque ex inanitione, quandoque ex nimia infrigidatione, sicut est videre in manibus & labiis infrigidatorum, quod vix verba formant, vix etiam digitos complicant aut recuruant. Contractio autem ex tali intrinseca infrigidatione soluitur calore, & alia non indiget medicina. Caueat tamen patiens, ne nimis subito forti calori se exponat, quia ex subita repercussione frigiditatis ad neruorum extremitates dolorem non modicum patietur. Contractionem vero factam ex inanitione, hæc scilicet signa declarant, præcedit enim aliquando fluxus immoderatus sanguinis, vel ventris vel matricis, aliquando labor vel abstinentia supra vires laborantis vel abstinentis, aliquando immoderatus calor, vt in corpore hominis per acutas febres patientis, aliquando profunditas & dolor vulneris acumen & fortitudo assumpti medicaminis. In his omnibus accidit spasmus ex nimia naturæ desiccatione, & substantialis humiditatis consumptione, vnde corrugatur neruus, & contrahitur sicut pergamenum positum in igne, & ideo via spirituum per neruos intercipitur, & virtus vitæ regitiua impeditur, omnis talis spasmus si diu durauerit, mortalis est. Vnde dicitur *in aphoris.* spasmus ex cholerico alias helleboro mortalis. Isti tamen spasmo in principio confert, calidum lac mulieris, si super musculos faucium, super spinã & collum radices neruorum vndique profundantur. Ad idem valet aqua cum oleo, si fuerit cum lana succida super locum neruorum fomentata. Tertium vero genus spasmi, scil. ex repletione, qui solet accidere pinguibus, & carnosis, & ingurgitatis ex infusione neruorũ & dilatatione, facilius soluitur,

uitur, quia cum vnguentis calidis, balneis, sternutationibus & gargarismis curatur, *vt docet Constan.* huic contractioni si febris superuenerit, summum remedium erit. Vnde dicitur *in aphoris.* spasmo & tetano febris superueniens soluit ægritudinem. Istius autem spasmi triplex est species, scil. epitestanus, scilic. quando nerui posteriores spasmantur, & epitrostenus, scilic. quando anteriores nerui versus pectus contrahuntur, & tetanus quando scil. anteriores & posteriores contractionem patiuntur. In his tribus non est perfecta cura, quando accidunt ex inanitione, vt dictum est.

Cap. XIII.

De Paralysi.

Paralysis est læsio partis humani corporis cum diminutione vel priuatione motus, vel sensus, vel vtriusque. Fit enim quandoque ex frigiditate constringente, quandoque ex humore opilante, aliquando ex calore consumente, & neruos sensibiles corrugante, aliquando ex vulnere neruos incidente vel diuidente. Ex istis enim causis & aliis denegatur transitus spiritus animalis ad instrumenta sensus atque motus. Vnde si nerui sensibiles & motiui ex toto sunt opilati vel incisi, efficitur membrum pariter immobile & insensibile. Si vero plena non fuerit opilatio, vel transitus spirituum denegatio, fit ibi ex materia deprimente, & virtute regitiua erigente tremor, *sicut dictum est*, habet fieri specialiter paralysis ex superfluitate ciborum & maxime potuum, ex quibus nimia fit humorum generatio & dissolutio, & inde neruorum consequitur necessario opilatio. Fit etiam ex frigiditate neruos cõstringente, quandoque est symptoma alterius morbi, scilic. quando minor apoplexia in paralysim terminatur. Est autem paralysis alia vniuersalis, alia particularis. Vniuersalis est quæ recte mediam partem occupat hominis infirmantis. Particularis est, quæ occupat partẽ vnã, vt manum, vel pedem, vel linguam. Item materia ipsius opilationis inducentis paralysim, quandoque est in origine neruorum, quandoq; in ipso membro paralytico. Si in origine neruorum sit, causa stupor & insensibilitas est circa loca vicina, vt in facie vel in principio dorsi, si vero in ipso membro paralyti-

co, tunc ipsam patitur tantum, & non superiora, *vt dicit Galen.* qui dicit se amouisse emplastrum, quod sophista posuerat super manum, & posuisse super collum. Ex quo patet, quod secundum varietatem locorum morbi, debet variari modus medicinæ. Paralysis ex incisione nerui, penitus incurabilis est, similiter paralysis vniuersalis in omnibus, & maxime in senibus vix curatur, circa iuuenes tamen citius & efficacius operatur medicina. Primo ergo in paralysi ex mollificatiuis & relaxatiuis tam interius quam exterius exhibitis insistendum est, deinde desiccatiuis & constrictiuis. Si vero primo desiccatiua vehementer apponerentur, liquidioribus partibus consumptis reliquum magis inspissaretur, & sic compactius effectum ad dissolutionem & consumptioni inobedientius redderetur, & ideo prædicto modo caute est procedendum. Congruis igitur medicinis interius purgatiuis, conuenientibus etiam vnguentis exterius membra mollificentur saluia & castorio in decoctione vini vtantur. *Alias vero medicinas quære in Platone, & in viatico Constan.*

Cap. XIIII.

De paßionibus oculorum.

Solet dolor accidere oculis aliquando ab exterioribus, sicut à vulnere, continuitatem oculorum dissoluente, à puluere, teneram substantiam oculi perturbante, à fumo, oculos obfuscante, vento frigido, spiritum visibilem repercutiente, ab aere calido, dissoluente, à nimia solis vel alterius lucidi corporis claritate, spiritum disgregante, à nimia tenebrositate, spiritum visibilem conculcante, ab inordinata diæta & ebrietate continua visum hebetante, à venerea voluptate consueta spiritum & humorem crystallinum corrumpente & dissoluente, aliquando ab interioribus vel ab humoribus calidis vel frigidis, siccis vel humidis. Primus autem dolor & præcipuus causatur ab interioribus, calidum apostema faciens super albuginem oculorum, ex humoribus confluentibus ad pupillam & apostema facientibus. Et hoc accidit ex debilitate oculi recipientis, & ex abundantia seu acumine humoris confluentis, & ex cerebro descendentis. In tali itaque apostemate oculus

oculus intumeſcit, lacrymatur & rubeſcit, colorem & punꝗuram, feruorem & arſuram ſentit, potiſſime quando cholera eſt in cauſa. Tunc enim videtur quod acubus perforetur. Si vero humor frigidus ſit in cauſa, vel ventoſitas, oculus diſtenditur, grauatur, de nocte inuiſcatur, humores nimii effluunt, & illi ſunt viſcoſi, maxime affligitur humore phlegmatis. Si vero ſanguis ſit in cauſa, ſentitur pruritus, multitudo lacrymarum & calor in exitu earum, leuis punctio, maior tumor, & dolor in fronte maior, & maxime affligitur in horis ſanguinis. Hæc infirmitas ſi cauſatur ab exteriori, patiens quieſcat, capite alto dormiat, propter fluxum lacrymarum luminis ſplendorem fugiat, ad vitandum diſgregationem & diſſolutionem maiorem vocem non emittat, ne ex conatu vocis in cerebro diſſolutio fortis fiat, cibus detur frigidus & leuis digeſtionis, ne rheumatis fluxus augeatur, aqua clara & calida potetur, quia de natura ſui fumi fumos conſumit, neruos confortat, arſuram & punꝗuram mitigat, balneis aquæ dulcis temperatis vtatur. His obſeruatis non oportet aliter medicari. Si vero ſit dolor ab interioribus humoribus, purgentur humores peccantes vel per ſubtractionem ſanguinis, vel per congruam medicinæ purgationem, collyria mitigatiua, & ſanatiua interius ponantur, ſicut aqua roſacea cum lacte fœmineo, *vt dicit Conſt.* Lacrymæ cum reſtrictoriis cõpeſcantur. Apponuntur ergo in principio leniter repercuſſiua & mitigatiua, in ſtatu & in augmento mediocriter diſſolutiua, in fine conſumptiua, & ſemper cum iſtis confortatiua. Circa apoſtema vero oculi nunquam ſunt maturatiua apponenda, ne ſubſtantia oculi, quæ eſt tenera, deſtruatur, ſi ad ſaniem protrahatur. Præterea ſi materia eſt multum calida, & dolor fortis, nõ ſunt apponenda fortia repercuſſiua, quia materia ſubito poſſet repercuti ad neruum opticum, & opilando poſſet perpetuam inducere cæcitatem. Lippitudo eſt oculorum viſcoſa & glutinoſa ſuperfluitas, oculorum palpebris adhærẽs, ex phlegmaticis & melancholicis humoribus, in angulis oculorum incipiens, palpebras ingroſſans & inuertens. Hæc oculorum cilia corrumpit, & ipſas palpebras quaſi carneas crudas facit. In lippis quippe oculis pupillæ ſanæ ſunt, *ſicut dicit gloſ. ſuper* 21. *Leuit.* Sed humore defluente,

palpebræ grossescunt, cuius crebra infusione etiam pupillæ acies viciatur, & illos significat, quorum ingenium ad cognitionem veritatis emicat, sed operatio carnalis vitæ obscurat.

Cap. XV.

De Lippitudine & albugine.

ALia est passio oculorum, quam nos maculam dicimus, quæ albugo vel pannus dicitur *à Constant.* Et habet generari sic. Primo fit fluxus rheumatis ad oculos, ex quo fit ophthalmia, dolor scilicet & apostema, ex qua male discussa, remanet quædam leuis macula siue infectio, quæ longo processu temporis excrescit in telam, & inspissatur, & occupat maiorem locum, scil. totam pupillam, tela vero excrescit in pannum per maiorem inspissationem & maiorem loci occupationem, quia totum nigrum oculi occupat, ad vltimum fit vnguis magis spissus & durus, quodlibet istorum incurabile est, si fuerit inueteratum, tamen secundum loci collocationem debet diuidi. Si vero collocatur circa crystallinum humorem in profundum, per dimidium annum fit incurabilis. In principio autem vix curatur, si vero colligatur sub coniunctiua vel etiam supra, per decem annos potest curari. Quando igitur macula recens est & modica succus papaueris rufi sufficit ad medicandum, *Vt dicit Constan.* Papauer enim rufum vel rubeum calidum est in primo gradu, & siccum in secundo, & ideo habet virtutem extenuandi, consumendi & desiccandi. Dicunt etiam physici, *Vt dicit Constantin.* quod sanguis ex summitate dexteræ alæ columbæ vel hirundinis vel vpupæ extractus, & super maculam recentem positus calidus maculam in principio potenter rumpit, sanguis enim istarum auium est valde ignitiuus & dissolutiuus ex natura auium ex quibus procedit.

Cap. XVI.

De infectione oculi per sanguinem induratum.

ALia etiam accidit oculis deformitas & passio, scil. sanguinis infectio, quam *Constantinus* crustulam sanguinis nominat, quando scil. sanguis aliquo casu ad oculos de-

los defluens in crustulam desiccatur. Contingit etiam ab arteriis & venis desudare ad oculum, & venulas aliquas rumpi vel crepare in tunica coniunctiua, & ex circumfluente sanguine talem deformitatem in oculo generari, hūc sanguinem sic coagulatum, dissoluit sanguis turturis vel columbæ, *Vt dicit Constan.* Idem facit lac mulieris cum thure. Idem facit recens caseus sine sale melli commixtus, si superponatur. Multa alia experimenta *dicit Constan.*

CAP. XVII.

De lacrymis inuoluntariis.

FLuxus lacrymarum inuolūtarius accidit oculis, quandoque ab exterioribus, sicut ex percussione, ex calidi aeris dissolutione, vel ex frigidi coarctatione, ex fumi mordificatione & pulueris perturbatione, ex cœparum & aliorum acuminum odoratione, quandoque ab interioribus, vt ex calidis humoribus vel frigidis, vel ex superabundantia humorum per incontinentiā effluentium ex debilitate contentiuæ virtutis cerebri & fortitudine expulsiuæ. Si autem humores calidi fuerint in causa, oculi rubent, & lacrymæ distillantes calefaciunt faciem & vrunt, calida obsunt, frigida prosunt. Si vero sunt humores frigidi, oculi sunt subalbidi vel liuidi, lacrymæ etiam frigidæ faciem non mordificant, frigida obsunt, calida prosunt. Ad lacrymationem factam ex percussione, & causis aliis exterioribus, præcipua cura est cera pura cum puluere cymini calefacta, & frequenter cataplasmata, dolorem enim simul remouet ac lacrymam & liuorem. Si sit cum vulnere cum chirurgia curetur. Ad alias causas exteriores sufficit fomentum cum aqua tepida, ita quod tepor ad frigiditatem plus accedat. Si fiat autem ex fluxu & ex superabundantia humorum purgetur, detur diaclibanum cum vino decoctionis thuris, & hoc præcipuum est, in hac causa fiant restrictoria circa tempora & circa frontem. Hæc omnia valent contra fluxum ex causa calida & frigida.

Cap. XVIII.

De defectu visus.

DEfectus visus accidit oculis multiplici de causa, aliquando ex mala complexione, aliquando ex fumi ascendentis à stomachi corruptione, aliquãdo ex nerui optici opilatione, ex cataractis, ex spasmo & macula & huiusmodi, aliquando ex diætæ inordinatione, ex ægritudine longa, ex ieiunio & coitu nimio, & ex multis aliis causis, sicut ex senectute & huiusmodi. Distinguendæ igitur sunt causæ per propria signa. Nam si defectus accidat ex fumositate stomachi, defectus visus non est continuus sed interpolatus, secundum enim ciborum assumptorum varietatem minuitur vel augetur. Si autem est ex vicio cerebri, continuus est defectus ante prandium & post, si ex opilatione nerui ipsius oculi substantia pura est & lucida atque clara. Alia signa per se patent. Ad istum ergo defectum tollendum, si est ex vicio humoris stomachi mundificetur, imo totum corpus præcipue caput, deinde apponantur remedia localia, *quæ in Viatico & in aliis autoribus inueniuntur.*

Cap. XIX.

De Cæcitate.

CAecitas est priuatio visus. Priuatur autem homo visu, aliquando propter organorum defectum, & pupillarum improportionem ad spiritum visibilem. Ad hoc enim quod formetur visus, exigitur debita proportio organi, spiritum recipientis ad ipsum spiritum, *Vt supra dictum est de Visu lib.* 3. Aliquando propter neruorum interiorum opilationem. Si enim fuerit neruus, qui dicitur opticus, qui est visibilis spiritus vehiculum, in suo principio vel medio vel alicuius carnositatis superexcrescentia, vel alicuius viscosi humoris abundantia totaliter opilatus, virtutis visiuæ transitus non peruenit ad pupillam, & sic cæcitas in oculo generatur. Aliquando fit propter humorum & spirituum consumptionem, vt est videre in senibus, quorum oculi primo caligant & defectum visus patiuntur. Tandem deficiente virtute videndi, potentiæ penitus destruuntur. Aliquando fit ex causa exteriori, sicut per oculorum vulnera-

nerationem, per nimiam etiam & continuam lachymarum effusionem, per substantiæ oculi dissolutionem, per tunicarum oculi inspissationem & indurationem, & humorum in oculo compactionem. Tunc enim non est pupilla spiritui visibili peruia, & ideo talis compactio est cæcitatis in oculo inductiua, per substantialis humoris subitam desiccationem, vt in pupilla accidit in quibusdam potionatis & in minutis, qui ex nimia sanguinis subtractione, quandoque incurrunt periculum cæcitatis. Aliquando propter subitam cum desiccatione substantialis humiditatis spiritus visibilis disgregationē, vt patet in vrso, qui ad aspectum peluis ardentis quasi subito excæcatur, cuius excæcationis causa est aspectus peluis ardentis & lucentis, cuius ignea virtus tunicam oculi cum crystallino humore destruit & consumit, & eiusdem luciditas, quæ spiritui est improportionalis, ipsum disgregat & dispergit, & sic necessario cæcitatis perpetuę vitium introducit. Inter omnes itaque sensibiles passiones miserabilior est ipsa cæcitas, *vt dicit Constantinus*. Nam sine omni vinculo, cæcitas cæco carcer est, decipitur in apprehendēdo secundum imaginatiuam, quia de albo imaginatur, quod sit nigrū, & è conuerso. Impeditur in iudicando vim deliberatiuam. Iudicat enim penes se & deliberat ire ad orientem, & deceptus in suo iudicio, vadit ad occidentem, peruertitur & affectiua, quia oblato sibi ad eligendum denario argenteo, cum cupreo, affectat eligere argenteum, & eligit cupreum. Tanta siquidem est cæci miseria, vt non solum puero vel seruo se subiiciat pro regimine & ducatu, verum & sæpius ipsi cani, & sæpe ad tantam deducitur necessitatem, vt ad transeundum pontis vel vadi periculum plus cogitur credere cani, quam sibiipsi. Item sæpe in periculis vbi omnes dubitant, quia non videt periculum, securus est cæcus, & è conuerso, sæpissime vbi nullum periculum imminet, maxime cæcus timet, sępe in plano cespitat pedibus, & offendit, sæpe vbi pes esset eleuandus, deprimit pedem & è conuerso, vbi esset terræ figendus, ipsum eleuat & suspendit, vndique palpando, & contrectando manus dirigit, vndiq; de itinere dubius, manu & baculo viam quærit, raro aliquid securus agit, semper fere dubius & timens erit. Item cæcus quando nudus iacet vel sedet, tectum se reputat, sæ-

pe etiam quando videtur ab omnibus se latere putat. Item faciem aliquando & oculos ad solē vel cœlū cæcus eleuat, sed ipsius oculos cœlestis claritas non immutat, ipsius cæci oculo sol præsentem exhibet suum radium, sed tamen præsentis solis virtutem non percipit & effectum, *vt dicit Gregorius*. Item cæcus aliquando puerum suum ductorem verberat, percutit & offendit, sed eadem verbera cito per puerum luit. Nam puer verberum non immemor, in pontis medio siue quocunque alio periculo ipsum solum deserit, & ipsum fugiens sibi viam euadendi periculum non ostendit, & ideo est miser cæcus, quia in domo nihil audet fiducialiter agere, in itinere deseri à socio multum timet. In hoc tamen peior est conditio habentium oculos quam cæcorum, quia ipsi oculi hostes sunt & prædones humani animi, quorum concupiscentias, dum sequimur, sæuissimis hostibus subiicimur, *sicut dicit expositor super illud Thren. Oculus meus deprædatus est animam meam. Melius autem est homini oculis erutis cæcum fieri, quam habere oculos, & eorum blanditiis decipi & abduci, vt dicit Gregorius super illud Matth. 6. melius est tibi luscum ad vitam ingredi, quam duos oculos habentem in gehennam ignis mitti.*

CAP. XX.

De Surditate.

SVrditas est priuatio siue impedimentum auditus, qui *secundum Constantinum* ianua mentis est. Contingit autem aliquando auditum totaliter auferri, & tunc proprie dicitur surditas. Et habet fieri ex humoribus opilantibus neruos audibiles, & buccas aurium replentibus in tantum, quod in eis nulla potest fieri allisio, quandoque non ex toto aufertur, sed propter diminutionem humoris fit difficultas in sensatione, & dicitur grauitas auditus, quandoque est ibi sonitus & tinnitus, ita quod putat patiens, quod sit iuxta molendinum, siue iuxta organa. Et hoc habet fieri ex grossa ventositate interclusa, & hoc habet fieri aliquando sine interpolatione, & tunc ex priuata causa contingit, quandoque cum interpolatione, & tunc est ex causa remota, quandoq; enim nihil exterius auditur propter opilationem, sed auditus ab interioribus immutatur,

ita

ita quod patiens credit se audire ab exteriorib. hoc, quod sentit ab interioribus, & secundum hoc fallitur auditus. Multis aliis modis auditus hominis impeditur. Accidit etiam auri dolor aliquando siue apostema, & hoc ex calore dissoluente, vel ex frigiditate constringente, si sit ex calore dolor est acutus, locus rubet, calida obsunt, frigida prosunt. Si sit ex frigiditate, dolor est pōderosus & grauatiuus, locus pallet, calida obsunt, frigida prosunt. Aliquando est ex apostemate calido, & tunc ad prædicta signa sunt, est vehemens febris, semper enim apostema aurium febris concomitatur, sed remissior & cum minori dolore in causa frigida quam in calida. Aliquando relinquitur in aure vulnus ex apostemate præcedente, quod cognoscitur ex dolore, titillatione & sanie effluente. Aliquando fiunt vermes in auribus ex humoribus calidis inuiscatis, per interceptionem spiritus viuificatiui. Signa ergo vermium sunt pruritus & titillatio, & aliquando videri possunt, si auris soli exponatur. Aliquando fit dolor à causa extrinseca, sicut ex aqua, vel lapilli subintratione. Aliquando ex concussione, cuius signum est exitus sanguinis, aliquando tamen exit sanguis ex superabundantia & incontinentia eiusdem. *Vnde Constantinus.* Si subito sanguis & sine dolore ab auribus exeat, sine manifesta causa, signum est, aliquid esse in capite quod natura expellere laborat, oportet ergo quod aures à principio mundificentur, Alias autem aurium passiones, *quære supra lib. 3 de auditu, & 5. de aure, ibi enim sunt multa inserta.* Dolor igitur aurium si est ex calore & sine apostemate, frigidis & alteratiuis insistendum est. Vngi enim debet locus doloris oleo rosaceo vel violaceo, & consimilibus. Talia enim olea tepida auribus instillentur, non enim actu frigida debent auribus instillari. Si vero sit ex frigiditate sine apostemate, cum calidis alteratiuis ad curam procedendum est, sicut oleo laurino, rutaceo, & huiusmodi. Si vero fuerit cum calido apostemate, frigidis maturatiuis primo insistendum est, deinde mundificatiuis, & in contraria causa adhiberi debet medicina contraria. Rupto igitur apostemate quod cognoscitur ex fluxu saniei, primo mundificandum est vulnus, deinde consolidandum, mundificandum autem cum vino & cum melle similiter mixtis & immissis, consolidatur cum puluere

thuris

thuris & masticis, & huiusmodi, si vermes ibi fuerint, succi amari, sicut Persici absinthii, porri, infundantur. Similiter oleum amarum ex amygdalis amaris, auri patienti instilletur, talibus enim vermes occiduntur & putrefacti cum sanie educuntur, si autem lapillus intrauit caute extrahatur, quod si fieri non potest, auris calidis inungatur, & sternutatio prouocetur, vel cum ventosa sugatur & extrahatur. Ad surditatem remouendam vel saltem releuandam, valent multa, *quæ dicit Constantinus*, sed inter omnia balsamum instillatum auribus dicitur præualere. Surditas tamen si fuerit à natiuitate incurabilis est. Similiter quæ per triennium durauerit vix curatur. Tinnitus qui ex ventositate causatur, cum extenuatiuis ventositatis curetur, sicut cum anetho, calamento, colato, origano & consimilibus, quorum suffumigatione tinnitus soluitur. Et hęc de passionibus aurium & earum remediis dicta sufficiant.

Cap. XXI.

De Polypo.

Polypus est superflua caro ex naribus excrescens, ex superfluis humoribus generata. Hanc passionem fœtor horribilis semper concomitatur, & tamen fœtor à polyposo non sentitur. Propter opilationem enim nerui odorabilis, talis inter odoris & fœtoris differentias non discernit. Habet autem fieri tam fœtor narium quam polypus in hunc modum, humores grossi & viscosi fluunt ad carunculas narium & ibidem diuturnitate temporis & actione caloris condensantur, & quasi in substantiam carneam conuertuntur, quæ corrupta, cum sit inde fumositas resoluta & aeri immixta, inspirando & respirando fœtorem facit, & infirmitas talis polypus dicitur, quandoque etiam ad nares descendit humiditas, & etiam combibit spongiosa narium porositas, & ibi putrescens corruptionem generat & fœtorem, quandoque etiam calidi humores acumine suo pustulas in naribus generant, quæ locum vlcerant & excoriant. Vnde tam ex corruptione carnis & humoris, quam ex coarctatione inspirationum, cum non possit cerebrum depurari, fœtor necessario generatur. Primum igitur remedium contra hanc passionem est, vt caput

put

put forti & conuenienti medicina purgetur, & post fluxus intercipiatur, deinde patiens aquam calidam naribus attrahat atque sugat, vt humores inuiscati dissoluantur & educantur. Ad nares purgandas valent pilulæ diacastoreæ cum succo rutæ & vino tepido resolutæ, si naribus sint iniectæ. Ad restringendum fluxum mirabiliter valent grana thuris albi, si sæpius assumantur. Si vero fuerit polypus confirmatus præcedentibus purgationibus & de opilantibus pulueribus & medicinis corrosiuis amoueatur vel per incisionem, *sicut in chirurgia plenius edocetur.*

CAP. XXII.

De Paßione narium.

PAtiuntur etiam nares sæpius fluxum sanguinis, & hoc fit in masculis tribus de causis tantum. Fit enim fluxus à cerebro, & tunc fit cum sternutatione & cum dolore frontis & punctione: vel ab epate, & tunc dolor sentitur in dextro latere & fluit per dextram narem, vel à splene, & tunc à sinistro latere erit dolor, & fluit per sinistram partem. Præter hoc etiam in mulieribus fit à matrice, & tunc dolor est circa vmbilicum. Hic fluxus, quandoque est vtilis. Quandoque enim in febribus etiam acutis & in phrenesi in die critico solet fieri, motu naturæ, & tunc solet bonus esse: nam bonus est, quando ante diem criticum fit ex nimia sanguinis interioris ebullitione & feruore, vnde acumine suo venas aperit & fluxum facit. His & multis aliis de causis fluit sanguis, siue autem fuerit fluxus criticus siue symptomaticus, non in principio restringatur fluxus, ne crisis impediatur, vel ne sanguis ad alias partes vertatur, & symptoma peius faciat, vt suffocationem & huiusmodi. Si autem nimis augeretur fluxus, si patiens esset foris, esset in parte patienti minuendus, extremitates sunt ligandæ & fortius constringendæ, medicinæ restrictiuæ sunt temporibus & fronti adhibendæ, aqua cum aceto in facie perfundenda. Si ab epate fiat fluxus, ponatur ventosa super epatis regionem. Si a splene super splenem. Si a matrice super matricem vel mamillas.

CAP.

Cap. XXIII.

De Fœtore oris.

FOetor oris quandoq; causatur ex dentium & gingiuarum corruptione: quandoq; ex oris & palati vlceratione & putredine: quandoq; ex thoracis mala habitudine, & membrorũ spiritualium vitiosa dispositione: quandoq; ex putrefactione humorum stomachi: quandoque ex vniuersali corporis infectione, vt in leprosis, quorum anhelitus est fœtidus & infectiuus: quandoque ex fœtidorum comestione, vt patet in illis, qui continue comedunt allium, cæpas atque porrum: quandoque autem fit ex corruptione membrorum spiritualium & vniuersali corruptione humorum infectorum. Palliari quidem potest, sed non curari, talis autem fœtor est continuus, interpolationem non accipiens. Ille autem qui est ex vitio stomachi interpolatur, quia ante prandium est maior, & post prandium est paruus vel nullus, & hic bene curatur cum extersiuis aromaticis & confortatiuis. Primo igitur materia, quæ est in stomacho, quæ fœtoris est causa digeratur, diuidatur & expellatur, post comestionem sępius vomitus prouocetur, vt villi stomachi mundificentur, à putridis cibariis & ad putrefactionem dispositis caueatur, vino aromatico & aromaticis ad confortationem vtatur. Si causatur fœtor ab aliis, vt gingiuis & dentibus putridis, dentes extrahantur, qui sunt in causa, vel sanentur, gingiuæ fricentur & mundificentur cum decoctione rosarum in vino vel aceto tepido abluantur, cum puluere thuris & masticis & melle gingiuæ & radices dentium fricentur & mundificentur.

Cap. XXIIII.

De Dolore dentium.

DOlor dentium quandoque fit vitio stomachi, quandoque vitio cerebri. Ex vitio cerebri, quandoque humores frigidi & calidi rheumatizantes neruos dentium inficiunt & dolorẽ inferunt. Vitio autem stomachi fit ex humoribus calidis in ipso existentibus, à quibus fumositas resoluta, superiora petens, neruos dentium & radices mordendo vel aggrauando dolorem infert dentibus ac fœtorem.

rem. Si ex acutis & calidis est humoribus, dolor est acutus & pungitiuus, cum rubore faciei, cum asperitate & siccitate gutturis, cum siti & amaritudine oris. Si ex frigidis, dolor est minor cum grauamine capitis, cum subtumiditate & pallore, cum acetosa eructatione & oris insipiditate. Dolor autem veniens ex cerebro diu durat sine aliqua interpolatione, quia aliquando decem horis vel plus, qui vero procedit ex stomacho 4. vel 3. affligit horis & post quiescit. Causæ ergo doloris dentium, *vt dicit Constantinus*, sunt putredines & fœtores, rupturæ & perforationes, motiones & casus & limositates. Perforantur enim dentes & quandoque rumpuntur. Aliquando in colorem citrinum, viridem vel nigrum mutantur, quæ omnia ex humiditate putrida nascuntur, quæ à stomacho ad ligamenta dentium defluit & ascendit. Eadem & causa est relaxationis & motus dentium atque casus. Nam acuti humores in radicibus dentium dentes perforant & cōsumunt sæpius & relaxant. Vnde causa sunt, quare (cum radices deficiunt aut putrescunt) vermes in dentibus maxillarum fiunt ex humoribus & eorum concauitatibus putrefactis, & cognoscitur ex pruritu, & titillatione, & continua terebratione, & dentis perforatione, & fœtoris emissione, & multis aliis modis, *quare supra lib. 5. in tractatu de dentibus*. Istæ dentium dolorosæ passiones si sunt ex vitio humorum in cerebro vel in stomacho, debita purgatione purgentur, sæpius dentes debitis dentifriciis mundentur, de quibus omnibus sufficienter tractat *Constantin.* Vermes dentium myrrha & opio interficiuntur, dentes relaxati thure & mastice confirmantur, & hoc idem facit gargarismus de gallis & malo granati cortice & balaustie cum aceto præparatus.

CAP. XXV.

De Lingua & sermonis ablatione.

Lingua etiam multipliciter patitur, aliquando enim paralyticatur, & tunc perdit voluntarium motum & sermonis vsum, *vt dicit Const.*

Cuius causa est defectus motiuæ virtutis, quæ excitat per ipsum venientem à cerebro, vel accidit ex neruo animalis virtutis, vehiculo humore vel apostemate opilato.

Vel

Vel accidit ex proprio substantiæ linguę vitio, scilic. ex mala complexione linguæ, & distemperantia infrigidante, vel calore & siccitate, vel humore. Aliquando etiam lingua apostematur, & tunc intumescit, & sermo impeditur. Aliquando ex humore liquido relaxatur & remollitur neruus linguæ, & nimis mollis efficitur, & tunc debitus sermo per nimis remollitam linguam non formatur. Aliquando ex humore nimis calido & sicco contrahitur & corrugatur, & tunc totaliter sermo impeditur. Aliquando grauibus vlceribus & pustulis læditur, & tunc tam in gustando quam in loquendo impeditur. Si ergo linguæ substantia sit sana nullas habens maculas, loquela tamen sit ablata à cerebro surgit vitium, vel à neruo opilato. Aliquando perditur loquela ex perdita mente vt in phrenesi, vbi homo non vtitur imaginatione, memoria & ratione, & ideo non mirum si perit loquela, quæ est instrumentum rationis, *quære supra lib. 5. de lingua sana & infirma.*

CAP. XXVI.

De Raucedine.

RAucedo multis habet fieri de causis, quia ex siccitate vel humiditate & spirituum & virtutũ defectibilitate. Ex siccitate dupliciter: Aut enim siccitas inæqualitatem facit, aut constringit meatus. Dum enim ex siccitate exasperatur arteria, ex asperitate sequitur inæqualitas, & ex inæqualitate raucedo & vocis impedimentum. Item ex siccitate fistulas & pulmonem coarctante, sequitur vtrumque prædictorum. Ex humiditate similiter duobus modis, aut ex humiditate contenta in vasis & maxime in sanguine, aut ex phlegmate à superioribus distillante, sanguis enim superabundans venas distendit. Vnde & meatus coarctantur, & consequitur vocis impedimentum. Similiter phlegma distillans in tracheam arteriam, & fistulas pulmonis prædicta operatur, ex defectu etiam spiritus & virtutis impeditur vox, quod patet, quod eius fortitudo ex spiritu perficitur & virtute. Si ergo est ex siccitate, cognoscitur ex sicca tussi, quæ est offendiculum spiritus in trachea arteria, vel per compassionem est, quando est symptoma morbi: vel per compassionem, quando fit ex siccitate

tate exasperante, quæ est, ex frigiditate fistulas pulmonis coarctante & spiritum offendente. Vnde generatur tussis vel ex humiditate à cerebro distillante. Istis enim modis habet fieri tussis, quæ impedit ipsam vocem, vel cognoscitur raucedo ex punctura in spiritualibus, quasi ex spinis, facta ex gracilitate colli & totius corporis macilẽtia. Sanguinẽ vero in causa esse cognoscimus, ex tussi aliquantulum humectata, rubore faciei, venarum eminentia, dulcedine oris. Phlegma esse in causa cognoscimus, ex tussi aliquantulum humectata, ex oris insipiditate, & saliuarum abundantia. Defectum spirituum esse cognoscimus in causa ex debilitate, & ex tenuitate totius corporis, ex febre præcedente, vel ex ieiunio & fluxu, & omnibus quæ corpus extenuant. Si ergo hæc raucedo fit ex causa sicca & calida, abstineat à salsis calidis, & siccis frixis & assis, vtatur temperate frigidis, & etiam humidis mediocriter calidis. Si ex sanguine est passio fiat minutio, si ex phlegmate, dentur purgationes & opilatiuæ, quæ in frigida causa sunt necessariæ. Si vero est ex defectu spirituum, subueniendum est resumptiuis & confortatiuis, eadem autem est cura raucedinis & tussis. *Vide in Plat. & Constan.*

Cap. XXVII.

De squinantia & suffocatione gutturis.

Squinantia est gutturis suffocatio, & prouenit ex apostemate in gutture, cuius tres sunt species. In prima tota materia colligitur interius in quodam folliculo, inter tracheam arteriam & sophagum, & cognoscitur ex vehementi dolore, nullo tumore exterius apparente, aperto etiam ore tumor interius non apparet, ex febre acutissima, & ex impedimento vocis, & ex iudicio patientis: nihil enim possunt transglutire, & hæc species incurabilis est, interficit enim sæpius prima die. Secunda est species, quando in minori quantitate recolligitur intra & extra in maiori, & dicitur squinantia, & habet omnia signa quę prima, sed remissiora, & apparet aliquis tumor extra, & hæc species vix curatur. Tertia vero species est, quando tota materia colligitur extra, & dicitur sinantia, cuius signa sunt vehemens tumor extra, febris lenta, dolor modicus

ſine difficultate ſpirandi & reſpirandi, & hæc ſpecies non interficit niſi tumor ad interiora ſe retraxerit. Fit autem hæc paſſio principaliter ex ſanguine, ſecundario ex phlegmate & melancholia, nunquã ex cholera, & cognoſcuntur hæ cauſæ per ſua ſigna. Iſtius paſſionis prima cura eſt ſanguinis extractio in quantitate multa, incidantur etiam venæ ſub lingua, fiant ſcarificationes cum ventoſis in collo & in ſcapulis, deinde apponantur lenificatiua, maturatiua & mundificatiua. *Quære ſup. lib.5. de gutture.*

Cap. XXVIII.

De difficultate anhelandi, inſpirandi & reſpirandi.

DIfficultas inſpirandi & reſpirandi, vel vtrunque dicitur aſthma vel diſma. Et accidit duplici de cauſa, ſcil. ex ſiccitate coarctante; quia quando pulmo non poteſt libere dilatari & conſtringi, inde ſequitur aſthma, vel quandõ ex humore impeditur motus pulmonis, quandoque ei ſuperabundat humor exterius in ſuperficie pulmonis, cuius mole oppreſſus non poteſt libere dilatari. Et tunc eſt ſpecies aſtmatis, quæ dicitur ſanguiſugium à ſanguiſuga, quia cum violentia attrahit aerem ad cor refrigerandum. Aliquando abundat humor interius in fiſtulis pulmonis, cuius interpoſitione pulmo non poteſt libere conſtringi, & tunc dicitur anhelitus, quia in hac ſpecie laborat patiens in expirando. Aliquando autem abundat humor interius & exterius, propter quod non poteſt pulmo libere dilatari nec conſtringi, & tunc eſt illa ſpecies quæ dicitur orthonia, id eſt, ſpiritus rectitudinis, quia patiens laborat æqualiter in inſpirando & expirando, & ita ſunt tres ſpecies aſthmatis, ſecũdum tres humorum diſpoſitiones, ſi ex ſiccitate & caliditate, vnguentis, electuariis, ſyrupis frigidis & humidis curetur, & è conuerſo. *Vide Plat.*

Cap. XXIX.

De ſputo ſanioſo & ſanguinolento.

CIrca ſputum etiam accidunt paſſiones, vt patet in empicis, in quibus eſt ſputum ſanioſum & virulentum, & in emo-

in emoptoicis, in quibus est sanguinolentum. Empima enim dicitur passio, quando sanies exscreatur, & hoc contingit in causis rheumaticis & pleureticis & peripneumonicis, & in aliis apostematibus stomachi, pectoris vel pulmonis. Habet autem fieri hoc modo, quando humor à superioribus distillat in pulmonem, pulmo repercutitur, & ex repercussione conculcatur, & ex conculcatione sanies nascitur vel pulmo vlceratur, vel defluens humor ad aliquem locum ad apostema recolligitur, & ibi in saniē commutatur, quæ vi naturæ vel symptomatis resolutus per saniem siue saniosum sputum euacuatur, non tamen quilibet spuens saniem debet empicus iudicari. Pleuritici enim saniem spuunt & multi alii, & tamen non sunt empici. Sed illi, qui infectione pulmonis & eius saniosa habitudine sunt corrupti, quorum signa sunt ista, sputum saniosum, corporis macilentia, colli gracilitas, & tussis cum difficultate anhelandi, facies subtumida, tument & dolent orbes oculorum. Emoptoici sunt per os sanguinem expuentes, quod contingit per alicuius venæ apertionem, per humorum multitudinem & eorum fumositatem, per corrosionem venæ, per caloris excessum, calore enim poros aperiente, sanguis emittitur & exsudat, & dicitur mitti per diabrosim, id est, per resudationē, & tunc sanguis emissus est purus, clarus & paucus, absque dolore patientis, & anhelitus sentitur calidus. Ab aliis autem membris frequenter redundat ad os, sicut à cerebro, & tunc est cum rubore faciei & venarum oculorum. Quandoque à pulmone, & tūc est sanguis spumosus cum tussi, & dolore sinistræ mamillæ. Et sic de aliis membris, in quib. sanguis cholericus vi naturæ & symptomatis motus nunc per nares, nunc per os emittitur & purgatur. Prima itaque passio, scil. sputum saniosum, sanetur dissolutiuis, mundificatiuis & extersiuis, & caueatur ne in phthisim conuertatur. Longum enim empima post pleuresim infra quadraginta dies in phthisim commutatur, *Vt dicit Hippocra.* Secunda vero passio, scilicet emoptoicorum sanetur mundificatiuis & constrictiuis medicinis, *sicut in Viat. continetur & in Plato.*

Cap. XXX.

De Phthisi.

PHthisis est consumptio naturalis humoris corporis ex vlcere pulmonis proueniens. Fit aliquando ex rheumate à capite distillante in pulmonem, quem repercutit, & repercutiendo cauat, & cauando vlcerat, sicut gutta paulatim distillando petram cauat. Fit autem ex nimia substantiæ pulmonis siccitate, quæ arefacta, de facili laceratur: sicut pampinus vitis in fine autumni desiccatus leui vento dissipatur. Fit autem aliquando ex sanguine, quando aliqua vena rumpitur in pulmone. Sanguis talis aliquando in saniem conuertitur, & sanies inficit & vlcerat pulmonem. Vnde Hippocr. *ex sanguine & sputo phthisis & fluxus, &c.* ex vlceratione pulmonis sic consumitur totum corpus. Primo enim per sui dilatationem ab exterioribus trahit aerem, quem ministrat cordi ad sui innati caloris mitigationem, qui dum vlceratur, propter sensum propriè læsionis cohibet motum suum, nec secundum debitum dilatatur, vnde insufficientem aerem cordi administrat, quare paulatim calor intenditur & paulatim corpus consumitur. Febris enim hectica concomitatur phthisim, quæ substantialem consumit corporis humiditatem. Omnis n. phthisicus hecticus est, sed non conuertitur. Talis enim passio non de facili curatur ex quo inualescit, & assignat *Constantin.* rationem: *Omne, inquit, vulnus difficile sanatur, nisi mundetur.* Vlcus autem pulmonis purgari non potest, nisi cum tussi. Tussis autem vulnus consolidari nō permittit, dilatat enim & aperit. Vnde & putredines maiores in se recolligit. Dum partim colligit, partim purgat, insanabile redditur apostema dum ita circinat. Qui ergo phthisim vult sanare: Primo vulnus pulmonis sanet priusquam putrescat. Istius autem phthisis cōfirmatę sunt signa, calor continuus, sed lentus, in volis manuum & pedum acutior, rubor in maxillis, strictura inflata, sitis cum asperitate linguæ, colli gracilitas, totius corporis consumptio, vnguium & extremitatum constrictio, concauitas secundum orbes oculorum, dolor sinistræ spatulæ vsq; ad humerum fluxus capillorum, & hoc signum est mortis in proximo imminentis. sicut sputum fœtidum & virulentum.

rulentum. Et anhelitus plus fœtidus consueto, signat totalem substantiæ pulmonis corruptelam. Talis est nutriendus diæta, quæ refrigerat & solidat ac restaurat. Detur igitur mediocriter frigida, caloris febrilis mitigatiua, mediocriter ventris mollificatiua. Præcipue tamen cauendum est, ne nimis soluatur, quia si fluxus accidit, mors intrat, vita recedit, *Vt dicit Aegid.* Valent eis humectantia & humoris consumpti restauratiua.

Cap. XXXI.

De Tremore cordis siue cardiaca paßione.

TRemor siue cardiaca est passio cordis: sic dicta, quia ex defectu cordis oritur sæpe. Duplex est autem cardiaca, scilic. diaforetica, id est, pororum apertiua, quia pororum apertionem concomitatur. Alia dicitur tremens, quia cum quodam tremore sentitur motus cordis. Diaforetica est ex causa calida, & caloris distemperantia circa spiritualia, vnde & pori aperiuntur, humores & fumi resoluuntur, qui fumus exiens per poros, in sudorem condensatur, & ex tali frequenti sudore hydropisis vel hectica generatur. Et tales ex defectu virtutis sæpius syncopizant. Cardiaca vero tremens fit, quandoque ex frigida causa, quandoque ex melancholia, quandoque ex phlegmatica. Nam talis humor abundans cum pulmone, opprimit aliquoties cordis vtramque capsulam, ipsamque cordis substantiam. Vnde impeditur debitus motus cordis, & obturantur venæ, per quas discurrit spiritus vitalis, & tales prorumpunt in subitam suffocationem, & ideo talis passio dicitur tremēs, quia si teneas manum super cor, non senties cor debito modo dilatari, sed cum quodam tremore parum, & exiliter tantum moueri. Aliquando est cum febre lenti, aliquando cum febre forti, & tunc maius est periculum. Aliquando sine febre, aliquando melancholia est in causa, & tales incidunt in passionem, quæ dicitur incubus vel phialtes. Aliquando accidit ex vicio epatis, à quo non mandatur sufficiens nutrimentum cordi, vnde deficit & debilitatur, *Vt dicit Constantinus.* Aliquando accidit ex mala dispositione aliorum membrorum, ex quorum colligantia cor patitur. Sicut quando à cerebro vel stomacho

transmittitur fumus vel humor nociuus, vnde substantia cordis læditur, deficit vel grauatur, & ideo talibus accidit tremor cordis ex acumine fumi vel materiæ, quæ pungit & mordicat cordis substantiam, vnde fit in eo tremor. Accidit & sitis propter cordis compressionem, & caloris intensionem, vnde siccitas, & sitis, suspirium & altus anhelitus, quia cor laborat ad aerem attrahendum, cum non valeat se dilatare. Accidit & tremor ex fumo melancholico, ex siccitate spiritum perturbante. Accidit & pinguedo, quia deficit calor naturalis, & inde torpor & pigritia generatur. Ex defectu etiam cordis & debilitate spirituum accidit syncopis, quæ à vulgo spasmatio vocatur. Et hoc contingit aliquando ex accidentibus animæ, vt ex timore cor nimis constringēte, aliquando ex nimio gaudio vel ira cor dilatante, & spiritus exhalante, vel euaporante & soluente. Aliquando accidit ex accidentibus corporis, sicut ex mala complexione vel repletione, vel nimia inanitione, ex venarum opilatione, & spirituum compressione, aliquando ex nimio sudore. Ex hac autem syncopi quidam incurrunt mortem subitaneam, opilata vena concaua, per quam sanguis & spiritus vitalis ad cor transfertur, vel etiam opilato meatu, per quem pulmo frigidum aerē solet recipere, & à se fumositatem superfluam remouere, quandoque ex matricis vel stomachi nimis repleti compressione. In omnibus istis ergo periculis si humor est in causa, purgetur debito modo humor peccans. Dentur confortatiua, & spirituum reparatiua & resumptiua. Si est ex nimio fluxu vel nimio sudore, fluxus intercipiatur, sudor reprimatur. Si ex nimia repletione stomachus euacuetur, contra tremorē cordis confortatiua confortanti, sicut diamargariton & electuaria, ac medicinæ, in quibus cum aliis confortatiuis imponuntur muscus, aurum aut margaritæ siue perlæ, siue pul. ossis de corde cerui, ambra, lignum aloes, spodium. Hæc enim omnia valent contra cardiacam & syncopim, & alias consimiles cordis passiones maxime, quando accidit sine febre. In febribus autem calida non sunt danda.

CAP.

ſopitus excitatur per ſuum oppoſitum, & fugiens contrarium, exit ad membra exteriora, ſicut quando proiicitur aqua frigida ſuper calcem viuam non extinctam. Tertia ſpecies, *vt dicit Iſaac*, patet per ſenſum, nam facies mutatur in liuidum colorem propter ſubtilem humiditatẽ deſiccatam, & virtutis defectum, nares ſunt ſubtiles & acutæ, & oculi concaui, tempora aſpera, quia conſumpto humore, apparet aſperitas oſſium & compago, motus palpebrarum & ſuperciliorum fit grauis propter oculorum ſiccitatem. Vnde ſine voluntate claudunt oculos, quaſi grauati à ſomno, propter virtutis defectum, tactu ſentiuntur frigidi & ſicci, ſed per moram ſemper aſcendit calor maior, detecti non videntur habere viſcera, & tactus eorum quaſi tabulæ, ſi cutis eleuetur, non deſcendit inferius propter defectum humiditatis, pulſus debilis & ſpiſſus & durus. Vrina ſimilis eſt oleo in liquore, & fuſa ſupra petram ſonat ſicut oleum. Hæc infirmitas quo ad primam ſpeciem cito curatur, ne cadat in ſecundam, quæ difficulter curari poteſt. Curatur autem per diœtam mediocriter temperatam & per medicinas caloris repreſſiuas & confortatiuas & humoris perditi reſtauratiuas, & ad hoc præcipue valet electuarium patris, balneari autẽ ſolet cum roſis, violis maluis & aliis confortatiuis herbis & humectatiuis. Balneum autem non debet eſſe nimis calidum, ſed quaſi tepidum, ne nimia humorum conſumptio conſequatur, & non fiat in balneo longa mora. Inungi etiam ſolet vnguentis reſumptiuis, infrigidatiuis & humectatiuis, ſicut oleo violaceo cum melle albo, & lacte mulieris maſculum nutrientis. Specialiter *dicit Plato*, quod valet hecticis & phthiſicis lac caprinum, in quo lapides fluuiales ſunt extincti, ſi ieiuno ſtomacho & inanito patientibus tribuatur.

Cap. XXXV.

De Febre putrida

FEbris putrida ex putridis humoribus, ex quibus gignitur, putrida eſt vocata. *Dicit autem Iſaac* quod iſta putredo ſic habet fieri: malis humoribus & ſuperfluis in aliqua parte corporis coadunatis, ex calore extraneo & innaturali, quocunque caſu ſuperueniente quædam fit humo-

rum

rum perturbatio. Mouentur enim humores per illum calorem & ebulliunt, sed tamen non digeruntur, neq; facta digestione inter partes laudabiles & non laudabiles mundificãtur, sed potius facta ebullitione pariter commiscentur, & ideo necessario partes corrumpuntur. Cum igitur materia grossa & viscosa in corpore coadunata moueatur à calore, necesse est vt resoluatur in vaporem, qui vapor intrat humidum grossum manens in se occultatur, & non libere exhalans & exiens, propter grossitiem materiæ sibi resistentis corrumpitur & putrescit. Huic autem putrefactioni maxime est disposita complexio iuuenum & calida & humida, quando excessus est in humiditate & calore, complexio frigida & sicca non sic ad putredinem est parata, & ideo grandæui raro febres putridas patiuntur, quia siccitas complexionis desiccat humorem, & coadunat, & digestioni materiæ ac dilatationi obuiat & repugnat, quæ sunt dispositiones mediæ ad putrefactionem. Frigiditas etiam congelat & resistit calori facienti ebullitionem. Palam igitur est intelligere quoniam causæ facientes putrefactionem, sunt humiditas disponens, & caliditas humores mouens & ebullitionem faciens in humoribus, quorum feces *vt dicit Isaac* non diuiduntur, nec mundificantur, imo mutuo permiscentur, & ideo ad putredinem necessario disponuntur. Huic autem putrefactioni cooperatur maxime pororum corporis clausio & cõstrictio, quia constrictis poris, non potest fieri superfluitatis resolutio, neq; euaporatio, & ideo est necesse, quod maior fiat humorum per calorem commotio & corruptio, præsertim cum talis calor sit innaturalis & non sit naturæ regitiuus, sed potius corruptiuus. His autem causis putrefactionis cooperantur etiam quædam extrinseca, vt inordinatio diœtæ, exercitii, & etiam medicinæ & consimilia, quæ omnia interiori corruptioni vel putredini cooperantur, quando modo indebito, & in tempore incongruo corpori extrinsecus adhibentur. Ex humiditate igitur in aliqua parte corporis sic putrefacta, resoluitur fumus calidus & corruptus, qui cor petit, ipsum distemperat atque lædit, ac deinde per venas & arterias se diffundens febrem putridam corpori introducit, *vt dicit Isaac & Constantinus*, materia igitur sic putrefacta, quæ putridæ febris est causa, aut continetur in ali-

qua

qua cōcauitate corporis, ſicut in ſtomacho & in epate, vel alias, & tunc eſt cauſa febris, quæ dicitur interpolata: aut continetur intra vaſa, ſcilicet in venis & arteriis, & tunc eſt cauſa febris quæ eſt continua. Cauſa autem continuitatis febris putribilis, eſt corruptio humoris & coarctatio vaporis inflammantis in arteriis & in venis. Et ſic patet cauſa & ratio omnium febrium putridarum in generali, ſiue ſint continuæ, ſiue ſint diſcontinuę & interpolatæ.

Cap. XXXVI.

De Signis putridæ febris.

ISTarum autem febrium putredinalium quædam ſignificationes generales ſunt. Prima eſt, quia materia talis febris diu permanet in corpore, ſed ſuperueniente cauſa extranea calefit & putreſcit in effectu. Secunda ſignificatio eſt quod talem febrem præcedit rigor vel frigus, maxime ſi materia fuerit intra vaſa & vicina ſenſibilibus membris, quia ex materia frigida reſoluuntur quidam fumi, qui lædunt neruos ſenſibiles, ex quibus rigor vel frigus generatur. Tertia ſignificatio eſt, quod talis febris habet interpolationem veram in interpolatis, vel inclinationem manifeſtam quemadmodum in continuis. Quarta eſt, quia talis febris maximam generat anguſtiam propter multitudinem & groſſitudinem fumi de materia putrida generati, propter quam fit ordinatio caloris & virtutis ad interiora, donec natura expediat ſe à fumo illo. Et hoc tempus diuerſificatur ſecundum diuerſitatem materiæ in ſubtilitate & groſſitie, quia ſi materia fuerit ſubtilis & virtus fortis, cum velocitate diſſoluitur & ſpargitur per corpus, & redit virtus ad membra ſicut prius. Si vero materia fuerit groſſa & virtus debilis, erit è conuerſo. Quinta ſignificatio eſt in ſtatu febris quia tunc occurrūt accidentia ſignantia complexionem putredinis, ſicut dolor capitis, malitia anhelitus, ſitis, & ſimilia. Sexta eſt quando corpora non plene mundificantur apud quietem febris, ſed remanent adhuc in corpore malæ qualitates, propter quas remanet debilitas in corpore & etiam redeunt ipſæ febres & acceſſiones. Septima eſt quod non remanet in vniformitate, quemadmodum & cæteræ febres apud ſolutionem, ſed quieſcit omnino

mnino interpositis dieb. & declinat, sicut in continuis inter paroxismos. Sunt & multæ aliæ significationes, quæ in febribus particularibus denotantur.

Cap. XXXVII.

De Febre quotidiana.

DE febribus autem interpolatis quædam proueniunt ex humore simplici putrefacto extra vasa, vt ex phlegmate naturali, vera quotidiana ex cholera rubea, tertiana ex cholera nigra quartana: quædam ex humore composito generatur, vt quotidiana, aliqua est ex phlegmate acetoso, aliqua ex vitreo, aliqua ex dulci, aliqua ex salso. Et istæ febrium diuersitates per propria signa dignoscuntur. In istis autem febribus communiter accidit dolor capitis, insipiditas oris, grauitas corporis, frigus præcedens, calor subsequens singulis diebus accessio renouatur, & quod peius est aliquoties duplicatur. Huius febris materia, congrua medicina digeratur, diuidatur & expellatur. Diœta congrua regatur. Præcaueat etiam medicus ne in quartanam vel hecticam terminetur.

Cap. XXXVIII.

De Febre tertiana & eius signis & cura.

TErtiana febris fit ex cholera putrefacta extra vasa, & non collecta ad apostema. Fit autem tertiana alia ex cholera naturali: alia ex innaturali: vt ex cholera citrina vel vitellina. Tertianæ ex cholera naturali factæ, hæc sunt signa: de tertia die in tertiam affligit, & potissime circa horam tertiam, primo rigore, deinde calore, dolore frontis, amaritudine oris, siti, tinnitu aurium, instātia vigiliarum, vrina rubea, subtilis & tenuis, 24. horas aut plus potest habere in labore, & alias 24. in quiete. Secundum variam vero materiæ dispositionem variantur & signa. Nam si materia fuerit in ore stomachi, dolor frontis est maior, similiter & sitis cum asperitate sicci gutturis & oris, adest voluntas vomendi, vrina est nimis colorata. Si fuerit in intestinis prædicta signa, non sunt ita intensa, sed dolor est circa vmbilicum, & vrina est magis intensa. Si vero fuerit in epate vel in cista fellis, coloratior erit vrina cum spuma crocea.

Si au-

Si autem fuerit febris ex cholera citrina vel vitellina, variantur in parte signa, quia affligit primo rigore, deinde lento calore, inter horã choleræ & phlegmatis mouetur, vrina est citrina, mediocriter tenuis, plus tamen accedens ad tenuitatem, horis incertis mouetur, quia modo anticipat, modo suboccupat. Adsunt & prædicta signa, sci. dolor frontis, &c. sed sunt priorib. remissiora. Hæc febris sicut & quotidiana, aliquando est simplex: aliquando composita. Simplex est quæ fit ex vna materia in vno tantum loco putrefacta. Composita vero siue duplex quæ fit ex diuersis causis, in diuersis locis putrefactis, sicut continua fit dupliciter quando phlegma diuersum in diuersis locis est putrefactum. Signum autem talis tertianæ est, quod omni die affligit primo rigore, deinde calore. Sed de tertio in tertium grauius & in diuersis horis. Vrina mediocris est in substantia subrubea vel rufa, superius aliquantulum obumbrata. Causa itaque simplicis tertianæ cognita, diœta primitus ordinetur, secundum ætatem, secundum temporis & naturæ qualitatem. Deinde medicina debita subsequatur. Primo materia cum syrupo acetoso digeratur, digesta cum oximelle laxatiuo purgetur cum alia congrua medicina. Si materia fuerit in ore stomachi, vomitus prouocetur, digesta tamen prius materia, quia digesta oportet medicari & mouere, non cruda, *Vt dicitur in aphorism.* Materiæ vero digestio cognoscitur per anticipationem, accessionis, & per remissionem rigoris vel frigoris, & caloris augmentationem, per maiorem afflixionis prolixitatem, per vrinæ inspissationem, quando ergo apparent talia signa digestionis purgetur materia ipsius febris, siue sit composita siue simplex, Ista tamẽ semper adhibeatur consideratio & cautela, vt si fuerit materia simplex medicina sit simplex, & vbi duplex materia & ipsa medicina duplex fiat.

Cap. XXXIX.

De quartana & eius signis & remediis.

QVartana fit ex melancholia putrefacta extra vasa & non collecta ad apostema. Fit autem ista febris aliquando ex melancholia naturali: aliquando ex non naturali. Quartanæ ex melancholia naturali factæ hæc sunt

signa

signa: de quarto die in quartum affligit, horripilatione primo: deinde calore lento, 24. horas habet in summo labore, & 48. in quiete. In horis melancholiæ affligit, scilicet à nona inferius & seruat certa tempora accessionis. Vrina post accessionem citrina vel subcitrina, in diebus interpolatis quasi cruda, pallida scilicet vel subalbida & tenuis apparet. Si in stomacho materia fuerit, adest oris acetositas cum scotomia & vertigine, & aliis signis pessimis & inordinatis, quia adest tristitia, timor, anxietas, & aliæ animæ grauissimæ passiones. Ex parte corporis grauitas, pigritia, indigestio, inflatio, laterum ponderositas, crurium & coxarum, vigiliarum inquietudo, timor in somnis, liuiditas in vnguibus & labiis, maxime in tempore accessionis. Dolor etiam accidit lumborũ & sinistri hypochondrii cum tumore splenis, appetitus fortitudo, quia ex melancholico humore graui & ponderoso cibus deprimitur ad fundum stomachi. Vnde ore stomachi remanente vacuo, desiderium excitatur. Aliæ species quartanæ quæ accidunt cum admixtione alterius humoris, hæ dicuntur notæ, & in illis mutantur signa secundum qualitates humorũ, quæ cum humore melancholico commiscentur, sed illarum febrium differentias non est præsentis negocii declarare. Cognita igitur quartanæ causa & propria differentia à principio dentur fortia digestiua, quia spissa est materia & compacta. Et ideo dentur ea quæ materiam digerunt & mundificant, sicut oximel simplex & squilliticum, & huiusmodi materia digesta purgetur cum sibi appropriata medicina, cum calidis & apertiuis herbis ac mundificatiuis, balneentur & subfumigentur, caueant à cibis melancholicis & nociuis, vtatur electuariis & pluribus calidis confortatiuis, humoris melancholici consumptiuis & alteratiuis & lætificatiuis, sicut est dyasene, dyaborago, lætitia Galeni, & huiusmodi cum calidis vnguentis & confortatiuis inungatur.

CAP. XL.

De Febre continua, simplici & composita.

FEbris continua prouenit ex humore putrefacto inter venas, cuius fumus petens cor ipsum lædit, & febrem,

quæ

quæ dicitur continua, corpori introducit. Hic humor aliquando est simplex, aliquādo compositus. Simplex quando putrescit sanguis in vasis & continuam inducit, quæ synochus dicitur. Quando vero non putrescit, sed quantitate superabundans conculcatur, fumositates vero conculcatę calefiunt & distemperantur, q̄ distēperatæ spiritum vitalem distēperāt, & sequitur febris quę dicitur synoca inflatiua. Quandoque etiam cholera putrescit in subtilissimis venis oris, stomachi, cordis, epatis, & pulmonis, quæ dicitur causon, quia membra spiritualia vrit & incendit, quandoque etiam in aliis venis putrescit, & dicitur tertiana & continua: quandoque etiam cholera & sanguis similiter putrefiunt in vasis, & siquidem maior pars sanguinis putrefiat, fit febris synochides. Si vero maior pars choleræ putrescat, dicitur causonides, pro varietate autem causarum variantur & signa. Synochi itaque hæc sunt signa febris continua, dolor frontis & temporum acutissimus, sitis vehemens, oris dulcedo, vrina rubea & spissa, & quodammodo liuens. Eadem fere sunt signa in synocha inflatiua, excepto liuore vrinæ, apparet etiam oculorum eminentia cum venarum plenitudine, & rubore faciei, & totius corporis grauitate. In causon vero & aliis apparet vrina rubicunda, subtilis & tenuis, quadam nigredine obumbrata, dolor frontis & temporum tantus, quod oculi & tempora videntur clauis perforari, color in corpore mixtus cum citrino, sitis indeficiens, vigiliarum instantia, linguæ asperitas, exustio cum constipatione ventris, si peccauerit cholera in qualitate, si vero in quantitate, accidit ventris fluxus, & vomitus cholericus. Eadem signa apparent in causonide & in synochide, & tamen differentia illarum discernitur potissime per vrinam. In his febribus continuis ex sanguine generatis, debet fieri sanguinis subtractio, ex vtroque brachio viribus permittentibus & ætate, diæta talium debet esse tenuis & frigida, sicut mica panis in aqua lota, pruna cocta, & huiusmodi. Medicina debet esse sanguinis repressiua & alteratiua, vt syrupus acetosus, violaceus & huiusmodi. Contra symptomata, scil. contra vigilias & dolorem frontis & huiusmodi maxime insistendum est. Istæ infirmitates quandoq; sudore, quandoq; fluxu sanguinis per nares vel aliunde salubriter terminantur.

Cap. XLI.

De Phlegmate.

PHlegma quandoque putrescit in vasis, & facit quotidianam continuam. Cuius signa sunt calor continuus, sed in nocte maior, & sine aliquo typo grauedo capitis, oris insipiditas, vrina parum colorata & spissa, horas habet 18. in summo labore, & 6. in falsa quiete. Aliquando etiam melancholia putrescit in vasis, & facit quartanam continuam. Cuius signa sunt calor continuus, sed de quarto in quartum diem semper maior, & sic sine typo grauedo capitis, calor lętus non multum intensus, & istæ duæ vltimę febres, non discernuntur de facili per vrinam, quandoque etiam putrescit phlegma extra & cholera intra, & tunc febris inde generata dicitur minor hemitritæus. Cuius signa sunt eadem, quæ & continue quotidianæ & tunc in sero illis adest frigus, & maxime frigescunt tunc extrema, adest grauedo capitis, palpebrarum oppressio, falso somno opprimitur, 18. horas habet in summo labore, & 6. in non summo, sed illud non summum, summus est gradus summæ quotidianæ continue. Quandoque putrescit phlegma intra, & cholera extra, & fit medius hemitritæus. Cuius signa sunt calor continuus, sed de tertio in tertiū grauius intenditur, & fit cum rigore præcedente, cum dolore capitis & siti 36. horas habet in summo labore, 12. in falsa quiete, vrina rubea mediocriter tenuis, vel spissa vel liuida. Aliquando putrescit melancholia extra, & cholera intra, & fit maior hemitritæus, in quo est maior calor, & omnia symptomata peiora, quam in prioribus, vrina aliquando est viridis, aliquando nigra, aliquando liuida & discolorata, quæ omnia sunt signa mortificationis, 12. horas habet in summo labore, & 12. in non summo. Istarum febrium compositarum species & differentias vix peritus medicus potest discernere, quia *vt dicit Hippocrat. in apho.* Acutorum morborum non semper sunt pronunciationes certæ, neque sanitatis neque mortis, *vt dicit Galen.* quia in talibus morbis aliquando perfectus medicus errat, propter velocitatem motus materiæ morbi, & etiam propter defectum vel virtutem patientis quam ignorat, & ideo hic finem de istis febribus imponemus, quæ enim hic posui-

mus

mus *ab Isaac. à Constnnt. ab Anicen. ab Alexan.* certissime tradita reperimus, & etiam *à Galen.* Hoc autem non lateat quod minor hemitritæus curatur cum difficultate, medius vero vix, tamen aliquando, sed maior nunquam nisi diuina manu, *vt testatur Galenus.*

Cap. XLII.

De Horripilatione.

HOrripilatio est quædam praua dispositio ex materia febrili in corpore surgens, accessiones febriles prænuncians & præcedens. Oritur autẽ ex frigido fumo, à frigida materia, phlegmatica vel melancholica resoluto, qui subito per membra corporis se diffundens, neruos & musculos tangit, & sua frigiditate cutem constringit. Vnde radices pilorum stringens, poros claudit, & ipsos pilos rectos & rigidos, fumus frigidus facit. Vnde horripilatio *secundum Isid.* horrida dicitur pilorum erectio, quando cum quodam horrore alicuius timoris gratia pili capitis subito eleuantur. Timor enim subitus calorem ad interiora reuocat, & ideo corporis superficies à calore depauperata, exterius se contrahit & corrugat, & sic per consequens pili in superficie cutis inuoluntariæ eriguntur, eadem ergo est ratio & causa in febricitantibus horripilationis, & tremotis, frigoris, & rigoris, *vt dicit Constantinus.*

Cap. XLIII.

De Fastidio.

CIrca membra nutritiua diuersæ accidunt passiones, sicut circa stomachum fastidium, bolismus, vomitus, & huiusmodi. Fastidium est immutatio appetitus, *vt dicit Constantinus.* Est autem fastidium ciborum & potuum inuoluntaria abominatio, virtuti nutritiuę maximum inferens nocumentum. Vnde dicitur fastidium, quasi faciens tædium, *vt dicit Isidorus,* quia in illo inuenit homo fastidiosus tædium, in quo aliter recipit solatium & naturæ oblectamentum. Fit autem trib. modis, ex spirituum defectione, ex neruorum sensibilium opilatione, ex humorum calidorum vel frigidorum nimia repletione. Primum patet, quia cum spiritus sint instrumenta virtutum, vt eas

excitent ad suas peragendas operationes, ex earum defectu appetitiuæ virtutis operatio impeditur. Secundũ etiam patet, appetitus enim stomachi qui proprie dicitur desiderium, à duplici virtute perficitur, scilic. à naturali appetitiua, & ab influente sensitiua. Cum enim neruis sensibilibus opilatis spiritus animalis non posset descendere ad os stomachi, vt perficiat appetitum, nõ immerito altera causa principali deficiente, deficit appetitus. Tertium patet, quod cum ratione vacuitatis fiat appetitus, repletione facta ex humore, appetitus non immerito impeditur. Signa autem quando deficit appetitus propter defectum spirituum sunt ista totius corporis macilentia ex febre præcedente, ex ieiunio nimio, ex vigiliis & fluxu ventris. Neruorum opilationem cognoscimus ex hoc, quod patiens in assumptis nullam patitur delectationem, & tunc maximã patitur stomachus indigestionem, stomacho propter absentiam spirituum infrigidato, cibus etiam in transitu sentitur frigidus propter prædictam causam. Calidorum cognoscimus humorum abundantiam ex amaritudine oris, ex siccitate linguæ cum siti, & ex calidis fumositatibus palatum excoriantibus, adest etiam quandoq; vomitus croceus. Frigidos humores scimus esse in causa ex eructationibus acidis, vel insipidis, siue fœtidis ex indigestione & stomachi grauedine. Quando igitur defectus spirituum est in causa, operandum est contra illa propter quæ sunt spiritus in defectu, quia si ex febre agendum est contra febrem, si ex ieiunio & corporis consumptione perdita sunt cibis electuariis confortantibus reparanda, & sic de aromaticis rebus fiant salsamenta spiritus reparantia, & orificium stomachi confortantia, ex acetosis sci. & mẽta & huiusmodi aromatica sæpius naribus apponantur. Si fuerit opilatio in causa, valet, si nihil obstiterit quod patiens de mediana dextri brachii minuatur, dentur calida diuisiua, calida etiam confortatiua, vt dyaciminum & consimilia. Nisi nimia caliditas sit in causa, tunc enim syrupo acetoso est vtendum, & materia congrua medicina est euacuanda. Si humores frigidi sunt in causa, purgetur stomachus cum benedicta vel alia congrua medicina, & calidis confortetur, diuersa cibaria sunt offerenda etiam si aliquantulum fuerint nociua, si ea desiderauerit, vt sic in eis excitetur appetitus,

petitus,

petitus, iuxta illud Hippocr. Parum deterior cibus & potus, melioribus quidem, delectabilis vero magis est apponendus.

Cap. XLIIII.

De Bolismo.

Bolismus est immoderatus & quasi caninus appetitus. Habet autem fieri ex frigiditate oris stomachi, dominante & existente cum humore. Frigiditas igitur intensa assumpta cibaria vi expressionis trudit ad inferiora, & sic stomachus inanitus ratione vacuitatis appetit. Stomachus autem ex multis causis infrigidatur, sicut ex nimis frigida diæta, & huiusmodi, *dicit Gal.* quod bolismus nascitur ex nimio calore membrorum, quorum venæ trahunt ab epate, epar vero per mesaraicas venas extrahit à stomacho, quo subito inanitur stomachus, & sequitur appetitus quasi caninus & immoderatus, dignoscitur per intēsionem vrinæ, & quia cito aduenit, nec tamen per eum virtus deficit, istis conuenit frigida medicina & grossa diæta. Bolismi autem hæc sunt signa, scilic. quod homo plus debito appetit, & plus solito comedit, & tamen ex assumptis nihil corpori addit, sed attenuatur potius & marcescit, adest frequenter fluxus ventris. Accidit autem appetitum immutari, vt appetat quis nociua, vt carbones, terram, & sal & huiusmodi. Et habet fieri ex humore melancholico vel cholerico inficiente os stomachi, & quasi quandam lanuginem inducente. Vnde stomachus infectus ratione conformitatis appetit talia, vt in prægnantibus patet in hæmorrhoidarum & mēstruorum retentionem patientibus, in quibus fumus ab immundo sanguine resolutus, inficit neruos sensibiles stomachi, & immutat appetitum Contra bolismum ergo dentur calida, stomachum confortantia, dentur etiam cibaria vnctuosa & multa pinguedine addita, vt vnctuositas ori stomachi innatans fastidium generet & inducat. Et si humor frigidus ac phlegmaticus fuerit in causa, vt frequentius accidit, stomachus purgetur, tandem calidis electuariis interius, vnguentis calidis exterius confortetur. Consimli modo curetur inordinatus appetitus,

Cap. XLV.

De Singultu.

Singultus est sonus violentæ commotionis stomachi, ex spasmosa dispositione eius proueniens. Fit autem duplici de causa principaliter, scil. ex nimia repletione, vel ex inanitione, & quandoque ex frigore. His enim de causis nerui stomachi contrahuntur, quibus contractis fundus stomachi superius eleuatur, virtus autem regitiua nititur ipsum ad naturalem situm & positionem reducere. Ex tali ergo ascensu vel descensu, *Vt dicunt quidam*, fit quidam sonus, qui dicitur singultus. Vel vt mihi videtur, dum fundus stomachi eleuatur, aer in medio contentus, vi expulsionis exiens, dum alteri aeri obuians per angustum trāsit, facit sonitum qui dicitur singultus. Quando accidit ex repletione, fit cum vomitu humorum vel ciborum. Accidunt eructationes diuersi saporis, secundum humorum abundantium diuersitatem, & plectorica est corporis habitudo. Diæta enim præcessit nimis larga. Quando enim contingit ex inanitione, cognoscitur per febrem vel fluxum ventris vel sanguinis, & per alia quæ extenuant corpus. Sed quando accidit ex frigiditate, cognoscitur per frigiditatem aeris, vel per diætam frigidam præcedentem, & huiusmodi. Contra singultum ex repletione, vtendum est vomitu & aliis euacuatiuis calefacientibus & desiccatiuis. Contra singultum ex inanitione si fuerit sine febre, vtendum est restauratiuis & humectatiuis. Si vero fuerit cum febre periculosius est. Contra singultum ex frigiditate actualiter calidis & potentialiter est vtendum. Valet etiam sternutatio si prouocetur. Valet etiam timor, si ex improuiso incutiatur, vel si aliquod *Valde Verecundum* subito obiiciatur. Nam calor reuocatus ad interiora, propter verecundiam aut timorem dissoluit fumum, qui materia singultus est.

Cap. XLVI.

De Vomitu.

Vomitus est ciborum & humorum à stomacho violenta reiectio, & habet fieri istis modis, aut vi naturæ, aut vi symptomatis. Quandoque enim superabundant in stoma-

ſtomacho humores calidi: quandoq; frigidi. Vnde quandoque ex caliditate ebullitionem faciente, & humores diſſoluente, fit eorum per vomitũ expulſio. Sicut enim frigiditas intenſa in ore ſtomachi vi compreſſionis repellit humores & cibaria inferius, & eſt cauſa ſolutionis per ſeceſſum. Sic caliditas dominans, mouet eos. Aliquando ſurſum, & eſt cauſa euacuationis per vomitum. Aliquando fit ex ciborum & potuum ſuperabundantia, quæ cum natura non poſſit regere vel digerere ea repellit à ſe, tanquam ſibi ſuperflua & nociua. Aliquando autem accidit ex qualitate cibi & potus, & ex eius acumine. Vnde mordicat neruos ſtomachi, & prouocat ad vomitum. Aliquando fit ex debilitate virtutis retentiuæ, & fortitudine expulſiuæ. Vnde ſtomachus non valens aſſumpta retinere, per incontinentiã vomit ea. Aliquando etiam accidit ex fortitudine & acumine medicinæ. Aliquando etiam fit vomitus, cum inferiora ventris fuerint fortiora, & expellunt ſuas ſuperfluitates ad ſuperiora, & natura nõ valens retinere ea, imo abominans & abhorrens, per vomitum expellit. Illa etiam fit aliquando per compreſſionem & eleuationem ſtomachi, ex vicinitate & colligantia aliorum membrorum, quando caſu aliquo patiuntur vt ex matrice. Vnde frequens vomitus ſignum eſt impregnationis, *vt dicit Galen.* Vomitus itaque laudabilis eſt, quando fit vi & operatione naturæ, vel quando fit ſicut oportet, & quando oportet adiutorio medicinæ, quando fit in die critico, & æger ex vomitu releuatur. Vomitus enim laudabilis ſtomachum mundificat, virtuti digeſtiuæ ſeruit & miniſtrat, totam naturam exonerat ab infirmitatibus infinitis, totum corpus hominis alleuiat. Si autem fuerit illaudabilis, contraria operatur. Omnem autem vomitum naturaliter præcedit motus & tremor labiorum, conatus & anguſtia ſpiritalium membrorum, nauſea & abominatio, oris apertio, linguæ diſtenſio, & extenſio venarum, arteriarum & neruorum, lacrymatio in oculis, emiſſio ſudoris, immutatio gutturis, & amaricatio & infectio linguæ, palati atq; oris. Vomitus igitur ſi fuerit neceſſarius prouocetur, ſi ſuperfluus & nociuus reſtringatur. Circa vomitum autem ex frigida cauſa valent calida & confortatiua, tam electuaria quam vnguenta. Valet etiam diacytoniten calidum dyanisum,

nisum, dyaciminum, & huiusmodi. Contra calidam vero causam valent frigida & sicca restrictiua & confricatiua, vt zuchara rosacea, dyarodon, triasandali, & huiusmodi. Et hæc de vomitu dicta sufficiant.

Cap. XLVII.

De Dolore ventris siue stomachi.

DOlor stomachi multis de causis habet fieri, scilicet ex calore dissoluente, ex frigore coarctante, ex ventositate extendente, ex apostemate comprimente, ex humore calido vel frigido, villos stomachi inuiscante. Vbi calor est in causa, dolor est pungitiuus, eructatio calida parum pallida, vrina grossa, cibaria bene digeruntur, subtilia aduruntur, amaritudo oris, secessus cholericus, vrina crocea. Vbi vero frigiditas cum humore est in causa, est dolor grauatiuus, dura male digeruntur, leuia & subtilia melius. Solet adesse vomitus phlegmaticus, crudus, ventris constipatio, eructationes acetosæ. Ventositas si est in culpa, cognoscitur ex rugitu & gurgulatione & eructationibus insipidis, ex quorum emissione patiens alleuiatur. Apostema si sit in stomacho, cognoscitur ex febre concomitante, ex punctura & ardore & indigestione & orificii extensione. Si igitur calor cum humore sit in causa, humor digeratur & cum medicinis propriis purgetur, stomachus cum electuariis frigidis confortetur, cũ vnguentis frigidis exterius fomẽtetur. Si aũt frigiditas cũ humore sit in causa, modo contrario curetur. Si autem ventositas sit in causa, curetur cum illis, quæ extenuant ventositatem, vt dyamarattrum, dyaciminum, & huiusmodi. Magis enim ventositas in corpore, & specialiter est in ventre, causat torsiones quando se inter humores interponit, *vt dicit Constantinus*. Et iõ oportet vt sibi succurratur cum medicina ventositatis ventris dissolutiua. Et ideo *dicit Constantinus* vt ventosa sine scarificatione circumdet vmbilicum, vt ventositas extrahatur ab interioribus ad exteriora, quia *sicut dicit idem*. Plus ventositas lædit in multis causis quam humores, vt patet in hydropicis, *de quibus idem in eodem capite dat exemplum. Quicunq; igitur vult continuam custodire corporis sanitatem, custodiat stomachum, ne nimium sumat*

mat cibum. Summa enim & perfecta medicina est abstinentia, vt dicit Constantinus in 3. cap. de fastidio.

Cap. XLVIII.

De colica & iliaca passione.

SOlet etiam ventri accidere dolor & tortura, *vt idem dicit Constantinus*, ex humoribus intestinis inuiscatis, sicut dolor iliacus, cholericus & consimiles passiones. Accidunt autem istæ infirmitates quandoque ex interclusa ventositate viscerum obuolutiones extendente: quandoq; ex humorum multitudine viscerum substātiam aggrauante: aliquando ex aliquo apostemate, læsionem intestinorum substantiæ inferente: aliquando ex lumbricorū multitudine viscera interius corrodente: aliquādo ex aliorum membrorum colligantia, compassionem intestinis inducente, aliquando ex humorum acumine intestinorū substantiam mordicante & vlcerante. Et istæ passiones proprias habēt causas & significationes. Ventositas ergo cruda & grossa ab humoribus resoluta, quando cum fecibus includitur, in intestinis multas generat torsiones. Et si fuerit resoluta fumositas vel ventositas à materia sanguinea erit dolor infixiuus, *vt dicit commen.* Si fit ex cholerica erit pungitiuus. Si ex phlegmatico dicetur extensiuus. Si ex melancholica dicetur grauatiuus. Si ex vitreo phlegmate dicetur congelatiuus. Quando autem fit ex sola ventositate tunc est dolor deambulatiuus. *Ita dicit de verbo ad verbum commen. sup. Iohan. Et his verbis vtuntur sæpe magistri & autores.* Ista igitur passio curatur cum diaforeticis medicinis, id est, euaporatiuis, extenuatiuis, ventositatis consumptiuis. Quando vero replent intestina grossa & viscosa grauissimas inferunt passiones. Ligantur enim intestina, & conglutinantur viscosa superfluitate. Vnde natura non se potest à superfluis expedire, vnde necessario sequitur interiorum torsio: inferiorum compressio. Ex repercussione fumositatum superiorum, summa perturbatio: quandoq; mors & subiecti destructio, vt patet in iliaca & cholerica passione. In tali itaque casu solent primo apponi mollificatiua, & materiæ induratæ humectatiua: deinde aliquantulum mortificatiua: tandem necessaria purgatiua. Et sic exoneratis & purgatis interiorib. tota natura ad cōsisten-

tiam debitam reuocetur. Quando vero apostema occupat stomachum vel intestina ex materia & distensione apostematis sentitur dolor & grauedo in stomacho & etiam intestinis, & secundum qualitatem materiæ & qualitatem apostematis intenditur vel remittitur impetus angustiæ & doloris. Dolor autem semper tanto est grauior & periculosior, quanto in subtilioribus & gracilioribus comprehenditur intestinis, quia minus patitur locus euacuationis & euentationis. Istis tamen interius & exterius confert medicina mediocriter refrigeratiua ratione febris, & mitigatiua ratione doloris, maturatiua & mundificatiua ratione apostematis, consolidatiua & sanatiua ratione subsequentis vlceris, ne locus maneat vlcerosus, *& ista omnia & multa alia patent in Viatico, & in Platone*, sed ista huc ponere esset superfluum, quando igitur lumbrici sunt in causa, maximus instat dolor. Sunt autem lumbrici vermes quidam longi, rotundi & acuti, ex viscosis & crudis humorib. intestinorum interioribus generati, qui cum fuerunt in gracilibus & longioribus intestinis generati, dicũtur lumbrici, quia longi, *vt dicit Constantinus*. Si vero in inferioribus & grossioribus sunt nutriti, ascarides dicuntur & cucurbini, hi secundum diuersas materias ex quibus fiunt diuersas habent species & figuras. Nam ex salso phlegmate fiunt vermiculi longi, graciles & acuti. Nam calor illius phlegmatis, qui habet motum à centro vsque ad circumferentiam, protrahit materiam vermis in longum. Siccitas vero cum habeat motum ad cẽtrum, & non possit materiam dilatare, constringit & coarctat eandem in rotundum, & ideo vermiculi sic generati, longi sunt & rotundi. Ex phlegmate vero dulci fiunt vermes longi & lati, longi quidem ratione caloris, quia calor prolongat: lati vero quia humor se diuidit & dilatat. Ex phlegmate vero acetoso, quod frigidum est & siccum curti & rotundi, quia vtraque qualitas cum habeat motum ad centrum, repugnat latitudini & longitudini. Ex phlegmate vero naturali cum sit frigidum & humidum, fiunt breues & lati: breues quidem ex frigiditate, lati vero ex humore, & isti dicuntur ascarides vel cucurbini, quia semini cucurbitæ assimilãtur. Ex vitreo phlegmate, præ nimia frigiditate nihil viuificatur. Hi vermes grauissimas inferunt corruptiones. Febris adest.

adest, pruritus narium, stridor dentium, abominatio cibi, stupor & alienatio mentis, clamor in somno, tremor corporis, emissio linguæ & masticatio, cum nihil habeant inter dentes, & ista omnia accidunt propter colligantiam intestinorum ad instrumenta sensuum & ad maxillas. Oportet ergo *vt dicit Constantinus*, vt citius eiiciantur alioquin corpus ab eis consumitur & membra remolliuntur, nec expelluntur, nisi moriantur. Dum enim viui sunt cum intestinis inuiscati, de facili non exeunt, sed mortui abhorrente natura eiiciuntur, aliquando tamen exeunt, sed quasi mortui & statim moriuntur, cum rebus enim amaris occiduntur, sicut absynthio & huiusmodi, quæ omnia in eodem capite *recitat Constantinus*. Debent autem omnia talia amara dari cum melle vel lacte, vel cum aliquo dulci, dulcia enim vermes diligunt, quæ cum sibi incorporant recipiendo amaritudinem se occidũt, ibi enim latitat hamus sub esca, quando matrix vel vesica patitur & intestina propter colligantiam patiuntur, nam collo vesicæ opilato, retenta vrina, vesica distẽditur, qua distensa, intestinum quod sibi adiacet comprimitur, & ad fæcis expulsionem impeditur, & inclusa ventositate cholerica passio generatur. Hæc passio generatur, *vt dicit Constantinus*, in vno intestino quod vocatur κῶλον, id est in dextra parte ventris inferioris circumcingens, sicut zona vsque in partem sinistram. Causa autem huius passionis est septiformis, *vt dicit idem*. Prima est calor igneus & cholericus febribus intermixtus, desiccans fecis humiditatem, & indurans & exire non permittens. Secunda causa est cibi sicci & stiptici grossities, egestionem exire prohibẽs. Tertia est phlegmatis viscositas vias egestionis concludens. Quarta est grossa ventositas cum viscosis humoribus se immiscens & descendens. Quinta est causa apostema cum intestino nascens, substantiam fæculentam exire libere prohibẽs. Sexta multitudo ascaridum & lumbricorum mortuorum & inuiscatorum, in hoc intestino exire non valens. Septima est intestini insensibilitas, nocumentum fecis non sentiens nec expellens. Hæc passio quacunque de causa generata, dira infert corpori tormenta. Vnde generalia & propria habent accidentia: adest enim generaliter vomitus, abominatio, tortura & dolor intolerabilis, ex parte illa ventris constipatio,

patio, & si est ex calida causa, venter videtur acubus pungi, nam & patiens cito moritur si non habet remedium. Si ex frigida est, tunc nimia sentitur grauitas, lentus tamen est dolor & in vno loco, si vero est ex ventositate, dolor est extensiuus & immutat locum cum gurgulatione & inflatione. Si est ex apostemate, sentitur calor, dolor adest febris cum siti & asperitate linguæ. Si ex lumbricis tortura sequitur & dolor & abominatio. Aliquando per os eos eiiciunt, vomunt & breuiter morbus est pestifer & mortalis cito interficiēs nisi efficaciter succurratur. Primo igitur sunt causæ morbi mitigādæ dissoluendæ & destruendæ per balneationes, calefactiones, dissolutiuas & liquefactiuas vnctiones, vt est anacison, irilion & huiusmodi. Si vero per mitigatiuas non cessauerit dolor, tunc ad fortiores procedendum est medicinas dissolutiuas, purgatiuas, *sicut in Viatico continetur.* Huic passioni cognata est iliaca ab ilion intestino dicta. Et est intestinum gracile & longum inuoluens circumquaque alia intestina, & est carne discoopertum, vnde valde est sensibile. Vnde & hæc passio vocatur vna de peracutis *secundum Galenum*, quia vno die vel duobus interficit, & ideo periculosior quam ipsa cholerica, consimili tamen modo curatur, ex consimilibus enim fere causis generatur, sed maxime ex apostemate, *Vt dicit Constantin.*

CAP. XLIX.

De Dysenteria.

ALiquando etiam patitur venter ex ciborum & humorum lubricitate & acumine, vt in dysenteria, lienteria & diarrhœa. Et hæc inter se differunt, *Vt dicit Constantinus & Plato.* Dysenteria est fluxus ventris cum excoriatione intestini & sanguinolenta egestione, & dicitur à descindendo, quia in ea inscinduntur intestina, & fit ex cholera naturali vel innaturali, intestina corrodente & excoriante. Quandoq; etiam fit ex phlegmate salso, & quandoque ex melancholia adusta. Quandoq; ex vitio epatis, & dicitur epatica. Quandoque ex debilitate contentiuæ virtutis, sanguinem retinere non valentis. Quandoque ex nimia sanguinis abundantia, maxime in detruncatis. Sanguis enim consuetus transmittitur ad nutrimētum membri,

bri, quando abscissum est membrum, cum non inuenit membrum quod nutriat, superabundantiam in epate generat, & per incontinentiam emittitur, & dicitur proprie dysenteria. Fit etiam sæpe vitio intestinorum, & tunc sunt tres species. In prima resoluitur intestinorum vnctuositas, & apparet egestio, sicut lotura carnis pinguis. In secũda villi stomachi abraduntur & apparent quasi rasuræ pergameni. In tertia per frustula emittuntur intestina, & tunc apparent carnosæ & neruosæ & arteriosæ resolutiones. Prima igitur species bene curatur, secunda vix, tertia nunquam. Similiter epatica vix curatur. Dysenteriæ igitur signa sunt, sanguinolenta egestio, torsio ventris, dolor pungitiuus. Quandoq; igitur fit excoriatio intestinorum superiorum: quandoque mediorum: quandoq; inferiorum. Et secundum hoc variatur dolor nunc in ventre supremo, nunc circa vmbilicum, nunc in infimo. Secundum igitur causarum diuersarum genera diuersificari solet etiam medicina, primo igitur solet mundificari humor peccans, deinde fluxus intercipi, & hoc tam syrupis quam electuariis, tam emplastris, quam vnguentis stipticis & constrictiuis. Interior vero medicina iuuat efficacius, quando in superioribus intestinis est materia. Exterior vero plus adiuuat inferiora, stiptica igitur & cõstrictiua debet esse tam medicina quam diæta.

CAP. L.

De Lienteria.

Lienteria est fluxus ventris cum indigesti cibi & potus emissione, quando nulla fit immutatio circa cibum, sed sicut accipitur ita emittitur. Quod contingit aliquando ex villorum stomachi abrasione, vnde stomachus non valet cibum retinere, quando fit ex viscosa & phlegmatica humorositate, villis stomachi & intestinorum adhærente: aliquando ex apostemate, quia tunc ex cibis plus grauatur stomachus. Et ideo sensu naturæ mouetur stomachus ad expellenda cibaria antequam digerantur. Curetur hæc infirmitas sicut supradicta. Diarrhœa est fluxus ventris simplex cum cibi digesti emissione, absque sanguinea egestione. Fit autem aliquãdo ex ciborum multitudine & eorum liquiditate & acumine. Aliquando ex cholera peccante in

quan

quantitate potius quam in qualitate, quia si qualitatiue peccaret, potius induceret dysenteriam quam diarrhœam. Quandoque fit ex fluxu humoris ad intestina à capite defluentis, & ea vel mordicantis vel lubricantis, & tunc emittit patiens spumas & ampullas iuxta *illud Hippocratis*, quibus spumosæ egestiones in diarrhœa apparent, his à capite phlegma defluit. Hic fluxus curatur per diætæ tenuitatem, cum multitudo ciborum est in causa. Si ex acumine dentur refrigeratiua & humectatiua. Si ex fluxu humorum à capite dentur rheumatis restrictiua. Et hæc de passionibus ventris iam dicta sufficiant.

CAP. LI.

De Hydropisi.

HYdropisis est error digestiuę virtutis, epatis tumorem membrorum generans, *ut dicit Constantinus*. Dum enim virtus digestiua debilitatur in epate, superfluitates multæ generantur in corpore, quæ vigore virtutis expulsiuæ exterius transmissæ, membrorum inflationem generant. Fit autem tribus de causis generaliter. Ex retentione superfluitatum præter naturam. Ex fluxu humiditatis prętor naturam. Ex principali distemperantia qualitatum ipsius epatis. Dum enim superfluitates præter naturam retinentur, vt menstrua, hæmorroide, & huiusmodi ex earum retentione opprimuntur virtutes, superfluitates generantur ex quibus membrorum inflatio sequitur. Ex fluxu vero humiditatis præter naturam dissoluuntur spiritus, debilitantur virtutes, superfluitates ex indigestione superuenientes inflationem membrorum efficiũt. Ex qualitatum distemperantia errat virtus digestiua in epate quadrupliciter, secundum quatuor qualitatũ cõiunctionem, & sic fiunt 4 species hydropisis secũdum excessum quatuor qualitatum. Prima est leucophlegma ex distemperantia frigiditatis & humiditatis. Et dicitur ab albo phlegmate, λευκὸς autem album dicitur. Secunda est hyposarca vel anasarca ex distemperantia frigiditatis & siccitatis. Tertia species est achites ex distemperantia caliditatis & humiditatis. Quarta species est tympanites ex distemperancia caliditatis & siccitatis. Fiunt autem hoc modo dum humiditas

ditas & frigiditas in epate distemperantur, virtus digestiua debilitatur, qua debilitata, superflua generantur, quæ virtus expulsiua transmittit ad exteriora, vnde vehemẽs accidit inflatio, frigiditate & siccitate distemperata in epate. Similiter virtus digestiua distemperatur & debilitatur & aliquantulum expulsiua, & ideo superflua non emittit ad cutis exteriora, sed sub carne retinentur, & ideo hæc species dicitur hyposarca, id est, sub carne vel iuxta carnem. Ex distemperantia autem caloris & humiditatis per dissolutionem spirituum debilitatur vtraq;, scilicet virtus digestiua & expulsiua, vnde superflua per totum corpus non expelluntur, sed inter ventrem & siphac tantummodo retinentur. Et hæc species dicitur aschides, quia venter eorum percussus, resonat sicut vter. Aschis enim vter dicitur. Caliditate & siccitate distemperatis spiritus dissoluuntur, & sic debilitata vtraque virtute superflua ex indigestione surgentia per calidum & siccum in grossam fumositatem resoluuntur, quæ non expelluntur per totum corpus sed circa ventrem retinentur. Et hæc species tympanites dicitur, quia ad modum tympani sonat venter. In prima igitur specie inflatio est per totũ corpus, superficies alba & mollis, digitus carni impressus signum foraminis facit & paulatim in se postea redit. Vrina est discolorata, alba & spissa. In secunda specie nõ est tanta inflatio, sed fœtet eorum caro, vrina est discolorata & tenuis, In tertia specie est venter inflatus, & sonat percussus sicut vter, vrina rubea & spissa. In quarta specie extenditur venter & sonat sicut tympanum, vrina est colorata & tenuis, collum & extrema efficiuntur gracilia, & nares acutæ, oculi concaui & rotundi. Duæ primæ species possunt curari ante confirmationem. Duæ secundæ ante confirmationem vix curantur, postea vero nunquam. Hydropicus ergo est corpore tumidus, mollis, grauis & ponderosus & sitibundus, qui quanto plus bibit, tanto plus sitit, & qui quanto plus bibit, tanto plus paulatim deficit, & amplius inturgescit. Talibus quidem diuersimode patientibus, diuersimoda exhibetur medicina. Eis tamen valent ventositatis extenuatiua, humoris intercutanei consumptiua & virtutis digestiua in epate confortatiua. *De quibus omnibus se expediit in Viatico Constantinus.*

CAP.

Cap. LII.

De Ictericia.

Ictericia siue aurigo est cutis defœtatio absq; ipsius inæqualitate. Et dicitur in Platone, quod tres sunt species ictericiæ, crocea ex cholera naturali, viridis & nigra. Prima vocatur aurigo, quia citrinum efficit hominem admodum auri. Alia vocatur peganitis, id est, viridis. Ex cholera enim praxiua viridicantur. Tertia melanchiton, id est, nigra, quia ex cholera nigra gignitur & adusta. Fit autem ex feruore & ebullitione sanguinis in choleram trāseuntis, ex calore superabundante & sanguinem inficiēte, vnde defertur cum sanguine ad cutis superficiem, & ipsam inficit & immutat. Aliquando fit ex opilatione superioris vel inferioris pori cistis fellis. Vnde cholera redundat ad epar & sanguinem inficit. Aliquando fit ex apostemate vel febre continua sanguinem immutante & adurente. Aliquando ex corruptione aeris vel cibi vel potus corrupti, vel ex morsu & punctura reptilis venenosi. His modis sanguis inficitur & ad nutrimentum membrorum trānsmissus, ea secūdum suam infectionem inficit & corrumpit. Ictericiam igitur maxime calidam hæc concomitantur, totius corporis infectio, dextræ partis calefactio, sitis, oris amaritudo, dolor frontis, tinnitus aurium, vrina colorata, cuius spuma est crocea, viridis vel nigra. Omnia quæ de corpore emittuntur prædicto colore inficiuntur, ex opilatione superiori causata immutat omnia inferiora, ita vt omnia sint sicut valde tincta. E conuerso autem est si ex inferiori, omnia superiora sunt magis tincta & inferiora minus. Si autem fuerit ex febre & ex vi naturæ post 7 diem in aliquo die critico cum diminutione febris & alleuiatione patientis & symptomatis remissione bonum protendit. Talis coloratio signat materiam febris tunc purgari. Si autem fuerit vi symptomatis, sicut solet accidere ante 7 diem periculum prætendit. Signat enim materiam petere superiora vel propter sui multitudinem vel propter sui fumositatem & acumen, *sicut expresse dicit Galenus super aphoris.* Solet itaque talis passio curari per sanguinis minutionem, per infrigidantium & alterantium appositionem, maxime super regionem epatis, quibus potissime inficitur ipse sanguis, sicut in

ut in suo fonte. Dantur itaque interius & in diæta & in medicina ea, quæ reprimunt calorem, mundificant sanguinem, & alterant malam ipsam sanguinis dispositionẽ. Et si fuerit ex opilatione, dantur ea quæ sunt diureticæ virtutis & apertiuæ non tamen nimis calidæ, *Vt patet in Viat. Constant.*

CAP. LIII.

De Hæmorrhoide.

HEmorrhoidæ sunt quinque venæ exeuntes in ano, ex quibus diuersæ passiones fiunt, scil. inflatio, retentio, fluxus. Quandoq; aũt superfluitates vi naturę transmittũtur ad partes & ruptis venis illis, emittũtur, & corpus à diuersis ægritudinib. liberatur. Sed si fuerit fluxus immoderatus, variæ efficiũtur passiones. Quando vero ꝓpter consuetudinẽ retinentur, maximæ ægritudines consequũtur, vt hydropisis, phthisis, mania, & melancholia, &c. Inflantur autem hoc modo superfluitates spissæ & fœculentæ ad venarum ora descendentes ea inspissant & ingrossant, vnde fit inflatio. Aliquando orificia venarum ex intensa siccitate coarctantur & inspissantur. Quandoque præ nimio fluxu vruntur à chirurgicis & cicatrizantur, & tunc aut vix aut nunquam aperiuntur. Aliquando ex sanguinis spissitudine venarum capita opilantur. Aliquando ex nimio sanguinis acumine & liquiditate plus debito aperiuntur. Retentionem nimiam hæc consequuntur, grauedo capitis, pallor faciei, liuiditas, ponderositas renum & coxarum dispositio ad hydropisim, & ad phthisim. Nimium fluxum sequitur debilitas & extenuatio corporis, mutatio coloris, dolor & torsio inferioris partis corporis, & si fuerit continuus, nimis immoderatus, pessimas inde generat passiones. Si vero nimis fluant orificia venarum, restringantur restrictiuis medicinis, paulatim tamen maxime si fuerit morbus inueteratus, ne sanguis subito repercussus ad aliquod membrum refundatur & peior morbus generetur. Vnde *Hippocr.* hæmorrhoidas sananti antiquas, si non vna relicta fuerit periculum erit, si vero nimis clauduntur, apertiuis & rarefactiuis aperiantur.

Cap. LIIII.

De dolore renum.

Dolor renum à Græcis νεφρῖτις dicitur, qui dolor affinitatem habet cum colica passione. Differunt tamen, quia dolor colicorũ mutabilis est & instabilis, quotidie enim mutatur de vno latere ad aliud latus, nephriticorum dolor stabilis est. Patiuntur autem lumbi siue renes aliquando ex tumore, aliquando ex humorum repletione, aliquando ex ventositate, aliquando ex lapide, omnia ista grauissimum inferunt dolorem, maxime si fuerit calor in causa. Cuius signum est vrina incensa, & dolor acutus & pungitiuus. Si vero frigiditas fuerit in causa, cruda erit vrina, & lentus dolor. Lapis & arenulæ & aliæ superfluitates diuersæ in renibus generantur sæpe, & hoc præcipue ex potu aquæ limosæ & grossa diæta. Ex his enim fiunt opilationes in renibus vel vesica, & quandoque in essentiam lapidis vel arenularum per intensi caloris actionem transmutantur. Habentes lapides, concomitantur multa incommoda, scil. difficultas vrinandi, colica. Ex huiusmodi enim opilatione lapidis, opilantur viæ vrinales. Aliquando in parte, & fit stranguria, quando quis cum difficultate & guttatim mingit. Aliquando ex toto & tunc omnino denegatur, & dissuria dicitur. Ex humoribus enim viscosis in renibus & in vesica coagulatis, fit calculus. In iuuenibus præcipue fit in renibus, in pueris autem in vesica, quia collum vesicę in eis est strictum, prohibens vrinam exire, vnde lapis generatur, *Vt dicit Constan.* In pueris etiam vrina est magis grossa, ex viscosa diæta. Res autem viscosa magis est habilis ad coagulationem & conglutinationem, & ideo sæpe in paruulis generatur. Cognoscitur autem quando lapis est in renibus vel materia lapidis per dormitationem pedis & coxæ dextræ partis. Si in dextro rene sit causa. Sinistræ vero si in sinistro. Si vero fuerit in vesica dolor aut pectinem & periconeon circa sentitur. Præterea arenulæ venientes à renibus sunt rubeæ. A vesica vero albæ. Lapis autem generatus ab humoribus viscosis, dissoluitur facilius & educitur. Ex arenulis vero difficilius soluitur & curatur. In mulieribus autem rarius generatur lapis quam in masculis, propter meatus largiores, & propter debi-

debilitatem caloris deficcantis humores & putrificantis, & propter purgationes frequentiores. Multa enim superflua ab eis per menstrua educuntur. Sic infirmi sunt purgandi in calidis & apertiuis, sæpius balneandi, cibariis digestibilibus reficiēdi, potibus & medicinis diureticis, apertiuis & mundificatiuis refouendi & assuefaciendi, & aliquando arti chirurgicæ dimittendi, maxime pueri, secundo adolescentes. In senectute vero incisio periculosa est, quia vltra 40. annum hæc passio non curatur, *vt dicitur in aphoris.* Quicunque nephritici vltra 40. annum non sanantur, etiam accidit inuoluntaria vrinæ emissio, quæ diamnes vel diabetica passio vocatur. Et hæc accidit, *secundum Constan.* propter defectum contentiuæ virtutis. Multa n. & fortis fit attractio humoris ad renes, & multa fit emissio superfluitatis ad vesicam, quam ferre non sustinens, à se reiicit per vrinam. Aliquando etiam accidit ex mollitione neruorum, & relaxatione lacertorum in collo vesicæ. Quandoq; accidit propter grauitatem somni & multitudinem humoris, vt patet in pueris ignorantibus, & lectulo vrinantibus, & bibulis ebriosis. Proprie enim proprium est sustinentibus hanc passionem, quod semper sitiunt, & vix etiam aqua satiari possunt, *vt dicit Constant.* vnde sicut eam bibunt, sic eam statim mingunt. Aliquando fit ex humore subito meatus vrinales constringente, & contentam ibi humiditatem vi oppressionis educendo. Istam turpem infirmitatem patientibus necessaria sunt repræssiua, caloris & stiptica confortatiua, caloris renum extinctiua, & neruorum emollitorum ad statum debitum reuocatiua. Hęc fit per potiones & electuaria, per cataplasmationes & vnguenta. Cauere tamen debet prudens medicus, ne apponat in hoc casu nimis humida, quia plus remolliendo læderent, nec etiam nimis sicca, quia calorem acuerent. Sed modo ista, modo illa, vt ex frigidis locus patiens humectetur & infrigidetur. Ex siccis vero coarctetur humiditas, & membrum patiens confortetur. Super omnia diæta sit temperata, quia calida nimis nocent renibus & lumbis. Nimis etiam frigida digestiuam virtutem retardant in substantia & concauitate epatis. Et consilium est dare in talibus temperata & composita, quia talis solet esse materia atque causa.

Cap. LV.

De Hernia.

HErnia dicitur pellicula ventris, scili. siphat, crepatura. Siphat enim quædam pellicula est, quæ membrorum nutritiuorum à generatiuis est diuisiua, sicut diaphragma dicitur pellicula, quæ inter spiritualia membra & nutribilia est interposita. Quando igitur contingit siphat, vel per discontinuationem, vel per distentationem rumpi, vel etiam per calorem dissoluentem, vel humiditatem relaxantem remolliri, etiam contingit intestina inferius labi, & in osseum testiculorum scil. folliculum non sine dolore recolligi & diffundi. Fit autem ista diuisio vel relaxatio, aliquando à causa extrinseca, scil. à nimia corporis exercitatione, vt in lucta & palæstra. Aliquando ex concussione vel ex casu & huiusmodi. Aliquando ex nimia membrorum superiorum distensione & conatu, sicut ex nimio cantu, clamore & huiusmodi. Aliquando ex causa intrinseca, sicut ex nimia caloris intensione, & humorum calidorum acumine ipsam pelliculam diuidente & incidente. Quandoque ex nimia humiditate, neruos & lacertos relaxante. Quocunq; autem modo accidat, in principio facilius curari potest, & præcipue in iuuene. Si vero magna fuerit & inueterata & cum ruptura nerui, vix vel nunquam consolidatur & difficile curatur, *Vt dicit Constant.* Solet autem curari hernia per diætam & medicinam, & aliquando per incisionem & chirurgiam. Talibus igitur, *dicunt autores*, valere stiptica & consolidatiua, & in cibo & in medicina, sicut electuaria intus sumpta, & etiam fomentationes & balnea exterius, addita pariter & vnguenta. Super omnia dicitur valere tenuitas diætæ & continentia maxime à coitu, & etiam omni motu. Super omnia etiam à ventosis & inflatiuis talibus est cauendum. *Quia Vt dicit commentator*: Ventositas maxime nocet herniosis.

Cap. LVI.

De Artetica.

ARtetica est dolor & passio articulorum cum inflatione & dolore. Quæ cum fit in articulis manuum, chi-

ragra

ragra dicitur. In articulis vero pedum podagra, inſcia dicitur ſciatica. Habet autem fieri ex ſanguine cholerico & humore phlegmatico. Frequentius vero fit ex cauſa rheumatica. Sanguis cognoſcitur eſſe in cauſa ex rubore loci & calore, ex eminentia venarum partis patientis & totius corporis, ex diæta calida præcedente & humida, ex ætate & regione ſimili, ex eo ꝙ maxime mouetur in vere. Cholericus humor cognoſcitur eſſe in cauſa ex dolore vehementiſſimo, & neruorum tenſione & ariditate, ac calore, & partis inflatione ex colore rubeo cum croceo intermixto, & maxime mouetur in æſtate, & magis ex diæta calida & ſicca, & in regione conſimili. Sæpe etiam emittuntur multæ cholericæ ſuperfluitates per vomitum & ſeceſſum, calida obſunt, frigida proſunt. Phlegma etiã cognoſcitur eſſe in cauſa ex phlegmatica habitudine, regione, diæta, ætate conſimili, ex inflatione loci, ex dolore vehementi, rubore modico vel nullo. De rheumatica cauſa cognoſcitur ex grauedine capitis, & humorum motu, titillatio & fluxus per nucham & ſpatulam ſentitur. Peſſima eſt hæc infirmitas, quia articulos & neruos digitorum, manuum & pedum contrahit, ſubſtantialem humorem in manibus detrahit & conſumit, & aridas eas faciens, clauſas reddit, impotentes ad operandum eas efficere conſueuit, nodoſis gibboſitatibus digitorum iuncturas deformes facit. Hæc infirmitas cito curetur, quia ſi fuerit inueterata vix curatur, maxime, quando in duram conuertitur duriciam & nodoſam. Materia itaque peccans debet primo purgari congrua medicina, ſubtrahi debet ſanguis & minui, ſi ſanguis eſt in cauſa, calor etiã debet repercuti frigidis. Quandoque eſt cauſa humor frigidus, & tunc debet fomentari calidis emplaſtris & vnguentis. A cibis groſſis abſtinendum eſt, & præcipue ab inflatiuis, nam ventoſitas ſæpe aggrauat morbum iſtum.

CAP. LVII.

De Gutta ſciatica.

GVtta ſciatica dicitur dolor, qui naſcitur ex humoribus deſcendentibus in neruum groſſum, qui eſt inter lacertos groſſos coxæ ſiue hanchæ, *vt dicit Conſtantinus.*

Sæpe autem fit ex viscosis humoribus in concauitate hanchæ se coadunantibus. Quandoque ex humoribus sanguinolentis cum cholera rubea intermixtis. Et hæc omnia causa sunt sæpius doloris, qui dolor descendit in crura vsque ad calcaneum, & etiam vsque ad paruum digitum pedis, cuius ratio est, *vt dicit Const.* Quia à scia per medium coxæ & tibiæ dirigitur neruus ad cauillam pedis exteriorem, & deinde vsque ad paruum pedis digitum, & ista est causa, quare in passionibus sciæ dolor extenditur vsque ad illum digitum. Inde est, quod qui habent calculum in renibus, sentiunt eodem loco pedis formicationem & dormitationem propter nerui opilationem. Vnde non possunt spiritus debito modo currere ad illum locum. Dolor autem quandoque est in vna parte, quandoque in vtraq;, sed peior est in sinistra, quam quando est in dextera. Cuius ratio est, quia in dextera parte maior est calor, qui materiam ibi collectam facilius digerit & dissoluit, quam in sinistra, vbi est minor calor, & materia est magis compacta in hac passione minor est dolor, pulsatio, punctura & ardor maxime in iuuenibus calidæ complexionis, maxime quando calor est in causa. Et valet in illo casu minutio sanguinis in sophena vena scilicet, quæ est sub cauilla. Patiens itaque est purgandus & sanandus, sicut in artetica. Cauere autem debet omnis sciaticus, sicut & arteticus à nimia plenitudine cibi & potus, & præcipue à coitu, quia maximè acuit rheuma, & impedit digestionē propter spirituum & puri sanguinis deperditionem, *vt dicit Constant.* Purgetur itaque primo corpus interius, & tunc localia ponantur exterius, aliter enim parum prodest medicina exterius, nisi materia, quæ morbi est causa prius intrinsecus minuatur, *vt dicit Constant. Dyoscorides quoque dicit:* Multum prodest sciaticis, si fomentatus fuerit locus doloris cū calido fimo bouis, potenter enim desiccat, maxime, si cum galbano & thure & aceto fuerit resolutus.

Cap. LVIII.

De Podagra.

POdagra, *secundum Constantinum*, est dolor pedum, & maxime calcanei atq; plantæ cum distensione nerui

atque pulsatione. Nascitur autem ex malis humoribus ad calcaneum descendentibus. Qui si fuerint frigidi & grossi, nimia fit extensio atque tumor, sed non multum pungitiuus dolor, nec potest tamen magnus fieri tumor, quia pedes spoliati sunt, & denudati à carne. & ideo non possunt multũ tumescere. Tumor enim nascitur in carnosis membris. Hæc passio nascitur in suauem vitam ducentibus & quietam, qui parum se exercitant, qui à superfluis humoribus corpora non emundant, maxime cum multum comedant atque bibant. Ex talibus enim generantur superflui humores, qui rheumatizant ad pedes, & maxime quando sunt debiles, superfluam materiam expellere non valentes. Et maxime hoc accidit ex nimio coitu, totam enim cõcatenationem corporis coitus ipse mouet, *Vt dicit Constantinus*, & calefacit, & ideo mouet humores & laxat neruos & rumpit. Vnde accidit, quod eunuchi non podagrizant, quia non coeunt. Similiter nec pueri, nec mulieres nisi raro, & hoc, quia menstruis expurgantur. *Vnde Hippocrates, mulieres non podagrizant, nisi forte mẽstrua defecerint.* Hæc infirmitas adueniens iuuenibus in vere, in 40. diebus curatur, sed si in autumno aduenerit, & durauerit vsque ad hyemem difficile erit eam curare, *Vt dicitur in aphor. Cuius rationem reddit commentator secundum iudicium Astrologiæ sic*: prima, inquit, ætas lunæ calida est & humida, secunda est calida & sicca, tertia frigida & sicca, quarta frigida & humida. In prima itaque ætate per caliditatem dissoluitur materia, per humiditatem diffunditur. In secunda ætate & quarta conseruatur ipsa materia. In prima autem ætate lunationis sequentis perfecte digeritur. Vnde in secunda ætate lunationis calidæ & siccæ ex toto materia cõsumitur, & infra 6. septimanas, quæ sunt 40. dies plena fit curatio, maxime in æstate. In autumno autem & in hyeme materia est nimis compacta & inobediens digestioni. Materia igitur huius passionis primo purgetur, deinde frigidis exterius in principio repercutiatur, non enim sunt calida & dissolutiua proponenda in principio, cum sit causa rheumatica, & si materia sit frigida, ne rheuma plus irritetur, & ideo vtendum est in principio repercussiuis fortioribus in causa calida, & remissioribus in frigida, ne forte materia indurescat, deinde apponentur

suffumigationes, fomenta & vnctiones calidæ vel frigidæ, prout materia tunc requirit. Leui diæta & temperata patiens vtatur. A coitu super omnia caueatur, leue & mediocre exercitium iniungatur.

Cap. LIX.
De Apostemate.

APostema est superfluorum humorum in membro aliquo collectio, putrefactionē faciens & tumorem, *Vt dicit Constantinus.* Contingit autem membrum apostemari aliquando ex causa exteriori, *Vt dicit Constantinus,* sicut ex percussione, vulnere, casu, fractura & concussione. Ab omnibus enim talibus mouentur humores, & ad locum sæpe confluunt patientem, qui mutuo se conculcantes calefiunt & putrescunt. Aliquando autem ab interiori, scililicet ex abundantia humorum corruptorum, qui sæpe confluunt ad locum aliquem & concurrunt. Et hoc dupliciter fit, quia aliquando ex adunatione materiæ in proprio membro, aliquando ex fluxu materiæ de vno membro ad aliud. Et talis fluxus plures sunt causæ, *sicut dicit Constantinus*, prima est fortitudo membri expellentis, quia quædam membra principalia & nobilia exonerant se à superfluis, sicut cerebrum ab humore phlegmatico se exonerat atque fumo. Secunda causa est debilitas membri recipientis, membra enim debilia recipiunt superfluitates à superioribus fortioribus descendentes, sicut cutis, caro, &c. Tertia causa est multitudo humorum, qui cum sint superflui in maiorib. venis, refunduntur ad minores, membrorum consimiliū essentiam subintrantes, & quod superfluit ad nutrimentū, fluit ad membrum, & clauditur principalis via, & facit apostema. Quarta est largitas meatuū, per quos facile fluunt humores de membro ad membrum. Quinta causa est liquiditas humorum & subtilitas, qui de facili motu facilius diffundūtur, & diffusi in aliquo membro recolliguntur, & ibi arctitudine membri coarctati conculcantur, & ad putredinem disponuntur. Sexta causa est suppositio membrorum, naturaliter inferiora membra recipiunt superfluitates superiorum membrorum, sicut membra capitis deponunt suas superfluitates, quandoque ad lacertos & venas gutturis, & fit squinantia: quandoque

doque ad membra pectoris & fit peripneumonia & pleuresis, & sic de aliis. Fit autē apostema hoc modo, dum humores quantitatiue peccātes & à calore consumi vel à virtute expelli non valentes, recepti in concauitatibus membrorum ebulliunt & putrefiunt, & sicut pasta in furno posita ab igne desiccatur, in superficie crustulam quandam recipit, sub qua manet humor ita collectus per calorem ebullitionis, quandam crustulam facit, sub qua latet humor putridus atque tumet, & talis tumor dicitur apostema. Et aliquando fit de ventositate & dicitur bubo, aliquādo ex humore simplici sicut ex sanguine fit phlegmon: cuius signa sunt rubor ex calore sanguinis, durities propter multitudinem & calorem aquosiora consumentem, pulsus, id est, saltus propter ventositatem siue fumositatem impellentem, dolor propter extensionem, calor propter calidam naturam, tumor propter materiæ multitudinem. Fit etiam sic apostema ex simplici cholera rubea & dicitur erisipila, id est, sacer ignis per antiphrasin. Fit & aliud ex cholera pura, & corrodit membrum cui insidet, & dicitur à medicis herpes estiomenus, quasi seipsum corrodens. Fit consimili modo apostema de phlegmate, & dicitur zimia siue palus, quia sicut in palude est multum superfluitatis & limositatis, ita in hoc apostemate, cui si impresseris digitum, cedit impressioni, quia per fluxibilitatem digito imprimenti cedit, & in medio foramen apparet quasi signum foraminis, sed postea remoto digito dum materia redit ad medium, totum illud iterum adimpletur. Istius apostematis sunt signa albedo, quia materia est alba & mollities, quia materia liquida, & dolor lentus, quia materia frigiditate sua minuit sensibilitatem. Contraria sunt signa in apostemate de cholera rubea, quia calor est multus cum materia valde calida, rubea cum citrinitate, quia cholera non est rubea sed crocea, magnitudo adest doloris & puncturæ quia materia est acuta. Ex melancholia fit apostema & si materia tota fuerit extra fit sclirosis, si partim intra vel partim extra fit apostema, quod dicitur cancer ad similitudinem cancri, sicut enim in cancro dorsum eminet, & brachia sunt extensa in laterib. ita in hoc apostemate quidam est tumor vice dorsi, ramusculi vero humorum sunt hinc inde expansi vice brachio-

rum, paulatim etiam serpit corrodendo carnem, & neruos sensibiliter ad modum cãcri. Vnde signa illius sunt ingens duritia: quia cum materia sit terrestris & melancholica multum est compacta, color est liuidus, quia materia non est ex toto nigra, dolor est paucus aut nullus propter eius insensibilitatem: quia materia duas habet mortificatiuas qualitates, scilicet frigiditatem & siccitatem. Corrodit autem semper carnem sanam, & corrumpit vsque ad radices neruorum, & etiam inficit ipsa ossa quæ attingit, & ideo morbus iste pestifer est & durissimus ad curandum. Inter ista autem corrosiua apostemata talis est ordo; quia noli me tangere cancrosum est apostema in facie & corrodit paulatim, sed minus aliis. Cancer vero magis, adhuc magis lupus, maxime vero erisipila, fistula vero non corrodit sed putrefacit interius carnem, scilicet & neruos contrahit ad saniem, & quandoque corrumpendo neruos dissoluit ossa. Accidit etiam frequenter ex vulnere male custodito, quando suppositum os sanie inficitur. Vnde nutrimentum adueniens in saniem commutatur, sicque rumpitur superficies & fluit, aliquando autem consolidatur, aliquando iterum rumpitur, & si fuerit multum inueterata, vix curatur. In circuitu autem vulneris sæpius multa orificia inueniuntur & oriuntur. Habet enim fistula interius vulnus profundum, in superficie vero angustum atque arctum. Cancer vero è conuerso exterius multum potest, interius angustatur, & ideo difficilius est ad curandum. Aliquando nascitur fistula ex rheumate siue vulnere præcedente: aliquando ex apostemate male curato & maxime, quando nimium humectatur, & fiunt diuersa foramina, aquam diuersi coloris emittentia, modo albam, modo citrinam, & si foramina in vno loco claudũtur, in alio nascuntur. Sunt & alia apostemata quæ ex opposita materia generantur, vt patet in antrace quem *Constantinus* vocat carbunculum, quia vrit vt carbo. Fit autem de materia valde furiosa & venenosa, & de materia composita, quod patet per lineas diuersorum colorum. Habet enim virgulatam formam, & sunt ibi quædam rubeæ lineæ sanguineæ, & quædam croceæ & cholericæ, quædam subalbidę & phlegmaticæ, quędam liuidæ & melancholicæ, quædam flauæ à salso phlegmate, & sic de aliis humoribus innaturalibus. Signa autem

tem antracis sunt dolor intollerabilis, arsura, & punctio in profundo, in capite apostematis pustula quædam oritur siue vesica prætendens calorem attestantem humori dominanti. In coloratione autem virgulata forma diuersis colorum lineis distincta, videtur etiam quasi trahi ad fundum cum quodam filo adhærente superficiei vesicæ in medio. Ad curationem itaque apostematum solent apponi in principio repercussiua, nisi materia fuerit furiosa & venenosa, vt in erisipila & antrace: nam in talibus non sunt apponenda repercussiua, sed potius mitigatiua, ne materia venenosa repercutiatur ad interiora membra & maius inferat nocumentum, deinde quando apostema est in statu solent apponi solutiua, remollitiua & maturatiua. Aperto vero apostemate siue rupto, & educta sanie, insistendum est mundificatiuis, tandem consolidatiuis & bonæ carnis regeneratiuis. Ad alia apostemata quorum symptomata sunt peiora ad fortiores medicinas procedēdum est, sicut contra cancrum & fistulam & huiusmodi. Ibi secundum materiam peccantem patiens primo interius est purgandus, deinde localibus remediis insistendum, contra cancrum vero virtutis & carnis mortuę corrosiuis est vtendum, contra fistulam desiccatiuis & consumptiuis ac saniei mundificatiuis, quæ si non prosunt chirurgiæ committantur, tutius enim est vt aliqua particula corporis sani corrupta vratur vel præcidatur, quam reliqua pars in posterum corrumpatur. Contra apostemata vero venenosa sicut contra antracem cito & caute est remedium apponendum, quia cito interficiunt, nisi celerius succurratur. Consilium igitur est vt in principio, si aliud non impediat, fiat phlebotomia in eadem parte inproximiori fronte loci collectionis, minuere enim in parte opposita in tali casu non est tutum, ne materia trahatur ad corpus, vel ad membrum nobile cum sit venenosa, tunc necesse est vt theriaca cum vino calido per os offeratur & super locum doloris liniatur, quod si probata fuerit theriaca & verus fuerit antrax, materiam siccam & venenosam extrahet, & ita desiccabit quod poterit ipsam puluerizare ad modum cineris, & tunc recens est apponenda sæpius, donec rumpatur apostema, quo rupto non est timendum periculum. Idem facit vitellum oui cum sale pistatum & frequenter apostemati appositum, dolo-

dolorem enim mitigat & apostema rumpit, *Vt dicit commentator.*

CAP. LX.

De Vlcere.

VLcera dicũtur quædam vesiculæ, quę ex intercutaneo humore sæpius in corpore vndique oriuntur, & vocantur, *à Constantino in fine Viatici* vlcera, eo quod in superficie cutis acumine humoris faciunt solutionem continuitatis, quorum materia est subtilis humiditas sanguinis vel cholera ab interioribus ad exteriora vi naturæ vel symptomatis vsque ad exteriorem corporis superficiem demandata: talia vlcera cutem defædant, pruritum & titillationem in carne generant, cutem à carne eleuãt, & aliquando si continua sunt, lepræ periculum præconizant. Qui ab eis liber esse desiderat, interius purgari à superfluis calidis & infectiuis humorib. non omittat, deinde balneis siccis & mediocriter consumptiuis secundum qualitatem & quantitatem humoris carnem & cutem vlcerantis se exponat, à crapula & diœta nimis laxasse contineat, labori & exercitio se non subtrahat.

CAP. LXI.

De Pustula.

PVstulæ siue papulæ dicuntur quædam apostematicæ collectionis superfluitates in exteriori corporis superficie minutatim & particulariter generatæ natura sibi superflua & nociua ad exteriora corporis expellente, quæ sępe à superfluitate pabuli corporis & nutrimenti pullulant, & ideo merito sapientes pustulas siue papulas eas vocant, *Vt dicit Remigius*, & ideo dicuntur pustulæ, quia sunt quædam paruæ vesicæ vel vesiculæ putredinis virulẽtæ & vrentis intrinsecus contentiuæ, *Vt dicit Isidorus & etiam Constan.* Dicuntur etiam pustulæ variolæ in paruulis, & etiam aliquando in adultis. In paruulis autem tales pustulæ sunt salutiferæ & futuræ sanitatis prænunciæ, *Vt dicit commentator ibi. Variola de sanguinis putridi nascuntur corruptione, &c.* Si enim in paruulis vel adolescentibus non erumperent, de futura lepra esset in posterum formidandum.

Fiunt enim in paruulis ex sanguine menstruali, quo in vtero alebantur, qui vi naturæ expellitur ad exteriora, & sic à futuro periculo liberantur. Similiter contingit in adultis & in senibus, in febre circa crisim tales pustulas erumpere vi naturæ materiam febris ad exteriora expellente, & ideo nec in istis nec in illis debet fieri repercussio, ne materia transferatur intus, cum sit quodammodo furiosa, circa oculos tamen facienda est in hoc casu leuis repercussio ne sanies pustulæ aliquam lædat tunicam oculi vel pupillam. In omnibus etiam aliis locis cautus medicus trahit talem materiam ad exteriora, quantum potest præterquàm circa oculos, ibi enim est materia repercutienda & ad alias deducenda, ne ex furiosa & violenta materia tenera lædatur substantia oculorum. Caueat etiã nutrix vel medicus tam in paruulo quam in adulto, ne talium pustularum vesiculæ vel propter pruritum, vel propter aliud rumpantur seu aperiantur ante tempus maxime circa faciem ne perpetuo deformes remaneant in facie cicatrices. Aliis multis de causis pustulæ in corpore oriuntur, nunc ex materia phlegmatica albæ & molles & fluidæ, nunc ex materia cholerica asperæ pungentes & duræ. Nam cholericus humor inter carnem & cutem diffusus, suo calore & acumine cutem aperit & mordicat & infinitas pustulas in cutis superficie generat, sed paruæ sunt ac modicæ ad modum grani milii, & ideo talis passio sic vocatur ab auctoribus herpes milii vel granulosus. Vndecunque proueniunt tales pustulæ, si sunt frequentes & continuę primò expedit vt materia peccans debita purgetur medicina, deinde si corpus fuerit plethoricum, phlebotometur siue ventosetur debitis balneis desiccatiuis & consumptiuis, & vnguentis congruis patiens adiuuetur.

Cap. LXII.

De Scabie.

SCabies est corruptio cutis ex corruptis humorib. intercutaneis corpori cũ deformatione læsionẽ inferens. Sępe n. *Vt dic. Const.* natura malos humores expellit ad superficiẽ corporis vt mũdificet interiora, quia si fuerint subtiles & liquidi, de facili sudore & fumo dissoluũtur, grossi vero sub cute permanent, & corpori scabiem introducunt. Humor

mor vero sic inclusus inter cutem & carnem si cholericus fuerit & incensus scabiem inducit siccam non saniosam cum fissura, prurigine & punctura. Si vero fuerit humor phlegmaticus albam, grossam & squamosam, & sine pruritu magno scabiem facere consueuit. Scabies autem humida saniosa cum delectatione pruriginosa, calidum sanguinem mixtum cum cholera demonstrat. Frequenter autem accidit ex nimia corporis repletione frequenter etiam ex ægritudine præcedente, vnde virium sequitur depressio & superfluitatum incrementum. Fit etiam quibusdam inueterata scabies ex splenis vitio & talis de facili recidiua, scabies autem cum desiccatiuis & consumptiuis & mundificatiuis intus & exterius est curanda.

Cap. LXIII.

De Impetigine.

IMpetigo est intercutanea humoris corruptio immutationem cum prurigine cuti inferens. Cholerica enim superfluitas quædam fumosa ab interioribus ad exteriorem carnis superficiem reiecta, cutem inficit, & eam minutissimis pustulis replendo scabiosam quasi furfure dispersam scissam & prurigiosam efficit, & hæc infectio de materia cholerica vel melancholica nimis intensa aliquando ortum trahit, *Vt dicit Constantinus*. Et dicitur hæc passio impetigo, quia titillatione & pruritu maximo cutem & carnem lædendo impedit. Dicitur & serpigo, quia ad modum serpentis serpit in cute, vndique atque repit & cutẽ quam inficit quibusdam squamis post scalpationem reddit fædam. Hæc passio aliquando ad modum cinguli superficiem membri vndique circumcingit, & talis impetigo vel serpigo herpes cingulus à medicis nuncupatur. Impetigo tamen differt à serpigine, quia fit de magis impetuosa materia & ignita, quia de cholera, & ideo oblonga facit foramina & stricta, sed valde parua & semper mouetur sursum sicut ignis, serpigo de minus ignita, & ideo non mouetur sursum, sed circumcingit membra & circumquaque se diffundit. Vnde dicitur, quasi serpens per gyrum. Hæc passio est curanda suffumigationibus, & balneis apertiuis & consumptiuis mundificatiuis, & extersiuis, similiter & vnguen-

tis.

tis. Inungantur cum succo ebuli, sambuci, lappacii, fumi terræ, & huiusmodi, postea balneum aquę dulcis asuescat, *Vt dicit Constantinus*, dicitur autem quod contra hanc passionem valet sputum hominis, quam diu est ieiunus. Huic passioni semper associatur prurigo seu pruritus quidã, immoderatus fricationis & scalpationis appetitus, falsam quandam delectationẽ ingerens ex fumo calido & acuto mordicante cutem à materia calida resoluto, falsa autem talis delectatio & nociua est, quia cutis inducit vlcerationem & discontinuationem & semper ingerit læsionem interit & dolorem,

Cap. LXIIII.

De Lepra.

LEpra est membrorum corruptio & humorum initium habens, à vasis & complementum in fontibus siue extra vasa, nam corrupto humore nutrimentali, de facile corrumpuntur membra, quæ ex humoribus nutriuntur, omnis autem elephantia siue lepra *secundum Constantinum* habet principium principaliter à corruptione melancholiæ. *Vnde dicit Constantinus, lepra est passio frigida & sicca, nascens ex cholera nigra, intensa & putrefacta, apparens in superficie corporis.* Nascitur enim de quatuor humoribus putrefactis, sed tamen intensis & corruptis, & in choleram nigram commutatis, *Vt dicit idem ibidem*. Putrefactio autem humorum quibus admiscetur melancholia, propter eius qualitatem frigidam & siccam putrefactioni repugnantem, non potest compleri in venis siue in vasis, quoadusque incorporetur, & moram faciat in membris, in quibus completur putrefactio, ex qua sequitur ipsa lepra. Melancholicus enim humor propter suam duritiẽ & compactionem longam moram expedit ad sui putrefactionem, si autem in venis aliquo casu putresceret, potius febrem quam lepram generaret. Diuersificatur autem lepra quatuor modis, secundum quatuor humorum mutuam intermixtionem, Est enim vna species ex pura melancholia, & hæc proprie dicitur elephantia, ab elephante animali, maximo sic vocata propter morbi maximum nocumentum quo infestat patientem. Vnde hæc passio durior est cæteris, tanquam compactior & difficilior ad curandum

& re

& reprimendum. Secunda fit ex melancholia & phlegmate, & hæc dicitur tyria vel serpentina à tyro serpente, quia sicut serpens talis de facili dimittit spolium; & est squamosus, sic patiens talem lepram de facili excoriatur ex cutis superficie & resoluitur in quandam squamam. Tertia species fit ex melancholica sanguinis infectione, & dicitur alopecia & vulpina, ἀλώπηξ enim græce, vulpes dicitur latine, cuius proprietas est propter calefactionem sanguinis in epate æstiuo tempore depilari, sic patiens istam lepræ speciem à superciliis & aliis pilis corporis depilari & spoliari notabiliter consueuit. Quarta est species ex cholera rubea corrupta in membris cũ melancholia, & dicitur leonina à leone tali animali calidissimo & fortissimo. Sed hęc species lepræ causatur ex humore feruentissimo, & super modum malitioso, & ideo more leonino corrodit & destruit omnia membra. Est igitur ex melancholia corrupta principaliter elephantia, ex corrupto phlegmate tyria siue serpentina ex corrupto sanguine alopecia seu vulpina, ex cholera vero rubea pessima leonina. Hæ quatuor species lepræ habent quædam signa communia & quædam specialia, quibus ab inuicem distinguuntur. Vniuersaliter autem hæc passio talia habet signa, caro in eis notabiliter est corrupta, & species immutatur, rotundantur oculi, & palpebræ corrugantur, aspectum habent scintillantem maxime in leonina, angustiantur nares & contrahuntur, vox rauca efficitur, potissime in elephantia, tuberositates crescunt in corpore multa vlcera minuta, & dura, & rotunda, crurium fit quædam insensibilitas, & etiam aliorum extremorum, vngues ingrossantur cum quadam inæqualitate & quasi scabiosi efficiuntur. Item contrahuntur digitorum articuli, & manus quasi aridæ efficiuntur, corrumpitur eorum anhelitus, & eius fætore sæpius sani corrumpuntur, carnis & cutis superficies redditur vnctuosa, in tantum, vt si aqua superfundatur nõ madescit cutis sed elabitur quasi à corio madefacto pruritum, quandoq; cum scabie, quandoq; sine scabie patiuntur, maculis variis, nũc ruffis, nunc liuidis, nunc nigris, nunc subalbidis in corpore resperguntur, tibiæ illorum maculis & pustulis præcipue superabundant, nunc apparent, nunc disparent, nunc exterius erumpunt, nunc interius se profundant, si vero inter pustulas ti-

las tibiarum semper vnam maiorem cæteris inueneris, signum est lepræ confirmatæ. Signum autem lepræ maxime confirmatæ apparent in extremitatibus, vt in pedibus, cruribus, & in facie, & præcipue in musculorũ corporis consumptione & minoratione. Præter istas conditiones lepræ cõmunes quælibet species lepręhabet suas proprias & speciales. Nam patientes leoninam habent colorẽ magis croceum & citrinum, & oculos magis scintillantes & eminentes, & etiam multum mobiles. Cutem habent aliis asperiorem, scissam sæpe & diuisam, præ aliis etiam sunt pruriginosi, & in fine, & in omnibus membris plus corrupti. Patientes vero alopeciam ex toto depilãtur eorum cilia & supercilia, valde tument & inflantur eorum oculi & valde rubent, pustulas in faciẽ rufas habent, ab eorum pustulis sanguis cum saniẽ sæpe manat, nasus in talibus ingrossatus, & deficit odoratus, fætet valde eorum anhelitus, & maximã corruptionem sustinent in gingiuis, patientes tyriam, tuberositates & pustulas habent molles, mollem & subalbidam habent cutem & tumidam, & quodammodo relucentem; squamositatem non modicam & pediculariũm vermium multitudinem. Has & alias pessimas habent conditiones, quæ ex phlegmate corrupto originem sortiuntur, vt sputa immunda, viscosa & saniosa & nares obturatas & huiusmodi, oculi eorum lacrymantur & fluunt, propter superfluitatis humidã resolutionem, putrefactionem patiuntur, labiorum & gingiuarum; & tracheæ arteriæ patiuntur asperitatem & efficiuntur rauci, sanguis post phlebotomiam in liquidam defluit substantiam, illud autem quod est solidum, est album vel subpallidum, cum lauatur, cito coagulatur, & in multa quantitate, patientes vero elephantiam colorem habẽt æmulum, faciem plumbeam, ciliorum patiuntur depilationem, oculi eorum rotundantur, nares constringuntur, musculi consumuntur, & hoc est commune in omni lepra in sicca plus quam in humida; insensibilitatem maiorum digitorum præcipue patiuntur, tarde venit ad augmentum, sed cum venerit inducit scissuras, sanguis extractus liquidi coloris vel subnigri cito coagulatur, & quanto magis fricatur, tanto magis denigratur & induratur, in medio sunt quasi venæ albæ, vel quasi rami neruorum, & illud est commune in omni

lepra. Nascitur lepra à causis variis, præterquam ab humoribus prædictis, sicut ex cohabitatione & conuictu & frequenti confabulatione cum leprosis, contagiosus enim est morbus & aliorum infectiuus. Accidit etiam ex accessu & coitu mulieris statim à leproso præcognitæ, quandoque accidit ex primis generantibus vt ex corrupto sanguine leprosi generantis. Vnde hæc contagio quasi iure hæreditario transit ad ipsam prolem. Aliquãdo etiam accidit, quando concipitur fœtus tempore menstruorum, vel quando ex corrupto lacte mulieris leprosæ nutritur fœtus. Aliquando accidit ab extrinseco, sicut ex aere corrupto & infecto ex mala diæta, vt ex cibis melancholicis nimis frigidis & siccis, vt ex carne bouina, asinina, vrsina, & huiusmodi. Aliquando accidit ex cibis nimis calidis, vt ex nimis diurno vsu fortis alliatæ, piparatę & huiusmodi. Aliquãdo accidit ex cibis corruptis & corruptioni obediẽtibus, vt ex carne porcina granulis infecta & supseminata, & vino impuro & corrupto. Aliquando ex morsu alicuius reptilis humorum & membrorum substantiã corrumpentis. Istis & aliis modis sæpe vitium lepræ in humano corpore generatur, sed quocunque modo generatur, vix est curabilis nisi diuina manu postquam perfecte confirmatur, palliari tamen potęst & præcaueri, ne destruat ita cito. Caueat itaque patiens à nociuis, præcipue à cibis melancholiæ generatiuis & etiam à cibis incensiui sanguinis. Subtili ergo diæta & conuenienti nutriatur non corruptibili neq; conuertibili. Si autẽ sanguis sit causa vt in alopecia primo debet phlebotomari, deinde purgari debita medicina, in aliis autem speciebus primo debet præcedere pharmacia, & deinde si necesse fuerit, sequitur phlebotomia, aliter non, quia aliter noceret, *vt dicit Constan.* Debitis igitur & congruis medicinis debet vti, interius & debitis emplastris & vnguentis exterius vt symptomatibus occurratur. Ad curationem vero lepræ vel saltem palliationem valet maxime, *vt dicit Platearius* serpens ruffus ventrem habens album, si euacuato veneno cauda scilicet præcisa, & capite ablato, coctus cum porris in cibo frequenter assumatur, eodem modo si vinum in quo diu putruerit patientibus sępe propinetur. Hæc enim medicina vtilis est multis morbis, vt patet in cæco, de quo narrat idem, quod vxor

dedit

dedit ei ſerpentem cum alliis comedere pro anguilla, vt eum interficeret quem appoſitum comedit & multo ſudore emiſſo viſum recuperauit.

CAP. LXV.

De Morphea.

MOrphea eſt macula in cute, veniens ex nutrimenti corruptione, quod enim lepra eſt in carne, hoc morphea eſt in cute. Morphea autem alia eſt alba ex phlegmate, alia nigra ex melãcholica, alia ruffa ex cholera ſiue ſanguine. Iſta autem quæ eſt ex melancholia & phlegmate, difficilis eſt ad curandum, ſed iſta quę ex ſanguine, facilior eſt ad curandum. Tunc autem morphea incurabilis eſt, quãdo cutis faciei puncta acu ſanguinẽ non emittit. Si vero ſanguis fuerit ſubſecutus curabilis iudicatur. Morphea igitur tota in cute eſt, ſed lepra in carne & in cute. Hæc eadem infectio parum differt à gutta roſea, quæ inficit faciem quibuſdam paruis & mollibus puſtulis, quæ ex viſcoſis humoribus ſanguineis & cholericis intercutaneis generantur. Hæc paſſio primo ſanguinis ſubtractione minuatur, & interiorum humorum mundificatione curetur, deinde ſubfumigatione, & balneatione facies fomentetur, & poris apertis materia intercutanea euaporetur. Deinde mundificatiuis & deſiccatiuis locus patiens abluatur, vnguentis etiam debitis inungatur. *Dicit etiam Conſtan.* quod cõtra iſtam infectionem valet vnctio calidi ſanguinis leporini. Nam ſanguinem intercutaneum diuidit, repercutit & conſumit. Super omnia autem contra huiuſmodi paſſionẽ humoris intercutanei valere dicitur fumus terræ in balneis ſuffumigationib. in apozimatibus & ſyrupis. Potui enim datus ſcabiem, puſtulas, & pruriginem mundat, humores ſuperfluos inter carnem & cutem deſiccat vel ad lepram diſpoſitos iuuat.

CAP. LXVI.

De Veneno Vipera.

PRæter paſſiones ſuperius nominatas, accidit homini grauiſſima & periculoſiſſima mors & paſſio per venenum. Venenum autem cum ex tota ſua ſpecie complexioni hominis ſit contrarium, ſubito interficit niſi reme-

dium citius apponatur. Venenum autem aliud accidit ex corruptione ciborum & potuum, aliud ex morſibus reptilium, vt ſerpentum & quorundam animalium, quorum humores & dentes ſunt humano corpori venenoſi. Venenum autem aliud eſt calidum & ſiccum, ſicut venenum tyri & viperę, & huiuſmodi. Quoddam autem frigidum & ſiccum, vt ſcorpionis, quoddam frigidum & humidũ ſicut araneæ, venenum autem ſerpentis variatur in malicia, *vt dicit Auicen. in cap. de venenoſ.* Nam venenum maſculinum fortius eſt & acutius quam fœmininum, tamen fœminini ſerpentes plures habent dentes quam maſculi, & ideo putantur deteriores, *vt dicit Auicen.* Item venenum ſenum peius eſt quam iuuenum, & magnorum quam curtorum in eodem genere, & acutius eſt illorum qui habitãt in montibus & in ſyluis, quam illorum qui habitant iuxta littora & iuxta aquas. Item peius eſt venenum quod effunditur à vacuis & à ieiunis quam repletis. Item deterius eſt & acutius in æſtate quam in hyeme, citius enim & facilius pungunt ſerpentes in meridie quã in mane, & in die quam in nocte, quia calore reſoluitur venenum vſque ad extrema, & in frigore & in frigido tempore quaſi in vno loco congelatur. Venenum autem tyri & viperę, & aliorum quorundam ſerpentum, quamuis ſit calidum, accidit tamen morſis ab eis ſtupor & frigiditas propter mortificationem & extinctionem caloris innati per contrarietatem veneni. Calor enim naturalis ſua ſparſione & inflammatione calefacit corpus, qui repreſſus & quaſi extinctus vi veneni extremitates calefacit. Vnde venenum calidum non aggregat ſanguinem cordis calidum, ſed reſoluendo calorem innatum, mortificat ipſum. Venenum autem reguli & baſiliſci tantæ eſt violentiæ, quod adhuc exiens in corpore adurit totum ſuper quod incidit. Vnde in circuitu cauernæ eius nihil creſcit nec vireſcit. Aues volantes ex oppoſito cauernæ ſuæ ſubito interficit, & omne animal ſibi appropinquans ſtupeſcit nec mouetur, ſed ſolo veneno aſpectus eius flatu ſiue ſibilo cadit vel moritur, & ille quẽ mordet liquefit & inflatur, & emittit virus, & ſubito moritur. Tantæ enim fortitudinis eſt venenum reguli, quod etiam ſi haſta eum tangeres, per haſtæ longitudinem veneni ſentires violentiam, *ſicut narrat Auicen.* de quodam, qui

qui cum lancea tetigit vermem talem in India, & statim cecidit mortuus cum animali suo. Signum autem læsionis ipsius basilisci est subita transmutatio corporis in viridem colorem, & mors inopinata. In loco vbi regulus commoratur, venenum aspidis perniciosissimum est. Interficit enim sæpe infra duas horas vel tres. Cuius morsus signa sunt ista, coloris cutis subita alteratio, singultus multiplicatio, membrorum repentina infrigidatio, dormitio, & palpebrarum profunda clausio, sitim prouocat immoderatam, videtur patienti quod moritur sola siti. Venenum etiam cuiusdam aspidis qui dicitur spuens, eo quod interficit per sputum suum, ita est violentum quod interficit omne viuum quod tangit illud sputũ, interficit enim prius quam sentiatur. Sentit tamen læsus dolorem in principio circa viscera, & accidit venenatis tenebrositas oculorum & clausio, & profunditas somni cum spasmo, & torsione colli, & pulsu inordinato, nec valet contra illud venenum aliqua medicina, nisi sola combustio membri in quo est, vel præcisio membri, quia combustio exurit & constringit meatus, ne venenum valeat ad cor penetrare. Venenum etiam draconis multum est venenosum & maliciosum, cuius venenositas maxime est in cauda & in felle. Illud venenum sequitur maxima grauitas corporis, inflantur labia, & accidit vertigo & tenebrositas oculorum, & destruitur ratio, motus fit inordinatus, & debilitas virtutis subsequitur. Venenum scorpionis est mortiferum, nisi citius occurratur, arsuram & puncturam generat circa membrum vbi est punctura, & cum perueniat ad cor, patiens syncopizat & resoluitur in sudorẽ, tandem constringit cor, & sua frigiditate congelat, ex quo sequitur mors & destructio animalis. Quære infra de scorpione lib. penul.

Cap. LXVII.

De morsu canis rabidi.

Morsus autem rabidi canis est mortifer & venenosus. Nam, *vt dicit Constantinus*, canis frigidus est & siccus, cui cholera nigra dominatur, quæ mutata & putrefacta & dominans corpori, canem efficit rabiosum. Fumositas enim resoluta ex nigra cholera iam incensa inficit cerebrum.

rebrum. Vnde cum discurrit ad diuersas partes, eas inficit & efficit venenosas, vnde cum aliquem momorderit, eius saliua venenosa subintrante, locum morsionis inficiuntur humores & spiritus, & contrahitur venenũ infixum ad locum consimilem suæ generationi, scil. ad cerebrum, & efficitur homo rabiosus, qui si alium momorderit eum inficit, & etiam rabidum illum facit. Vnde tale venenum est summe periculosum, tum quia diu latet, tum quia se multiplicat. Aliquando etiam latet vsque ad anni reuolutionem, & tunc easdem die ac hora qua fuit infixum, caput petit & phrenesim facit. Hanc venenositatem sensu naturæ percipiunt alíi canes, & fugiunt rabiosum, & latrãt super ipsum ad terrendum eum, *Vt dicit Constan.* quia sentiunt eum sibi contrarium & nociuum. Accidit autem hæc venenosa rabies maxime in autumno, quia tunc melancholia ratione similitudinis multiplicatur, & etiam in vere, quia per calorem temporis dissoluitur, & nõ consumitur, & ita per conculcationem intenditur & egreditur præter naturam. Tantæ etiam venenositatis est lingua canis rabidi, quod facit canem nutantẽ sicut ebrium, & aperto ore, lingua dependente, & saliuam continue emittente incedentem, quę cadens in aquas ipsas inficit, & bibentes ex eis hydropicos efficit & furiosos, alias proprietates canis rabidi quære infra de cane.

Morsi autem à canibus vident in somnis terribilia, & sunt timorosi, stupidi, sine causa irascuntur, ab aliis videri timent, & etiam sicut canes latrant, & super omnia timẽt aquam & abhorrent, & tunc hæc passio vix curatur, *hucusque Constan.* Sunt etiam multa alia venenosa & venenorum pericula. Sed de his specialiter mentio habetur in diuina scriptura, & ideo de aliis supersedendum est quo ad præsens opusculũ ista vice. Hoc solum hic arbitror aduertendum, quod venenum multa & infinita incommoda in corpore operatur. Cum enim tota sua species naturæ & complexioni humanæ sit contraria, quando præualet in corpore, totam naturam distemperat, spiritus & humores corrumpit & alterat, sui malicia & acumine, quod nobilius est in corpore, scil. regionem cordis primo aggreditur & impugnat, animalem spiritum suo acumine percutit in cerebro & perturbat, sensuum organa & eorum operatio-

nes

nes subito debilitat, neruos concutit & vulnerat, venas & arterias inficit, asperat & corrugat torturam, & arsurã & mordicationem in interioribus generat, substantialem cordis & epatis humiditatem nunc incendit, nunc congelat, nunc dissoluit, nunc resoluit, nunc penitus consumit & desiccat, dum interiora comburit, exteriora infrigidat, & è conuerso, sæpe corporis superficiem vehementi calore exterius afficit, & cum potentiali frigore sanguinem in venis cordis mortificat & constringit sui diffusione, per membra corpus intumescit, nunc etiam pallet, nunc lucet, nunc viret subito, nunc nigrescit per macularum diuersitatem corporis exterius inficientem superficiem, eius interior malitia innotescit, & abominationem & nauseam horribilem stomacho ingerit, & ipsa vitalia membra acumine suo penetrat & corrodit, propter quod natura eius impetum ferre non sustinens, deficit vltimo & succumbit, corpori prædominans humores in sui similitudinem conuertit, & venenosos & noxios ipsos efficit, & ideo periculosum est tangere corpora, quæ veneno sunt infecta, quia per euaporationem sæpe inficiunt, & corrumpunt omnia quæ sibi sunt propinqua. Sæpe autem contingit, quod venenum in se cum sit naturæ horribile & inimicum appetitur à natura non propter se, sed propter aliquid dulce & amicum naturę cui est admixtum, quia sæpe sub specie dulcis & sapidi, occultatur & latitat vis veneni. *Et ideo docet Constantinus*, vt homo qui timet venenum, non solum caueat à fætidis & amaris, verum etiam à dulcibus & saporosis, salsis & acetosis, & consimilibus, quia sub talibus quæ appetit natura, sæpe veneni malicia palliatur. *Docet etiam Constantinus* per effectum cognoscere, quando venenum in cibis vel in potibus est assumptum. Si quis, inquit, in cibo vel potu senserit arsuram, & subsecutus fuerit, cito spasmus vel tumor in digito vel in vngula, venenosum est & mortale.

Ex quo etiam apparet signum veneni in digitis & vnguibus qui fiunt ex fumositatibus cordis, signum est quod venenum iam præualuit circa interiora, ex quo iam se diffundit ad extrema. Et sequitur ibidem, similiter si ore hiauerint & saliuam effluere fecerint, & labia formicauerint, in lingua ardor fuerit & sudauerit, præcordia præstrinxerint,

rint,& obtenebrauerint oculi,oportet vt festinent ad medicinam, alioquin cito morientur. Est igitur generalis medicina contra venenum in corpore sumptum vt primo vomitus prouocetur, & hoc superius vel per clistera inferius, venenosa materia euacuetur, deinde theriaca quæ veneni repressiua est & consumptiua cũ vino decoctionis rutæ offeratur, & hoc tribus diebus, deinde debet purgari & balneari secundum exigentiam veneni, ad vltimum debet fieri phlebotomia, diœta debet ordinari, vt nutriatur vnctuosis & opilatiuis meatuum ad cor, ne vapor venenosus possit ad cor exhalare, valent itaque in hoc casu nuces magnæ & auellanæ, ficus siccæ, attrahunt enim venenum & consumunt, & ideo valent ante prandium & post. *Dicit etiam Constantinus*, quod multum valet balsamus cum lacte mulieris contra arsuram & dolorem ex rebus venenosis. *Item ibidem sequitur*. Andromanthus dicit nullam fuisse causam conficiendi theriacam, nisi ad destruendum res venenosas, quod tribus modis fit, quia venenum desiccat & consumit, multa enim recipit desiccatiua. Item venenum virtute sua expellit, quia multa recipit quæ occulta proprietate veneno contrariantur. Item membra confortat, & ideo eis contra violentiam veneni ad resistendum vires attribuit, multa enim recipit confortatiua. Quod si theriaca haberi non poterit & periculum est in mora, allium *vt dicit Constantinus* conquassetur & vsque ad dissolutionem cum gallina grassa decoquatur, & ius detur ad bibendum, veneno enim repugnat & miro modo interiorem arsuram mitigat, & ideo theriaca rusticorum allium nuncupatur. Sine allio dicitur valere ius gallinę *secundum Constant.* Dicitur etiam in lib. de simplici medicina. quædam repugnant veneno ipsum attrahendo ab interioribus calore & subtilitate substantiæ suæ sicut gallus & gallina fissa, supposita venenoso morsui. Quædam repugnãt similitudine & subtilitate substantiæ suæ contra substantiam veneni, & ideo sua similitudine venenum ad se attrahunt vt caro tyri, quadam proprietate occulta. Repugnant etiam quædam composita & simplicia efficacia & virtute, sicut calamentum, succus caulis, orobi. grana citri, hipericon, nasturcium, ruta, sal, porrum aristologia, nuces comestæ cum ruta, radix asparagi & semen eius, balsamum, a-

cetum,

cetum, sanguis leporis, lac asinæ, vrina puerorum, hericius, testiculi ceruini & asinini, siccati & bibiti, castoreum, allium, gentiana, menta, dyptanum & multa alia infinita. Quia enim multa sunt venenorum pericula, ideo diuina bonitas multa superaddit antidota & remedia, sed ista exẽpli gratia iam sufficiant.

Cap. LXVIII.

De remedio contra morsum canis rabidi.

Contra morsum canis rabidi & aliorum venenosorum animalium, solent à peritis vulnera cum igne vel ferro diuidi & purgari, vt sanguine extracto venenum effluat. Solent apponi sanguisugæ & ventosæ vt venenum ab interioribus extrahatur. Interius solent dari ista quæ veneno repugnant, siue sint simplicia siue composita, vt theriaca exterius super vulnera, & similia cataplasmentur, sicut nuces pistatæ cum allio, ruta & sale, valent enim nuces comestæ, & supra morsum positæ. Cum prædictis *Dicit Dioscor.* quod cancri fluuiales habent occultam virtutem contra hoc venenum. *Et ideo docet Constantin.* talibus dare theriacam cum aqua cancrorum fluuialium. Cinis etiam cancrorum cum gentiana singulare est remedium contra huiusmodi morsus, *Vt dicit idem.* Et etiam contra hominis morsum rabidi specialiter valent ista, scilicet succus caprifolii, cæpæ, ruta, nuces, allia, sal, frondes ficus, menta, orobum. Hæc omnia vel aliqua cum aceto & melle talibus morsibus salubriter apponuntur, *Vt dicit Constantin.* Hæc enim omnia venenum attrahunt, & sua caliditate & siccitate dissoluunt destruunt & consumunt, contra morsum & puncturam scorpionis oleum in quo submergitur vel decoquitur scorpio super puncturã appositum, summum remedium est. Item si accipiatur idem scorpio vel alius & contritus siue pistatus super vulnus apponatur, vtilissimum est, reuertitur enim venenum infixum ad corpus, vnde exiuit. *Item dicit Constantinus*, quod multum valet butyrum bouinum contra venenum scorpionis. Nam butyrum vnctuositate sua opilat, caliditate dissoluit, & consumit viscositate, & humiditate sua mundificat & abstergit. Butyrum ergo comestum opilat meatus, ne fumus veneni

ad cor aſcendat, valent etiam cancri fluuiales, ſi eorum cinis vel ipſi cocti vel aſſati ſub cinere dentur cum lacte aſinino, *Vt dicit Conſtantinus.* Ad idem valet caſtoreum, & ſulphur *Vt dicit idem*, vtrumque enim calidum eſt & ſiccum in quarto gradu, & ideo valet contra venenum frigidum, quia diſſoluunt caliditate & conſumunt ſiccitate. Contra morſum colubri, ſerpentis & viperæ, venenum primo ventoſis vel alio modo de vulneribus vel punctura ſubito extrahatur. Theriaca cum vino decoctionis gencianæ vel rutæ vel mentæ offeratur, circa locum, & ſuper vulnus theriaca apponatur. Idem fiat cum allio, ſale contrito vel cum ruta ſi defuerit theriaca, conſtringatur fortiter in principio membrum in quo ſit morſus vel punctura, ne poſſit fumus veneni libere erumpere ad interiora & interius cum veneno repugnantibus occurratur, *dicit enim Conſtantinus* quod contra huiuſmodi venenum valent cerebrum gallinæ & fimus agninus, & ſuccus de frondibus malorum granatorum, diſſoluunt enim iſta venenum & præparant conſumptionem, *Vt dicit comm.* Hęc de venenis & eorum remediis nunc ſufficiant.

CAP. LXIX.

De Medicina.

AD exhibenda contra varias infirmitates & pericula debita & congrua remedia, indiget prudens medicus circumſpectione maxima & cautela. Nihil enim plus impedit ſalutem infirmorum quam ignorantia & negligentia medicorum. Quia igitur ex parte medici exigitur vt nihil omittat de contingentibus, neceſſe eſt vt his, quæ ad medendi pertinent induſtriam, diligens ſit & in omnib. circumſpectus. Oportet itaque medicum ad hoc vt efficaciter operetur, cognoſcere complexiones hominum, compoſitiones & commixtiones tam membrorum quam humorum, diſpoſitiones temporum, conditiones ſexuum & ætatum. Alia enim medicina exigitur in hyeme, alia in æſtate, alia in morbi inchoatione, alia in ſtatu, alia in declinatione. Aliam exigit ætas puerilis, aliam decrepita vel ſenilis, aliam ſexus virilis, aliam muliebris, oportet etiam vt cognoſcat cauſas & occaſiones ægritudinum, ſigna & acciden-

eidentia ſingularum infirmitatum. Nunquam enim ſecure aliter poterit dari medicina, ſi cauſa morbi fuerit ignota, oportet igitur cognoſcere rerum medicinalium complexiones, virtutes & operationes, niſi enim cognoſceret quæ medicina ſimplex, quæ compoſita, quæ frigida, quæ calida, quæ corporis ſit immutatiua, quæ ſanitatis conſeruatiua, quæ infirmitatis curatiua, quæ laxatiua, quæ conſtrictiua, nunquam ſecure procedere poſſet in medicina. Et ideo neceſſe eſt cognoſcere herbarum & aliarum rerum medicinalium qualitatem, & graduum diuerſitatem, quæ calida & ſicca, quæ frigida & humida, in quoto gradu ſi vult in ſuo officio non errare. Ideo oportet cognoſcere morbi diuturnitatem, contrarietatem, ſimplicitaté, quantitatem & qualitatem patientis virtutem & debilitatem. Nam morbus chronicus & diuturnus fortiori indiget medicina, quam ſi recens eſſet ſiue nouus. Simplex etiam morbus ſimplicioribus & ex contrariis compoſitus contrariis & compoſitis eſt curandus. Simplex enim medicina infirmitatem compoſitam raro curat, contra calidam itaque cauſam, frigida medicina, & contra frigidam calida, & contra mixtam mixta generaliter ſunt ponenda. Vnde cautus medicus morbum cognoſcens ſecundum quantitatem & qualitatem morbi temperat quantitatem & qualitatem antidoti. Item quando videt cauſam morbi eſſe ex repletione, curat per euacuationem materiæ & inanitionem, quando vero ex inanitione ſanat per repletionem. Officium itaque boni medici conſiſtit in cauſarum morbi & circumſtantiarum cauta inueſtigatione, per aſpectum enim & tactum, per vrinam & per pulſum infirmitatis materiam inueſtigat. Cognita autem cauſa ſi materia latitat in profundo, hic vtitur attractiuis, vt ſi materia eſt in remotis partibus & extremis, nititur materiam ad ſtomachum attrahere, vt inde facilius deducatur. Si vero fuerit materia dura & compacta, quibuſdam vtitur digeſtiuis, diuiſiuis & inciſiuis, vt ſic materia mollificetur, & ad eductionem facile præparetur. Completa itaque digeſtione materiæ & attractione, vtitur tertio quibuſdam laxatiuis, vt materia digeſta & attracta per conuenientem regionem educatur, vel per vomitum vel per ſeceſſum vel per ſudorem. Materia enim conuenienter euacuata, vtitur quarto quibuſ-

quibuſdam confortatiuis, vt natura quæ ex violentia medicinæ fuit debilitata & laſſata confortetur. Confortata autem natura vtitur quibuſdam reſumptiuis & reſtauratiuis, vt illud, quod vi morbi vel antidoti eſt deperditum, reſtauraret, paulatim enim & non ſubito eſt reſtauratio facienda diæta congrua temperata. Solet enim natura in ſic euacuatis multum appetere, & ideo ſæpius plus accipere quam digerere poſſet, niſi à cauto medico in diætæ regimine teneretur. Tandem reparata natura & in ſtatum priſtinum reſtituta, decet vti quibuſdam præſeruatiuis, ne ſanatus in peius recidiuet. Talibus ſunt conuenientia balnea, minutiones, electuaria & exercitia moderata, talia enim calorem naturalem excitant, à ſuperfluis naturam exonerant humoribus digeſtionem adiuuant & confortant. Si vero fuerit materia fluida aut nimis laxa, vtitur conſtrictiuis, deſiccatiuis & repercuſſiuis. Materia vero reſtricta cautus medicus ſolet dare conuenientem laxatiuam medicinam quæ educit humores prius diſſolutos, & iam cõſtrictos, ne ibi remanentes vel ad aliam partem defluentes putrefiant & ſic febrem vel aliam inferant paſſionem. Paulatim autem ſolet fieri reſtrictio & repercuſſio, ne materia ſubito repercuſſa recurrat ad aliquod membrum nobile, & maiorem generet læſionem. Similiter & purgatio ſolet fieri per interualla, ne fiat purgatio repentina. Tribus igitur modis ſolet fieri medicina, ſcilicet diſſoluendo, conſtringendo, reſtaurando, aut enim repleta diſſoluuntur, aut diſſoluta conſtringuntur aut deperdita in corpore reſtituuntur. Relaxamus itaque medicinis laxatiuis, vt ſcamoneatis, conſtringimus conſtrictiuis vt achacia & opiatis, reſtauramus cibis & potibus nutritiuis & electuariis ad hoc præparatis. Recollige igitur ex prædictis breuiter, quod medicus infirmorum domos & patrias viſitat & frequenter infirmitatum cauſas & circumſtantias inueſtigat, medicinas varias & contrarias præparat, comparat & deportat, infirmorum abdita membra & occulta tangere & abſtergere non recuſat, conualeſcentiæ & ſpem ſanitatis omnibus repromittit ſuauiter & leuiter vrenda vrere, & incidenda incidere, ſe aſſerit, & ne pars ſana corrumpatur, partem vrit putridam & præſcindit, dolente parte dextera in ſiniſtra percutere non parcit, à ſectione vel arſura etiam

pro

ro lacrymis patientis bonus medicus non desistit, medicinæ amaritudinem dulcedine aliqua palliat & abscondit, bibit & gustat de medicina, quãuis sit amara, ne infirmus abhorreat à cibo & potu ægrum reprimit & refrenat. Illum suo exponit desiderio, de cuius salute diffidit penitus & desperat, amaris & corrosiuis carnem putridam & corruptioni dispositam amputat, ac desiccatiuis saniem fluidam mundat & depurat, post mortificatiua & vritiua quibusdam lenificatiuis dolorem vulnerum mitigat, & mundificato vulnere locum vulneris consolidat atque sanat. Et quia plus lædũt intrinseca mala, quam extrinseca, prudens medicus de mitigandis curandis & expellendis intraneis doloribus, primo curat materiam ibi duram & corruptam interius digestiuis medicinis, vt oximelle vel syrupo acetoso. Primo diuidit & incidit & digerendo ad exitum & euacuationem obedientem facit. Quia *sicut in principio aphoris. dicitur*, digesta medicari oportet & mouere non cruda, digesta vero materia atque habili reddita ad euacuationem eam dissolutam medicina attractiua ab interioribus & remotioribus partibus ad exteriora attrahit. Et ad hoc valent quædam amara, vt ierapigra, ieralogodion, & alia alliata, quia amara citius penetrant ad remotas partes, & extrema magis purgant quam aliæ medicinæ. Tertio materiam sic digestã, sic attractam, medicina congrua euacuat & expellit, caute tamen ne nimia fiat euacuatio, nocet enim corpori quod inde debilitatur, & quandoque plus de bonis humoribus quam malis euacuatur, *iuxta illud Hippocrat. multum repente euacuare aut repellere, calefacere aut infrigidare, fallax est & natura penitus inimicum.* Considerat autem bonus medicus materiam ægritudinis & locum materiæ, & etiam vires patientis, & secundum hoc variat medicinam. Si enim materia siue humor peccans euacuatur, multum confert ægro, si vero non, infirmus amplius molestatur, *Vt dicit Hippoc.*

CAP. LXX.

De Medicina attractiua.

MEdicina attractiua operatur per substantiæ subtilitatem & calorem. Subtilitate sua facilius penetrat, & calo-

calore suo attrahit siue ferrum, siue aliquid intus fixum, siue humores, qui latitant in profundo. Item medicina digestiua est necessaria, quando materia est multum dura & compacta. Incidit enim & diuidit materiam, & sic ad expellendum aptam reddit. Et ideo operatur per incisiua & attenuatiua, quæ subtilitate suæ substantiæ, cooperante calore, partem materiæ separat à parte, vt patet in diureticis. Item medicina laxatiua aliquando purgat materiam digestiuam dissoluendo & attrahendo, vt scamonea recepta in stomacho, fumum subtilem facile penetrantem à se emittit, & humores dissoluens abominabiles naturæ reddit, atque attrahit eos adiuuante virtute expulsiua, & attractos à se eiicit & expellit. Quædam laxant sua viscositate lubrificando, vt mercurialis, malua & huiusmodi. Quædam vero acumine humores penetrando, vt euforbium. Quædam sua glutinositate comprimendo, sicut mirabolani. Quædam sua salsugine intestina mordicando, vt semen atriplicis. Quædam vero dulcedine sua & humiditate intestina infundēdo, vt cassia fistula Itē medicina constrictiua operatur per frigida grossa in substantia. Nam frigidæ partes coadunantur & partium suarum grossitie penetrare prohibentur, sicut galla. Quandoque grossos generat humores, vnde constringunt opilando & virtutem retentiuam confortando, vt escula. Quædam aūt restringunt specialiter sanguinē, vt corallus, bolus, emathithes, plantago & huiusmodi. Quædam ventrem, vt citonia, mora, rosa & huiusmodi. Item medicina induratiua est, quæ vel materiam coagulat & malaginat: & hæc operatur per valde frigida, sicca, vel humida, vt psillium, semperuiua, portulaca, solatrum & similia. Item medicina mollitiua operatur per calida mediocriter & multum humida, similiter & maturatiua. Item apertiua, vritiuam & attenuatiuam habent virtutem, aperit enim meatus opilatos, & attenuat viscosos humores atque siccos, & hoc facit per calidum atque siccum. Item mundificatiua operatur vel dissoluendo vt calamentum, vel mollificando, vt cassia fistula, malua, vel terrestritate & siccitate sua sordes abstergendo. Sunt autem multæ aliæ species medicinæ & differentiæ, sicut mortificatiua, corrosiua, vritiua, diaforetica, repercussiua, mitigatiua & huiusmodi, *de quibus tractatur in libro de*

simplici

simplici medicina. Sed hæc de proprietatibus infirmitatum & medicinarum conditionibus, prout ad præsens opusculum pertinet, sufficiant, vt sic huic negotio finem imponamus.

BARTHOLOMÆI ANGLICI de proprietatibus Mundi & corporibus cœlestibus liber octauus.

Postquam, auxiliante Deo, tractatũ de diuinis nominibus, de angelorum proprietatibus, nec non de homine, & eius partibus & accidentibus, & ipsius conditionibus compleuimus, restat vt ad proprietates mundi sensibilis, quantum nobis datur desuper manus apponamus, vt materiam diuinæ laudis ex proprietatibus operationum possimus elicere conditoris. Inuisibilia enim Dei per ea quæ facta sunt intellecta conspiciuntur, vt dicit Apostolus. Et ideo aliquas mundi huius & contentorum ipsius proprietates huic opusculo, breui sub compendio interserere, proponimus, vt per similitudinem proprietatum corporalium, intellectum spiritualem & mysticum facilius in diuinis scripturis accipere valeamus. A proprietatibus itaq; mundi inchoandum est.

CAP. I.

Quid sit Mundus.

Mundus itaque *vt dicit Mercurius*, dicitur tribus modis. Nam mundus dicitur diuinus intellectus, mundus, scilicet archetypus incorporeus, inuisibilis & æternus, ad cuius exemplum mundus sensibilis est creatus, *sicut dicit Boetius*,

Tu cuncta superno
Ducis ab exemplo pulcrum pulcerrimus ipse,
Mundum mente gerens, similiq; imagine formans, &c.

Secundo modo dicitur mundus vniuersitas eorum, quę cœli ambitu continentur, vt cœlum in quo sidera lucent. Ignis in quo omnia calent. Aer in quo omnia viuentia spirant & vigent. Aqua quæ terræ latera circumcingit. Terra quæ omnia inferiora sustinet atque nutrit. De quo dicitur: mundus per ipsum factus est. Tertio dicitur homo minor mundus, quia totius mundi imaginem in se repræsentat. Est itaque primus mundus æternus in diuina mente æternaliter permanens. Secundus mundus perpetuus est, diuina voluntate esse perpetuum & originem ex illo contrahens. Tertius secundum quid est perpetuus, secũdum quid est caducus omnium similitudinem in se gerens. De primo autem mundo & de tertio in præcedentibus dictum est. Nunc de mundo sensibili dicendum est. Mundus igitur *vt dicit Marcianus*, est vniuersitas creatorum conglobata in sphæræ modum. Nam mundus sphæricam & circularem habet speciem & figuram. Nec fuit, *vt dicit Marcianus*, alia figura mundo ita congrua, sicut orbicularis & rotunda, & hoc propter vniuersitatis perfectionem, & propter illam quam habet in esse perpetuo cum suo opifice, qui fine caret & principio configurationem. Mundum autem totum philosophi in duas partes diuiserunt: quarum nobilior & simplicior pars superior & actiua à circulo Lunæ se extendens, vsque ad planeticam regionem: Altera pars est inferior passiua, quæ à lunari globo incipit, & vsq; ad centrum terræ inferius se protendit. Istum particularem mundum inferiorem describit *Marcianus*. Mundus, inquit, est circulus, ex quatuor elementis eisdem totis in sphæræ modum conglobatis, terram in medio vndiq; defixam, æternis cœli raptibus circũcurrens. Ad istius mundi compositionem creauit diuina virtus primordialem materiam, in qua velut in quadam massa erant potentialiter quatuor elementa non distincta, sicut modo, sed erant permixta, & illa massa hyle *à Platone in Timæo* est vocata, ex qua diuina sapientia omnia elementa, & elementata composuit & produxit, & propriis qualitatibus in regionibus ordinauit singula, & distinxit. Nam quod in illa materia calidum fuit & siccum, cessit in materiam ignis, quem ratione suæ leuitatis diuina sapientia superius collocauit. Quod vero frigidum & siccum in summa fuit, cessit in materiam

teriam terræ, quam sua ponderositas & compactio inferius posuit. Quod autem calidum & humidum fuit, in materiam aeris cessit. Quod vero frigidum & humidum, in materiam aquæ conuertit. Et hæc duo elementa secundum maiorem vel minorem leuitatem, & rarefactibilem subtilitatē in medio ignis & terræ collocauit. Vnde istam materiam primam *Plato vt potuit in Timæo sic descripsit: Fuit enim hyle, id est, prima materia sine qualitate & sine quantitate, sine colore, sine specie, sine loco, sine tempore, inter aliquam substantiam & nullam existens, &c.* Hæc verba multum sunt difficilia, tamen sic exponuntur: quia dicitur fuisse sine quantitate, non quia omnino fuerit sine omni quanto, sed quia non fuit determinatæ quantitatis, quo ad nos. Sicut gigas dicitur immensus, quantum excedit aliorum hominum quantitatem. Ideo etiam sine qualitate dicitur, quia non habuit à qualitate aliqua specialiter nominari, non enim potuit plus calida quam frigida dici, nec è conuerso. Et sic de aliis. Sine colore, quia non habuit aliquem colorem innatum in aliquo elemento. Sine tempore fuit, quia nondum fuerant tempora & temporum vicissitudines, quando hæc materia est creata. Sine loco fuit, quia non habuit determinatum locum plus sursum quam deorsum, nec plus in latum quam in longū. Inter aliquam substantiam est & nullam, quia nulla substantia materialis præcessit illam, sed aliqua est secuta. Materiale igitur principium mundi inferioris fuit illa materia inuisa, scil. prima materia communis, quæ omnium formarum & materiarum fuit susceptibilis, quæ etiam sub diuersis speciebus & formis conseruatur. Permanet enim hæc materia quo ad substātiam incorrupta, quamuis continue quo ad qualitates transmutabiles alteretur, quia ista materia quæ modo per rarefactionem manet sub forma ignis & sub igne, statim per condensationem induet formam aeris, quæ prius sub specie ignea fuit ignis. Ex quo patet quod prima materia qua mundus materialiter constat est ingenerabilis & incorruptibilis, à qua omnia materialia incipiunt, & in quam redeunt tanquam ad matricem. Mundus itaque ex rebus multis oppositis & contrariis est compositus, & tamen in se est vnus. Mundus enim vnus est numero, & non plures mundi, & hoc propter ma-

teriæ vnitatem, *ſicut in libro dicitur de cælo & mundo.* Occupat enim totam materiam ſuam, *ſicut ibi dicitur in cap. de ater. mun.* Mundus ergo de quo hic loquimur, non eſt diuerſus in ſe, neq; diuiſus ſecundum ſubſtantiam, quamuis in ipſius partibus inueniatur contrarietas, quo ad aliquam qualitatis repugnantiam. Summam enim & neceſſariam habet mundus in ſuo toto conuenientiam, & quaſi quandam muſicam harmoniam, quamuis in aliquib. eius partibus propter qualitates repugnantes aliquam pati diſſimilitudinem videatur, *ſicut expreſſe dicit Auguſtinus ſuper Geneſ.* Tranſibit autem mundus iſte quo ad iſtam paſſibilem, quam modo habet, ſpeciem & figuram. Sed permanebit in eſſe perpetuo quo ad ſubſtantiam & naturam, *ſicut idem aſſerit Auguſtinus. Et dicit gloſ. ibi. Cælum & terra tranſibunt, &c. Matth. 24.* Ex quo patet, quod mundus ratione ſuæ mutationis eſt ſiquidem admirandus nihilominus tamen propter materiæ nobilitatem, & formæ virtualem actualitatem, & per conſequens productionis & generationis rerum tam facilem poteſtatem, non tam ipſe mundus, quam mundi opifex Deus, ſuper omnia eſt laudandus. Nulla enim eſt tam vilis, tam infima in tota mundi machina pars ſiue particula, in qua tam in materia, quam in virtute & forma non reluceat laus diuina. Nam in materia & forma mundi quædam eſt differentia, ſed cum harmonia eſt pars ſumma. Nam illa pars mundi, quæ ſecundum naturam purior & ſimplicior eſt atq; nobilior, vniformem habet inclinationem & appetitum ad nobilioris formę ſuſceptionem, & quæ ſpiritualior eſt, magis eſt inclinabilis ad formam ſpiritualiorem. Vnde materia cœleſtis ſimpliciorem & nobiliorem reddit & exigit formam quam elementaris, & etiam ipſa materia cœleſtis nobilior eſt & ſimplicior in nobiliori corpore vt in Sole, quam in Luna, vel in Mercurio, vel in Marte. Materia enim elementaris nobilior eſt in igne, quam in aere vel in cæteris, vnde groſſior eſt materia in terra quam in aliis. Nam ibi ſunt plures partes materiæ aggregatæ, *ſecundum Ariſtote.* vnde dicit quod ex vno pugillo terræ fiunt decem aquæ, imo materia vnius elementi purior eſt in vna parte quam in alia, *ſicut dicit in primo meteor.* partes enim ignis ſuperiores nobiliores & ſimpliciores, & partes terræ centrales ſunt

les sunt grossiores, compactiores & impuriores. Cum enim partes mixtorum sunt ab elementis, secundum quod partes elementares sunt puriores vel nobiliores, fiunt mixta simpliciora vel puriora. Et secundum quod è conuerso est in elementis, è conuerso est in mixtis. Nobilior itaque materia mundi constitutiua, nobiliori indiget forma. Et ideo solet disponi materia secundum quod exigit forma. Quare si de terra debeat fieri ignis, oportet quod materialis terrę grossicies subtilietur & depuretur, & spiritualior & simplicior efficiatur, vt sic simpliciori forma, scilic. ignea induatur. Et vt breuiter dicam, necesse est, vt secundum formæ proprietatem ipsa materia præparetur. Consideratur itaque mundi nobilitas, secundum sui partes digniores, & etiam effectus nobiliores. Et ideo pars mundi superior reputatur dignior, quia ibi materia est purior, & forma est pulchrior, & virtus amplior in superioribus inuenitur. Tanto enim mundus in vniuerso pulchrior est & decentior redditur, quanto deformis pars mundi inferior superioris pulcritudine, decentiori gloria insignitur, *sicut dicit Augustinus*, quædam perfectio claritatis & virtutis, quæ in superioribus præcellit ad perfectionem inferiorum & decorationem continue se diffundit. Quod etiam videtur infima pars mundi in decore & luminositate amisisse, hoc recuperant in fæcunditatis gratia & virtute. Non enim minus est admiranda terræ virtuosa fæcũditas in productione herbarum, arborum, florum & fructuum in generatione varia animalium & reptilium. In varia productione metallorum, gemmarum & lapidum, quam sit admiranda cœli claritas cum diuersitate suorum orbium & astrorum. Et quamuis mundus tot laudabilibus rerum differentiis sit diuinæ virtutis insignitus potentia, multis tamen defectibus & conditionibus miserabilibus, quantum ad eius inferiorem partem, vndique est subiectus. Nam mundus iste quamuis videatur esse genitor & nutritor corporum, carcer tamen est spirituum, & animarum durissimum exilium est ac locus miseriarum innumerabilium & pœnarum. Nam mundus locus est reatus & transgressionis. Incolatus & peregrinationis, doloris & lacrymationis, laboris & fatigationis, horroris & confusionis, motus & mutationis, fluxus & alterationis, transitus &

corruptionis, insolétiæ & perturbationis, violentiæ & op-pressionis, fraudulẽtiæ & deceptionis. In mũdo nihil aliud inuenitur quã vanitas, malignitas, cupiditas, anxietas, defectibilitas, & vetustas, mũdus notos allicit & diligit, ignotos abiicit & contẽnit, mũdus multis obest, paucis prodest, amatores suos decipit & fallit. Nã multa promittit, sed ad vltimũ pauca soluit, contẽptores suos ad modum vmbræ insequitur, & apprehendere non desinit, sed suos sequaces fugere satagit & contendit, & ideo illos quos maxime diuitiis & honoribus hic extollit, in fine maxime depauperare & deiicere consueuit. Et, *vt verbis beati Gregorii vtar, fugiendus est mundus etiam si prosperis nos demulcet.* Qui ergo tot calamitatibus pulsat, quid aliud quam vt deseratur clamat. Et hæc de proprietatibus mundi in generali dicta iam sufficiant.

CAP. II.

De Cœlorum distinctione.

NVnc ad describendas proprietates eius, aliquas de cœlo & eius partibus, CHRISTO adiuuante, manum apponamus. *Nam cœlum Angelorum & hominum bonorum locus est & habitaculum, vt dicit Beda.* Cœlum autem, secundum sanctorum traditiones, aliud est visibile, aliud inuisibile. Cœlum autem visibile est multiplex, *sicut dicit gloss. super Deut.* 10. *ibi. cœlum Domini Dei tui est & cœlum cœli.* Septem sunt cœli, scil. aereum, æthereum, olympeum, igneum, firmamentum, aqueum, empyreum cœlum, scil. Angelorum. Cœlum itaque aereum vocatur medium aeris interstitium, quod à grossis vaporibus aquæ & terræ nõ per omnia est infectum, vnde illa pars aeris purior, & ab inferioribus qualitatibus impermixtior, propter sui puritatem & dyaphaneitatem siue naturam transparentem cœli nomine nuncupatur, *sicut dicitur super Matt.* 13. *Volucres cœli comederunt illud, &c.* Cœlum æthereum, *secundum quosdam*, vocatur supremum aeris interstitium, quod immediatius spheræ ignis est coniunctum. Et dicitur æthereum, quia illud medium inter ignem & aerem confinium est ab igne, splendoris & illuminationis receptiuũ. Etheros enim Græce, splendor dicitur latine, *vt dicit Isido.*

Cœlum

Cœlum vero igneum, *secundum quosdam*, vocatur centrum spheræ ignis, propter ipsius ignis puritatem, subtilitatem & summam, quam habet præ cæteris elementis actualitatem, & propter alias quasdam nobiles cœlestes, quas consequitur ex vicinitate orbis, planetarum proprietates. *Secundum Gregorium autem super locum illum Iob: Intuere cælum & contemplare æthera, &c.* nomine ætheris intelligitur tota regio, à Luna vsque ad stellas fixas, in qua sunt orbes & circuli septem planetarum. *Quare infra proximo de æthere, quid super hoc sentiat Marci. Alexander sic ordinat septem cælos dicens*: Primum cœlum est luminis datiuum, vniforme, & non motum, scil. empyreum. Secundum cœlum donatiuum dicit esse luminis, vniforme & motum, scilic. aqueum & crystallinum. Tertium datiuum luminis, non secundum omnem partem luminositatis vniforme & motum, vt cœlum stellatum. Quartum est receptiuum luminis sine calore, scil. olympicum. Quintum est receptiuũ luminis cum calore, scil. cœlum igneũ. Sextum est receptiuum luminis, coniunctum cum parte superiori, & dicitur cœlum æthereum. Septimum est receptiuum luminis, coniunctum cum parte inferiori, scilicet aereum Et sic videtur vocare olympum regionem orbium planetarum, quia illud spacium est continue luminosum. Firmamentum autem vocat cœlum primum, secundum philosophos, & vltimum, in cuius conuexitate sita sunt corpora siderum & stellarum. Nam philosophi non ponunt nisi solum cœlum vnum. Imo, *Vt dicit Basilius in exameron. Prius philosophi linguas corroderent, quam plures cælos esse consentirent.* Illud autem cœlum scil. firmamentum sic describit *Aristot. in lib. de causis elementorum:* Cœlum, inquit, est quintum elementum, ab elementis inferioribus discretum naturali proprietate ac distinctum, neque enim graue est, quia tunc descendere posset, neque leue, quia tunc forsan ascenderet, quia si esset vnum ex quatuor, vel esset compositum ex quatuor, ingrederetur in ipsum corruptio vniuersaliter vel particulariter, imo, *sicut dicitur ibidem*, Creator posuit ipsam causam & principium generationis & corruptionis. Et ideo necesse fuit ipsum esse ingenerabile & incorruptibile, ne pro quærendo generationis & corruptionis principio esset abire ad

infinitum. Est autem cœlum illud inquietum & mobile vniuersaliter, cuius motus est reuolubilis supra medium, scil. super axem, qui stat fixus inter duos polos immobiliter, scil. meridionalem & septentrionalem, & illud cœlum est finitum, quo ad dimensionem & loci extensionem, sed est sempiternum quo ad motum. Mouetur enim à motore infinitæ potentiæ, id est à DEO, qui est sublimis & gloriosus in secula. *Hucusque Aristot. in lib. de cau. elementor.* Vocat autem polos duas stellas in summis cœli extremitatib. in ipsius medio superius & inferius collocatas, quarū vna est superius posita in medio cœli ad septentrionem, & dicitur polus arcticus. Alia est ex opposito ad meridiem, & dicitur polus antarcticus, quasi contra polum arcticum positus. Inter duos istos polos, quasi inter duas sui extremitates cœlū obliq; mouetur ab oriente vsq; ad occidentem, & ab occidente iterū vsque ad orientem, & hoc semper vniformiter, sicut rota mouetur circa axem, vnde axem vocat *Aristot.* quandam lineam intellectualem porrectam à polo vsque ad polum diametraliter & extensam, circa cuius medium totius cœli ambitus æqualiter circumfertur, *sicut ibidem dicit commentator.* De istius cœli natura dicitur in libro de cœlo & mundo, secundum nouam translationem. Cœlum, inquit, est vnum compositum ex materia, quoniam continet materiam ex qua & cœlum nominatur, quæ est vltimus incessus totius scil. vniuersi, & sequitur in eodem, non sunt neq; fuerunt, neque erunt cœli multi. Cœlum enim est vnum perfectum completum, cui non est simile, neque est locus extra cœlum, neque corpus, neque vacuitas, neque plenitudo, neque tempus quod est numerus motus. Vnde illic est vita fixa, scilicet extra vltimum, & est sempiterna, quæ neque deficit neque finitur, & illa est vera vita. *Item idem ibidem*, Cœlum neque fabricatum est neque generatum, sed simplex est, cuius motus est æqualis, in quo non est diuersitas, & est motus eius singularis & circularis, cuius motor est spiritus qui mouet illud sua voluntate, & continuatur radius cœli cum radio ignis, & coniunctus est cum illo ad vtilitatem hominum, propter permanentiam vitæ. Firmamentum itaque vocatur cœlum, quia solidum est & firmum, quia terminum habet intransgressibilē, vnde præ nimia firmitatis sui per-

manentia incorruptibile est & immutabile tam in substantia quam in forma. Est autem forma eius sphærica & conuexa, & quasi concaua quo ad nos, sed quasi conuexa quo ad ea, quæ sunt supra cœlum, cuius motus est naturaliter circularis, & mouetur oblique & circulariter ab oriente in occidentem, voluitque secum & circumducit motu simplici & vniformi infra diei & noctis spacium totum quod sub ipso est, vsque ad ignis regionem. Vnde orbes septem planetarum secum rapit & circumducit. Omne autem quod sub ipso est, *Vt dicit Rabanus*, virtuti eius motiuæ obedit ordine vniformi & imperturbato, virtus quoque eius motiua, sicut ipsemet dicit super expositione Genesis, extendit se vsque ad inferiora hæc eleméta. Vnde & ignem superiorem creditur secum circumrotare, peruenit quoque huius motiuæ virtutis actio vsque ad aerem, & vsque ad aquas, in quibus quo ad fluxum & refluxum in parte marina facit exuberationem. Hæc autem tria elementa, scilicet aer, ignis & aqua, obediunt quidem motui cœli, sed non vno modo, neque vno ordine ipsum imitantur, sed secundum magis & minus, & quod superius est, & leuius & purius obedit magis, & quod est minus tale sequitur tardius & obedit minus.

Terra huic cœlesti motui non obedit & virtuti, vt ab eo suscipiat localem motionem, quamuis ad producendas ex se species diuersas eius suscipiat impressiones, habet igitur firmamentum (*sicut dicit idem Rabanus*) quo ad motum incessum vniformem, ordinatum & imperturbatum, omnium tamen motuum velocissimum; vnde ne propter velocitatem motus eius mundi machina dissoluatur, retardatur ordinato motu planetarum, & sic motus eius impetus motu contrario moderatur. Mouetur quoque & quiescit, quia licet in partibus mutet situm, tamen in toto neque situm mutat neque variat locum. Turbatis igitur inferioribus, & quasi casualiter fluctuantibus, cœlum cum suis orbibus ordinis sui tenorem saltem in puncto nullatenus derelinquit, vnde motus cœli est totius temporis primum subiectum, & modus & regula omnium motuum aliorum. Est igitur firmamentum mediante motu suo generationis & corruptionis in mundo inferiori principium effectiuum. Cuius ratio, *Vt dicit Rabanus*, quoniam firma-

mentum sui luminis virtutem generationis effectiuam ad terram tanquam ad proprium centrum dirigit & destinat & radios suos in terræ superficie aggregat maxime & coadunat, sicut ostenditur in scientia perspectiua. Omne enim corpus sphæricum, concauum & luminosum in quolibet puncto suo dirigit vnam lineam radiosam in cẽtrum illius corporis luminosi ad superficiẽ centri, & quãto quælibet linea radiosa est vicinior alteri lineę exeũti ad superficiem centri, tanto ex vicinitate vnius ad aliam est fortior ad imprimendum in centro effectum suum. Ex quo manifestum est, ꝙ cum corpus cœli sit sphæricum, conuexum & luminosum, & terra respectu magnitudinis cœli non obtineat, nisi vicem puncti cum sit centrum, in terra necessario fit maxima aggregatio cœlestium radiorum. Ex quorum virtute & contactu fit maxima generatio & productio rerum generabilium in terra, quæ est centrum ipsius firmamenti, & quamuis sit principium generationis cœlum, non tamen recipit generationem in se vel corruptionem vel diminutionem, vel augmentum. Nam cœlum in substantia habet summam simplicitatem, vniformitatem, & puritatem nullam habens partium diuisionem nec contrarietatem, & ideo nullam habet ex se potentiam ad corruptibilitatem, *Vnde sic arguit Aristoteles in lib. de cœlo & mundo.* Omnis inquit corruptio est ex contrariis, cœlo autem nihil inuenitur contrarium quare cœlum non corrumpitur. Cœlum etiam quamuis sit in se & ex se vniforme, tamen habet necessario plures orbes & circulos in figura & magnitudine longitudinis & latitudinis differentes propter diuersas mansiones, quibus indigent mortales, *Vt dicit Aristoteles in lib. de causis elementorum, & alias.* Nam si secundum vnam dispositionem & mensuram reciperet mundus inferior influentiam radiorum periret alimentum mortalium & generatio omnium inferiorum. Et ideo necessarium fuit motum cœli esse obliquum vt ex eleuatione & depressione orbium nunc calor, nunc frigus in centro generetur. Vnde si directe cœlum moueretur quo ad nostrum situm, omnia calore vel frigore in nostro situ habitabili consumerentur, *Vt dicit Aristoteles.* Nec solum attenditur in cœlo puritas & incorruptibilitas ex parte materiæ, verum etiam pulcritudo & claritas ex

parte

parte formæ, *vt dicit Aristot. in libr. de sensu & sensato.* Cœlum ex sui natura splendidum est, sed in partibus eius est differentia. Nam in stellis est maior aggregatio luminis quam in aliis partibus ipsius cœli. Vnde ex parte formæ habet rotunditatem cum conuexitate, conuexitatẽ cum claritate, diaphaneitatem siue transparentiam & perspicuitatem, vniformitatem in toto, sed in partibus diuersitatem, ex mutuo concursu orbium & motu contrario planetarum, dicunt sapientes generari concentum & harmonicam suauitatem. *Vnde Macrobius in libro Ciceronis exponens Scipionis somnium in 6. de rep. lib.* Impulsu & motu ipsorum orbium efficitur sonus ille, qui acuta cum grauibus temperans, æqualem sonum facit & concentum, &c. Præter hæc *dicitur in libro de cœlo & mundo*, in fine quod cœlum motus sui continuitate inflãmat illud, super quod mouetur: vnde æther ex motu cœli ignitur. Motus enim causat calorem, vnde ibidem dicitur per se & sensibiliter inuenitur, quod ex motu fit calor, & ex quiete frigiditas, & ideo calor materias emollit, & dissoluit, frigiditas vero aggregat & constringit: vnde partes elementares motui cœli vicinius existentes, cæteris partibus mundi inferioris sunt calidiores vt patet in igne & in aere. In tertio autem elemento, scilicet in aqua est motus debilitatus, & ideo in ea est frigiditas sed non in vltimo. In quarto autem scilicet in terra propter nimiam elongationem à motu cœli fit constrictio in vltimo propter caloris absentiã dominium frigiditatis. Et ideo terra permanet quiescens & perennis, vt non moueatur, *sicut dicit Aristoteles ibidem.* Nobilitas itaque cœli attenditur in materia, & substantia in forma, in motu, in situ, in substantiæ suæ simplicitate, puritate & perpetuitate. In formæ claritate, diaphaneitate, siue perspicuitate, & in sphærica orbicularitate. In motus vniformitate, velocitate, & in virtuositate in situs sublimitate, quia ad situm à centro terræ maxime distat & in dimensiua quantitate, quia eis magnitudo imaginationem, immo rationis mensuram superat in potestate, quia omnia inferiora sibi subdita regulat, ordinat & mensurat Et quod super omnia mirabile est, omnia inferiora cœlum ordinat & immutat, & tamen à nullo inferiori se immutationem ali-

quam recipit, nec aliquid sibi dissimile in natura & virtute aliqua ipsi cœlesti corpori se conformat.

CAP. III.

De Cœlo Aqueo siue crystallino.

SExtum cœlum est aqueum siue crystallinum, quod ex aquis positis super firmamentum diuinitatis potentia est formatũ, aquas enim esse super cœlos collocatas diuinæ scripturæ autoritas nobis tradit, quæ ita sunt leuigatæ & subtiliatæ, quod in materiam cœlestem sunt conuersæ, & ideo permanent ibi fixæ. *Beda tamen dicit* quod aquæ illæ cœlestes non vaporali tenuitate, sed gracili quadam soliditate, virtute diuina super firmamentum sunt suspensæ. Et hoc modo ad impetus firmamenti moderationem, vel ad caloris generati ex eius velocissimo motu repressionem. Opinio n. fuit Bedæ quod cœlum igneæ sit naturæ, sicut Platonici posuerunt. *Vnde dicit Beda.* Cœlum est subtilis & igneæ naturæ, rotundum à centro terræ, æqualibus spaciis collocatum. Et ideo forte Bedæ videbatur quod ideo fuit necesse ibi esse aquas, vt calor ille cœlestis ad temperantiam duceretur, quod ex tali inflammatione mundus inferior dispendium non pateretur, ex frigiditate enim naturali illarum aquarum super firmamenti verticem positarum, dicunt aliqui stellam Saturni esse frigidam propter illam, quam habet ratione sui situs cum firmamento vicinitatem. Dicunt etiam quod firmamentum per virtutem illarum aquarum infrigidatum infrigidat orbem Saturni sibi magis proximum & vicinum. Sed qualiter istud posset fieri rationabiliter, non est perspicue ratione vtentibus manifestum. Nam cum aquosa substantia ratione vtriusque qualitatis suæ, scilicet humiditatis & frigiditatis, cœlesti substantiæ penitus sit contraria, non est bene liquidum philosophantibus, qualiter inter corpora tam disparia possit vnitas aut concordia aliqualiter conueniri. Et tamen scriptum est *Iob* 18. *Qui facit concordiam in sublimibus suis.* Ideo alio modo sentiunt & opinantur moderni, qui interiora philosophiæ spectamina profundius, *vt arbitror*, sunt scrutati. *Dicit enim Alexander*, quod aquæ illæ, quæ super cœlos sunt, non sunt ibi positæ vt frigidę & fluxi-

fluxibiles & humidæ, vel etiam ficut solidæ, congelatæ, & ponderosæ. Istæ enim proprietates sunt etiam inter se habentes contrarietatem, & sibi mutuo repugnantes, sed potius per ordinationem diuinæ sapientiæ aquæ illæ super firmamentum sunt sub mobilissima naturæ suæ conditione diuinitus collocatæ, prout naturæ cœlesti maxime sunt propinquæ. Et hæc quidem est naturæ proprietas perspicuitatis & transparentiæ, quæ principaliter & substantialiter inuenitur in natura aquę, ratione cuius habet conuenientiam & cum cœlo empyreo & etiam cum firmamento. Et ideo posuit Dominus aquas inferius sub ratione frigidi & humidi, cum aliis conditionibus necessariis ad generationem & corruptionem, sed easdem posuit in ratione perspicui prout fuit necessarium ad vniuersitatis conseruationem. Et ideo dicit cœlum esse dictum aqueum & crystallinum ratione mobilitatis & perspicuitatis. Est enim perspicuum ad modum crystalli, à superiori cœlo scil. ab empyreo, lucem vel fumositatis plenitudinem recipiens, & receptum ad inferiora diffundens. Et ideo dicitur cœlum quasi nobis inuisibile & occultum, crystallinum vero quia durum. Et ideo in summo dicitur crystallinum, non quia durum sicut crystallus. Sed quia vniformiter est luminosum & perspicuum. Aqueum autem dicitur, quemadmodum aqua ex sua subtilitate & mobilitate mouetur, & illud motum mouet cœlum proximum, & illud vlterius mouet quod sibi est magis propinquum. Et ideo illud cœlum quod mouet inferiora, inferiorum mobilium præcipuę est conseruatiuum, *vt dicit Alexander.*

CAP. IV.

De Cœlo empyreo.

COelum empyrœum est primum & summum cœlum, locus angelorum, regio & habitaculum hominũ beatorum. Et dicitur empyreum à πῦρ quod est ignis, quasi totum igneum. Sic dictum: non ab ardore, sed potius à lumine & splendore, *vt dicit Isidorus*. Istud enim cœlum summe est lucidum, influens lucem & splendorem super cœlum crystallinum sibi propinquum & proximum. Est autem de natura sua vniforme sine stellis, & sphæriforme, *vt dicit*

dicit Damascenus. Ideo est sphæricum, vt rerum spiritualium & corporalium sit contentiuum. Est enim naturaliter quietum, immobile scilict & immotum. Vnde illud cœlum non est necessarium propter continuationem generationis inferiorum, sed potius, *vt dicit Alexander*, ad completionem vniuersi in genere corporum, secundum determinata extrema ad medium. Est autem opacum in summo scilicet terra & luminosum in summo, scil. cœlum empyreum, & vtrumque corpus scilicet extremum, supremum & infinitum est de se immobile & quietum. Istius cœli proprietates describit *Rabanus vtens verbis Basilii in hexameron, sic dicens:* Cœlum empyreum est corpus primum, natura simplicissimum, de corpulentia habens minimum, quia subtilissimum, primum mundi firmamentum quantitate maximum, qualitate lucidum, figuratione sphæricum, locali situ supremum, quia à centro remotum, amplitudine sua spirituum & corporum visibilium & inuisibilium contentiuum, Dei summum habitaculum. Licet enim Deus sit vbique, tamen specialiter dicitur esse in cœlo, quia ibi relucet potissime suæ virtuti operatio. Et ideo cœlum dicitur specialiter sedes Dei, quia in corpore mundi species cœli pulcrior est, *vt dicit Damascenus. In cœlo diuina virtus manifestius operatur.*

CAP. V.

De Aethere.

AEther græce, splēdor dicitur latine. Aether *secundum Isidorum*, est superior regio supremi interstitii aeris & ignis, vbi est perpetuus splendor luminis siue lucis. *Anaxagoras autem dixit*, nomen ætheris est nomen ignis. Et hoc putauit *vt dicit Aristoteles*, propter ipsius inflammationem, quæ causatur, ex velocitate sui motus, Vnde *secūdum ipsum Anaxagoram*, omne inflāmans & inflāmabile vocatur hoc nomine. *Marcianus autem dixit*, quod æther est locus ab inferiori mundo separatus, inuisibilis respectu inferiorum, quæ patiuntur multiplicem variationem. In æthere vero vbi dies est perpetuus, nox diurno lumini non succedit. Nec mirum, quia tam altum locum vmbra terræ, quæ noctis causa est, in æthere non accedit. *Secundum Aristotelem vero in lib. meteororū:* æther nihil aliud est, quam

vnum

vnum elementũ, nec est ex elemētis quatuor. Quicquid enim supra lunarem globum est, naturæ est separatæ, à natura inferiorum elementorum. Vnde æther neq; est graue, neque est leue, neque rarum, neque densum, neque per alterius corporis penetrationem diuisibile. Naturam enim æthercam nulla ingreditur corruptio vel alteratio vniuersaliter vel particulariter, quod ei accideret si ex elementis compositionem aut originem contraxisset. *Anaxagoras tamen dicit*, quod æther est aer inflāmatus, & dicit quod quandoque descendit inferius & in terra occultatur, vnde propter sui subtilitatem, nunc sursum, nunc deorsum regiratur, vnde terræ motus gignitur ex virtute ætherea in terræ visceribus occultata. *Sed dicit Aristoteles* quod sermo iste est error, quoniam subtile non descendit deorsum, & etiam si descenderet hanc operationem non faceret, *secundum Macrobium autem* splendor ætheris sub sphæra cœli per ambitum totius mundi rutilat & refulget. Continet autem in se orbes septem planetarum, qui mouentur contra motum firmamēti. Inferior itaque pars ætheris velocitate sui motus inflāmat superiorem partem materiæ elementaris, & ex illa inflāmatione gignitur sphæra ignis, *sicut dicitur in lib. de cœlo & mundo in fine*. Ex materia n. sic ignita non gignitur nec inflāmatur ipse æther, quia ab inferioribus non recipit aliquam immutationem quamuis inferiora ab ipso immutentur.

CAP. VI.

De Sphæra cœli.

SPhæra cœli *Vt dicit Isidorus*, est species quædam in rotundum formata, ab eodem in idem circa suum centrum æquis spaciis circulariter reuoluta. Hanc sphæram neque principium, neque finem habere philosophi asserunt. Ideo propter sui circulationem vbi incipiat & vbi finiat non facile apprehenditur. Nec fuit aliqua figura cœlo conuenientior quam sphærica, tum propter suiipsius simplicitatem, tum propter capacitatem, tum etiam propter vniformitatem, *Vt dicit Isidorus*. Sphæra itaque *secundum Alphraganum* est orbicularis superficies cœlestis corporis, in quo fixæ stellæ continentur. Et hæc sphæra duobus

bus polis circumuoluitur, quorum vnus est septentriona-lis, qui nunquam nobis occidit, & dicitur polus arcticus, id est, Borealis. Alter polus est antarcticus seu australis, qui nunquam à nobis videtur, vel propter nimiam à nobis elongationem, vel propter terræ interpositionem. Inter istos duos polos quasi inter duas mundi extremitates sphæra cœli voluitur & mouetur, & cum ipsius motu stellæ in eo sitæ ab Oriente in Occidentem, & iterum ab Occidente in Orientem motu diurno & nocturno 24 horarum spacio circumferuntur. Tanta autem celeritate sphæra cœli circumfertur quod nisi aduersum eius præcipitem cursum planetæ occurrerent, & eius impetum moderarent, machina mundi dissolueretur. *Et ideo secundum Alphraganum* septem orbes planetarum sunt sub sphæra mutuo se intersecantes, per quos planetæ motu consono incedentes, raptui firmamenti obuiant, & etiam eius velocitatem reprimunt & retardant. Voluitur autem tota sphærę moles oblique circa medium, scilicet circa axem. Est autem axis quædam linea intellectualis, quæ recte per mediam pilam sphæræ tendens in duos polos se extendit, circa quam cœli ambitus quasi rota circa axem circulariter se reuoluit. Cardines autem cœli sunt extremæ partes axis, quæ infiguntur ipsis polis. Et sunt cardines dicti, quia sicut cardo ostii in polorum concauitatibus reuoluuntur, & sunt isti cardines conuexi, recurui, scilicet circumflexi, *vt dicit Isidorus*. Sphæræ vero cœlestis medietas dicitur hemisphærium, scilicet pars, quæ à nobis totaliter videtur, sed ob defectum visus terræ coniungi putatur. Vnde & circulus vbi finitur horizon, i. e. visus terminatio nuncupatur, *vt dicit Isido.* Recollige igitur breuiter ex prædictis, quod sphæra cœli est luminosa substantia luminis vsque ad centrum suum, id est, vsque terram diffusiua, cuius circumferentia est à centro terræ remotissima. Et ideo illa, quæ in cœlo sunt maxima, nobis propter summam distantiam videntur esse minima, omnium inferiorum est contentiua omnium inferiorum est ordinatiua, informatiua, generationis & vegetationis effectiua, sibi contrariorum raptiua & attractiua. Nam motus sui violentia planetas sibi obuiantes post se trahit, secundum harmoniam est processiua. Nam *sicut dicit Aristoteles in libro de proprietatibus elemen-*

lementorum, ex ordinato ſphæræ motu & contrario planetarum occurſu, gignitur in orbe ſtridor, id eſt, harmonia. *Vnde Macrobius*, impulſu & motu ipſorum efficitur ſonus ille, & acuta cum grauibus temperans efficit concentus varios & diuerſos, ſed propter noſtri auditus defectum, & illius ſoni exceſſum harmonia illa à nobis non auditur, ſicut mouere Solem videre non poſſumus, quamuis citiſſime moueatur. Nam radiorum claritate acies viſus noſtri ſuperatur.

CAP. VII.

De Circulis cœli.

CIrculi cœli ſunt plures, quorum duo ſunt viſibiles, ſcilicet galaxias & zodiacus. Alii ſunt inuiſibiles, ſcilicet circulus æquinoctialis, diuidens duo hemiſphæria, tangens zodiacum in Ariete & in Libra. Alius eſt circulus ſolſtitialis æſtiualis, eo quod Sole in eo exiſtente, fit ſolſtitiũ æſtiuale. Iſte circulus tangit zodiacũ in Cancro, & eſt quaſi coniunctio noſtri habitabilis & torridæ zonæ. Alius eſt parallelus ſiue circulus ſeptentrionalis ſiue arcticus, & eſt quaſi diuiſio noſtræ habitabilis, & frigidæ habitabilis. Circulus vero qui eſt ex parte torridæ zonæ & alterius habitabilis, zodiacum tangit in Capricorno, & dicitur iſte circulus ſolſtitialis hyemalis, eo quod ſole exiſtẽte in eo, fit ſolſtitium hyemale. Alius eſt parallelus ſiue circulus antarcticus ſeu auſtralis verſus auſtrum, & opponitur arctico parallelo. Dicuntur autem hi circuli paralleli, quaſi circuli æquidiſtantes à παρὰ quod eſt iuxta, & λήλος quod eſt diſtans, æqualiter enim diſtant ab inuicem paralleli. Sunt præter hæc, duo circuli qui dicuntur coluri. Colurus ſeptentrionalis, qui incipit à polo Septentrionali, per Cancrum & Capricornum circulariter procedens iterum redit ad ſuum principium. Alius eſt colurus auſtralis, per Libram in Arietem ſimiliter redit ad ſuum punctum, & dicuntur coluri quaſi colla tauri à cauda bouis ſylueſtris, qui erigens caudam, circulum facit imperfectum. Et dicuntur coluri quaſi circuli imperfecti. Decimus circulus eſt horizon, id eſt, finitiuus viſus, quia circulo illo cœlum & terra videntur pariter copulari. Eſt etiam circulus meridianus, deſignans

ſignans illam partem zodiaci, in qua Sol videtur æqualiter diſtare inter Orientem & Occidentem, & iſti duo vltimi circuli non ſunt in ſphæra, quia ſecundum diuerſos ſitus & aſpectus variantur. *Hucuſq; Iſid.*

Cap. VIII.

De Galaxia ſiue Lacteo circulo.

GAlaxias eſt circulus cœleſtis, cæteris circulis cœli pulcrior & candidior, incedens per medium cœli, incipiens ab Oriente vſque ad Septentrionem, per Cancrum & Capricornum procedens iterum ad punctum ſuum. Dicitur autem lacteus circulus, quia inter omnes circulos cœleſtes notabiliorem habet claritatem. Vnde & de nocte nauigantes & itinerantes dirigit & deducit. Quanto autem aura nocturna eſt ſerenior & frigidior, tanto inceſſus Galaxię eſt manifeſtior. Secundum autem opinionem vulgi, Galaxias dicitur veſtigium Solis, quod poſt ſe relinquit Sol, quando currit in illo circulo. Sed Ariſtoteles hoc dicit eſſe falſum, quia ſi eſſet Galaxias ex impreſſione tranſitus Solis, oporteret quod hæc impreſſio eſſet in ſignis, in quibus currit Sol cum aliis ſtellis mobilibus. Et hoc videmus eſſe falſum, quia tranſcendit terminos zodiaci, vbi Sol nullatenus appropinquat, *ſicut dicitur in libro meteor.* Ideo *Anaxagoras & Democritus dixerunt.* Galaxiam eſſe ex reflectione luminis ad aerem, ſicut in ſpeculo, ſed hoc eſt falſum *vt dicit Ariſtoteles ibidem*, quia ſi hoc eſſet, permutaretur, ſicut eſt permutatio luminis. Hoc autem eſt falſum, quia videmus Galaxiam ſemper in eodem loco, nec recedit ab eo. Dicit igitur *Ariſtoteles ſic.* Ignis propinquus orbi eſt inflammatus & lucidus, & in locis vbi videtur Galaxias ſunt ſtellæ multæ paruæ & luminoſæ, & in illis relucet fulgor ille, & ideo apparet locus ille magis radioſus, nec recedit ab vno loco orbis. *Hucuſq; Ariſtoteles in libr. 1. meteor. cap. 2.*

Cap. IX.

De Zodiaco.

ZOdiacus eſt circulus obliquus in 12. partes diſtinctus æquales, quæ 12 ſigna *a philoſophis ſunt vocata*, nobis autem

autem signant, in qua parte cœli Sol & Planetæ immorentur. Sunt igitur 12. signa, 12. spacia æqualiter distincta, & stellis notabilibus ab Astrologis denotata. Vnum quodque autem signum in 30. diuiditur gradus, & gradus in 60. diuiditur minuta, & minutum in 60. secunda, ita quod 60. secunda minutum vnum faciunt, 60. minuta gradum vnũ, & 30. gradus signum vnum. Signa autem ista sunt propriis nominibus appellata, sicut Aries & Taurus, & sic de aliis. Et vocantur animalia, nõ quia animalia sunt in cœlo collocata, sed quia in suis effectibus, animalium talium proprietates aliquas repræsentant, vt post dicetur. Inter ista autem 12. signa quatuor sunt cardinalia, *secundum Isidor.* scilicet Cancer in summo, Capricornus in imo, Aries & Libra in medio. Prima duo dicuntur solsticiaria, quia in Cancro existens Sol, vlterius ad nos non accedit, in Capricorno remotius non recedit. In primo facit longissimos dies & breues noctes, in secundo è contra. In aliis vero duobus fit æquinoctium, in Ariete fit vernale, in Libra vero fit æquinoctium autumnale, & tunc vtroque tempore dies noctibus sunt æquales. In istis etiam signis tria sunt ignea, scilicet Aries, Leo, Sagittarius, tria vero sunt terrea, scil. Taurus, Virgo, Capricornus, & tria sunt aerea, scilicet Gemini, Libra, Aquarius, & tria aquatica, scilicet Scorpio, Cancer, Piscis. Et inter ista quæ sunt ignea & aerea sunt calida, & masculina, & diurna. Quæ vero sunt aquatica & terrea, sunt frigida, & fœminina & nocturna. Inter ista etiam sunt quatuor mobilia, scil. quatuor cardinalia, scilicet Aries, Cancer, Libra, Capricornus, quia in eis mutatur tẽpus. Et quatuor sunt fixa, in quibus figitur ipsum tempus, scil. Taurus, Leo, Scorpius, Aquarius, & quatuor sunt cõmunia, in quibus ipsa commiscẽtur, scilic. Gemini, Virgo, Sagittarius, Piscis. Et dicuntur ista signa domus, quia domicilia sunt & habitacula Planetarum. Et ex his domibus quædam dicuntur domus triplicitatis, quædam exaltationis. Nam illa signa quæ concordant in vna natura faciunt triplicitatem, & eodem nomine nuncupantur, & sic in quatuor partibus cœli ordinantur. Nam in Oriente sunt ignea Aries, Leo, Sagittarius. Terrea sunt Taurus, Virgo, Capricornus, in Austro. Aerea sunt, Gemini, Libra, & Aquarius, in Occidente, Aquea sunt, Cancer, Piscis, Scorpio, in

Septentrione. Et inter istas triplicitatis domus, fortiores sunt in suis effectibus Orientales Occidentalibus, & Septentrionales Australibus, quia in eis nobiliores Planetæ dominantur. Nam triplicitas Orientalis, quæ est prima, habet Solem de die, & Lunam de nocte, & Saturnus participat cum eis die & nocte. Triplicitas Occidentalis habet Saturnum, Mercurium & Iouem. Triplicitas Septentrionalis habet Venerem, Lunam & Martem. Australis vero habet Saturnum, Mercurium & Iouem. Dicuntur insuper signa domus exaltationum, quia Planetæ, prout magis vel minus exaltantur, in signorum gradibus, perfectius & virtuosius operantur. Nam Sol habet virtutem suam & exaltationem in 18. gradibus Arietis, & casum in eodem gradu Libræ. Venus habet gloriam suam in Piscibus 28. gradu, & casum siue tristitiam suam in consimili casu signi oppositi, scilicet Virginis. Mercurius erigitur in Virgine 15. gradib. & cadit in Piscibus gradibus totidem. Luna erigitur in Tauro tribus gradibus, & totidem cadit in Scorpione. Saturnus erigitur in Tauro 21. gradibus, & cadit totidem in Ariete. Mars erigitur in Capricorno gradibus 27. & cadit totidem in Cancro. Iupiter & caput Draconis erigitur in Geminis gradibus tribus, & cadit totidem in Sagittario. Cauda erigitur in Sagittario tribus gradibus, & cadit in Geminis. Præter ista, vnumquodque signum diuiditur in tres partes, quæ facies nuncupantur, quarum initium est à primo gradu Arietis, & durat vsque ad 10. secunda durat vsque ad 20. tertia durat vsq; ad 30. Prima facies Arietis datur Marti, secunda Soli, tertia Veneri. Prima facies Tauri est Mercurii, secunda Lunæ, tertia Saturni. Prima Geminorum est Iouis, secũda Mercurii, tertia Solis. Prima Cancri est Veneris, secunda Mercurii, tertia Lunæ. Prima facies Leonis est Saturni, secunda Iouis, tertia Martis. Prima Virginis est Solis, secunda Veneris, tertia Mercurii. Prima Libræ est Lunæ, secunda Saturni, tertia Iouis. Prima Scorpionis est Martis, secunda Solis, tertia Veneris. Prima Sagittarii est Mercurii, secunda Lunæ, tertia Saturni. Prima Capricorni est Iouis, secunda Martis, tertia Solis. Prima Aquarii est Veneris, secunda Mercurii, tertia Lunæ. Prima Piscium est Saturni, secunda Iouis, tertia Martis. Planeta igitur existens in domo propria habet quinq; for

titudines, in gradu exaltationis habet quatuor, in domo triplicitatis habet tres, in facie vnam aut duas. Et qui magis abundat inter Planetas numero, magis præualet in fortitudine, & quilibet Planeta fortior est in domo propria quam aliena, & ex fortitudine signi in quo est, fortificatur, & ex debilitate debilitatur, sicut fortis vir fortior est in equo forti, quam in debili, & ideo Astrologi in iudiciis suis, *vt dicit Misael.* considerant domos ascendentes, id est, ascensum Signorum & Planetarum dignitates, vt secundum eorum principatus & dominium, in domibus angularibus vel ascendentibus, in angulis vel ab angulis cadentibus coniiciant & iudicent de futuris. Dicuntur autẽ quædam signa domus angulares, sicut signa cardinalia, *de quibus supra*, sicut Cancer, Libra, Capricornus & Aries, quædam dicuntur domus succedentes angulis, scil. Taurus qui succedit Arieti, & Leo qui Cancro, & Scorpius qui Libræ, & Aquarius qui succedit Capricorno, Quidam vero dicuntur domus cadentes ab angulis, scil. Gemini, Virgo, Sagittarius, Piscis, *vt patet in figura Misaelis.* Secundũ istorum Signorum Ortus & Occasus, oppositiones, coniunctiones & aspectus, diuersa contraria accidunt in hoc modo. Nam, *sicut dicit idem autor*, ista quæ sunt vi naturæ, & generantur sub forti signo masculino ascendẽte, & forti planeta bono cum bono aspectu in ipso ascendente, exstente, fortis & bonæ sunt dispositionis in suo genere & è contrario. Domus itaque anguli prima domus est orientalis, scilicet signum Arietis. Domus vero cœli siue Septentrionis est Cancer, angulus vero occidentalis est Libra, & angulus terræ est Capricornus. Hæc signa quatuor angularia maximæ sunt virtutis, & Orientale plus quam Occidentale, & Septentrionale plus quam Australe. Vnde angulus terræ est tribus aliis minus fortis, *sicut idem dicit autor.* Domus succedentes sunt mediocris effectus & virtutis, scilic. signum ab Ariete, secundum 1. Taurus, & signum 3.5.8.11. Et inter hæc signa siue domos, octauum signum peioris est operationis & significationis, & ideo vocatur ab Astrologis domus mortis. Reliqua autem signa dicuntur domus cadentes, scil. 3. 5. 7. 9. & 11. sunt etiam debilioris effectus, & peioris significationis, & maxime 6. & 12. Et huius ratio est, *vt dicit autor*, quia in sexta domo vel signo dominatur

Mars, & ideo vocatur domus infirmitatis & debilitatis o-
mnium rerum, & in illo ſigno eſt gaudium Martis, & in 12.
eſt Saturni gaudium, & ideo vocatur domus inimicitiæ,
triſticiæ & laboris. Signa etiam ſiue domus dicuntur mu-
tuo ſe aſpicere, & ſunt tres aſpectus principales, ſcil. ſexti-
lis, tertius & quartus aſpectus. Sextilis dicitur, quando
aliquis planeta in aliquo ſigno aſcendente aſpicit tertium
ante ſe, & tertium poſt ſe. Et hoc eſt à tertio in vndeci-
mum, verbi gratia. Si aliquis planeta fuerit in initio Arie-
tis, aſpicit eum, qui eſt in capite Geminorum ante ſe, &
eum, qui eſt in initio Aquarii poſt ſe, quod eſt ſignum vn-
decimum. Et hoc vocatur ſextilis, eo quod teneat quar-
tam partem cœli, ſcil. gradus 60. & talis aſpectus eſt lauda-
bilis, bonus & fortunatus. Eſt enim ſignum domus dile-
ctionis mediæ ſecundum Aſtrologos, *Vt dicit autor* ſupra-
dictus. Tertius aſpectus fit à quinto ſigno & nono, verbi
gratia, planeta qui fuit in initio Arietis, aſpicit eum qui
fuerit in Leone ante ſe, & eum qui fuerit in Sagittario poſt
ſe, quod eſt ſignum nonum, & dicitur tertius, quia conti-
net tertiam partem cœli, ſcil. 100. & 20. gradus, & hic aſpe-
ctus eſt optimus, quia eſt in ſigno perfectæ amicitiæ, *Vt di-
cit autor*. Quartus aſpectus eſt à quarto ſigno & decimo,
verbi gratia, Planeta qui fuerit in initio Arietis, aſpicit il-
lum qui eſt in capite Cancri ante ſe, & eum qui eſt in capi-
te Capricorni poſt ſe, quod eſt ſignũ decimum. Et hic aſpe-
ctus dicitur quartus, quia quartam partem cœli continet,
id eſt, 90. gradus, & hic aſpectus eſt malus, quia in illo ſi-
gno iræ & inuidiæ & inimicitiæ ſunt & imperfectæ, *Vt dic.
autor prædictus*. Coniunctio vero & oppoſitio non ſunt a-
ſpectus, quandoque tamen dicuntur aſpectus abuſiue,
quandoque vero ſignum primum reſpicit ſeptimum, vt
Aries Libram. Dicitur aſpectus oppoſitus, & eſt peſſimus,
quia ſignum eſt perfectæ inimicitiæ, & peſſima prætendit,
maxime ſi aſpectus fuerit Martis & Saturni ſiue Solis. Quã-
do vero planeta cõuenit cum planeta, eodem ſigno aſcen-
dente, vel in ſigno ſibi coniuncto, ante vel retro, tunc di-
citur coniunctio, & hæc poteſt eſſe bona, ſi planetæ fue-
rint boni, & è conuerſo mala, ſi fuerint mali. *ſicut dicit
autor*, & hæc omnia patent in figura, quam
poſuit autor iſte.

CAP.

CAP. X.

De ſigno Arietis.

NAturas autem ſingulorum ſignorum per ordinem recolligamus, ex ſigno Arietis exordium ſumentes. Aries igitur eſt orientale ſignum ſic dictum, quia ſicut Aries in iacendo ſuper latus vnum, æqualiter mutat vices, ſic Sol exiſtens in illa parte zodiaci quæ Aries dicitur, facit æquinoctium, & æquales facit dies artificiales atque noctes. Et *ſicut dicit Miſael*, Aries eſt ſignum igneum, maſculinum, diurnum, inſtabile, domus Martis in 19. gradu, eius exaltatio eſt Solis, domus eius Sol de die, de nocte vero Iupiter, & Saturnus participat cum eis, de prima triplicitate prima eſt. Prima facies eius Martis, ſecunda Solis, tertia Veneris, de corpore hominis dominatur capiti & faciei, & multos facit in corpore capillos, corpus curuum, faciem obliquam, oculos graues, aures breues, collum longum. Domus eſt vitæ & natiuitatis hominis, quia ſicut hoc ſignum ab inferiori parte terræ ad ſuperiora aſcendit, & à tenebris ad lucem vadit, ſic natus de tenebris egreditur, & vi illius ſigni abdita, prodeunt in lucem, & ſecreta ſapientibus innoteſcunt. *Et ſicut narrat Albu. in lib. de motib. aſtrorum.* In tertio, inquit, vel quarto gradu Arietis occidente, oritur ſignum Libræ, & mouet aerem. *In decimo gradu oritur ſtella quæ dicitur Almareth & Alpheta & ſerenat aerē. In 25. gradu occidunt pleiades, &c.* Quando autem Sol vel Luna, vel aliquis planetarum intrauerit primum vel ſecundum vel tertium gradum Arietis, erit nubilum & ventus à meridie, & frigus & tempeſtas. In gradu autem 29. aut 30. erit magnus calor.

CAP. XI.

De ſigno Tauri

TAurus *ſecundum Miſael* eſt ſignum terreum, frigidum, fixum, nocturnum, domus Veneris, ſecunda exaltatio Lunæ in 4. gradu eius. Domus eius de die eſt Venus, in nocte Luna, & Mars participat cum eis, de triplicitate eſt ſecunda. Prima facies eſt Mercurii, ſecunda Lunæ, tertia Saturni, ex corpore hominis dominatur collo & gutturi, datq́, faciem amplam & curuam, naſum dat grauē & lon-

gum, amplas nares, oculos graues, capillos eleuatos & nigros, collum grossum, verecundum facit hominem, honeste incedentem, & tamen vanum. Domus est substantiæ & possessionis acceptionis & dationis. Et ideo dicitur Taurus, quia Taurus sulcando terram fæcundat & locupletat. Tunc etiam quando Sol est in tauro terra est arabilis & congrua agriculturæ *secundum Albu.* In primo gradu tauri oritur sidus paliciter, in sexto Orion occidit & mutatur aer, in octauo oriuntur pleiades & turbant aerem, in decimo sexto oriuntur hyades & turbant aerem.

CAP. XII.

De signo Geminorum.

SIgnum Geminorum *secundum Misael.* Est signum aereum, masculinum, mediocre, diurnum, domus Mercurii, exaltatio caudæ draconis in tertio gradu eius. Domus eius in die est Saturnus, in nocte Mercurius, Iupiter participat cũ eis, de triplicitate est tertia. Prima facies est Iouis, secunda Martis, tertia Solis. In corpore hominis dominatur humeris, brachiis & manibus, mediocrem efficit staturam & hominem pulcrum & conuenientem. Cui coniunctus Mercurius si fuerit fortunatus disponit hominem & habilem facit ad literaturam & scripturam. Domus cognationis est & propinquitatis, consilii, religionis & fidelitatis, epularum & somniorum *secundum Alb.* Gradu primo geminorum occumbente, oriuntur hyades & mutant aerem, & post archites & echites, id est, aquila 18 gradu, id est delphini 26, &c. Isti gemini, *Vt dicit Isidorus*, secundum poetarum fabulas fuerunt Castor & Pollux fratres gemini & vterini, viri fortissimi, quorum gratia dicitur tunc Sol esse in geminis, quia Sole in illa parte cœli existente virtus ad fæcundandum inferiora geminatur, tunc etiam bella inter cognatos, aliquoties geminantur. Aliam tamen signat Hyginius ratione, scilicet quando Castor præest inferis, tunc Pollux præest superis & è conuerso, quod ideo *secundum Marcianum* fingunt, quia in æstate cum noctes sint breuissimę, quando vna pars constellationis occidit, alia pars anterior oritur & ascendit. Et pro tanto dicitur vnus fratrum cœlos, alius inferos possedisse.

CAP.

CAP. XIII.

De signo Cancri.

CAncer est signũm aqueum, fœmineum, instabile, nocturnum, domus Lunæ, exaltatio Iouis in 15 gradu eius, in die Venus est eius domus, in nocte Mars, & Luna participat cum eis, de triplicitate est quarta. Prima facies eius est Veneris, secunda Martis, tertia Lunæ. Super corpus habet dominium, super pectus, costas & pulmonem, & facit in corpore grossitiem. Nam à medio eius facit hominem grossum, & incompositum atque rudem, superius vero subtilem, dentes curuos & tortos. Et vocatur domus patris, & casarum, & vinearum, & omnium quæ crescunt super terram castrorum, villarum & ciuitatum, thesaurorum, sepulturæ & hæreditatum. De hoc *dicit Albu.* 5 gradu cancrorum occumbente, oritur Capricornus & mutatur aer, in 10. gradu oritur orion, & mutatur aer in caliditatem, in 29. gradu oritur feruens canicula, & canis plenus apparet, & fit magna perturbatio aeris. Dicitur autẽ cancer *secundum Isidorum.* Nam cancer est animal retrogradum, sic Sol peragrans illam partem zodiaci, quæ vocatur cancer, facit retrogradationem in 8 gradu cancri. Tunc etiam Sol extollitur versus tumorẽ sphærę versus nostrum habitabile, & situm in terra, quod non potest plus extolli, & tunc retrograditur descendendo per signa inferiora vsq; ad Capricornum.

CAP. XIIII.

De signo Leonis.

SIgnum Leonis *secundum Misael* est signum igneum, masculinum, fixum, diurnum, domus Solis & illius exaltatio, domus eius Sol in die, Iupiter de nocte, & Saturnus participat cum eis, & de triplicitate est prima. Prima facies est Saturni, secunda Iouis, tertia Martis. In homine cooperatur stomacho, lacertis, cordi & dorso, efficit hominẽ superius grossum, inferius subtilem, magni animi, crura habentem subtilia. Domus autem vocatur viliorum & nouorum vestimentorum, liberorum & honorum. *De hoc dicit Albu.* In quarto gradu Leonis aquarius & clion oritur, & fit aeris mutatio, in 30 gradu oritur Cancer & occi-

dit Capricornus. Dicitur autem illud signum Leo, quia leo fortissimum animal est maxime caliditatis, præcipue ex parte pectoris, & partis anterioris, sic Sol intrans illā partem signi acrius radios imprimit, quam in fine, quando ab illo signo exit, *Vt dicit Isidorus.*

CAP. XV.

De signo Virginis.

VIrgo est signum terreum, frigidum, mediocre, nocturnum, domus Mercurii prima, & est exaltatio Mercurii in 15. gradu eius, domus eius in die est Venus, in nocte Luna, & Mars participat cum eis, de triplicitate est secunda. Prima facies eius est Solis, secunda Veneris, tertia Mercurii. Ex parte hominis habet in potestate ventrem & intestina, personam pulcram facit, pulcros oculos, faciem decoram, & mitigat voluntatem. Domus est infirmitatis seruorum & ancillarum, & bestiarum. Inconstantiam significat & mutationem de loco ad locum. Et hoc signum dicitur virgo, quia virgo sterilis est & sine fructu, sic Sol intrans illam partem zodiaci, quæ vocatur virgo, suo calore humorem consumit, & sic terram à fructu sterilem facit.

CAP. XVI.

De signo Libræ.

LIbra *secundum Misael*, est signum aqueum, masculinum, instabile, diurnum, domus Veneris, prima exaltatio Saturni in 21. gradu eius, domus eius Venus de die, de nocte Mercuriu,s & Iupiter participat cum eis, de triplicitate est tertia. Prima facies eius est Lunæ, secunda Saturni, tertia Iouis, de corpore hominis regit inferiora, ventris intestina & vmbilicum. Domus est vxoris & nuptiarum, contentionis, furti & rapinæ. *De hoc Albu. in 5. gradu libræ.* Leo oritur & alterat & calefacit aerem, in 22. gradu corona oritur & fit maxima perturbatio aeris, 31. oriuntur hyades partim, & fit maior perturbatio aeris, & post oritur virgo. Dicitur autem hoc signum Libra, ab instrumēto ponderandi, quia Sol existens in illa parte cœli, quæ dicitur Libra, dies cum noctibus similes efficit & æquales, *secundum Isidor.*

CAP. XVII.

De signo Scorpionis.

SCorpio est *secundum Misael*, signum aqueum, frigidum, fixum & nocturnum. Domus prima Martis, nullius exaltatio, domus eius in die Venus, in nocte Mars, & Luna participat cum eis, de triplicitate est quarta. Prima facies est Martis, secunda Solis, tertia Veneris. Ex parte hominis membris deseruit generatiuis renibus & vesicæ. Faciem dat rubicundam & paruam, capillos multos, oculos paruos, crura longa, pedes magnos, & leuem facit hominem & instabilem, irascentem ac mendacem, Domus dicitur mortis & timoris, debiti & laboris, damni & contentionis, belli, caliditatis & ingenii. *De hoc Albu.* In secundo gradu Scorpionis stellæ hyades oriuntur, & fit magna perturbatio aeris & tempestas, & post oritur Taurus. In 9 gradu eius occidunt pleiades, & fit aeris serenitas. Dicitur autem signũ illud Scorpius, quia Scorpius est animal valde pungitiuum cum cauda. Similiter Sol existens in illa parte zodiaci, quæ dicitur Scorpius causa est læsionis & punctionis corporis humani, quia tunc declinans minus calefacit aera, vnde aer distemperatus in frigiditate cito lædit & pungit corpus, *vt dicit Isid.*

CAP. XVIII.

De Sagittario.

SAgittarius *secundum Misael*, est signum aqueum, masculinum, mediocre, diurnum, exaltatio caudæ in tertio gradu. Domus eius in die est Sol, in nocte Iupiter. Saturnus participat cũ eis, de triplicitate est prima. Prima facies eius est Mercurii, secũda Lunæ, tertia Saturni. Ex parte hominis disponit fœmora, longas facit coxas & crura, faciem longam, & mentũ subtile, hominem facit pulchriorem retro quam ante, capillos dat subtiles, ventrem magnum & in motu facit hominem delectari. Dicitur domus itineris, fidei, sapiẽtiæ, magisterii & honoris, ex magistratu, sapientiæ astrorum & diuinationis somniorum. *De hoc dicit Albu.* 2. gradu Sagittarii cum oriuntur pleiades statim occidant & oritur caput Scorpii, & fit valida turbatio aeris, se-

octauo gradu hyades occidunt & mutatur aer. Dicitur autem Sagittarius istud signum quia sicut Sagittarius emittit sagittas, sic Sol existēs in illa parte zodiaci ad nos emittit grandines, pluuias atque niues.

Cap. XIX.

De Capricorno.

CApricornus, *secundum Misael*, est signum terreum, frigidum, instabile, nocturnum, Saturni primum domicilium, exaltatio Martis est, in 28. gradu eius. Domus eius est de die Venus, in nocte Luna, & Mars participat cum eis, de triplicitate est secunda. Prima facies eius est Iouis, secunda Martis, tertia Solis. In corpore hominis respicit genua, subtilia dat crura, corpus siccum, faciem hispidam & hirsutam. Domus vocatur dominii & honoris, regis & regni, gloriæ & imperii, substantiæ furtim sublatæ. *De hoc Albu.* In quarto gradu Capricorni oritur Cancer, in trigesimo gradu occidit caput Cancri & oritur caput Capricorni. Dicitur Capricornus, quia caper est animal cornib. petens superiora, sic Sol existens in illa parte zodiaci, facit solstitium hyemale, & tunc incipit ascendere per signa versus arietem & versus cancrum.

Cap. XX.

De Aquario.

AQuarius *secundum Misael*, signum est masculinum, fixum, diurnum, domicilium Saturni, sed nullius est exaltatio. Domus eius in die Saturnus, in nocte Mercurius. Iupiter participat cum eis, de triplicitate est tertia. Prima facies eius est Veneris, secunda Mercurii, tertia Lunæ. Dominari dicitur tibiis hominis vsque ad cauillam pedis, facit hominē gloriātem, multa deuastantem, pulcram facit faciem & coloratam, & tibiā facit alicuius altera longiorem. Domus vocatur amicitiæ, mercati & fortunæ, redditus tributi, substantiæ regis, militis aut peditis. *De hoc Albu.* In quarto gradu signi Aquarii oritur Leo, in vndecimo gradu regia stella & lampades occidunt & mutant aerem, & post capricornus & oritur caput aquarii. Dicitur autem signum istud aquarius, secundum fabulas, pincerna Deorum,

rum, manibus eorum aquam fundens, vnde tenet vrnam. Et ideo tunc dicitur Sol esse in aquario, eo quod tunc temporis condensatur aer in aquas multas, & fiunt pluuiæ plus quam in alio tempore, *Vt dicit Isid.*

Cap. XXI.

De signo Piscium.

Signum piscium *secundum Misael*, est signum aqueum, frigidum, mediocre, nocturnum, domicilium Iouis. Sed exaltatio Veneris in 27. grad. eius. Domus eius in die est Venus, in nocte Mars, & Luna participat cum eis, de triplicitate est quarta. Prima facies eius est Saturni, secunda Iouis, tertia Martis. De corpore hominis regit pedes, amplum dat pectus, paruum caput, florentem barbam & pulcram, album facit hominem, magni animi, rotundisq; oculis. Vocatur autem istud signum domus inimici asini, & equi, & omnis bestiæ quæ equitatur. Et signat labores, lamentationem & tristitiam, susurrationem & dolositatem, maleuolentiam & carcerem. *De hoc Albu.* In decimo gradu signi piscium ortus est virginis. In 12. grad. chelæ, id est, Libra oritur. In 19. gradu oritur cancer. In 23. gradu orion & aquarius oriuntur. Dicitur autem signum istud piscium, eo quod tunc temporis fit generatio piscium & confricatio, quia calore Solis ascendente & humores dissoluente, solent tunc pisces effundere semen suum, *Vt dicit Isidor.* Has itaque 12. signorum cœli proprietates & occultas virtutes, *secundum Astrologos & eorum iudicium*, huic opusculo interserui, æstimans vtile esse legentibus eorum nomina in scriptura breuiter & pariter inuenire, quid de eis senserint antiqui, & quare eis talia nomina imposuerunt Astrologi siderum inspectores. Quia secundum istorum 12. signorum siue domorum Ortus & Occasus & aspectus varios & mirandos, accidere dicunt in istis inferioribus mutationes. Superiora enim immutant & alterant hæc inferiora, & in eis suas faciunt impressiones. Per ista autẽ 12 signa mouentur & discurrunt planetæ qui dicũtur sidera errantia, *certis Vt dicit Beda*, spaciis discreta ab inuicẽ & distincta, quæ dicuntur errantia, non quia errant cum certissimũ habeant motum & discursum. Sed ideo dicuntur errare, quia contra

firma-

firmamentum cursum suum agere dignoscuntur. Et ideo de motu planetarum & ipsorum situ & effectu aliqua sunt dicenda breuiter, tam in generali quam in speciali.

CAP. XXII.

De duplici motu Planetarum.

MOuentur autem Planetæ duplici motu, scil. naturali, & proprio, id est, ab occidente in orientẽ contra motũ firmamenti, & motu alieno, sed ab oriẽte in occidentẽ, & hoc raptu firmamenti, cuius violentia singulis diebus ab ortu vsque ad occasum rapiuntur. In motu autem naturali quo nituntur contra firmamentum, quidam celerius, quidam tardius, perficiunt cursum suum, & hoc propter circulorum suorum disparem quantitatem. Nam Saturnus in quolibet signo moratur per 30. menses, & complet cursum in 30. annis. Et Iupiter moratur in quolibet signo per vnum annum, & 12. annis complet cursum suum. Mars moratur in quolibet signo 60. dieb. & perficit cursum in 2. annis. Sol moratur in quolibet signo 30. diebus & 10. horis & semisse, & perficit cursum suum in 365. dieb. & quadrante. Mercurius moratur in quolibet signo 28. diebus, & 8. alii, 6. alii, 11. horis, & complet cursum suum in 338. diebus. Venus moratur in quolibet signo 29. diebus, & complet cursum suum in 348. diebus. Luna moratur in quolibet signo 2. diebus & dimidio, & 6. horis, & bisse vnius, complet cursum suum à puncto vsque ad punctum in 32. diebus & 8. horis. Ex istarum autem septem stellarum ingressu & progressu per 12. signa & egressu ab eisdem variantur & disponuntur omnia, quæ in hoc mũdo inferiori generantur & corrumpuntur, *Vnde in lib. Messalath philosoph. legitur sic cap.* 1. Altissimus fecit mundum ad similitudinem sphæræ, & fecit circulum altiorem, in circuitu eius volubilem, & terram fixam in eius medio non declinantem ad sinistram vel dextram. Et posuit alia elementa mobilia, & fecit ea moueri per motum septem planetarum, & omnes stellæ aliæ cooperantur planetis in suis operationibus & naturis. Vnde & opus planetarum simile est lapidi magneti & ferro, quia sicut trahitur ferrum ab eo, ita omnis creatura super terram à motu planetarum afficitur, aptatio etiam & de-

structio

ſtructio fit motibus & operationibus planetarum. Diuerſificatur autem operatio eorum, ſecundum climatum diuerſitatem. Aliud enim operatur circa Æthyopes, & aliud circa Sclauos: vnde *ſicut dicit idem cap.*4. Attendenda eſt planetarum cõiunctio in ipſis ſignis, quia ſi plures fuerint coniuncti in ſignis aquaticis, in reuolutione anni ſignat multitudinem pluuiarum. Si in igneis, ſiccitatem & famem ex exceſſu caloris & ſiccitatis, ſi in aereis, multitudinem ventorum, ſi in ſignis frigidis, grauitatem frigoris & temperamentum caloris. *Et iterum in eodem in* 8. *cap. dicitur.* Quod effectus ſignorum intenduntur in operationib. ſuis ex coniunctione planetarum, ſiue in bono ſiue in malo, quia ſi fuerint boni planetæ, bonum prætendunt, ſi fuerint mali, contrarium. *Nam vt tradit idem.* Planetarum ſunt quidam maſculini, mali, diurni, ponderoſi, frigidi & ſicci, ſcil. Saturnus: quidam boni, maſculini, diurni, temperate calidi & humidi ſicut Iupiter. Mars verò maſculinus, nocturnus, calorem & ſiccitatem generat. Sol maſculinus, calorem & ſiccitatem operatur. Venus fœmineus, nocturnus, inter caliditatem & humiditatem mediocris. Mercurius verò temperatæ eſt naturæ diurnus, modo maſculinus, modo fœmininus: vnde cito vertit ſe ad naturam illius, cui coniungitur, vt cum bonis bonus, & cum malis malus, vel mediocribus ſimilis efficiatur. Luna inſuper eſt planeta fœmineus, nocturnus, frigidus & humidus cum exceſſu. Et ideo ſecundum aſtrologos planetæ aliqui in ſuis effectibus ſunt boni, ſcil. Iupiter & Venus. Nulli enim nocent, ſed tam ſuos, quam non ſuos adiuuant, & curant quantum poſſint. Alii ſunt mali, ſcil. Mars & Saturnus, quia alienis ſemper obſunt, ſuis tantum proſunt. Alii verò mediocres, ſcil. Sol, Luna & Mercurius. Nam ſuis bona ingerunt, cæteris verò modo bonum modo malum, & maximè, ſecundum quod bonis planetis vel malis in diuerſis ſignorum domibus coniunguntur. Nam cum bonis bona cum malis mala, vt ſæpius operantur. Hi autem 7. planetæ maxime in generatione habent tam hominum quam animalium poteſtatem. *Vnde ſecundum aſtro. & etiam Galen. & alios peritos medicos.* Saturnus materiam conceptam in matrice, frigiditate & ſiccitate ſua coagulat & condenſat. Iupiter autem ſecundo menſe ſpiritum & membra tribuit. Tertio

menſe

mense Mars subtiliat sanguinem, & humores condensat, ordinat & componit. Sol in quarto mense vitalē calorem & spiritum epati & cordi tribuit. Venus in quinto mense organa sensibilia & officialia membra, aures scilicet & nasum, & huiusmodi perficit & disponit. Mercurius sexto mense omnia corporis foramina & porosa membra vt linguam, & nares componit. Luna mense septimo suis limitibus membra diuidit & distinguit, & ideo fœtus tunc nascitur vtilis & salubris. Si verè nasci distulerit vsque ad octauum mensem, fœtus tunc moritur, & hoc, quia virtus Saturni tunc redit, quia vtraque qualitate sua frigida & sicca fœtum mortificat & astringit. Nono autem mense regnat iterum Iupiter, qui fœtus calore suo temperato refouet & custodit. Vnde partus tunc nascens vitalis erit, similiter nascens in principio decimi mensis potest esse salubris & vitalis, quia tunc iterum regnat Mars cuius calore & siccitate membra nascentis roborantur. Vnde fœtus caloris & siccitatis beneficio egreditur iam robustus. Istas & multas alias habent planetæ in corporibus inferioribus operationes generales & etiam speciales, maximè quando in suis domiciliis dominantur. Singuli enim planetæ habent domos proprias, *Vt dicit Albug.* Nam domus Saturni prima & propria est capricornus & similiter aquarius. Domus Iouis pisces & sagittarius. Domus Martis aries & scorpius. Domus Veneris libra & taurus. Domus Mercurii virgo & gemini. Domus Solis leo. Domus Lunæ cancer. In his 12. domibus siue signis septem planetę dominantur, & per eas diuersis motibus euagantes, nunc deprimuntur nunc exaltantur. In his autem signis mouentur planetæ duplici motu, scil. accidentali ab oriente ad occidentem raptu firmamenti & motu naturali, & hic motus est duplex, primus scilicet & secundus. Primus motus est circulus quem facit planeta in proprio circulo, cuius metas & terminos nunquam exit. Secundus motus est quem facit sub zodiaco, & habito respectu ad zodiacum, semper in æquali tempore & per æquale spacium transit. Primus autem motus planetæ proprio fit in circulo, qui dicitur eccentricus, sic dictus eo quod non habeat terram pro centro, sicut zodiacus habet terram pro centro. Vnde circulus planetæ dicitur eccentricus, cuius superficies, cum per centrum terræ trans-

tat & terram in duas medietates diuidat, centrum tamen habet suum extra centrum terræ. Et iste circulus eccentricus est duplex, scil. deferens & æquans. Nam planetis assignantur tres circuli, *Vt dicit Ptolem.* scilicet æquans, deferens & epicyclus. Circulus deferens est circulus planetæ, per cuius circũferentiam semper mouetur epicyclus ipsius planetæ, dictus ideo deferens, quia defert circulum epicycli. Circulus æquans dicitur, super cuius centrum mouetur centrum epicycli planetæ vniformiter, etiam dicitur æquans, quia in illo tenet planeta æqualiter cursum suum. Epicyclus est quidam paruus circulus, quem describit planeta motu corporis sui per cuius circumferentiam mouetur corpus planetæ. Vnde in superiori parte sui epicycli mouetur ab occidente in orientem, in inferiori vero parte mouetur ab oriente in occidentem. Et ideo patet quod Sol & alii planetæ in propriis circulis mouentur, & primis vniformiter, quamuis in diuersis diuersimode moueantur. In istis itaque circulis diuersis triplex motus planetarum est ab Astrologis sapientissime deprehensus, motus, scil. directus, stationarius & retrogradus. Directus est quando mouetur directe à principio signi versus finem. Retrogradus vero dicitur, quando è conuerso tendit à fine signi versus principium. Stationarius autem est, quando stat quasi in medio, ita quod nec principio videtur signi accedere, neq; fini. Fit autem directio semper in parte epicycli superiori. Retrogradatio semper in parte inferiori. Statio vero fit in medio, cuius diuersitatis ratio à philosophis diuersimode assignatur, ista tamen retrogradatio in 5. solum planetis habet locum, non autem in Sole nec in Luna. Non enim Sol neque Luna retrogradiuntur, quamuis in epicyclo moueantur. Et hoc ideo vt dicunt aliqui, quia radii solares sunt causa istius retrogradationis. Nam virtus radiorum solarium aliquando illos repellit, & facit retrogrados, quandoque eos attrahit, & sic eos quasi stare cogit, *Vt dicit Alphra.* Alias causas assignat Ptolemæus, sed hæ nunc sufficiant. Recollige igitur ex prædictis, quod planetæ sunt stellæ erraticæ per septem orbes distinctæ, sicut situ, sic virtute & effectu ad inuicem differentes, *sicut dicit Beda in libro de naturis rerum.* Sunt autem stellæ istæ elementorum immutatiuæ, omnium generabilium generatiuæ, & corrupti-

rupti-

ruptibilium corruptiuæ. Sunt etiam contrarietate sui motus impetus cœlestis corporis, retardatiuæ serenitatis & tempestatis concitatiuæ, sterilitatis & fertilitatis inductiuæ, fluxus maris & refluxus causatiuæ. Sunt etiam suarum qualitatum & virtutum inuicem parcipitatiuæ. *Nam vt dicit Beda*, quando aliquis planetarum alterius circulum ingreditur, illius participat qualitatem & virtutem, per mutuum etiam aspectum & coniunctionem, sunt suarum qualitatum & effectuum permutatiuæ. Nam bonitas beneuolæ stellæ per potentiam male remittitur, & è conuerso, malignitas maleuole per potentiam beneuole temperatur, *vt dicit Albu. & Ptolem.* Sunt etiam insuper ex eorum ordinata eleuatione & depressione in orbibus, & ex mutua circulorum suorum intersecatione stridoris, & harmoniæ generatiuæ, *sicut dicitur in lib. de 5. substantiis. Et vt dicit Macrobius.* Inter sphæram Saturni & Lunæ, omnes consonantiæ musicæ inueniuntur. Cum Sole micantes sunt suæ luminositatis occultatiuæ, à virtute Solis immutationis receptiuæ. Quanto habent altiores circulos, tanto tardius sunt sui cursus completiuæ.

CAP. XXIII.

De Saturno

SAturnus est à saturando dictus, cuius vxor Ops est dicta ab opulentia, quam tribuit mortalibus, *vt dicit Isidorus & Marcianus*; de quo dicunt fabulæ, quod ideo depingitur mœstissimus, quia à filio suo fingitur castratus fuisse, cuius virilia in mare proiecta Venerem creauerunt. Est autem *secun. Misael.* Saturnus planeta maleuolus, frigidus & siccus, nocturnus & ponderosus, & ideo in fabulis senex depingitur. Iste circulus à terra est remotissimus, & tamen terræ est maxime nociuus, vnde propter elongationem à terra per 30. annos perficit cursum suum, plus nocet retrogradando, quam directe procedendo. Vnde in fabulis fingitur habere falcem curuam. In calore etiam pallidus aut liuidus sicut plumbum, quia duas habet qualitates mortiferas, scilicet frigiditatem & siccitatem, & ideo fœtus sub ipsius dominio natus & conceptus, vel moritur vel pessimas consequitur qualitates. Nam *secundùm Ptolem. in lib. de iudiciis astrorum*, dat hominem esse fuscum, turpem.

rem, iniqua operantem, pigrum, graue, tristem, raro hilarem seu ridentem. *Vnde dicit idem Ptolem.* Subiecti Saturno qui ragadia, id est, fissuras siccas sæpius in calcaneis patiuntur, glauci sunt coloris & liuidi, in capillis & in toto corpore asperi & inculti, turpia & fœtida non abhorrent vestimenta, animalia diligunt fœtida & immunda, res diligunt acidas & stipticas, quia in eorum complexione humor melancholicus dominatur. *De hoc Saturno dicit Ptolem.* sub Saturno sunt Capricornus & Aquarius, eius dominium est in Libra; sed in Ariete regnum abstrahitur. Sub eo continetur vita, ædificium, doctrina & locus frigidus & siccus. In iudiciis signat mœrorem & tristitiam. Color eius est niger & plumbeus, & est falsidicus, tamen quãdo ingreditur circulum Iouis, minoratur malicia eius, & mutat colorem ex vicinitate ipsius. Cum n. sit naturaliter plumbeus ex claritate Iouis, cui coniungitur, efficitur candidus atque clarus, *Vt dicit Ptolemæus.*

CAP. XXIV.

De Ioue.

IVpiter qui secundum errorem gentiliũ & fictiones poetarum summus deorum fuit pater, planeta est beneuolus, calidus & humidus, diurnus & masculinus, in suis qualitatibus temperatus, in colore est argẽteus, candidus, clarus ac blandus. Et ideo in circulo Iouis causam felicitatis antiqui philosophi posuerunt, *Vt dicit Mar.* Istius Iouis circulus Saturni circulo immediate est cõiunctus. Et ideo propter altitudinem circuli sui, 12. annis perficit cursum suum. Hic bonitate sua reprimit maliciam Saturni, quando Iupiter in superiori parte sui circuli, circulo Saturni est coniunctus, & ideo fingitur à poetis patrem suum à regno expulisse, *Vt dicit Mar. & Isido.* quia potentia sua reprimit maliciam Saturni naturalem. Hic adiunctus planetis bonis, bonas & vtiles facit impressiones in istis inferioribus elementis. Et ideo dicunt Astrologi, quod in corpore hominis cooperatur ad pulcritudinem & honestatem, pulcrum enim dat colorem, scil. niueum, & rubore permixtũ, pulcros dat oculos, & pulcros dentes, & pulcros crines, barbamque rotundam, *Vt dicit Ptolem.* Præest enim aeri

& sanguini, & sanguineæ complexioni. *De hoc dicit Ptole.* Sub Ioue sunt Sagittarius & Piscis, & sunt domus eius, regnat in Cancro, & in Capricorno discessus regni eius. Sub Ioue continētur honor, diuitiæ, optimum indumentum. In iudiciis Astrologorum significat sapientiam & rationē, & est veridicus. Vnde quando apparet in ascendente, significat *secundum Astrologos* reuerentiam, honestatem, fidem & disciplinam, & erit finis ad saluationem. Hic omnium signorum confortat bonitatem, & signat in eis bonum, quando in eis inuenitur, nisi in duodecimo, vbi dicunt significare Iouem seruitutem, paupertatem & tristitiam, ex parte quadrupedum, & mœrorem ex parte familiæ & seruorum, *Vt dicit Ptolemæus & Misael.*

CAP. XXV.

De Marte.

MArs deus belli à gentibus putabatur. Est enim planeta calidus & siccus, masculinus & nocturnus, vnde præest choleræ & igni, & cholericæ complexioni, & disponit ad audaciam & animositatē & appetitum vindictæ, propter quod deus bellorum vocabatur. Immediate sequitur Iouem, & præcedit Venerem. Et ideo ex vtriusque stellæ beneuolę vicinitate eius nociuitas temperatur. In colore est fulgidus siue rutilans sicut ignis, *Vt dicit Mar.* Vnde & maiorem vim habet calefaciendo, quam alii planetæ, *Vt dicit idem.* Hic planeta *secundum Ptolem.* disponit in homine ex parte corporis ad longitudinem & gracilitatem, & hoc ratione caloris & siccitatis, sed hoc est in iuuentute. Nam in senectute ex calore consumente & siccitate contrahente, disponit ad curuitatem. Ex parte mentis disponit ad mobilitatem animi & leuitatem, ad iram & animositatem, & alias cholericas passiones. Disponit etiā & habilitat ad igneas operationes, sicut ad ferrarios & furnarios, sicut Saturnus ad terrarum cultores, & grauium ponderum portitores, & Iupiter è conuerso ad artes leuiores, facit enim habiles vt sint oratores, trapezetæ, id est, campsores, & argenti tractatores, scriptores & huiusmodi. *Vt dicit Misael. Secundum Ptolema.* etiam sub Marte sunt hæc signa, Scorpius, Aries, & sunt domus eius, regnat in

Capricorno, ſed in Tauro eſt diſceſſus regni eius. Sub ipſo continetur prælium, carcer & inimicus, & ſignificat iram & celeritatem & furorem, & eſt rubeus, falſidicus & doloſus. Moratur in quolibet ſigno 60. dieb. & 15. hor. in 2. annis complet curſum ſuum.

Cap. XXVI.

De Venere.

Venus, qui & Lucifer dicitur, eſt planeta *ſecundum Miſael* beneuolus, fœmineus, nocturnus, in ſuis qualitatibus, ſcil. in calore & humore temperatus. Hic planeta excepit ſolus zodiacum in duabus partibus, *vt dicit Beda.* Et eſt dictus Venus, quia ſua qualitate calida vel humida, dicitur venerei humoris vel amoris excitatiuus, *ſecundum Iſidor.* Semper concomitatur Solem, vel præcedit, & tunc dicitur Lucifer, vel ſequitur & tunc dicitur Veſper, *vt dicit Beda.* Colorem habet candentem & refulgentem electro ſimilem, *vt dicit Mar.* Inter omnia enim ſidera gaudentius fulget, vnde & iubar dicitur, eo quod iubar radioſi luminis à ſe emittit, propter quod & vmbram facit. Quando aura multum eſt ſerena, diem & Solis ortum immediate annunciat & præcedit. Quando eſt in eodem ſigno cum Sole, à claritate Solis abſorptus, ſe tunc temporis non oſtendit. Quando Venus eſt altior Mercurio, tunc eſt illo ſegnior motus eius, & è conuerſo cum eſt inferior, tunc eſt celerior, *vt dicit Macrobius.* In tribus ſemitoniis Soli occurrit, *vt dicit Mar.* & maliciam deprimit, *vt dicit Ptolem.* Ex parte corporis diſponit ad pulcritudinem, & ad voluptates in tactu, in olfactu, in guſtu, & in cantu. Vnde facit eſſe cantores & muſicorum amatores, & ſpecierum confectores, aurifices, & veſtium muliebrium inciſores, *vt ait Miſael. Et dicit Ptolem.* Sub Venere, inquit, ſunt Libra & Taurus, & ſunt eius domus, & regnat in Piſcibus, & in Virgine deficit regnum eius, & abſcedit. Sub ipſo continetur via & amor & amicitia & peregrinus, & ſignat lucrum & gaudium, & eſt veridicus, & moratur in quolibet ſigno 29. diebus, & complet curſum ſuum in 368. diebus.

CAP. XXVII.

De Mercurio.

MErcuius, *secundum Misael.* est planeta temperatus, nocturnus, modo masculinus, modo fœmininus, cito enim se vertit ad naturam illius cui adiungitur, vt cum bonis bonus, cum malis malus, cum mediocribus mediocris vel maleuolus efficiatur. Vnde & in superiori parte sui orbis, miscet qualitates suas cum qualitatibus Veneris, & ideo fingitur à poetis, quod cum ea fuerit fornicatus, *vt dicit Isidorus.* Et dicitur Mercurius, quasi medius currens, quia quasi medius est *secundum Bedam*, inter Venerem & Solem. Vnde in superiori parte sui circuli cõiungitur cum Venere, in inferiori vero conuenit cum Sole. Circulus etiam suus in superiori parte intrat circulum Veneris, in inferiori autem parte intrat circulum Solis. Quando est in superiori parte sui, circulus medius videtur, & minus à Sole obscuratur. Aliquando etiam ante Solis ortum, aliquando post occasum splendet, & ideo ab aliquib. Hesperus nuncupatur. Aquis dicitur dominari. Vnde *Lucanus loquens de Mercurio dixit:*

-- quantum Dominus percußit aquarum.

Dicitur etiam à poetis deus eloquentiæ & sapientiæ. *Vnde secund. Ptole.* Mercurius dat esse studiosos scientiæ & numerorum amatores, disponit enim & habilitat ad scientiã & vsum calculi & computationis. Et ideo dicitur fuisse deus mercatorum, quia mercatoribus computatio summe necessaria est. Dicitur autem deus palæstræ, *vt dicit Isid.* eo quod cum Sole luctatur, quasi volens eum superare. Semper enim iuxta Solem graditur, nunquam plus distãs quam per 30. gradus, vnde raro videtur, quia semper fere sub radiis solaribus occultatur. Et ideo propter calorem Solis fuscus depingitur, & propter suam celeritatem cursor deorum in fabulis nuncupatur, quia nunc cum Sole, nunc ante, nunc post graditur. Quando Solem præuenit radiis solaribus proximus stare videtur, & dicitur stationarius. Quando autem sequitur, videtur retrogradus, *vt dicit Macrobius. Secundum Ptole.* autem sub Mercurio sunt Gemini & Virgo, & regnat in Virgine, sed in Piscibus regnum abscedit. Cum Sole sæpe moratur vno signo ante

aut vno post. Sub Mercurio continetur fortunium, negociatio, furtum. Significat rationem & sapientiam, & est albus, cum beneuolis beneuolus, & cum malis malus. Moratur in vnoquoque signo 28. dieb. & 6. horis, & in 338. diebus complet cursum suum. *Hucusq; Ptolem.*

CAP. XXVIII.

De Sole.

SOl *secundum Isido.* quasi solus lucens dicitur, eo quod sit fons totius luminis, cuius radiatione superiora & inferiora illustrantur. Est autem Sol, *secundũ Msalath.* planeta fortunatus ex se, sed per coniunctionem aliquando fit malus, masculinus, diurnus, calidus & siccus. Sol enim omnia viuificat, & rebus omnibus vitam, spem & formam administrat. Nam, *vt dicit idem*, Sol omnibus luminaribus cœli maior est in quantitate, & in dignitate, & in claritate, quia magis calcati & compressi luminis est. Maior est etiam in potestate & effectuũ multiplicitate. Maior est etiam in motus vniformitate, quia semper mouetur motu directo in circulo proprio sub zodiaco, mediũ semper tenens locum. Transit enim recte circulus suus per mediam lineam zodiaci, cuius metas & terminos non transcendit Sol, & ideo eius motus in circulo suo proprio est vniformis, quamuis respectu aliorum moueri dissimiliter aliquando videatur. Circulus quoque Solis sicut & zodiacus distinguitur per 12. spacia siue signa, quorum quodlibet cõtinet 30. gradus, & quilibet gradus 60. minuta, & quodlibet minutum 60. secunda. Et quando Sol recedit ab vno puncto circuli sui, & reuertitur in eundem, transit per 12. signa. & iste transitus circulus anni vocatur, nec in die naturali perfecte transit gradum vnum, *prout computat Albu.* sed transit 59. minuta, 8. secunda (alias scrupula.) Ita quod de illo sexagesimo minuto remanent duo secunda impertransita. Vnde tantum deficit, quod in vno die naturali non perficit gradum vnum. Sol igitur motu suo ordinato & impertubato, cursum ordinat & perficit vniuersa. *Vnde Ambro. in hexameron sic nobis describit virtutes ipsius Solis dicens: Sol est oculus mundi, iucunditas diei, pulcritudo cœli, mensura temporum, virtus & vigor omniũ nascentiũ, do-*

minus planetarum, decor & perfectio omnium stellarum. Idem etiam dicit Mar. Sol, inquit, est fons mentis, i. e. memoria rationis, principium lucis, rex naturæ, mens mundi, fulgor olympi, moderator firmamenti. Ideo enim mouetur contra firmamentum, vt moderet & temperet motum suum, ideo dicitur splendor olympi, *vt dicit Macro. in lib. Ciceronis*, diffinitio fuit Platonis, omnium sphærarum lumen esse à Sole. *Dicit enim Plato in Timao:* Ingeniauit Deus rerum Conditor lucem clarissimam, quam Solem vocamus, cuius splendore cœlum & inferiora omnia illustrantur, vt numerus existeret omnium animantium. *Et in lib. de elementis dicit Aristot.* Sol, inquit, habet lumen proprium, stellæ vero vel Luna lumen à Sole acquisitum, sicut quando â candela speculum ei oppositum illuminatur. *Idem dicit Mar.* quod Sol in medio signiferi incedens, bissenos radios emittit ex se, quibus superiora & inferiora illustrantur. De his autem Solis mirabilib. vel virtutibus *dicit beatus Dio. in lib. de diu. no. cap. 5 sic: Sensibilium essentias & qualitates, multas quidem & discretas existentes ipse Sol vnus ens & vniformis & illuminans lux, renouat, nutrit, custodit, perficit & discernit, vnit & refouet, fœcunda facit, auget, mutat, collocat, plantat, renouat, & viuificat etiam omnia.* Vnde ex ipsis verbis manifestatur proprietas ipsius Solis in propria natura, & in suo effectu. In substantia enim seu essentia sua summam habet simplicitatem. Non enim habet ex dissimilibus vel ex contrariis partibus compositionem substantialem, sicut inferiora elementa, vel elementata, sed omnimodam habet simplicitatem in sua natura & vniformitatem, & ideo habet perpetuam in substantia permanentiam & incorruptibilitatem, quia compositio ex contrariis principium est corruptionis, *vt dicit Arist.*

Et ex hac simplicitate summam habet secundum substantiam leuitatem. Nam partium materialium compactio est, principium & causa grauitatis, & ex hac leuitate habet corpus solare ad motum habilitatem. Leuia enim ad motum sunt facilia & maxime sunt agilitatis. Ex substantiæ autem suæ subtilitate & mobilitate summam habet actualitatem & virtutem, quia quāto res est simplicior, tanto ad diuersos actus naturaliter est potentior. Et ideo

conue-

conuenienter *dicit Dionysius*, quod Sol vniformis est lux illuminans, &c. Nam virtutem habet illuminatiuam, quia in suo lumine nunquam deficit, quamuis eius lumen vel per terræ vel per Lunæ interpositionem nobis aliquando auferri videatur. Habet etiam virtutem renouatiuam. Nam poros terræ aperit, & virtutem latentem in radicibus ad actum producit, & terræ superficiem herbis, frondibus & floribus renouat & reuestit. Per subintrationem enim virtutis solaris penetrantis ad interiora terræ hyemali tempore quodammodo antiquata annis singulis virore & pulcritudine renouantur. Item virtutem habet nutritiuam, quia ad interiora radicum & seminum, solaris radius subintrans, calore suo humiditatem terræ dissoluit, & vi sua attractiua quod semini & radici est simile de illa attrahit, & illud in nutrimentum terræ nascentium conuertit. Item virtutem habet inferiorum conseruatiuam & saluatiuam, Nam elementa propter contrarietatem & mutuam repugnantiam quam habent inter se ad inuicem se destruerent, nisi per virtutis cœlestis influentiam conciliarentur, & sic in esse debito saluarentur, *Vt dicit Alexander*. Item virtutem habet perfectiuam, quia calor elementaris incipit agere in generatione corporum, & calor solaris perficit & producit vsque ad debitum complementum, *Vt dicit Alexander* Item virtutem habet discretiuam. Nam colores & rerum species & figuræ, quæ in tenebris sunt confusæ, per præsentiam solaris luminis agnoscuntur & ab inuicem discernuntur. Item virtutem habet vnitiuam, & hoc est per se & per accidens. Per se, quia vnit & conciliat, & concordat planetas in suis effectibus, conciliat etiam sibi contraria elementa. *Vnde secundum Marcianum & Macrobium*. Sol medius est inter planetas, quia ad harmoniam cœlestem perficiendam hoc facit Sol in suo circulo, quod facit media chordula in musico instrumento. Per accidens etiam vnitur homogenea, sicut & dissoluit heterogenia, secundum enim naturam in quam nunc aggregat nunc dissoluit. Item virtutem habet fœcundatiuam, vim enim generandi & varias species producendi confert istis inferioribus. Homo enim generat hominem, & Sol, *Vt dicit philosophus*, quia nihil fructificat neque crescit vbi Solis radius non attingit. Item virtutem habet confortatiuam, secun-

dum enim Solis aſcenſum ſuper noſtrum horizontem, virtutes animalium fortiores efficiũtur, & vſque ad medium cœli augmentantur, & in eius declinatione vſque ad occaſum, propter eius elongationem, debilitantur corpora in ſuis virtutibus, & quaſi in ſomnũ reſoluuntur, vt patet in floribus, qui aperiuntur, in ortu Solis, qui in occaſu marceſcunt quodammodo & clauduntur, *vt dicit Alexander.* Item virtutem habet temporum immutatiuam, ordinatiuam & diſtinctiuam, quia deſcendens per ſigna auſtralia, efficit dies breuiores, aſcendens vero per ſigna ſeptentrionalia, efficit longiores. Immutat etiam ipſos dies, quia Sol lucens ſuper terram diem facit. Et ſecundum diuerſam diſpoſitionem Solis dies diuerſam immutationem recipit. Nam primo rubet in mane, deinde lucet in tempore, horæ tertiæ, feruet in meridie, pallet in veſpere. Vnde & quatuor equos fingitur habuiſſe, quorum primus fuit Eritheus, id eſt, rubeus, ſecundus arytheus, id eſt, ſplendidus, tertius lampas, id eſt ardens, quartus Philogeus, id eſt amans terram, *vt dicit Beda.* Sol etiam *vt dicit Beda*, ſi fuerit maculoſus vel ſub nube latens, pluuialem diem præſagit, ſi rubeat. Si vero palleat, tempeſtuoſum. Si vero clarus in medio videatur, ita vt in medio fulgens radios emittat verſus Auſtrum, tempeſtatem deſignat humidam & ventoſam Si pallidus decidat in nubes nigras, ventum aquilonarem prænunciat, *vt dicit Beda.* Item virtutẽ habet inferiorum informatiuam. Nam *vt dicit Iſidorus*, ſecundum eius elongationem & propinquationem, facies hominum, & animalium corpora vigore & colore diſponuntur. *Vnde dicit Marcianus.* Solis conſtellatione homines pulcros & agiles eſſe. Et ideo in fabulis cum pennatis veſtigiis depingitur, & facie puerili, propter ꝙ etiam Phœbus, id eſt pulcer dictus eſt. *Dicit Ptolemæus.* Sol facit hominem corpulentũm, facie pulcrum & coloratum, & magnorum oculorum, & habilitat ad omnia opera auri ſi fuerit in exaltatione ſua. Si vero in caſu ad omnia æris opera habilitat & diſponit. Item virtutem habet putrefactiuam. Radiorum enim ſuorum diſperſione ſubtiliat aerem, & diſgregat & conſumit vaporem inficientem aerem, ac diſpergit & fugit auram peſtilentem. Item cum non ſit ſubſtantiue calidus, virtutem habet calefactiuam, inflammatiuam & vri-

tiuam,

tiuam, & hoc fit ex motu radiorum, & eorum confractione ac concursu in superficie obiecti corporis maxime si obiectum corpus speculare fuerit & politum, *vt dicitur in perspectiua.* Item virtutem habet attractiuam, calore enim suo attrahit à mari fumos & vapores, & eos tandem condensat in nubes, & sic condensatos resoluit eos, nunc in grandines, nunc in pluuias, nunc in niues. Vnde *secundum Marcianum* dicitur fabulose, quod Sol fuit iuxta mare Oceanum ab Æthiopib. cum aliis Diis ad epulas inuitatus. Putauerunt enim Antiqui, Solem aquis Oceani nutriri, & attractos vapores in ipsius nutrimentum conuerti, & ideo dicunt ante impetuosam pluuiam, calorem præcedere vehementem. Quod fit propter nimiam attractionem vaporis, ex forti impressione caloris radiorum in ventre siue in concauitate nubis, *vt dicit Aristoteles.* Item viuificatiuam habet virtutem, quod patet per hoc, quod nihil potest viuere vbi non potest attingere virtus Solis. Et ideo *dicit Ptolemaus in eodem libro.* Sub Sole est Leo, & est domus eius, & regnat in Ariete, & in Libra discedit, & sub ipso continentur species, lucrum, fortuna & heres. Et significat animam & spiritum, & est color eius albus & rubeus, & est veridicus, & complet cursum suum diebus 300. & 66 & 6. horis. Vnde inter omnes planetas maxime disponit animalia ad animationem & viuificationem. Item cum sit maximæ quantitatis, & velocissimi motus, suæ velocitatis & magnitudinis est occultatiuus. Cum enim sit octies maior tota terra, *vt dicit Macrobius.* Propter altitudinem sui situs vix bipedalis videtur. Quod autem incomparabiliter sit maior quam apparet, patet ex hoc, quod maior videtur in ortu suo & occasu, quando à nobis maxime elongatur, quam in puncto meridiei, quando nobis appropinquat, vnde patet, quod in ipsius aspectu decipitur visus noster. Et hoc aperte declaratur in ipsius motu, quia continue mouetur velocius quam sagitta, & tamen moueri in aliquo non videtur, præ nimia claritatis intensione & excessu. Sic & eius quantitas, sic & motus velocitas subterfugit visum nostrum. Et ista de proprietatibus Solis dicta nunc sufficiant.

Cap. XXIX.

De Luna.

LVna dicitur quasi luminum vna, id est, principalis & maxima, quia corpori solari in magnitudine & pulcritudine est simillima, *vt dicit Isidorus* Luna est, *vt dicit Ambrosius in hexameron*, decor noctis totius, mater roris, humoris ministra, dominatrix maris, temporum mensura, æmulatrix Solis, mutatrix aeris, lumen à se non habens, sed à plenitudine Solis mutuans & acquirens, quæ secundum appropinquationẽ vel elongationem à Sole formam suscipit & figuram. Carens itaque Luna proprio lumine, est à fontali plenitudine Solis luminis receptiua. Vnde *dicitur in lib. elementor. Aristotel.* quod Luna semper in medietate sui à Sole illuminatur, & lumen receptum reflectit in terram. Naturam enim similem habet speculo, quia proprio carens, lumen recipit ab alio, & quanto Soli plus appropinquat, tanto plus de suo lumine perdit ex parte terræ. Sed claritatem quam perdit ex parte inferiori nullo modo perdit ex parte cœli, imo tanto plus ex parte superiori illuminatur, vnde quando Soli coniungitur, nihil luminis ad terrã dirigit, sed ex parte cœli in plena illuminatione permanet & persistit. Et è conuerso quando Soli opponitur tota ad terram & non ad cœlum illuminatur, *vt dicit Beda & Macrobius*. Item Luna est figurę & formę suæ mutatiua, diuersas enim facies sui luminis ostendit ad terram, quia nunc arcualem, nunc circularem aspectibus hominum se ostendit, nunc μονόκερος, nunc διχότομος, nunc ἀμφίκυρτος, nunc πανσέληνος. Μονόκερος autem est, quando est prima, & apparet cornicularis. Διχότομος dicitur quasi per medium secta, quando est octaua. Ἀμφίκυρτος est, quando de sua plena rotunditate est dubia, scilicet quando est 11. vel 12. Πανσέληνος est, quando ex toto est plena, scilicet quando est 14. Item Luna triplicis status est ostensiua, quia, aut est cum Sole, id est, in coniunctione, quando accenditur, aut à latere, quando scilicet à Sole receditur, vel quando ad Solem reuertitur, aut in plena oppositione, quando scilicet totaliter Soli opponitur. Quando autem à Sole primo recedit, apparet corniculata, ad modum arcus,

cus, cornibus semper versis versus Ortum. Quando vero iterum appropinquat ad coniunctionem, recipit eandem formam, sed versis semper cornibus ad Occasum. In parte autem auersa à Sole semper apparet vacua, sed in parte ante ad Solem versa lumine repleta. Item Luna est omnium humorum augmentatiua, quia per occulta naturæ spiramina, fluxus & refluxus augmentatur. Vnde in eius detrimento in ossibus medullæ, cerebella in capitibus, & humores in corporibus diminuuntur, & eius incremento multiplicantur. Vnde eius defectui omnia compatiuntur, & eius decrementum inferiorum est detrimentum, *Vt dicit Marcianus.* Item aquarum maris est attractiua, sicut enim adamas trahit ferrum post se, sic Luna mouet & trahit post se Oceanum. Vnde in suo ortu intumescit mare, & crescit ex parte Orientali, & decrescit ex parte Occidentali. Et è conuerso, quando est in occasu, crescit mare ex parte Occidentis, & decrescit ex parte Orientis. Secundum quod Luna plus vel minus proficit in lumine, sic plus vel minus in suo fluxu se extendit vel retrahit ipsum mare, *Vt dicit Marcianus. Macrobius etiam in lib. Cicero.* Oceanus in incremento Lunæ retinet modum istum. Primo enim die crescentis Lunæ fit copiosior solito, & abundat in summo. Sed secundo minuitur, & sic descendit vsque ad septimum diem, deinde iterum crescit per 7 dies, itaq; in 14. die est iterum plena in summo. Vnde & in nouilunio semper est mare plenissimum, & etiam in plenilunio. Item Luna est roris in aere generatiua, vim enim suæ humiditatis aeri imprimit, & aerem insensibiliter immutans, in ipsius superficie rorem gignit. Manifeste enim videmus, quia quanto est Luna æstiuali tempore serenior, tanto abundantius ros super gramina se ostendit. Item Luna est inter planetas, breuissimo tēpore sui cursus completiua. Breuissimū enim habet circulū, & ideo infra spacium 28. dierum, per omnia signa zodiaci euagatur, *Vt dicit Ptolemæus.* Sub Luna est Cancer, & Cancer est domus eius, regnat in Cancro, sed in Libra discessus regni est. Et est planeta frigidus & humidus, cum excessu fœmineus, nocturnus, moratur autem in quolibet signo duobus diebus, & 6 horis, & bisse, & in 28. diebus complet cursum suum. Item Luna inter omnes stellas erraticas est magis in incerto & in vago motu siue cursu pro-

ſu proceſſiua. Nam propter breuitatem ſui curſus nunc ſub Sole, nunc ſupra, nunc ante, nunc retro euagatur. Et cum Sol circuit per circulos auſtrales inferiores, Luna peragit circulos boreales ſuperiores. Nunc Luna ſupina eſt velut nauicula, ſurſum habens cornua verſus terram inclinata, quando vero decreſcit eſt erecta, *vt dicit Beda.* Item quando Luna recto diametro inter nos & Solem eſt interpoſita, ſolet eſſe eclipſis, id eſt, defectus Solis cauſatiua. Iſta autem defectio nunquam poteſt accidere ſecundum naturam niſi in coniunctione Solis & Lunæ, quando de nouo accenditur, & ipſa coniunctio in linea ecliptica celebratur. Hoc ſemper eſt, quando Sol eſt in capite Draconis, & Luna in cauda vel è conuerſo. *Vnde Albu. in lib. de motibus planetarum.* Si Luna inter nos & Solem obuiat, defectum radiorum Solis nobis facit in capite vel in cauda Draconis. Quid autem ſit cauda Draconis, quid caput, poſt dicetur. Item Luna per interpoſitionem tumoris terræ inter ſe & Solem, defectus ſui luminis eſt paſſiua. *Vnde Marcianus in lib. Aſtronomiæ ſic dicit.* Luna aſcendens vel deſcendens in ſolarem lineam incidit, ſi fuerit triceſima. Quando ex toto Soli eſt ſubiecta, obſcuritatem Solis terra facit. Sed iſtum defectum non ſingulis menſibus facit, quia nõ ſemper in eadem linea quæ inter Solem & terram diametraliter eſt oppoſita Solari corpori ſe opponit. Idem vero defectus eſt Lunæ, cum Luna Soli ſit totaliter oppoſita, ſcilicet quando eſt 15. Si enim directe fuerit tũc Sol ſub terra, emittit Sol vmbram tumoris terræ in lineam ſibi oppoſitam, quam ſi corpus Lunæ intrauerit, propter vmbram terræ interpoſitam inter ſe & Solem à ſuo lumine tunc priuatur. Quod ergo ſingulis menſibus Luna eſt plena, non fit in linea ecliptica, quæ eſt vmbræ interpoſitio, ideo ſingulis menſibus Luna ſuo lumine non priuatur. Item Luna eſt quandoque cuiuſdam obſcuritatis & obnubilationis in ſe contentiua, & hoc ex proprii qualitate corporis, quæ naturaliter eſt obſcura, cum lumen ex ſe non habeat ſed à Sole, vel *vt dicunt aliqui*, illa obſcuritas eſt ex vmbra terræ, ex qua quædam linea reſultat in corpore lunari, quę ipſius lumen in parte obfuſcat, & hoc fit maxime quando ad terram appropinquat, ex cuius vicinitate & nebuloſitate contrahit quaſdam ſordes, *vt dicit Marus.* Quando vero

ad altiores aſcendit circulos, clara, munda & nullis maculis obnoxia tunc videtur, *Vt dicit idem Marus.* Item Luna eſt mutationis temporum ſignificatiua. Nam *Vt dicit Beda* Si Luna in principio rubeat vt aurum, ventos oſtendit, ſi in ſummo eius corniculo maculis quibuſdam nigreſcit, pluuioſum menſis exordium prætendit. Si vero nigreſcit in medio plenilunium, ſerenum prætendit. Cum vero in nocturna nauigatione ſcintillat ad remos, in breui tempeſtas futura erit, *Vt dicit idem Beda*, Item Luna in cœleſti harmonia eſt grauiſſimi ſoni emiſſiua, *Vt dicit Macrobius.* In circulo n. Lunæ fit grauis ſonus, ſicut in ſphæra cœleſti acutus eſt. Ex ordinatiſſimo enim ſono ex ſtridore motus orbium generato, dulciſſimus, *Vt dicitur*, fit concentus. Itē Luna eſt fœcunditatis terræ ſeminib. miniſtratiua. Præeſt enim ſeminib. quæ proficiunt ex rore qui de corpore Lunæ cadit, *Vt dicit idem.* Et ideo ſecundum fabulas dicitur Proſerpina, eò quod ſeminum quæ proiiciunt in terra dicitur eſſe dea à gentibus. Sic etiam dicitur Diana, id eſt, ſyluarum & nemorū Dea, quia feris de nocte paſcua quærentibus in nemoribus & in ſyluis, luminis beneficiū adminiſtrat. Et ideo vocauerunt gentiles Lunam deam venatorū, quia venatio fit in ſyluis, propter quod Dianam cum arcu depingebant, eo quod venatores arcubus vtebantur. Item Luna cum ſit frigida & humida, eſt ex vicinitate ſolaris circuli caloris receptiua. Nam ex calore Solis & ſiccitate temperatur frigiditatis & humiditatis ſuæ exceſſus, ne ſingulis menſibus in ſuo deſcenſu ad terram hyems generetur, *Vt dicit Macrob.* Item Luna, *Vt dicit Albu.* Eſt aeris mundificatiua, motu enim ſuo continuo aerem rarificat & ſubtiliat, vnde ſi non eſſet motus ſphæræ Lunæ aerem ex nocturna vaporem exhalatione groſſicies inficeret, quæ corruptionem nō modicam generaret. Item Luna, *ſecundum Aſtrologos*, inter planetas eſt ſuper diſpoſitione humani corporis maximè poteſtatiua. Nam, *Vt dicit Ptolemæus in li. de iudiciis aſtrorum*: ſub Luna continetur ægritudo, amiſſio, timor & damnum, &c. Vnde circa mutationem humani corporis virtus lunaris potiſſime operatur. Et hoc accidit, tum propter motus ſui velocitatem, tum propter ipſius ad nos vicinitatem, tum propter occultam ſibi naturaliter inſitam poteſtatem. Vnde de morborum

muta-

mutatione medicus perfecte non discernit, qui lunares effectus in corporibus non cognouit, *Vnde Hipp. in principio prognosticans, de Luna loquens,* ait: Est quoddam cœleste sidus, in quo oportet medicum prouidere, cuius prouidentia est mirabilis & stupenda. Et *Gal. in commento de diebus creticis dicit:* rem certam, quæ non fallit, attendat medicus, quam docuerunt Astrologi Ægyptiorum, quia per coniunctionem corporis lunaris cum stellis fortunatis, fiunt ægritudines terminales ad bonum, cum contrariis vero contrariæ, scil. ad malum. Et ideo cautus & perfectus medicus, *secundum doctrinam Hippocratis*, aspicere debet primã lunam, & quando est plena luminis, quia tunc crescunt humores in hominibus & medullæ, & fit nutrimentum in mari, & in omnibus rebus mundanis. Quando ergo infirmus in lectum cadit, multum necesse est videre, vtrum luna tunc exeat de coniunctione, tunc enim crescit infirmitas, quousque veniat in oppositionis gradum, scil. in plenilunio, & tunc si fuerit cum malo planeta aut in malo signo, & aspexerit domum Martis, qui est octauum signum, id est, si aspexerit Martem, qui dicitur domus signi Scorpionis, tunc de morte timendum est. Si vero fuerit cum bono planeta & in bona domo siue signo, & aspexerit dominum domus vitæ, scil. Martem, qui est domus Arietis, siue primi signi de vita tunc sperandum est. Et sic de aliis videndum est, *Vt patet in lib. Hippocratis quem dicitur composuisse de iudiciis infirmitatis secundum lunam.*

CAP. XXX.

De quibusdam proprietatibus Lunæ malis.

HAbet autem luna quasdam proprietates minus laudabiles, tam secundum substantiam, quam secundum effectum. Habet enim substantialem obscuritatem, cum non habeat, sicut alii planetæ, lumen à seipsa. Habet etiam maximam instabilitatem, quia nullum sidus ita vagatur per omnes partes zodiaci sicut Luna. Cõtrahit etiam à maleuolis stellis & nociuis nocibilitatem. Nam *Vt dicit Ptolemæus : Luna est planeta cum malis maleuolus.* Luna insuper per suam oppositionem inter nos & Solem, aufert à nobis solaris luminis claritatem. Luna etiam quando in-

cidit

cidit in vmbram terræ, perdit lumen suum, & suam perdit deformitatem & defectibilitatem. Præterea propter vicinitatem quam habet cum crasso aere & terra, ab vmbra terræ, vel ab infecto aere cõtrahit maculam & deformitatem, *Vt dicit Marc.* Luna etiam quanto plus recedit à Sole, tanto plus recipit à lumine versus terram, & minorem versus cœlum obtinet claritatem. Et quanto plus proficit versus terram, tanto plus decrescit & deficit in lumine versus cœlum. Multiplicem etiam habet effectum malum. *Nam vt dicit Ptolem.* Luna efficit hominem instabilem & mutabilem, de loco ad locum discurrẽtem. Efficit enim hominem in oculis male dispositum & inordinatum. Efficit etiam in homine vnum oculum altero maiorem, aut facit strabonem aut orbum in vno oculorum. *Et subdit.* Homo, in cuius complexione lunaris constellatio dominium habuit, vicio in oculo non carebit. Et hoc forsan accidit propter accessum lunaris humiditatis, humores oculorum ad aliquam prauam qualitatem disponentis. *Dicitur etiã in lib. Misalath cap.* 5. Eclipsis lunæ maxime in hyeme, si fuerit in signis frigidis, excessum significat frigiditatis & nimiæ cõstrictionis in terra, in aere, & in aquis. Si fuerit in signis aquaticis, præsagit abundantiam pluuiarum. Si vero in signis aeris, periculum tempestatum prætẽdit, & ventorum ruinam. *Dicit Ptole. & Albug.* quod Luna existens in 2. signo post ascẽdens mœrorem designat, tristiciam & ablationem substantiæ per fures & prædones. Similiter in 4. in 6. & in 8. iram, anxietatem, fugam & mutabilitatem. In 10. signat, quod qui tunc incepit regnare, cito deponetur. In 12. autem impedimentum, rixam, duriciam & carcerem ex parte amicorum. In omnibus autem aliis domibus siue signis bonum efficit & prætendit; maximè si planetis bonis fuerit sociata, secundum variam ætatem Lunæ mouentur menstruales humores in mulieribus, & cerebella in animalibus & diuersæ passiones, vi lunari in corporibus excitantur, vt patet in lunaticis & caducis. Hæc de proprietatibus Lunæ & aliorum planetarum dicta iam sufficiant.

Cap. XXXI.

De capite & cauda draconis.

SVnt autem duæ stellæ quæ non sunt planetæ, sed tamen naturam & effectum videntur habere planetarum, scil. caput draconis & cauda, quæ mouentur cum firmamento, & consequuntur cursum firmamenti: vnde à leone transeunt in cancrũ & à cancro in geminos: & sic deinceps. Moratur autem in quolibet signo caput draconis 18. mensib. anno, scil. & dimidio, similiter & cauda, & in 18. annis cõplet cursum suum, & si caput est in aliquo signo, semper in signo opposito erit cauda, & venter in 4. vt si caput est in cancro, venter erit in ariete, & cauda in capricorno. Et si caput fuerit in leone, venter erit in tauro, & cauda in aquario, & sic de aliis, & ideo propter aspectum oppositum cauda est totaliter venenosa. Habet autem caput exaltationem suam in tribus gradibus geminorum. Casum vero in sagittario gradibus totidem. E conuerso autem cauda habet exaltationem suam in tribus gradibus sagittarii, & caput cadit in tribus gradibus geminorum. Est autem hic aduertendum, quod quando Luna coniungitur capiti soli vel caudæ existenti prope gradum coniunctionis, à 12. gradibus vel infra, semper est eclipsis futura maior vel minor, secundum quod caput vel cauda magis vel minus accedit ad gradum coniunctionis, & hoc potissimè habet locum in eclipsi Solis. Eodem modo de eclipsi Lunæ hic tenendum est, quia si Luna conuenerit cum cauda in aliquo signo, & Sol fuerit in capite in signo opposito, erit eclipsis Lunæ, & è conuerso, si Sol fuerit in aliquo signo cum cauda, & Luna in signo opposito cum capite, erit iterum eclipsis Lunæ. Et si in eodem gradu conuenerit, erit eclipsis generalis. Vnde semper oportet quod conueniat in capite vel in cauda, in eodem gradu, siue prope 12. gradibus vel infra, si debet esse eclipsis. Vnde coniunctio debet fieri Solis & Lunæ, quo ad idem signum eundem gradum, idem minutum & idem secundum. In oppositione vero contrarium signum semper erit secundũ eundem gradũ, idem minutum, & idem secundum. Ex hoc apparet, quod quãuis Luna iugatur singulis mensib. Soli & accendatur, non tamen semper eclipsin facit, quia non semper in linea ecli-

ecliptica se contingunt, quia non semper accenditur Luna in coniunctione in eodem gradu, nec etiam semper caput vel cauda in coniunctione vel oppositione Solis & Lunæ se contingunt.

Cap. XXXII.

De Cometa.

COmeta est stella quædam flammis circuita, *Vt dicit Beda.* Repente nascens regni permutationem, aut pestilentiam, aut bella, vel ventos, siue æstus signans & prętendens. Cometicæ stellæ aliquando vidētur moueri motu planetarum, aliquando permanent immobiles sicut fixæ. Semper autem apparent, *Vt dicit Beda*, in parte determinata in cœlo. Non enim vagantur per diuersas partes zodiaci sicut planetæ, sed vidētur esse in circulo lacteo siue galaxia, & spargunt radios versus Septentrionem, nunquam versus Occidentem. Vnde in parte occidentali non videntur, breui spacio solent apparere, scil. per octo dies. Aliquando visa est 80. diebus, *sicut dicit Beda.* Ex quibuscunque autem stellis nascitur cometa, siue ex planetis, siue ex fixis, semper in firmamento apparet in parte Septentrionali, *Vt dicit idem.* Ex quo patet, quod stella, quæ apparuit in ortu CHRISTI non fuit cometa, quia mouebatur ab Oriente ad Meridiem versus Occasum. Et hoc non solet facere motus cometæ, *Vt dicit Chrysostomus.*

Cap. XXXIII.

De Stellis fixis.

STellæ à stando sunt dictæ. Quamuis enim semper moueantur, tamen semper stare videntur, *Vt dicit Isidorus.* Dicuntur & sidera, à considerando dicta, eo quod in eis mathematicorum cōsideratione multa iudicantur & præuidentur. Dicuntur etiam astra ab ἄστρον vel ἄναστρον, nuncupata eo, quod secundum opinionem aliquorū stellarum corpora in sphæra firmamenti, sicut claui in rotæ circumferentia sunt confixa. Et hoc quidem verum est quo ad aliqua, & maxime quo ad maiora. *Vt dicit Isidor. secundum Alphra. Stella est lux aggregata in suo orbe.* Vnde secundum quod est maior aggregatio luminis stellaris cor-

poris, tanto est maioris quantitatis, pulcrioris claritatis, & amplioris potestatis & virtutis. Vocantur autem ab eodem stellæ siue sidera lucis vehicula, eo quod sunt luminosa corpora luminis, solatium contra nocturnas tenebras mortalibus deferentia, mundi superficiem decorantia. Solis lucem, à quo recipiunt lumen, prout possunt, supplentia, emissione radiorum continua, aerem depurantia, quorum virtute aufertur à mundo inferiori pestilentia & corruptela. Stellarum etiam virtute conciliantur & ad concordiam reuocantur sibiinuicem contraria elementa. Earum sempiterno fulgore illustrantur omnia, suo calore saluant & refouent vniuersa. Nam secundum Platonicos, *Vt dicit Beda*, stellæ igneæ sunt naturæ. Cœlum enim cum suo ornatu esse natura igneum, multi antiqui posuerunt. *Aristoteles autem & alii philosophi* ponunt cœlum esse elementum quintum, natura & proprietate ab elemẽtis quatuor discretum, dicunt stellas non esse frigidas, nec calidas substantialiter, sicut nec ipsum cœlum, sed tantummodo sunt calidæ effectiuæ, motu enim suo continuo & sempiterno inflammant illud, super quod mouentur, & sic in istis inferioribus, habẽt inducere calorem vel algorem. Radiorum vero mobilitate & confractione in superficie obiecti corporis habent inducere vim caloris. Sed vnde sint stellæ certum est, quod sunt secundum naturam purissimæ & simplicis naturæ ac incorruptæ, quo ad formam etiam sunt lucidissimæ, & quo ad figuram, sphæricæ & rotundæ, quo ad substantiam, solidę, non porosæ, quo ad superficiem, planæ, nullatenus asperæ vel angulosæ, quo ad situm, altissimæ: quo ad motum, velocissimæ: quo ad quantitatem, sunt maximæ, quamuis propter situs distantiam videantur esse paruæ: quo ad numerositatem innumeræ, illi enim soli qui stellas numerat sunt finitæ: quo ad potestatem & effectum, stellæ sunt magis inter corpora virtuosę. Nam stellæ sunt inferiorum generatiuæ, immutatiuæ, conseruatiuæ, radiorum suorum emissiuæ, tenebrarum noctis illuminatiuæ, sui cursus in suis orbibus vniformiter completiuæ, in Solis præsentia à quo recipiũt lumen sui sunt occultatiuæ, in suo ortu & occasu sunt aeris multipliciter immutatiuæ, quia nunc tempestates concitant, nunc serenitates generant & procurant, *Vt dicit Beda*,

coloris

coloris variatione, & radiorum scintillatione, nunc tristium, nunc lætorũ euentuum, secundum mathematicos sunt pronunciatiuæ. Sunt etiam nauigantibus prosperę, & ipsarum viarum in medio maris directiuæ, vbi stellæ ad inuicem vicinius sunt coniunctæ, maioris luminis, & pulcrioris sunt expressiuæ, vt patet in Pleiadibus & sideribus galaxiæ. Quamuis etiam tantam ostẽdant pulcritudinẽ, ex quadam vicinitate, quia pariter sunt coniunctæ, luciores tamen in communi apparent singulæ, consideratæ tamen per se non apparent singulariter ita pulcrę, & huius ratio est, *vt dicit Marcian.* quia excedens fulgor vnius per quandam refulgentiam alterius insufficientiã ex se reparat: vnde quod vni deest ex quadam defectibilitate, alia supplet, quæ magis excellit in claritate. Item stellæ propter situs sui distãtiam sunt hominibus dispariter suæ magnitudinis ostensiuæ. Nam, *vt dicit Albu.* quanto sunt cenith, capitis nostri magis vicinæ, tanto semper videntur esse minoris quantitatis, & offeruntur nostris aspectib. minus paruæ. Et è conuerso, quanto plus elongantur in suo ortu nostro habitabili seu in occasu, tanto nostris oculis videntur generaliter esse magis magnæ, & etiam maiores videntur esse in quantitate in occasu quam in ortu. *Vt dicit Beda,* tunc aliquid dicitur esse super cenith capitis nostri, quando directe videtur esse super caput nostrum. Cenith enim dicitur recta positio super caput. Cuius forte ratio est, *vt dicit idem*, quia vapores de terra ascendentes, rectitudinem radiorum ad oculos venire perfectæ non permittunt. Et ideo oculus decipitur in huius aspectu, quia quod circumfusum est in aere, à solari radio æstimat oculus comprehendere in seipso. Sed, *sicut dicit Alga.* talis visus decipitur, sicut quando fulgor candelæ à sano oculo sine obstaculo conspicitur, sed à lippiente oculo sine arcus cœlestis imagine non videtur, & putat deceptus oculus omnino videre in alio, scil. in lumine viso, quod tamen in altero non est, sed in seipso potius. *Idem dicit Auicenna in cap. de obscuritate visus, quære supra de visu.* Item sunt stellæ, *secun. Mar.* in suis circulis harmonicæ processiuæ. Omnes enim toni musici concentus inter sidera inueniuntur, nec grauitas inferiorum dissonam reddit melodiam superiorum siue mediorum, nec è conuerso superiorum acuitas

destruit sonum grauiorẽ inferiorum, *sicut dicit Mar. Item secun. Ari. in li. de cœl. & mun.* Stellę sunt ex materia corporis cœli, in quo positæ sunt atque fixæ, & ideo naturaliter sunt splendidæ, sicut & cœlum, in quo reuoluuntur. Vnde omnes stellæ habent lumen proprium præter Lunam. Et quamuis stellæ ex se sint luminosæ, ad consummationẽ tamen suæ luminositatis recipiunt complementum ab ipso Sole. Item stellæ sunt suæ virtutis & luminositatis sibi inuicem communicatiuæ, vna enim auget claritatem alterius, & bonitas vnius, fortificat bonitatem alterius, *sicut dicitur in lib. de coniunctionibus planetarum.* Item stellæ propriis circulis & sedibus sunt contentæ, & ideo si circulus vnius intersecando aliquando subintret circulum alterius, propter hoc proprias sedes stellæ non deserunt, nec sunt aliis per quas transeunt impedimenti, vel iniuriæ inuicem illatiuæ. Item stellæ quædam, *Vt dicit Mar.* celerius ortæ celerius occidunt, quædam vero tardius ortæ, citius occasum petunt, quædam autẽ pariter oriuntur, & tamen non similiter occumbere dignoscuntur. Hæc aũt varietas ortus & occasus accidit ex dispari altitudine circulorum, in quibus oriuntur, vel ex eleuatione siue depressione climatum, in quib. occumbere videntur. Nam secundum variam eleuationem vel depressionem corporis cœlestis, variis temporibus vel oriuntur vel occumbunt. Item stellæ sunt temporum, annorum, sci. & mensium & dierum distinctiuæ & permutatiuæ. Nam *sicut dicitur in libro de proprietatibus elementorum Aristot.* Permutatio temporis non est nisi propter permutationem stellarum, in signis diuersis & super climata septem, vt ex permutatione Lunæ singulis 28. diebus, aut per mutationem Mercurii & Veneris in omnibus decem mensibus vel minus illo, aut ex permutatione Solis in quolibet anno, aut ex permutatione Martis in 2. annis, aut Iouis in 12. aut Saturni in 30. aut ex coniunctione & permutatione triplicitatis ad triplicitatẽ in 250. annis, aut propter permutationem stellarum fixarum orbis. Permutantur enim in 100. annis vno gradu, quarum accidit permutatio magna 36. millibus annis. Et hic est annus magnus, quod est vltimum omnium rerum. *Hucusque Aristot. in eodem libro. In libro autem Ciceronis dicit Macr.* Istius mundani anni finis est, cum stellæ omnes

omnia-

omniaque sidera ac planetæ à certo loco ad eundem remeauerunt. Hoc autem & physici volunt, post annorum 25. millia peracta contingere, &c. Quicquid autem super hoc dixerũt philosophi, hoc certitudinaliter tenendũ est, quod nostrum non est diffinire, quando vltimus finis erit. Hoc enim solus nouit temporum conditor, qui momenta & tempora continet in sua potestate.

Cap. XXXIIII.

De Polo.

Polus, *secundum Bedam*, est stella paruissima, à qua tota pars cœli superior est dicta. Duplex autem est polus, scilicet Arcticus siue borealis, qui semper nobis pollet & relucet, nobis autem nunquam occidit, quia super nos existit. Vnde polus à pollendo est dictus, quia continue mundo pollet. Sed secundus polus dicitur Antarcticus, id est, Australis. Polo arctico oppositus, qui nobis semper est inuisibilis. Inter istos duos polos, quasi inter duos mundi extremos vertices semper voluitur firmamentum. Hi duo poli nunquam mouentur de suo loco, tamen circulariter cum sphæra vel circulo reuoluuntur & circumferuntur. Axis autem à polo ad polum per medium centri terræ extenditur, circa quam totius firmamenti impetus rapitur & mouetur. Hic autem axis non est materialis, sed potius linea quædam intellectualis, qui à polo vsque ad polum recto diametro, sicut linea à puncto vsque ad punctum esse tracta intelligitur, circa quam tanquam circa mundi medium sempiternis raptibus voluitur firmamentum. Polus igitur est stella, quo ad situm, altissima, quo ad motum, velocissima, quo ad aspectum nostrum, minima, quamuis sit in se valde magna, quo ad effectum vltima, quia per ipsius situm discernuntur situs & termini aliorum siderum & cœlestiũ circulorum. Vnde hæc stella ab astrologis potissime intuetur. Est ergo stella ista breuissimi circuli descriptiua, propter nimiam elongationem & distantiam, à nostro situ est suæ magnitudinis occultatiua, propter situs sui immobilitatem est hominum ipsam aspicientium maxime certificatiua. Et ideo vocatur stella maris, quia nauigantium & scientiam nauigalem habentium

in mari est directiua, ratione sui situs, medii totius cœli est ostensiua, per gyrum Arcturi sibi propinqui ab aliis stellis est distincta, à cuius vicinitate polus arcticus est vocata, *secundum Bedam.*

Cap. XXXV.

De Arcturo.

ARcturus est signum à septem stellis sitis in axe in se reuolutis constitutum, *Vt dicit Isidorus.* Harum septem stellarum circulis quia in modum plaustri vertitur, latini eum septentrionem vocauerunt, septentriones non occidere axis vicinitas facit, eo quod stellæ istæ axi & polo stellæ altissimæ sunt vicinæ. Dicitur autem idem circulus arctophilax, eo quod erethon, id est Helicem vrsam sequitur. Eundem Poetem antiqui dixerunt, eo quod plaustro hæret, quod est signum spectabile multis stellis inter quas est Arcturus qui est proprie sidus post caudam maioris Vrsæ positum, vnde ab hac stella tota constellatio illa Arcturus est vocata, *Vt dicit Isidorus.* Et merito Arcturus ab arctando est dictus, quia ex prima parte surgit frigus propter elongationem à calore Solis, frigore vero pori terræ arctantur & constringuntur. Apparent autem septem stellæ radiosæ & rutilantis formæ, quarum quatuor anteriores in modum quadranguli alternis lateribus ordinantur, tres vero sequentes in modum semicirculi disponuntur, locantur autem sub polo circa axẽ, vnde semper circueunt polum tanquam centrum, *Vt dicit Gregorius.* Semper stellę illæ vtuntur circa axem, sicut vrsa circa stipitem. Et ideo ille circulus maior Vrsa vocatur, *Vt dicit Macrobius.* Semper vertitur & nunquam ad ima demergitur, *Vt dicit Gregorius.* Quando tres stellas eleuat quatuor ad ima declinat & è conuerso, cum quatuor sursum erigit tres ad ima deprimIt & demergit, *Vt dicit Gregorius.* Inter omnes circulos superiores circulus Arcturi est altior, quia polo vicinior, hominum aspectibus maxime se offert. Nunquam est hora noctis, quando videri possit, nisi forsan eius aspectus nubibus vel nebulis intercipiatur. Inter medias stellas Arctos draco ad modum fulminis elabitur, *Vt dicit Marc.* hyemali tempore in ortu suo maxime rutilat quadam scintillari

lari irradiatione, fortem aquæ & terræ congelationē prænunciat, *Vt dicit Marcianus.*

Cap. XXXVI.

De Orione.

ORion est astrum tempore hyemali exortum, aquarum & tempestatum excitatiuum. Est autem Orion nimbosus, ventorum & tempestatum excitatiuus & generatiuus. Et est ab ortu & inundatione aquarum Orion dictus *Vt dicit Isidorus.* In suo autem ortu tempestates generat, & aerem immutat, & ad modum armati pedes & brachia extendentis disponitur, & fere per latitudinem trium signorum eius extenditur latitudo, *Vt dicit Marcianus.* Maxime fulget in signo Tauri, *Vt dicit idem.* Est autem constellatio maximæ notabilitatis, & ratione magnitudinis ac pulcritudinis, & etiam ratione dispositionis & virtutis. Ab Ariete enim vsq; ad Geminos se extendit, *Vt dicit Marcianus.* Totam etiam illorum trium signorum superficiem, fulgoris sui pulcritudine clariorem reddit, *Vt dicit idem* Gladiati militis & accincti speciem in stellarum ordine prætendit, *de quo dicit Marcianus. Armatus etiam flagris splendebat in armis, &c.* Splendor tamen Orionis, *Vt dicit idem*, signum est futurę serenitatis, sicut è cōuerso eius obscuritas, futuræ est præsagium tempestatis. Sole existente in signis Orionis & Tauro & in Geminis, omnia germinant & oriuntur, quæ nutrimentum recipiunt ex aquis & aere & ex terra, *Vt dicit idem.* Constellationem Orionis sequitur quædam stella, quæ dicitur canicula, quæ ab Astrologis maleuola dicitur & nociua, quæ secundum fabulas eius canis fingitur fuisse, *Vt dicit idem.* Non tamen est hic illa canicula nociua, quæ oritur in Leone, à qua dies caniculares *à philosophis* nuncupantur, *sicut dicit Galenus.* Orion ergo in ortu suo primo tempestatem prognosticat, sed post serenitatem solito operatur ad terræ fœcunditatem. Sole existente in Tauro quasi se abscondit sub radiis Solis, nec tunc suam manifestat inferioribus claritatem. Oritur autem iterum in Iulio, quando Sol ascendit de Geminis ad circulos superiores, quando terra maximam patitur distemperantiam aeris quoad calidam qualitatem, *secundum Marcianum.*

CAP. XXXVII.

De Hyadibus.

HYades, quæ & suculæ dicuntur, sunt quædam stellæ pluuiales, in quarum ortu pluuiæ multiplicantur, *Vt dicit Isidorus.* Nam tunc temporis vapores à mari & terra per caloris solaris violentiam fortius ad superiora attrahuntur, qui motu hyadum in pluuias resoluuntur, & ideo istæ stellæ dicuntur hyades, id est, suculæ, quia attrahendo humores vel resoluendo eos, traxisse à fabulis confinguntur aquas, *Vt dicit Iginus.* Habent autem hæ stellæ situm suum in fronte Tauri, *Vt dicit Marcian.* & cum dies extenditur, & Sol feruentior ascenderit, tunc Hyades solent primo apparere, *Vt dicit Gregorius super Iob.* 22. Quando à Saturno impelluntur, diuersas generant tempestates, *Vt dicit Beda.* In Hyadum ortu fruges vberius crescunt, quia tunc à pluuiis irrigantur. Plures habet constellatio Hyadum stellas clarissimas, per gyrum ordinatas, quæ oriuntur in 16. gradu Tauri. Oriuntur & turbant aerem in ortu suo, *secundum Albug.*

CAP. XXXVIII.

De Pleiadibus.

PLeiades sunt septem stellæ à pluralitate dictæ, quæ sibi sunt vicinæ. Ab inuicem tamen sunt distinctæ, *Vt dicit Gregorius*, hyemali tempore oriuntur. Quanto autem aura serenior est & frigidior, tanto melius ab aliis discernuntur. Vna vero inter septē latere videtur, quia ex toto se non manifestat, nec ex toto se occultat. Inter genua Tauri habent situm, *Vt dicit Isidorus.* Sol in mense Iunio per Pleiades iter facit, & tunc aeris caliditas pluuiis vernalibus temperat, & terra tunc temporis florum pulcritudine adornatur, *secundum Marcian.* Hac de causa dicitur Iuno amasse Maiam, quæ fingitur vna fuisse de Pleiadibus, & fuit mater Mercurii, secundum figmentum poetarum, *Vt dicit Marc. Secundum Albug.* autem oriuntur Pleiades in 16. gradu Tauri cum Hyadibus, & motu suo turbant aerem.

CAP. XXXIX.

De Canicula.

CAnicula est quædam stella feruentissima, quæ oritur *secundum Albun.* in 29. gradu Cancri, in cuius ortu magna fit aeris perturbatio. Ab hac stella dicuntur dies caniculares, in quibus sanguinem minuere vel medicinam laxatiuam accipere est summe periculosum propter excessum distemperantiæ aeris in calore. *Vnde Hippocrates in aphoris.* Ante canem & post canem & sub cane molesta sunt pharmaca, *ibi dicitur in commento,* quod ante eorum ortum illius stellæ & in ortu, & post ortũ statim periculosum est dare potionem laxatiuam, quia tunc est aer calidus & siccus, scilicet à calido signo, & à calida stella, & à Sole, tunc in Leone cum canicula existẽte, vnde ex modica medicina corpus fieret nimis calidum & siccum, & febris forsitan sequeretur. Medicina etiam euaporaret & minus operaretur, cum corporis pori tunc ex calore aeris sunt aperti, *vt dicit ibidem Galenus.* Calor extraneus vires extrahit medicinæ, vnde aqua calida repugnat solutioni, si calor aeris tunc est fortis. Præterea virtus interior tunc est debilis, quæ per potionem vel minutionem plus debilitatur. Durant autem dies caniculares à 15. kalend. Augusti vsque ad nonas septembris, & sic sunt 50. *sicut ibi dicitur.*

CAP. XL.

De Luce & eius proprietatibus.

LVx, *secundum Basilium,* est species per omnia sibi similis. De luce autem quid sit secundum rem, vtrum, scil. sit substantia vel accidens, diuersimode loquuntur autores. Nam *Aristoteles dicit* lumen non esse corpus, nec à corpore defluxum. *Damascenus etiam dicit,* lumen propriam hypostasim, id est, substantiam non habere. *Secundũ August. super Gen. ad literam.* Lux est substantia corporea summe simplex in generatione corporum, summe multiplex in efficacia, summe mobilis & absolutæ penetrationis & minimæ resistentiæ, & summe disparia & contraria generans & concilians, summe conuertibilis, omnis naturalis motionis principium & origo, summe perfectibi-

lis, summe iucunda, summe communicabilis, vnde luce in corporibus nihil est vtilius, nihil cōuenientius, nihil pulcrius, nihil velocius, nihil subtilius, nihil impassibilius, nihil virtuosius inuenitur. Est autem differntia inter lucem & lumen. Nam lumen est quidam defluxus à luce, siue irradiatio defluens a substantia lucis. Lucem autē dicit ipsam fontalem substantiam, super quam lumen innititur. Si enim lux considerata in se esset accidens, necessario per se alicui esset accidens, quia accidens per se causatur à forma subiecti sui, vnde si lux in aere esset accidens causaretur lux vera à forma aeris, quod esse non potest. Præterea lux mutat subiectum suum. Quod patet, quia lux est naturaliter prius in oriente, consequenter vero in occidente, & lux orientalis generat proximam sibi & ita deinceps vsque ad occidentem. Accidentia enim non permutant suum subiectum, nec extra illud agunt. Ex quo videtur quod lux non sit accidens. Præterea si esset accidens aeris, necessario moueretur aer subito ab oriente in occidentem, secundum subitum motum lucis, sic autem moueri subito non conuenit aeri nec alicui elemento. Præterea luce nihil est nobilius, accidens autem est ignobilius substantia. Ex quo videtur, quod lux non sit accidens, cum aer longe sit ignobilior ipsa luce. Sed si lux est corpus, difficile est intelligere qualiter lux sit in aere vel cum aliquo corpore diaphano, vt in crystallo, cum duo corpora similiter non possunt esse in eodem loco. Non est tamen inconueniens nec impossibile ponere, lucem esse substantiam corpoream, & esse similiter cum aliquo corpore. Videmus enim aquam & cinerem pariter iungi & misceri, salua vtriusque corporeitate & localitate vtriusque superficiem ab alio distinguente, & vtriusque partes infra propriam superficiem continente. Quantumcunque enim simul immisceantur cinis & aqua, permanet tamen aqua in sua corporeitate per partium suarum cohærentiam & continuitatē, & cinis in sua. Nec propter istā commixtionem & vnionem similiter sunt duo corpora in vno loco immo aqua habet suum locum proprium, & cinis suū. Sic lux potest esse in aere vel in quocunque alio corpore, salua vtriusque corporeitate, & suarum partium substantialium continuitate. Vnde & lux subintrans ad interiora aeris vel crystalli, habet suum locum,

eum, ipsius superficiem ambientem, & à substantia adiuncti sibi corporis distinguentem, quamuis non possit propter simplicitatem suæ substantiæ recte percipi vel videri in re. Imo quod mirabilius est multæ luces pariter concurrentes sunt impermixtæ & tamen vnitæ coniunguntur, salua cuiuslibet substantiali forma, qua ab alia differt, licet nulla respectu alterius materialis sit vel formalis, *sicut manifeste docet & dic. Dion. in li. de di. no. cuius hæc sunt verba.* Lumina, inquit, lampadarũ cum sint in domo vna tota inuicem totis sunt communia, diligentem tamen habent à se inuicem discretionem, vnita discretione & vnitate discreta, videmus enim multis ad vnum lumen accensis lampadibus iuxta omnium lumina vnam claritatem & indiscrete relucentem, nec poterit quis (*vt arbitror*) alicuius eorum ab aliis ex aere continente cætera dum similiter sunt ibi sequestrare aut alterum sine altero cernere, totis inconfuse inuicem contemperatis. Subducta autem vna similiter & proprium lumen recedit, nihil secum cæterorum luminum auferens aut de suo aliquid eis relinquens Erat enim omnium, vt dictum est, perfecta vnitas, naturaliter permixta & nulla parte confusa, quæ si tanta est in hoc corporali aere & materiali lumine, &c. *Hucusq; Dion.* In quibus verbis manifeste docet luminaria similiter vniri, salua tamen cuiuslibet proprietate substantiali & accidentali, quas deferunt secum, siue accedendo siue recedendo. Lux itaque, *secundum Dionys.* est substantia in se sistens, à qua procedit irradiatio quædam, & illuminatio corporum aliorum, semper enim lucet lux in se, & tamen non semper illuminat, sed solum quando inuenit corpus habens materiam dispositam & aptam ad illuminationem, *vt dicit Augustinus.* Substantia enim cœlorum est vere lux, quæ in corporibus obtinet primum locum. Et tamen cœlum non illuminat in tenebris vel in nocte. Semper ergo lux lucet inuisibiliter, & in tenebris, sed non semper illuminat visibiliter. Vnde virtutem lucis sentit omnis creatura inuisibiliter enim operatur virtus lucis sensum & motum in animalibus, *vt dicitur in lib. fontis vitæ. Dicit etiam Albug. in librode iudiciis astrorum*, Hippocratem dixisse & docuisse, quod nisi stellarum lux de nocte subtiliaret densitatẽ aeris, destrueretur omne corpus animatum, & tamen

men certum est stellarum lucem de nocte sæpius non videri. Impressio enim & operatio lucis est manifesta in mari, quia fluit & refluit per applicationem Lunæ ad aliquem situm, siue illuminat aerem siue non. In visceribus etiam terræ, vbi non attingit lumen virtus lucis operatur, vt patet in mineralibus, & aliis reb. ibidē generatis. Et breuiter præsentia lucis est necessaria in omni corpore mixto, per quam contraria in elementatis vniuntur. Lux itaq; à summo cœlo empyreo vsq; ad centrum mundi est diffusa, quæ in sua substantia & radice vna est & simplex, variata tamen secundum diuersitatem recipientium, siue Solis, siue aliorum corporum superiorum vel inferiorum, vbi est vna substantia, virtus & operatio lucis, licet non luminositatis. Hæc est primogenita lux quæ creata fuit die primo, *vt dicit Basil.* quæ corpori solari & cęteris cœlestibus quarto die factis superfertur. Vnde Sol & cætera sidera sunt primæui luminis vehicula, quæ propter susceptionē lucis incorporalis sufficiunt sine suæ substantiæ deperditione ad illuminationem perpetuam & perennem, vnde ista lux vbiq; attingit, & omnia corpora secundum magis & minus perficit & disponit. Lux igitur radix fundamentumq; omnis illuminationis vna est in substantia, quæ non continetur accidentaliter ab aliquo corpore inferiori, sed magis continet omnia corpora, respectu quorum penitus formalis est, licet in se sit materialis & situalis, & ideo lux cum sit materialis, habet potentialiter partem extra partem. Quia vero formalis est, habet actu partem extra partem, quia quod habet materia in potentia, hoc habet forma in effectu. Ex quo manifestum est, quod cum lux in genere corporum minimum habet de materia & maximum de forma, vicinior est formæ quam materiæ. Et ideo ratione materiæ est in minimo, scilicet in puncto. Ratione vero formæ est in omni loco. Nam vnumquodque habet ita moueri ad locum sicut ad formam suam, *vt dicit Aristoteles*, quia forma quanto est nobilior, tanto materiam suam plus extendit, *vt dicit Algaze.* propter quod forma lucis, quia est nobilissima in genere formarum corporalium maxime materiam suam distendit.

Et ideo vnus punctus luminis siue lucis sufficeret ex se ad illuminationem totius orbis, propter materiæ suæ nobilitatem

tatem & formæ ſummam actualitatem, *ſecundum Alga.* Vna igitur eſt lux ſimplex & vniformis in ſua eſſentia, quãuis diuerſa ſint luminaria, quæ inter ſe ſunt diſtincta, quãuis videantur in vno actu vniformiter aggregata. Nec lumen vnum intrat ſubſtantiam alterius, quamuis ſenſibiliter tanquam vnum lumen vniri videantur. Non ergo eſt inconueniens ponere duo corpora ſimiliter eſſe quorum vnum eſt ſubtile & formale, & quaſi complementum alterius, reliquum autem eſt materiale & imperfectum. Duo vero corpora glorificata in eodem vbi eſſe non poſſunt, quia neutrum reſpectu alterius materiale poteſt eſſe in aliquo, vel formale. Sed glorificatum & non glorificatum ſimiliter eſſe poſſunt ſine aliquo incõuenienti, *ſicut expreſſe dicit Auguſt.* Lux etiam, *vt dicit Baſ.* eſt maxime mobilis, inceſſanter enim mouet ſe & gignit linealiter & circumferenter in omnem partem ſe mouendo & diffundendo: vnde quantum eſt de ſe, ſubito mouetur. Lux enim ſumme eſt actiua & ſine reſiſtentia ad intima cuiuſque rei penetratiua, diuerſorum & diſparium generatiua, & cõtrariorum in elementis & corporibus mixtis in concordiam & vnitatem reductiua. Radiorum ſuorum proiectione, directione, interſectione, confractione, & reflectione omnium in eſſe productiua, in eſſe conſeruatiua, vel ab eſſe diſſolutiua, *vt dicit Chalcidius ſuper Timæum*, vitæ & permanentiæ cuiuſlibet rei regitiua eſt lux & directiua, ſuipſius naturaliter multiplicatiua. Lux enim multiplicat ſe gignendo. Gignit namque lux lucem, & lux genita ſimul gignit & generat lucem ſibi ſuccedentem, & fit in vno inſtanti vnus punctus, replens lumine totum orbem. Item lux eſt ſui & aliorum manifeſtatiua, colorũ per ſui incorporationem in ſuperficie humidi perſpicui effectiua, *ſicut dicit Auguſt.* Lux tenebras expellit, mœrores diſſoluit, inſidias prodit, ſecuritatem parit, omnem ſpem lætam iucundamque inducit, rebus omnibus formam & decorem tribuit & inducit, quia ſine luce omnia corpora occulta remanent & ignota. Aufer, *inquit Damaſ.* lucem, & omnia in tenebris incognita remanebunt. Lux igitur, *ſecundum Ambroſ & etiam ſecundum Baſili.* eſt pulcritudo omnis viſibilis creaturæ, cuius gratia maxima eſt in aſpectu, quæ cætera mundi membra laudibus efficit digna. Hæc, *vt dicit Baſilius*, idem eſt an-

gelorum

gelorum & sanctorum supra cœlum quietissima habitatio. Hæc summæ Trinitatis per exemplum est demonstratio manifesta. Hæc lux sine diminutione sui est luminositatis manifestatiua & diffusiua, quæ in superficie vmbrosi corporis recepta, non se profundat, quantum ad visibilem speciem, sed quo ad virtutem, *Vt dicit Isidor.* Multas alias proprietates laude dignas habet lux, quo ad suam substātiam, virtutem & operationem, cuius substantia nihil inuenitur purius. Vnde transiens per sordes nō sordescit, cuius virtute nihil est actualius, cuius operatione nihil vtilius in corporibus reperitur.

Cap. XLI.

De Splendore.

SPlendor est quidam defluxus exiens à substantia lucis. Egreditur autem à luce sine alterius naturæ cōmixtione, luci à quo exit est coæuus in duratione, *Vt dicit August.* Quamcito est ignis, tam cito est splendor: Vnde si ignis esset æternus, splendor esset æternus. Exit etiam splendor à luce sine lucis diminutione, sine puritatis lucis contamine, sine discontinuatione, cum sui & aliorum manifestatione, cum sui multiplicatione, *Vt dicit Basil.*

Cap. XLII.

De Lumine.

LVmen differt à Luce, sicut species à genere. Omne enim lumen lux est, sed non econuerso omnis lux est lumen. Nam lumen est defluxus quidam à substantia lucis in aere vel in alio diaphano corpore receptus & vndique circumfusus. Triplex autem est lumen, *Vt dicit auctor perspectiue,* scil. reflexum, fractum & directum. Reflexum sicut à speculo & aliis politis corporibus, quæ reiiciunt lumen à se receptum. Aliud est lumen fractum, sicut quando lumen venit ad corpus aliquantulum densum, quod non est omnino densum vel durum, recipit lumen in se, sed propter materiam omnino inobediētem, lumen illud non tenet rectum incessum, sed diuertitur ab incessu recto & vocatur fractio radii. Tertium lumen est directum, quod non repellitur, neque inuenit materiam aliquo modo in-

obedi-

obedientem & transit libere & facit operationes perfectas. Illud lumen est aeris & aliorum corporum transparentium perfectiuum, decoratiuum, formarum & figurarum declaratiuum, oculorum lætificatiuum, oculis lippis & infirmis est lumen odiosum, & molestiæ illatiuum, hominum à somno & torpore & ocio excitatiuum, formarum & specierum in superficie speculi vel politi corporis impressiuum. Nam lumen ad superficiem politæ materiæ pertingens in angulis æqualibus se reflectit, & omnium subiectorum formas ibi imprimit: vnde quod extra est per substantiam in superficie speculi, collocat per imaginem vel figurã, lumen etiam est secundum dispositionem materiæ quam subintrat in mutationis susceptiuum. Nam eius claritas intenditur in materia perspicua atque pura, & remittitur in fæculenta materia & obscura. In materia enim diaphana obstaculum non inuenit, ideo per eam eradians proprios fulgores exprimit & ostendit, *vt dicit Dionys.* & quanto perfectius illi infunditur, tanto latius ex ea refusa ad alia deriuatur. Accedens autem ad grossiorem naturam illius habet obscurioris distributiuã apertionem. Sicut enim cum materiæ crassæ infunditur capitur imperfectæ: ita cum se effundit extrinsecus, apparet obscurè. Vnde materiæ crassities impedit quod illuminatio recepta distribuatur. In purioribus igitur substantiis perfectius apparet & augmentatur, in grossioribus minoratur. Ex quo patet, quod à purissimis & subtilissimis materiis lumen perfectæ comprehenditur, à compactis vero & obtusis repulsam pati inuenitur.

CAP. XLIII.

De Radio.

RAdius est quidam luminosus a corpore lucido defluxus, quo mediante, lux vel lumen suam perficit actionem, *vt dicit Basil.* Radius autem alius est perpendicularis & erectus, quia corpore lucido siue luminoso emissus, recto & lineari motu sine discretione aliqua petit centrum. Alius est collateralis & confractus, qui a corpore luminoso exiens, & aliquod diaphanum inueniens non rectè procedit, sed obliquat motum suum & ista obliquatio vocatur radii confractio. Alius vero est reflexus, qui quidem a suo

princi-

principio rectè vel oblique progreditur, sed a corpore obiecto repellitur & repcutitur: & talis repercussio vel repulsa, radii flectio nuncupatur, *Vt dicit auctor perspectiue.* Radius itaque luminosus est mobilis & agilis, perspicuus & orbicularis, de se rectus, maximè si fuerit perpendicularis. Contingit autem radium frangi & obliquari, & quandoque ad partem oppositam proiici, secundum dispositionem materiæ quam inuenit vel quam tangit. Hic radius in nube concaua & humida interclusus, diuersas operatur in nube vel in aere formas, colores & figuras, vt patet in coloribus arcus cœlestis, qui nihil aliud est, vel esse dicitur, quam subintratio radiorum in nubem concauam & aquosam, *Vt dicitur in lib. Meteoro.* Ex subito semper motu radiorum & continuo, contingit aerem circumfusum igniri & inflammari, maxime cum concurrerint in loco fractionis. Nam radii ibi coadunati mutuo conculcantur. Et ita sunt causa, quare aer circumfusus sæpius inflammatur, vt patet in crystallo vel berillo, ex cuius oppositione contra solares radios stuppa opposita accenditur & ignitur.

Cap. XLIV.

De Vmbra.

Vmbra est obiectio corporis tenebrosi & opaci, ad lucem siue corpus luminosum. Est itaque vmbra triplex secundum physicam considerationem. Contingit enim quod corpus luminosum sit rotundum. Et aliquando est maius quam corpus obiectum: aliquādo æquale: aliquando minus. Si æquale, facit vmbram æqualem & rotundam, & talis vmbra dicitur cylindroides, id est, æqualiter rotunda. Si minus sit obstaculo facit vmbram tendentem in latum ad modum calathi, & talis vmbra dicitur cathaloides. Si vero corpus luminosum maius sit corpore supposito facit vmbram tendentem in acutum & in conum, & talis vmbra dicitur conoides. Ex quo patet quod cum Sol sit maior terra facit vmbram conoidem. Contingente igitur quod terra sit opposita Soli quæ assignato modo ita alte dirigit vmbram quod Lunam attingit & eam inficiendo eclipsim Lunæ facit, sed ex quo Sol tumorem sphæræ præterit, iste conus transit & declinat in partem oppositam, &

tunc Luna libere apparet & illuminatur. Cum vero Luna directe sit opposita Soli, Luna facit vmbram cathaloidem, & ideo vmbram contra terram dirigit & eclipsim particularem facit, quia talis vmbra non sufficit tegere totam terram, cum à radiis Solis in quibusdam partibus illuminetur & ex tali vmbra accidit eclipsis in vno climate alio illuminato existente, *Vt dicit Albug.* Vmbra vero caloris solaris est repressiua, splendoris radiorum solarium occultatiua, sterilitatis & fœcunditatis terræ inductiua, serpentum amica & colubrorum nutritiua, æstuantium & itinerantium refrigeratiua, maturitatis fructuum tardatiua, timoris & horroris melancholicis incussiua. Cum non sit corpus, speciei corporis est repræsentatiua, corporum motu & quiete est suiipsius configuratiua. Nam moto corpore se mouet, quiescente quiescit, fugientium est insecutiua, & insequentium fugitiua, quanto enim dies est longior, & Sol in cœlo stat altior, tanto obiecti corporis vmbra videtur minor, & è conuerso. Et ideo Sole oriente videtur vmbra maior, similiter & in occasu quam in meridie.

CAP. XLV.

De Tenebra.

TEnebra est lucis absentia à tenendo dicta. Ligat enim & tenet oculos, ne Solem videant siue lucem, & sic nihil est nisi pura priuatio. Tenebra etiam dicitur aer obscurus, vel vmbra opaci corporis, *Vt dicit Basilius*, & qualitate & situ luci contrariatur, timorem incutit, colorum pulcritudinem tollit, verecundiam diminuit, somnolentiam nutrit.

BARTHOLOMÆI ANGLICI De proprietatibus Temporis, Liber nonus.

Postquam autem diximus de proprietatibus cœli, & eius partium, de quibus sacra pagina facit mentionem: dicendum est sub breui compendio de eius effectu, scilic. de motu & mensura motus, id est, de proprietatibus temporis & partium eius. Causatur autem motus primo & principaliter à volutione cœli, cuius motus primus est & sempiternus, vt dic. in lib. de cœl. & mun. *neque similis est motui inferiorum corporali & visibili siue mutabili. Causa tamen est motus inferioris, quia motus rerum inferiorum generabilium procedit ex incorporali & vniformi motu orbium superiorum,* vt dicit Aristot. ibidem. *Motus autem est transitus à termino ad terminum contrarium, vt dicitur in fine libri eiusdem. Omne enim quod permutatur de contrario, mutatur in contrarium. Et sunt sex species motus, scil. generatio, corruptio, alteratio, augmẽtatio, diminutio, secundũ locum mutatio,* vt dicit idem, *Motus enim permutationis secundum situm, alius est reuolubilis & sphæricus, alius rectus, alius compositus.* Reuo*lubilis autem non mutat locum secundum totum, sed secundum partes. Circularis tamen quandoque mutat locum secundũ totum, vt patet in motu planetarum. Rectus autem semper mutat locum quamdiu est in actu, aut enim mouetur à centro ad circumferentiã, vt ignis, & aer, & huiusmodi leuia, quæ feruntur sursum, aut è conuerso mouentur deorsum ad centrum, vt grauia, sicut aqua & terra. Hic autem motus habet sex species, est enim dexter, sinister, ante, retro, superior & inferior. Compositus vero motus est ex duobus motibus contrariis, sicut motus ligni, in quo accenditur ignis. Motus insuper hoc habet proprium,*

prium, quia ex vehementi motu generatur calor, vt patet ex motu primi orbis, ex cuius confricatione & motu inflammatur æther, vt dicit Aristot. *& ex motu liquefit plumbum quod est in eo*, vt dicit idem. *Motus enim non potest mensurari, nisi secundum mensuram spacii, in quo est motus. Omne enim quod mouetur, aut mouetur proprietate, vt adamas mouet ferrum, aut violentia, sicut ex forti impulsu venti mouetur nauis, aut ex voluntate, sicut mouetur corpus prout vult animus. Motus vero mutationis est duplex, vel mutationis de loco ad locum, vel permutationis, dispositionis, ad dispositionem de loco ad locum naturaliter, aut per vim. Lapis enim quando ab alto demittitur, quanto magis descendit, tanto est eius motus magis impetuosus, vnde intenditur in fine ipsius, qui vero mouetur per violentiam, intenditur motus eius in principio motus ipsius, & quanto remotius est à suo principio, tanto debilior erit motus, vt patet in sagitta ab arcu emissa, quæ tam à remotis potest proiici, quod in vltimo nihil penetrat neque lædit. Motus itaque est generationis, & omnis transmutationis inferiorum causatiuus, caloris & inflammationis inductiuus, tam aquæ quam aeris subtiliatiuus, caloris naturalis confortatiuus, appetitus excitatiuus, medicinæ laxatiuæ ad mundificandum corpus cooperatiuus*, vnde dicit Hippocr. Si vis helleborum ducere moue corpus. *Item si fuerit motus à centro ad circumferentiam, erit materiæ extensiuus, diffusiuus & dilatatiuus. Si vero fuerit è conuerso à circumferentia vsque ad centrum, erit aggregatiuus, partium inspissatiuus & constrictiuus. Item motus temperatus est naturæ, animatorum corporum conseruatiuus, immoderatus vero est naturæ destructiuus.*

Cap. I.

De Tempore.

Tempus est rerum mutabilium mensura, *Vt dicit Aristoteles in lib. de 5. substantiis.* Tempus est numerus numerans in omni eo quod numeratur, *Vel sicut dicit Rabanus:* Tempus est dimensio rerum mutabiliũ, secundum motum & secundum moram, coæuum in rebus mutabilibus, *Vt dicit Augu.* Nihil est preciosius tempore, vnde de omni possessione duo possunt similiter haberi vel plura, sed de tempore duo momenta simul haberi non possunt, vnde tempus recuperationem non recipit, amissio enim temporis irrecuperabilis est. Breue est tempus, mutabile, instabile & irrecuperabile, cum motu enim & mobili incipit, quo penitus deficiente, tempus finit, & ideo non erit in futuro, sed cessabit, quando nihil nisi æternitas erit, *Vt dicit August.* Tempore nihil est communius, omnibus enim æqualiter est commune, tempore nihil labilius, quia nunquam quiescit, imo quando incipit deficere, incipit decrescere, & è conuerso, quia præsens finis est præteriti, & mox principium est futuri. Omne enim tempus tribus vicissitudinibus variatur, scilic. in præteritum, præsens, & futurum. Secundum rationem temporis, & eius variam successionem, semper est dies & nox, *Vt dic. Beda*, sed alibi dies, alibi nox, Tempore nihil incertius, nihil imperceptibilius, quia, *Vt dicit Isidorus*. tempus per se non dignoscitur, sed solum per humanos actus. Item tempore nihil est alterabilius, & ideo corpori nihil periculosius, quia, *Vt dicit Hippocrat.* mutationes temporum maxime generant morbos. Subita enim mutatio frigiditatis in caliditatem corpora alterat & immutat. Et ideo, quia natura non patitur repentinas mutationes, *Vt dicit idem Hippocrat.* Ideo subita mutatio temporis frequenter est causa infirmitatis. Item moderato tempore & in suis qualitatibus temperato, corpori nihil est salubrius, *Vnde dicitur in aphor.* Temporibus moderatis si tempora temporaliter se habuerint, boni erunt status, & maxime bonæ determinationis fiunt ægritudines. Item quamuis tempus ita sit mutabile, tamen tempore nihil est magis continuum, partes enim tempo-

temporis sunt contiguæ. *Vnde dicit Mar.* Tempus quod in hyeme senescit statim in vere reuiuiscit, & è conuerso.

Cap. II.

De Anno solari & æquinoctiali.

ANnus, *vt dicit Isidor.* est Solis reuolutio, vel anfractus cum peractis 365. diebus & quadrante redit ad locum suum. Est autem annus dictus eo quod mensib. in se remeantibus voluitur, vnde annus ab an, quod est circum dicitur, quia quasi circulus in se redit & renouatur. Vnde apud Ægyptios ante literas inuentas per pictum draconem caudam suam incidentem, & in se reuertentem significabatur, *vt dicit Isidorus.* Sunt annorum diuersa genera. Nam est annus lunaris, minor anno solari in vndecim diebus, & est annus solaris, qui duodecim habet menses. Singuli autem planetæ habent annos suos, in quibus perficiunt cursum suum, vt Mars qui in duobus. Iupiter in duodecim. Saturnus in triginta. Et est annus magnus, qui dicitur mundanus, quando omnes stellæ, *secundum Arist.* redibunt ad proprium & primum creationis suę punctum. & hic annus, *secundum Arist.* in 36. millibus annorum perficietur, *sicut patet in libro de proprietatibus elementorum.* Secundum Platonicos autem infra 15. millia perficitur annus iste, *sicut dicit Macro. in lib. Ciceronis.* Sunt autem anni vsualis, scil. Solaris quatuor tempora, quæ sunt tempus vernale, æstiuale, autumnale, & hyemale. Et dicuntur tempora eo, quod in suis qualitatibus mutuo se temperant, *vt dicit Isido.* dicuntur & curricula, eo quod alterna assiduitate currunt, & nunquam in eodem statu perseuerant, *vt dicit Isidor.* In his quatuor anni temporibus accidunt duo solstitia, in Hyeme, & Æstate, duo æquinoctia, in Vere & Autumno. Solstitium autem est maxima inæqualitas diei & noctis, quæ accidit in ingressu Solis in Cancrum & Capricornum. In Cancrum, quantum ad solstitium æstiuale, in Capricornum, quantum ad hyemale. Et dicitur solstitium quasi Solis statio duplici de causa, vel quia Sol in æstate vel in hyeme propter longitudinem dierum aut noctium videtur stare in nostro hemisphærio, vel in inferiori, vel quia in vtroque solstitio, quasi stat, in æstiuali non po-

tens plus accedere ad nos, in hyemali non potens plus à nostro habitabili elongari. Æquinoctium est maxima æqualitas diei artificialis & noctis, quæ accidit in ingressu Solis in Arietem siue Libram. Sunt autem duo æquinoctia, primum est vernale, secundum hyemale. In his quatuor temporibus fiunt quatuor ieiunia, quæ dicuntur triduana. Primum fit in prima septimana quadragesimæ, istud est Veris: secundum est æstatis in septimana Pentecostes: tertium est Autumni, in quarta feria Septembris: quartum est Hyemis, quod fit in septimana integra ante Natiuitatem Domini. Annus itaq; solaris est annus communis, & incipit à Ianuario, & terminatur in Decembri, & est spacium, quo Sol voluitur trecéties sexagesies & quinquies in zodiaco & quadrante, id'est, 6. horis, quæ sunt quarta pars diei naturalis. Istæ autem sex horæ non computantur in anno communi, sed colliguntur in anno bisextili. Dicitur autem bisextus collectio 18. horarum omissarum in tribus annis cum sex horis quarti anni ad perficiendum vnum diem, & 24. horis, ex cuius additione dicitur annus bisextilis, *Vt dicit Beda.* Et dicitur bisextus, quia semper eo anno, quo accidit in Februario bis, 6. Calend. pronunciamus. Vel dicitur bisextus, ex bisse momentis collectus, ex 30. enim momentis, quibus Sol moratur in quolibet signo, vltra 30. dies, & ex 30. trientib. colliguntur singulis annis sex horæ, quæ collectæ per tres annos, faciunt in quarto anno diem bisextilem, *Vt dicit Beda,* sed de hoc quære in computo.

CAP. III.

De Anno lunari.

ANnus lunaris quandoque dicitur spacium, quo Luna reuoluitur ab vno puncto zodiaci ad aliud punctum, quod continet secundum quosdam 27. dies, & 6. horas: quandoque dicitur annus lunaris spacium, quo voluitur à coniunctione vsque ad coniunctionem, vel ab illuminatione ad illuminationem, & tale spacium superat primum duobus diebus & sex horis. Dicitur autem Luna esse in coitu vel coniunctione, quando ita directe est sub Sole, quod nulla pars superficialiter respiciens nos apparet illumi-

luminata, tota vero est illuminata, quando videtur plena post coniunctionem, itaque Luna recedit à Sole, & relinquit eum in aliquo puncto zodiaci, quę reuertens ad idem punctum non inuenit eum ibi, quia iam profecit in suo motu. Vnde oportet eam consumere duos dies & 6 horas antequam illum consequatur, & tale spacium dicitur lunatio. Quandoque dicitur annus lunaris spacium continens 12. lunationes, quæ diuiduntur à computistis per 6. pares & sex impares, secundum quod menses sunt pares siue impares, par enim lunatio respondet mensi impari, impar autem pari. Annus ergo lunaris continens 12. tales lunationes continet 354. dies, sexies autem 30. & totidem 29. dies perficiunt tantam summam. Vnde patet, quod annus solaris communis superat hunc annum lunarem in 11. diebus, qui excessus facit ætatem Lunæ variari singulis annis in kal. mensium, ita quod si in hoc anno prima est in kal. alicuius mensis, in sequenti anno erit duodecima. Quandoque autem dicitur mensis vel annus lunaris embolismalis. Et est embolismus excrementum anni solaris ad lunarem, & dicitur ille annus embolismalis, in quo cadit & recolligitur vna lunatio 30. dierum recollecta, ex illis 11. diebus, in quibus superat annus solaris lunarem, & ideo tertius annus est embolismalis, quia in illo recolligitur lunatio 30. dierum tribus diebus desuper remanentibus, ter enim 11. faciunt 33. remanentibus aliis diebus trib. similiter 8. annus est embolismalis additis illis sex diebus ad alios 22 dies, qui ex supercrescentia 7. & 8. anni recolliguntur, sed ad hoc vt lunatio embolismalis 8. anni sit 30. dierum, oportet mutuare duos dies ex embolismali subsequenti, & ita procedendum est vsque ad 19. annum, quando circulus embolismalis adimpletur, continens annos 12, communes, & 7. embolismales. Embolismales enim sunt tertius, 6. 8. 11. 14. 17. 19. alii vero sunt communes. Annus autem lunaris maximæ obseruationis est apud Hebræos propter quod legalis dicitur, quia omnes festiuitates legales secundum Lunæ cursum & ætatem obseruantur, & ideo semper incipit a lunatione Aprilis, *vt dicit Beda, & in Exo. 12 dicitur. Mensis iste erit vobis principium mensium anni, &c.* Præter annum autem vsualem seu communem & legalem, est annus, qui dicitur emergens, quando aliquo

casu notabili emergente, tempus subsequens computatur, sicut Græci computauerunt tempus à prima olympiade, & Christiani à prima Dominica Incarnationis, & sic de aliis. Vnde contingit sæpe quod medium anni legalis est principium emergentis, & è conuerso, & per hoc multæ contrarietates in Biblia ad concordiam reducuntur, sed hæc de annorum diuersitate dicta sufficiant.

CAP. IV.

De Vere.

VEr est principium anni, cuius initium est, quando Sol in prima parte Arietis consistit, & contra Septentrionem per rectam lineam ascendere incipit, *Vt dicit Constantinus in panteg. lib. 5. cap. 3.* Recta autem linea est, quæ neq; Septentrioni attinet neque Meridiei, sed ab vtroque polo æqualiter distat. Durat autem tempus Veris vsq; in finem Geminorum, quantum scilicet Sol discurrit per tria signa, quorum vnumquodque habet suum mensem ad tempus vernale pertinentem. Primus mensis est Arietis incipiens à 18. die Martii, vsque in 17. diem Aprilis. Secundus est Tauri incipiens à 17. die Aprilis vsque ad 18. diem Maii. Tertius est Geminorum incipiens à 18. die Maii vsque ad 17. diem Iulii. Est autem vernum tempus inter frigidum & calidum maxime temperatum, inter hyemem & æstatem medium qualitatum vtriusque participatiuum, quoniam sanguis tunc incipit multiplicari in corpore animalis, & humores qui in hyemali frigore constricti fuerant & compacti, calore vernali moueri incipiunt & dissolui. Ver autem in suis qualitatibus temperatum sanissimum tempus est & minime mortiferum ac infirmum, *Vt dicit Constantinus & Galenus.* Nam his duabus qualitatibus natura delectatur, quia caliditas est causa effectiua nutrimẽti & augmenti, humiditas vero causa est materialis, & ideo in Vere maxime generatur sanguis, qui magis est necessarius nutrimento corporis. Si vero naturam suam exierit, diuersas inducit ægritudines. Vnde dicitur in aphoris. Si hyems sicca fuerit & borealis, ver vero pluuiosum fuerit, & Autumnus, necesse est in æstate febres acutas fieri & ophthalmias & dysenterias maxime in humidis natura, *Vt dicit comment.*

In

In hyeme ſicci humores per frigiditatem retenti acuuntur, in Vere autem in nimia humiditate diſtemperatę multæ ſuperfluitates generantur, & per calorem reſoluuntur. In æſtate vero dum calor non eſt potens eas conſumere: putrefacit, & ſic febres acutas generat, & inducit multas alias paſſiones. Si vero hyems calida & humida fuerit, ver autem frigidum & ſiccum, neceſſe eſt homines in æſtate ægrotare & mulieres parituras leui occaſione abortire. Cuius rei *aſsignat Galenus rationem in commento*, *dicens:* quando corpora prægnantium in hyeme ſunt calida & humida, tenera ſunt & rara. Vnde frigiditas aeris vernalis ſubito penetrantis ad interiora lædit fœtum, per frigiditatem enim & ſiccitatem, quæ ſunt qualitates mortificatorię mortificatur fœtus. Vnde fœtus mortificatus, aggrauat, & retinacula abrumpit, & ſic mulier neceſſario abortit. Vernum inſuper tempus terram diu clauſam, & præ frigore conſtrictam aperit, & radices & herbas in terra latentes producit, floribus & herbis terram renouat. Aues ad garritum & amorem ſolicitat & inducit, & miro decore omnem terræ ſuperficiem induit & venuſtat. Vnde Ver dicitur à virore vel vigore, quia tunc herbæ & arbores vireſcere incipiunt & frondere, tempus veris eſt tempus agriculturæ & laboris, tempus lætitiæ & amoris. Vernali enim tēpore omnia videntur lætari, nam terra viret, ſyluæ frondent, prata florent, cœlum ſplendet, mare quieſcit, volucres vociferant & nidificant, & omnia quæ in hyeme videbātur mortua & marcida, vernali tempore renouantur. Vnde ſerenitas aeris vernalis vocatur à Marciano alias Macrobio riſus Iouis. Aquæ vero vernalis temporis minus ſanæ ſunt ad bibendum, quia à vaporibus tunc reſolutis ingroſſantur, & â ranis & aliis vermibus tunc temporis ſemen proiicientibus inficiuntur. Et ideo ſi neceſſe fuerit eas bibere, conſulit Conſtant. vt primo decoquantur, vt ſic per ebullitionem ſubtilientur & purificentur.

CAP. V.

De Aeſtate.

AEſtas calida eſt & ſicca, cuius initium eſt, cum Sol fuerit in prima parte Cancri, & tunc eſt Sol in maxi-

ma eleuatione, quo ad nos, &iam paulatim incipit descendere vsque in finem Virginis. Et habet æstas tres menses, sicut & Ver, *vt dicit Constantinus*. Primus mensis est Cancri à 17. die Iunii vsque ad 18. Iulii. Secundus est cum Sol est in Leone à 18. die Iulii vsque ad 17. diem Augusti. Tertius est cum iam in Virginem descendit à 17. die Augusti vsque ad 18. diem Septembris, *vt dicit Constant.* Est ergo æstas calida & sicca choleræ generatiua, eo quod Sol tẽpore æstiuali summa graditur ascensione. Oppositusque capitibus nostris directam & fortem in corporibus nostris, sicut & aliis inferioribus, fortissimam imprimit actionem. Vnde & superflua in hyeme coadunata dissoluit & consumit. Si vero æstas suam temperiem exierit infirmitates calidas & siccas generare & inducere consueuit, *vt dicit Constantinus*. Dies longiores Sol efficit & noctes breuiores, fructus & flores ad maturitatem producit. Nam vi caliditatis suæ tunc intensæ, humores in fructibus tunc digerit & digestos eis incorporat & coniungit, quod vero superfluum est, desiccat penitus, & consumit, terram rimosam & cauernosam reddit. Nam calore suo humidas partes consumendo destruit, siccitate vero sua partes terrestres comprimit & coniungit, & sic aperit terram atq; findit. Consumptis ergo partibus aqueis, quæ fuerunt causa coadunationis, partium & constrictionis, necesse est vt pars à parte diuidatur, & sic scissura in partibus terreis efficiatur. Vnde & loca paludosa, aquositatem consumendo desiccat, exasperat & indurat, porosas partes animalium caloris sui subtilitate subintrat, & humorem subcutaneum dissoluendo sudorem prouocat, & sic quod est superfluum adnihilat & euacuat, per pororum etiam apertionem fit spirituum exhalatio & substantialis humiditatis euaporatio, & ideo vires debilitat & eneruat, ex vtraque qualitate sua choleram excitat & inflammat, & ideo febrilem calorem generat & augmentat, apes mellificantes suis floribus eas reficit & satiat, nocturnis temporibus rorem generat, & herbarum superficiem, ne diurno æstu arescant, rigat & humectat. Æstiuo tempore aues canore maxime vociferant & modulantur, & ad pullificandũ syluestres volucres maxime animantur.

CAP. VII.

De Autumno.

AVtumnus ab augendo est dictus, eo quod tunc temporis fruges & fructus potissime abundant in horreis & augentur. Omnes enim anni labores & fructus recolligit in horrea & reponit. Et ideo in fabulis nutrici Iunonis comparatur ratione fertilitatis, *vt dicit Isidorus*. Nam solicitos & negociosos circa fructuum collectionem homines reddit, agros à frugibus, & arbores à fructibus orbatas reddit, siccitate & frigiditate sua frondes & folia mortificat & deiicit, terram sterilem efficit & vim germinatiuam amputat & præscindit. Est itaque autumnus frigidus & siccus, humoris melancholici, frigidi scilicet & sicci generatiuus, cuius initium est cum Sol primam partem Libræ intrat, cum Sol est in recta linea, scilicet, in æquinoctiali cum à septentrione & meridie æquedistat. Habet autem tempus autumnale tres menses sibi deseruientes, *vt dicit Constant.* Primus incipit quando Sol est in Libra à 17. die Septembris vsque ad 18 diem octobris, & tunc incipit Sol plus declinare in meridie. Secundus mensis est in quo Sol est in Scorpione à 18. die Octobris vsq; ad 17 diem Nouembris. Tertius est cum Sol est in Sagittario, scilicet à 17. die Nouembris, vsque in 18. diem Decembris, *vt dicit Constantinus.* Autumnus in suis qualitatibus veri est contrarius & ideo multarum infirmitatum & pessimarum est generatiuus. *Vnde Hippocrates in aphoris.* In autumno acutæ accidunt infirmitates & mortiferæ, *super quem locum dicit Galenus.* Autumnus pestilentior est cæteris temporibus, & in multis illaudabilis. Primo propter mutabilitatem temporis, nunc enim est calor, nunc frigus. Secundo quia cum sit post æstatem inuenit multos humores incensos ex calore præcedente, quos repercutit frigus autumnale ad interiora, & non permittit eos exire, qui putrefiunt & inducunt pessimas passiones, vt quartanas & febres vix curabiles. Et hoc quia autumnus frigidus est & siccus & inordinatus. Et ideo in autumno nimia siccitate à qua consumitur substantialis humiditas, & corpora efficiuntur debiliora, propter inæqualitatem vero aeris pori nunc subito aperiũtur, nunc subito constringuntur. Vnde fit calidarum fumosi-

tatum

tatum retentio, quas cum virtus non possit expellere multitudine & acumine materiæ, passiones mortiferæ subsequuntur, Phthisicis auté autumnus maxime est nociuus, quia frigiditate & siccitate sua pulmoné desiccat, & rumpit ad modum pampini, ideo phthisicos valde lædit.

Cap. VII.

De Hyeme.

HYems ab eundo est dicta, eo quod tempore hyemali solet ire & volui Sol in breuiori circulo quam in æstiuali. Vnde breuiores efficit dies & noctes longiores, *Vt dicit Isidorus*, est autem initium hyemis, *secundum Const.* cum Sol est in prima parte Capricorni, & est finis descensionis Solis in meridie, & iam paulatim incipit ascendere contra septentrionem. Habet etiam hyems tres menses sibi deseruientes. Primus est in Capricorno incipiens in 18. die Decembris vsque in 17. diem Ianuarii. Secundus est cum Sol est in Aquario à 17. die Ianuarii vsque ad 17. diem Februarii. Tertius mensis est, quando Sol est in piscibus & incipit à 16. die Februarii vsque in 18. diem Martii, *Vt dicit Constant.* Est autem hyems frigida & humida, phlegmatis nutritiua, magis tamen dominatur frigiditas quam humiditas, quia magis fit aeris & aquæ constrictio & congelatio, propter nimiam Solis elongationem, ex qua frigus non modicum tunc temporis generatur. Vnde hyems æstati penitus est contraria, & ideo omnia viuentia & nascentia, beneficio æstatis, rigore hyemali mortificantur, & æstatis præteritæ vestigia in hyeme penitus annullantur. Niues & aquarum inundationes in hyeme multiplicantur, tam viæ quam semitæ lubricæ & lutosæ in hyeme efficiuntur. Pori terræ glaciali frigore constringuntur, omnium corporum vmbræ in hyeme plus quam in æstate prolongantur. Poris terræ clausis in superficie exteriori corpora infrigidantur. Interius tamen partes calidæ fugientes dominantem frigiditatem inaggerant, & ideo aquæ puteales & fontanæ in hyeme sentiuntur magis calidæ quam in æstate, quia calor naturalis fugiens contrariam sibi aeris frigiditatem, interiora petit, & in venis puteorum & fontium se includit, & ideo propter caloris præsentiam aquæ in fon-

in fonte vel in puteo non gelantur. Item hyemalis aſperitas homines efficit pigros & deſides ad operandum. Nerui enim conſtringente frigiditate contrahuntur quodammodo & coarctantur, propter quod membra ad operandum ita de facili non laxantur. Item ex frigore hyemali clauduntur pori, & reuocato calore naturali ad interiora virtutes animales confortantur, propter quod excitatur appetitus & plura neceſſario cibaria quam in aliis temporibus requiruntur. *Vnde Hippocrates in aphoriſ.* Ventres hyeme natura ſunt calidiores & ſomni longiſſimi. In his ergo horis plures oblationes dandæ ſunt, calor enim eſt multus, & multo indiget nutrimento, &c. Item quando hyems ſuas excedit qualitates, variæ paſſiones in corporibus generantur. Multi enim humores clauſis poris in concauitatibus corporis aggregantur, qui non inuenientes viam euaporationis caleſiunt, & citius putreſiunt, ex quo neceſſario infirmitates variæ procreantur.

CAP. VIII.

De Menſe.

MENSIS eſt nomen græcum, & de Lunæ nomine tractum. Luna enim græco ſermone *μήνη* vocatur. Nam apud Hæbreos menſes legitimi non ex curſu Solis, ſed ex Lunæ motu nuncupantur. Ægyptii autem primi propter velociorem Lunæ curſum nomen menſis primo ex Solis curſu inuenerunt, quoniam tardior Solis motus facilius poterat comprehendi, *Vt dicit Iſid.* Eſt autem triplex menſis, ſcilic. ſolaris, quamdiu Sol moratur in vno ſigno peragrando. Et eſt vſualis, illud ſpacium, ſcil. dierum, quod in noſtris martilogiis continetur. Et eſt menſis lunaris, ſcilic. ſpacium, quo Luna recedit ab vno puncto firmamenti, rediens ad idem punctum, & continet in ſe 27. dies & ſeptem horas. Nam Luna moratur per duos dies in quolibet ſigno & biſſe horæ. Ex eo vero quod moratur in quolibet ſigno per duos dies, cum ſint 12. ſigna, habentur 24. dies. Ex eo vero quod moratur per 6. horas exeunt tres dies, qui prædictis 24. diebus adiuncti, faciunt 27. 12. vero biſſe ſpacium ſupplent vnius horę integræ. Ex quo patet, quod Luna circuit zodiacum à puncto ad punctum per 27. dies & 7. horas.

ras. Alio modo sumitur mensis lunaris pro lunatione, vt patet in anno lunari, *quære supra*. Continet itaque mensis 4. septimanas, septimana 7. dies naturales, dies 4. quadrantes, quadrans sex horas, hora 4. puncta, punctum 10. momenta, momentum 12. vncias, vncia 47. atomos, atomus vlterius non diuiditur propter sui breuitatem. Sunt autem menses 12. vsuales, quorum primus dicitur Ianuarius, à Iano dictus, cui fuit consecratus. Quia, *vt dicit August.* gentiles credentes Ianum ducem quendam, Deum esse in his Kalendis eum plurimum venerabantur, & ei duas facies figurabant, vnam post se, & aliam ante, quia erat terminus anni prioris & principium sequentis. Modo autem dicitur Ianuarius, eo quod sit limes & ianua anni. Vnde bifrons Ianus depingitur, vt anni introitus & exitus demonstretur, *vt dicit Isidor.* Depingitur autem comedens, & de scypho bibens, quia tunc animalia abundantiorem cibi copiam exigũt & requirunt, quia tunc temporis propter subintrationem caloris ad interiora maxime viget appetitus. Iste etiam mensis habet noctes longas horarum 16. & dies breuiores horarum, scil. 8. & dicitur apud Hebræos Sebat, Græce ἀνδιωαῖος.

CAP. IX.

De Februario.

FOEcundus mensis est Februarius à Februo, id est, Plutone dictus, cui mensis ille fuit antiquitus cõsecratus. Nam Ianuarium diis superioribus. Februarium vero diis inferioribus, antiquus error gentilium consecrauit. Et ideo Februarius à Februo, id est, Plutone Deo infernorum est nominatus. Est autem mensis pluuiosus valde & aquosus, propter vaporum eleuationem, qui in pluuias resoluũtur, & ideo dicitur Sol tunc esse in Aquario propter aquarum inundationem. Depingitur autem Februarius senex ad ignem residens pedes calefaciens, quia tunc temporis maxime viget frigus, propter diuturnam Solis elongationem, quæ præcessit. Inter omnes autem menses Februarius mensis est minimus, quia non habet nisi 28. dies, quando non est bisextus. In bisexto autem habet 29. Dicitur autem

Februa-

Februarius apud Hebræos Adar, apud Græcos περίτιος, cuius nox habet 14. horas, dies vero 10.

Cap. X.

De Martio.

TErtius mensis dicitur Martius, a Marte Romanæ gentis auctore appellatus. Vel ideo sic est dictus, eo quod tunc animantia ad marem & coitum moueantur, *vt dicit Isidor.* Dicitur autem Martius apud Hebræos mensis Nissan, apud Græcos vero vocatur δύστρος, & habet 31. dies, nox autem habet horas 12. dies 12. In mense enim Martio est æquinoctium vernale, Sole inter septentrionem & meridiem mediam lineam tunc tenente. Et ideo in mense Martio aperiuntur pori terræ, atque humores incipiunt ascendere tam in animalibus quam in herbis & arboribus. Vnde Martius depingitur tāquam vinitor vel hortulanus, quia tunc est tempus vt superflua a vitibus & alijs arboribus amputentur. In Martio autem est tempus valde mutabile & instabile, & ideo tunc temporis facilime corpora hominum alterantur. Aquæ autem Martiales sunt minus sanę ad bibendum, quia tunc ex seminibus pisciū & ranarum potissime inficiuntur, Sole in principio Martii in medio signi piscium existente.

Cap. XI.

De Aprili.

QVartus mensis est Aprilis, qui apud Hebræos dicitur Yar, apud Græcos vero dicitur ξανθικός, habens 30. dies, cuius nox habet horas 10. dies vero 14. Dicitur autem Aprilis quasi aperilis, quia tunc omnia aperiuntur. Et tunc germina, flores & folia de terra & arboribus egrediuntur. Et ideo Aprilis depingitur gestans florem, quia in illo mense incipit terra decorari floribus ac vestiri. Vel Aprilis dicitur quasi Aphrilis, ab ἀφρὸς quod est semen, quia tunc apertis poris terræ sunt arua apta seminationi & agriculturæ. Solè circa medium Martij signum Tauri subintrante.

CAP. XII.

De Maio.

QVintus mensis est Madius siue Maius, a Maia matre Mercurii dictus, vel dicitur a maioribus natu, qui in republica sunt maiores, vel dicitur Madius a madefactione pluuiarum, quia tunc temporis oriuntur Pleiades & hyades, & aliæ stellæ pluuiales, quarum virtute mittuntur pluuiæ & rores ad seminum iactorum madefactionem & irrigationem. Hic mensis apud Hebræos dicitur Siban, apud Græcos autem dicitur ἀρτεμίσιος, habens dies 30. Nox vero eius habet horas, 8. & dies 16. Est autem Maius tempus amœnitatis, amoris & iucunditatis. Tunc enim maxime vociferant & gaudent aues. Tunc ad bella procedunt reges, in Maio prata rident & florent, syluæ virent, & omnia fere animantia mouentur ad gaudium & amorem, & ideo Sol dicitur in medio Maii intrare signum Geminorum, quia propter temperiem aeris & amœnitatem temporis iucunditas in hominibus geminatur. Vnde Maius tempus est solatii & deductionis, propter quod depingitur iuuenis æquitans & gestans volucrem super manum.

CAP. XIII.

De Iunio.

SExtus mensis dicitur Iunius a iuniorib. dictus, eo quod populus Romanus in centurias iuniorum & seniorum fuit diuisus, *vt dicit Isidor.* Est autem mensis Iunius finis veris, & principium æstatis, & dicitur apud Hebræos Tamutz, apud Græcos vero δέσιος, habens dies 30. Nox vero habet horas 6. dies vero 18. Est autem mensis solstitialis, quia in eius medio intrat Sol in Cancrum, tunc autem calore Solis humorem in radicibus desiccãte omnia tendunt ad maturitatem, & ideo depingitur secans fœna, quia fœna in pratis tunc temporis sunt matura.

CAP. XIIII.

De Iulio.

SEptimus mensis dicitur Iulius à Iulio Cæsare sic vocatus, quia in illo mense fuit natus, vel, *vt dicitur*, tunc tempo-

temporis fuit ad imperium sublimatus. Dicitur autem apud Hebræos Ab, apud Græcos πάνεμος. Habet autem dies 31. cuius dies habet 16. horas, nox vero 8. Est autem mensis iste feruentissimus, quia in medio istius mensis Sol incipit esse in Leone, & incipiunt dies caniculares, & ideo tum ex Sole, tum etiam ex calido signo & calidissimo sidere fit excessus, tunc temporis in calore, tunc etiam intenduntur omnes calidæ passiones, & tunc tempus maxime disconueniens medicinæ ex nimio calore ad interiora radicitus subintrante, & humore consumente segetes maturescunt. Vnde Iulius depingitur cum falce segetem resecante, quia tunc est tempus congruum messioni.

Cap. XV.

De Augusto.

OCtauus mensis est Augustus, ab Augusto Cæsare nuncupatus, q apud Hebræos dicitur *Elul*, apud Græcos λῷος, habens dies 31. cuius nox habet horas 10. & dies 14. In hoc mense fruges in horrea recolliguntur, & ideo depingitur cum flagello triturante, denudat terram à frugibus & spoliat, & ideo dicitur Sol in medio Augusti signum Virginis subintrare. Sicut enim Virgo sterilis est & infœcunda, sic terra est quasi sterilis, quando à suis fructibus est orbata.

Cap. XVI.

De Septembri.

SEptember est nonus mensis, sic dictus, quia est septimus ab imbre temperaneo, scilicet a Martio, quando solent imbres inundare, & dicitur apud Hebræos *Tiseri*, apud Græcos γορπιαῖος, habens dies 30. cuius nox habet horas 12. & dies 12. In isto enim mense fit æquinoctium autumnale, nam in eius medio Sol ingreditur signum Libræ. Est autem mensis iste finis æstatis, & principium autumni, in quo vindemia fit matura, & ideo depingitur tanquam vindemiator, racemos colligens in corballo. Est autem mensis iste mutabilis & instabilis, cuius calor in principio est intensus, sed in fine remittitur & tepescit, iam frigiditatem sapiens autumnalem. Fuit autem mensis iste apud He-

bræos valde celebris & solennis, nam apud eos dies septimus, mensis septimus, & annus septimus, in summa veneratione habebatur.

CAP. XVII.

De Octobri.

DEcimus mensis est October sic dictus, quia ab imbre est octauus, qui apud Hebræos dicitur *Marchasuan*, apud Græcos ὑπερβερεταιῶς, habens dies 31. cuius nox habet horas 14. dies vero 10. qui in principio sui adhuc est calidus, sed in fine forti frigore corpus pungit, & ideo in eius medio Sol dicitur intrare signum Scorpionis, qui est vermis facie blandiens, & cauda pungens. Hic mensis, quia naturaliter est frigidus & siccus, terram desiccat, & eam ad susceptionem seminum disponit & habilitat. Vnde tunc temporis semina hyemalia glebæ commendantur, & ideo depingitur in similitudinem hominis seminantis.

CAP. XVIII.

De Nouembri.

VNdecimus mensis est Nouember, sic dictus quasi ab imbre nonus. Apud Hebræos dicitur *Casthleu*, apud Græcos δῖος, habens dies 30. cuius nox habet horas 16 dies vero 8. Hic mensis frigiditate sua penetrat ad interiora, & grauiter lædit corpora, & ideo in ipsius medio dicitur Sol signum Sagittarii subintrare, & siccitate & frigiditate sua constringit & desiccat & deiicit arborum folia, poros etiam in animalibus claudit, & recollectis humoribus intrinsecus eos congelat, coagulat & compingit. Et ideo tūc temporis animalia maxime porci, multum impinguãtur, propter quod depingitur quasi rusticus quercus percutiens, & glandibus reficiens porcos suos.

CAP. XIX.

De Decembri.

DEcember, duodecimus mensis est sic dictus, quia ab imbre Martii est decimus. Martius quidem est mensis pluuiosius, hic apud Hebræos dicitur *Tibeth*, apud Græcos

ἐῶς ἀπελλαῖος, habens dies 31. cuius nox habet horas 18. dies vero ſex. Hic menſis eſt ſolſtitialis, quia in eius medio Sol ingreditur ſignum Capricorni; quando ita eſt à remotis, de noſtro habitabili, quod non poteſt à nobis plus aliqualiter elongari; & tunc à circulis meridionalibus incipit paulatim reuerti, & aſcendere per circulos boreales. Eſt autem finis autumni; & principium hyemis, quæ ſe extendit vſque ad 17. diem Martii, vbi incipit tempus veris. In hoc menſe propter aſperitatem frigoris ſunt altilia & animalia domeſtica multę quietis & parui motus, & ideo plurimum impinguantur. Vnde tunc temporis interficiuntur [illegible]tiſſime & mactantur, propter quod depingitur tanquam carnifex, qui cum ſecuri percutit & mactat porcum ſuum. Ex his enim duodecim menſibus perficitur annus tam ſolaris quam lunaris.

Cap. XX.

De Hebdomada & diebus.

HEbdomada ſiue ſeptimana, à ſeptem dierum numero eſt vocata, cuius replicatione menſes, anni & ſecula peraguntur. Ab eodem enim die incipit & in eodem terminatur; cuius partes ſunt dies artificiales & naturales. Sunt dies dicti à diis, quorum nomina quibuſdam siderib. ſunt ab antiquis conſecrata. Primum Soli aſcripſerunt, qui princeps eſt ſiderum & dominus planetarum, & ideo dies Dominica nuncupatur, quæ priuilegiata eſt in multis; quia in die Dominica mundus eſt creatus, & in eadem Dominus natus fuit, & in eodem Dominus reſurrexit, & in eadem etiam Dominus miſit Spiritum ſanctum. Secundum diem aſcripſerũt Lunæ, quæ Soli in magnitudine & ſplendore proxima eſt. Tertium Marti, & ſic de aliis. Dierum autem alius eſt Ægyptiacus, alius non. Ægyptiacus eſt dies ille, in qua miſit Deus plagam aliquam in Ægyptum. Vnde cum ſint vigintiquatuor dies Ægyptiaci, patet quod plures miſit Deus plagas ſuper Ægyptios quam decem, quę inter cæteras magis ſunt famoſæ. Ponuntur autem in Calendario Eccleſiæ, non quia aliquid ſit in illis plus, quam in aliis omittendum, ſed vt miracula Dei ad memoriam reducantur. Dierum alius eſt artificialis ſiue vſualis, alius

est naturalis. Artificialis est spaciũ, quo voluitur Sol in nostro hemisphærio ab Oriente ad Occidentem, & dicitur artificialis, quia quasi artificio diuersificatur secundum diuersos situs climatum & regionum. Naturalis est spacium, quo Sol voluitur ab Oriente per Occidentem in Orientem, & talis dies continet horas 24. Artificialis vero dies continet in æquinoctio 12. horas, in aliis vero temporibus plus vel minus, secundum dierum incrementum vel decrementum. Dierum autem alius nominatur à Calendis, alius ab Idibus, alius à Nonis. Primus autem dies mensis dicitur nomine Calendarum, à καλέω, quod est voco, quia tunc solebant mercatores ad nundinas conuocari, & erat festum solenne, quod vocatur festum Neomeniæ, id est, nouæ Lunæ, quia tunc Luna videbatur esse noua. Nonæ dicuntur quasi nundinæ, quia tunc nundinæ inchoabant. Idus idem est quod diuisio, quia tunc nundinæ diuidebantur. Ex quo patet triplex dierum differentia, scil. Calendaris, deputata ad celebrandum, nonalis attributa ad negociãdum, idualis statuta ad recedendum à nundinis, & ad propria reuertendum. Dies autem naturalis constat ex 24. horis, quibus Sol circa totam terram raptu firmamenti circumfertur. Cuius partes sunt quadrans, hora, punctum, momentum, vncia, atomus. Est autem quadrans quarta pars diei naturalis, scilic. spacium sex horarum. Hora sexta pars est quadrantis, id est, vicesimaquarta pars diei naturalis. Et dicitur hora extrema & finalis pars temporis, sicut ora dicitur extremitas fluuii siue maris, *vt dicit Isidorus*. Punctum est quarta pars horæ. Momẽtum est decima pars puncti siue quadragesima pars horæ. Et dicitur momentum, quasi minimum atque angustissimum tempus à motu siderum nuncupatum. Vncia autem dicitur 12. pars momenti. Atomus est quadragesima septima pars vnciæ, & dicitur atomus, quasi sine diuisione, quia vltra atomum non recipit subdiuisionem. Dies itaque est illuminationis à Sole receptiua, & luminis recepti ad alios diffusiua. Vnde dies à δίαν, græco deriuatur. Est autem δίαν idem quod claritas, *vt dicit Isidorus*. Item dies mensium, annorum & temporum est descriptiua & distinctiua. Omnia enim temporum & seculorum curri-

curricula dierum numero computantur. Item secundum accessum Solis & recessum est dies breuitatis vel magnitudinis receptiua. Et ideo propter Solis elongationem à nostro habitabili, in hyeme est breuissima, in æstate autem longissima, quia tunc Sol nobis vicinius appropinquat. Item siderum & corporum superiorum est dies occultatiua, quia quanto dies est clarior, tanto stellæ a nostris aspectibus amplius elongantur. Item inter colores & rerum visibiles formas est dies discretiua. Nam figuræ & formæ quæ de nocte latent de die patent, *Vt dicit Beda*. Item diei præsentia auiũ lucis est lætificatiua, in ortu enim diei gaudent & cantant aues. Item viatoribus est dies securitatis, & pacis tributiua, latronibus inimica, & timoris incussiua, latrones enim de die timent. Item diei claritas est tenebrositatis noctis euacuatiua, & ipsi immediate successiua, & quanto nox præcedens magis tempestuosa est & turbulẽta, tanto est succedentis diei præsentia magis grata. Item dies est status sui immutatiua; crescit enim continue & decrescit, & quanto plus decrescit & abbreuiatur in hyeme, tanto plus in æstate prolongatur. Itẽ dies est à torpore & somnolentia excitatiua, nam dies exercitio & labori hominum deputatur, & quanto plus dies declinat versus finem, tanto sapiens operarius ad perfectionem diurni operis plus conatur, *Vt dicit Gregorius*.

CAP. XXI.

De Aurora.

AVrora finis est noctis præcedentis, & diei sequentis principium: & dicitur aurora, *Vt dicit Isid.* quasi aurea hora, eo quod rutilantem ad modum auri diffundit colorem. Vnde & Sol in aurora à græcis χρυσόδομος, id est auri domus appellatur. Nam radii eius splendentes aureas comas demonstrant. Vel dicitur aurora quasi aura rorans, eo quod in aurora ros generatur. Ex cuius humectatione infunditur terra, & aeris caliditas temperatur. Aurora lumen à Sole impetrat, clarior est ipsa nocte: sed obscurior claro die. Aues mundas & diurnas ad volãdum & cantandum excitat, nocturnas autem fugat, in ortu autem auroræ flores primo clausi aperiuntur, & herbæ quæ æstu

præcedente marceſcunt, in aurora eriguntur, vires animales in aurora confortantur, & animalium ægritudines alleuiantur & diminuuntur. In aurora autem humor ſanguineus principaliter dominatur. *Vnde ſecundum Conſtan.* aurora vſq; ad tertiam imitatur naturam veris, meridies æſtatis, hora veſpertina temporis autumnalis, nox vero hyemis qualitatibus aſſimilatur in aurora propter dominium ſanguinis ſomnus dulcis eſt & ſalubris, tunc etiam temporis maxime galli ad vociferandum concitantur. Oritur autem Lucifer in aurora & orientis Solis præſentia nunciatur eſſe proxima & vicina. Aurora à tenebris incipit, ſed vſque ad perfectionem luminis proficit & procedit. Variat autem in ortu Solis colorem ſuum. Vnde nunc croceum, nunc purpureum, nunc aureum prætendit colorem. Accidit autem hæc varietas ex diuerſa qualitate vaporũ & nubium, in quibus fit depreſſio ſolarium radiorum, *Vt dicit Beda.* Nimia autem ſerenitas in aurora cum radiis ſolaribus directis, contra auſtrum ſignum eſt futuræ tempeſtatis, *Vt dicit idem Beda.* Idem autem eſt aurora & diluculum, ſic autem dicitur, quia eſt diei lucidum & luminoſum principium. Eſt enim diluculum *ſecundum Iſidor.* terminatio noctis & inchoatio plenæ lucis, alleuiatio infirmitatis, expeditio ab inimicis. In diluculo autem fugiunt hoſtes & latrones, *Vt dicit idem.* Idem eſt mane quod diluculum. Nam mane eſt lux plena & matura, & dicitur à Man quod eſt bonum, eo quod luce nihil eſt melius *ſecundum Iſidorum.* Eſt autem mane principium laboris, & finis dormitationis, tempus ſobrietatis, & perfectæ celebratæ digeſtionis, paulatim nocti finem imponit, & cito tranſit, rerum qualitates & ſpecies & figuras præoſtendit & præcludit.

Cap. XXII.

De Meridie.

Meridies eſt dicta quaſi dies media, nam in meridie in medio cœli videtur conſiſtere Sol & in medio puncto inter ortum & occaſum exiſtens videtur æqualiter ab vtroque tunc diſtare. Vel dicitur meridies quaſi mera dies, quia tunc purior & clarior eſt, quando Sol de medio cœli rutilat & totum orbem pari illuminat claritate, *Vt dicit Iſid.*

Isidorus. Hæc hora calidior est & siccior & in suis qualitatibus est similior æstati, & hoc accidit propter quatuor, sci. propter directam Solis ad capita nostra oppositionē propter radiorum solarium reflexionem & propter directam duplicationem, & propter radiorum spissitudinem, & eorum confractionem, propter linearum angustiam sub quibus radii coarctantur. Aer etiam tunc temporis propter multiplicationem & concursum radiorum maxime calefacit, & ideo amplior tunc calor in istis inferioribus generatur. In meridiana autem hora vmbra vniuscuiusque corporis est breuissima, & à meridie versus Septentrionem, tunc temporis est extensa, & quanto Sol plus recedit à meridiano circulo, tanto obiecti corporis vmbra amplius elongatur, *Vt dicit Beda.* In meridie flores & herbæ arescunt, sed fruges & fructus potissime maturescunt, animalia loca vmbrosa propter Solis feruorem, quærunt, & in suis latibulis requiescunt. In meridie animalia venenosa sicut colubri & serpentes plus lædunt, quia venenum suum facilius tunc emittunt & effundunt, de mane etiam propter frigiditatem nocturnam præcedentem rigescunt, & ideo in eis vis veneni consopitur, sed in meridie calefiunt. Vnde tunc ad pungendum & virus veneni infundendum fortius inardescunt. Vnde in feruore meridiano cauernas exeunt, & calefactionis gratia Soli se exponunt, *secundum Isidorum.*

CAP. XXIII.

De Vespera.

VEspera à vespero stella occidentali est dicta. Vesperus enim est stella, quæ Solem Occidentem sequitur & tenebras sequentes comitatur, *Vt dicit Isidorus.* Vocatur autem vesper serum à ianuis seratis sic dictum. Quando enim venit vespera, fores serantur, vt omnia in domo maneant tutiora, & dicitur etiam crepusculum, id est, dubia lux, quando inter lucem & tenebras discernere non est certum, *Vt dicit idem,* in vespera igitur dies finitur, & solares radii à terræ superficie subtrahuntur, imminente vespera vmbræ corporum maximæ protenduntur, flores, qui contra Solem aperti fuerant propter Solis absentiam in se clauduntur. Pori etiam corporum, qui ex calore diurno

aperti fuerant, propter remissionē caloris in vespera constringuntur, exhalationes & fumosi vapores, quæ materia sunt nebulæ & nubis, vespertino tempore resoluuntur, homines & animalia, & etiam volucres propter resolutionem fumositatum in eorum corporibus ad somnū & dormitationem tunc disponuntur, aues nocturnæ sicut bubones & noctuæ de suis latibulis ad sua pascua procuranda tempore vespertino egrediuntur, greges à pastoribus à pascuis reductæ caulis & aliis ouium receptaculis recolliguntur. Lupi à canibus in vespera vix discernuntur, vigiles & custodes propter latronum insidias & hostium insultus in muris & turribus statuuntur, in vespera autem laborantes remunerantur & quieti exponuntur.

Cap. XXIV.

De Nocte.

NOx à nocendo est dicta, eo quod oculis nocet, nam oculum priuat à sua perfectione, scilicet ab actu videndi, occultat enim rerum colores, in quibus oculus delectatur. Causatur autem nox ab vmbra terræ, cuius interpositio intercipit a nobis solares radios, & impedit ac tollit a nostris aspectibus visum Solis. Est autem nox frigida & humida, qualitatibus hyemis simillima, & ideo quieti animalium virtutum est congrua & operationi naturalium effectuum necessaria. Vnde nox est tempus dormitionis & quietis, vt virtutes, quæ per vigilias diurnas distractæ & dispersæ fuerant debilitatæ, beneficio noctis, quiescant & coadunentur, & sic coadunatæ confortentur. Ne nox propter Solis absentiam esset penitus indecora, stellarum fulgoribus illustratur, vnde ex stellarum motu noctis tenebrositas minoratur, & noctis cursus & processus discernitur, aeris etiam nocturna densitas temperatur, *vt dicit Albu.* & ideo in nocturnis tenebris ambulantes vel nauigantes, de facili deuiant, nisi eorum via per motum & siderum situm dirigatur. Omnis infirmitas plus extenditur generaliter nocturno tempore quam diurno, & patiens de nocte plusquam de die aggrauatur. Per gallorum cantum finis noctis prædicitur, & aduentus futuræ diei prænunciatur. Nox etiam secundum excubias militares in quatuor vigilantium ordines distribuitur, *vt dicit Beda.*

Beda. Nam primi vigilant in noctis concinio, secundi in conticinio, tertii in media nocte siue ipsius noctis intempesto, quarti in gallicinio. Omni enim tempore in castris vigilant & excubant, quia semper inueniunt quod formidant, *vt dicit idem super Lucam* 12. Præter hæc nox est ex se horroris & timoris incussiua, phantasmatum & illusionum contentiua, plura enim phantasmata occurrunt de nocte quam de die, plures etiam occurrunt dormientibus de nocte quam de die vigilantibus phantasiæ, *sicut dicitur. Multa passa sum super visum propter ipsum, Matth.* 27. Nox etiam est condensationis & infectionis aeris inductiua, tanta enim de nocte fit ex fumis & vaporosis exhalationibus aeris immutatio & infectio, quod vix animantia viuerent, nisi Luna & sidera suo motu contra huius malitiam obuiarent, *secundum Albu.* Nox etiam est illorum quæ claritate diei occultantur manifestatiua, sidera enim de die latent, de nocte vero lucent. Immundorum animalium est nutritiua, nam aper & aliæ feræ syluestres de die in suis foueis & antris latitant, de nocte vero per vineas & agros euagari non cessant. Audaciæ & securitatis maleficis est sæpius præstatiua. Nam de die deprehendi timent latrones & fures, qui nocturno tempore ad omne flagitium sunt audaces, *vt dicit Gregorius.* Hora tempestatis nocturna mora periclitātibus in mari est maxime nociua, quia quando nox naufragium patientibus superuenit, euadendi locus alicui vix occurrit, *vt dicit Gregorius.* Totius medietatis vitæ humanæ est nox insensibiliter consumptiua, tantum enim temporis consumimus dormiendo de nocte, quantum de die vigilando, vnde nox subtrahit quo ad laborem partem maximam vitæ nostræ, *vt dicit Galenus.*

CAP. XXV.

De Sabbatho.

SAbbathum est præcipuum septimanæ festum. Quod ad celebrandum ideo in die 7. fuit à Domino institutum, quia *die 7. requieuit Dominus ab omni opere, &c. Genes.* 2. Vnde apud Hebræos ita præualuit hæc solennitas in tantum, quod nullum opus seruile sabbathis fieri permittebatur, imo in sabbathis seruis & ancillis & animalibus & iu-

mentis requies fieri iubebatur. Ignis in domibus Iudæorum in sabbathis non accendebatur. Cibus in die sabbathi necessarius, in die præcedente præparabatur. Cultioribus indumentis populus in sabbathis ornabatur. Lautioribus cibis & epulis communiter populus in sabbathis vtebatur. Templũ, orationis gratia, plus quã in aliis dieb. frequentabatur. Altaria sacrificiis maiorib. & oblationib. pinguioribus semper in sabbathis cumulabãtur. Lex in sabbathis semper populis à sacerdotib. exponebatur in eorũ synagogis. Cantus cum psalmodia solennius agebatur. Omnis discursus & euagatio populo prohibebatur. Vnde iter sabbathi spacium tantummodo mille passuum vocabatur, plus enim ambulare in sabbathis illicitum putabatur, *sicut dicit glossa super acta Apostolorum.* Arma sumere nisi solum pro defensione legis non concedebatur, *vt patet in Mach.*2. In quiete igitur sabbathi, quies animi figurabatur. Violator sabbathi sine misericordia interfici iubebatur, vt patet illo, qui colligens ligna in sabbatho, iubente Domino, lapidibus fuit à populo interfectus.

Cap. XXVI.

De Neomenia.

NEomenia idem est apud Hebræos quod noua luna, & erat solennitas in Calendis mensium ad honorẽ Domini, qui renouat omnia instituta. Quod enim fecerunt gentiles in principiis mensium ad honorem Dianæ & Iunonis, fecerunt Hebræi in Calendis mensium ad honorem creatoris. Et ideo principia mensium dicuntur Calendæ quasi colendæ, *vt dicit Isidorus*, vel dicuntur à καλῶ græce, quod est voco latine, quia tubis & buccinis hæc solennitas prænunciabatur, & clangore buccinæ populus ad festum neomeniæ vocabatur. Hæc festiuitas multum fuit celebris & insignis, & ideo spiritualibus hostiis honorabatur, & populus ad epulandum & conuiuandum in Calendis tubis & buccinis specialiter inuitabatur.

CAP. XXVII.

De Septuagesima.

SEptuagesima est spacium 70. dierum, qui extenduntur à Dominica, quæ dicitur septuagesima, vsque ad sabbathum Paschæ, & dicitur sabbathum in albis. In his autem 70. dieb. signantur 70. anni, quibus filii Israel captiui fuerunt in Babylone, per quos continue fuerunt in miseria & dolore, sed accepta licentia à Cyro rege reuertebantur, finitis, 70. annis, cũ gaudio & honore. In his autem 70. annis captiuitatis babylonicæ præfigurabatur totum tempus vitæ nostræ, quam diu culpæ subdimur atque pœnæ. Et ideo culpa primi hominis cum pœna sibi inflicta, legitur in Ecclesia, in prima Dominica, quando septuagesima inchoatur. Vnde in signum præsentis miseriæ cantica lætitiæ subticentur, nuptiæ & coniugia donec transeat Pascha, suspenduntur. In Pascha autem Alleluia cum aliis iucunditatis canticis resumitur, quia per passionem Christi seruitus humani generis relaxatur. Pœna tamen adhuc remanet, & ideo in septimana paschali cantatur graduale cum alleluia, remanente adhuc pœna, quia adhuc cum spirituali lætitia quam habet Ecclesia pro remissione culpæ, remanet quædam tristitia, sicut populus Israeliticus de sua reuersione libera in Hierusalem multum exultabat, sed nihilominus pro difficultate itineris plurimum laborabat. Sic nos tendentes ad patriam gaudemus per gratiam nostræ redemptionis, sed adhuc lugemus pro peccatis. Cum autem vitæ præsentis septuagesima fuerit adimpleta, tunc fulgebimus in albis in agni præsentia. Et ideo sabbatho in albis cantatur duplex Alleluia, quia finito labore vitæ præsentis, cũ peruenerimus ad æternæ quietis sabbathum, gaudebimus, stola duplici nobis tunc temporis restituta. In signum miseriæ vitæ præsentis cantatur in introitu missæ. *Circumdederunt me, &c.* Pro spe autem reuersionis inuitamur in epistola ad currendum in stadio. Et ad laborandum in vinea Domini Sabaoth, docemur in Euangelio. Hæc omnia ex summa & sententia *Iohannis Beleth* sunt extracta. Cuius autoritas in Ecclesia solennis est, maxime in officiis Ecclesiasticis ordinandis.

CAP.

Cap. XXVIII.

De Quinquagesima.

QVinquagesima quasi quinquies decem est vocata, & significat tempus remissionis, *secundum expositionem ipsius Iohannis Beleth.* Nam annus quinquagesimus dicebatur annus Iubilæus, qui apud Hebræos fuit summe celebris & festiuus. Annus enim fuit reuersionis proscriptorum, remissionis debitorum, restitutionis perditorum. Incipit autem quinquagesima in dominica tertia à septuagesima, & finitur in dominica resurrectionis. Significat enim statum gratiæ ad quam restauramur, mediante beneficio pœnitētiæ. Vnde & ieiunium Ecclesiæ incipit in medio quinquagesimalis septimanæ, & tunc frequentius quinquagesimum psalmum, qui est pœnitentialis, recitamus in diurno officio, in singulis fere horis psalmus ille pœnitentialis, qui *Miserere mei Deus*, intitulatur, repetitur. Obseruatio anni quinquagesimi qui dicebatur in lege Iubilæus, incepit secundum Hebræos ante legem, scilic. à tempore Abrahæ, qui liberauit Loth nepotem suum, qui tunc temporis fuit annorum quinquaginta. Et ideo ab illo tempore inter filios Abrahæ seruabatur, quod procedente tempore sub lege propter mysterium approbabatur, *Vt patet in Numeris.*

Cap. XXIX.

De Quadragesima.

QVadragesima est tempus quadraginta dierum, *Vt dicit Iohan.* incipiens à prima dominica quadragesimali, & se protendit vsque ad domini cœnam, in qua dominus noster noui testamenti sacrificium inchoans, pane angelico nos refecit, in quo nobis signatur, quod, qui quadragesimam pœnitentiæ, vel pœnitentis vitæ spiritualiter peregerit, diuinæ contemplationis societate finaliter perfruetur. Est autem quadragesima tempus militiæ Christianæ, in quo acrius contra vicia dimicamus. Hunc enim dierum numerum ad nostram assumimus militiam, non solum per exemplum Moysi & Eliæ, sed etiam per imitationem IESV CHRISTI, qui tot diebus legitur ieiunasse. Bene autem sub hoc numero ieiunamus. Nam pro eo, quod constat ex dena-

denario quater in se reuoluto, decalogum sub denario, & Euangelium sub quaternario repræsentat, quibus armis spiritualib. noster aduersarius superatur & terra viuentium iure hæreditario possidetur, sicut terra promissionis finita quadraginta annorum pugna, in deserto filiis Israel concedebatur. Fructus etiam militiæ nostræ ostenditur sub hoc numero. Nam quadragenarius collectis partib. ipsum diuidentibus, producit numerum quinquagenarium, qui numerus remissionis debitorum & hereditatis amissæ restitutionem signat. Ex quo ostenditur, quod dimicando contra vicia remissionem consequimur peccatorum, & heredes efficimur bonorum æternorum. In hoc enim numero vitæ nostræ decimas & primitias domino consecramus. Nam pro decima 340. dierum ieiunamus 36. dies pro decima 6. dierum & horarum, qui residui sunt de anno integro vnum diem, vt in summo soluatur Deo pro decima anni 37. ieiunabiles, & tres dies de ieiunio quatuor temporum pro primitiis offeruntur. Hoc autem facimus, vt offerentes Deo, primitias nostri temporis in fide Trinitatis, & decimas in completione decalogi, per fidem & bonos mores primogenitorum dignitatem, & æternæ felicitatis denarium assequamur. Et quia quadragesima est tempus militiæ, ideo & in Euangelio agitur de militia & victoria ipsius CHRISTI. In tractu vero quatuor impugnationum & temptationum genera demonstrantur, quarum prima est leuis & occulta, scil. timor nocturnus, secunda est leuis & manifesta, scil. sagitta in die volans, tertia est grauis & manifesta, scil. occursus dæmonii meridiani, quarta est grauis & occulta, & hoc est negociũ in tenebris ambulans. Contra istas itaque multiplices impugnationes munimur spirituali armatura, ad quam nos instruit Apostolus in Epistola & inuitat, *Vbi dicit, Exhibeamus nos, sicut Dei ministros per arma iustitiæ Virtutis Dei, &c.* Inter omnia autem tempora anni, tempus quadragesimale magis est nobile & insigne. Est enim tempus reuiuificationis, quia terra, quæ in hyeme videbatur quasi mortua, tempore quadragesimali reuiuiscit & virescit. Item tempus est renouationis, nam terra herbis & floribus, & arbores frondibus renouantur & ornantur. Item tempus est imprægnationis & fæcundationis, quia tunc virtus generatiua in animalibus & plantis

maxime viget: vnde tunc pullulant & germinant terræ naſcẽtia vniuerſa. Item tempus eſt nidificationis & pullificationis: vnde turtures & ciconiæ & aliǫ volucres, quæ abetant tota hyeme, tempore vernali adueniunt, & ad nidificandum ſolicitæ ſunt. Item tempus eſt medicinæ & purgationis, quia tunc maxime mouentur humores in corpore ad exeundum; & ideo tunc eſt tempus congruum medicinæ. Item tempus eſt lucri & negociationis, tunc enim arabilis eſt terra, & mare nauigabile, & ideo ſolent homines vernali & quadrageſimali tempore ob ſpem lucri ad diuerſa negocia ſe mouere. Item tempus eſt reſecationis ſuperfluorum & amputationis, & ideo in quadrageſima amputantur vites & aliæ arbores, quæ à ſuperfluis exonerantur. Item tempus eſt lacrymationis vinearum inciſarum, & germinationis. Nam humor qui erat ſuperfluus, in radice euaporat, & diſtillando ſe euacuat inciſa vitæ, virtus etiam germinabilis tunc erumpit, & per diuerſas partes in propagine ſe oſtendit. Item tempus eſt ſeminationis & inſertionis, quia circa quadrageſimam ſemina terræ committuntur, & ſurculi in arboribus inſeruntur. Item tempus eſt roris & pluuialis irrigationis, tunc enim oriuntur Pleiades, & aliæ ſtellæ imbriferæ, quæ ſunt cauſa roris & pluuię, ad iactorum ſeminum irrigationem & nutrimentum, *Vt dicit Alb. & Beda.* Item tempus eſt deambulationis & peregrinationis, quia tunc Eccleſiæ & ſanctorum limina maxime frequentantur.

Cap. XXX.

De Paſchate.

PAſcha græce, paſſio dicitur latine, à πάσχειν quod eſt pati, Hebraice vero idem eſt quod tranſitus, eo quod in paſcha Iudæorum agnus immolabatur, aſſus comedebatur, & nihil ex eo vſque in mane derelinquebatur, quod comedi non potuit, igni cremebatur, cum feſtinatione, & lactucis agreſtibus & panibus azymis comedebatur, ab incircumciſis & immundis comedi prohibebatur, accincti fuerunt Hebręi & pedibus calciati, quando ab eis comedebatur, in manu manducantis agnum, baculus tenebatur, ſanguine agni linitis domorum poſtibus, virtus extermi-

nantis

lantis angeli coercebatur, quia non habuit potestatem nocendi, vbi domorum postes cum superliminaribus fuerunt tunc liniti. In comestione agni immolati, transeunte domino per Ægyptum, Ægyptiorum populus percutiebatur, populus vero Hebręorum ab Ægyptiorum crudeli dominio liberabatur. Vnde ex eo quod primogenita Ægyptiorum interficiebantur, Hebræorum primogenita sanctificabantur. Post comestionem vero agni, populus, præcedente columna ignis, & nubis, illæsus per mare rubrum de Ægypto educebatur. Pharao autem ipsos persequens cum toto suo exercitu, præceps in mediis fluctibus submergebatur. Tandem in fine cum hymnis & canticis pro sua liberatione & hostium submersione, gratiarum actiones Domino soluebantur. Hæc omnia in Exodo per ordinem continentur, *cap.* 12. 13. & 14. Et ideo in memoriam interfectionis Ægyptiorum & liberationis Hebręorum inoleuit consuetudo, vt semper de duobus damnandis ad mortem, vnus in Pascha Iudæorũ interficeretur, & alter liber dimitteretur. *Vt patet Matt.* 26. Istud autem Pascha Iudęorum exemplum fuit & figura paschę christianorum in quo mediante sanguine agni immaculati, qui abstulit peccata mundi, omnes electi à seruitute dæmonum sunt redempti, per quem verum faciunt transitum de carne ad spiritum, de veteri homine ad nouum, de vmbra ad lucem, de mundo ad cœlum, de figura ad veritatem, de seruitute ad gloriæ filiorum Dei libertatem. Et ideo dies paschalis est tempus lętitię & exultationis, tempus nouitatis & renouationis, tempus puritatis & iucundę refectionis, quia resurrectionis filij epulantur non in fermento veteri malignitatis, sed potius in azymis sinceritatis & veritatis. Nostrum autem pascha semper in die Dominico celebramus, verno tẽpore Luna adhuc plena. In Dominica autem semper celebramus propter reuerentiam dominicæ Resurrectionis, non autem celebramus in 15. Luna cum Iudæis, ne iudaizare videamur. Nostrum insuper pascha large sumptum ad multa se extẽdit, & primo ad diem in ramis palmarum, quod vulgariter pascha floridum dicitur, eo, quod in illo die florentes arborum & virentes ramos in manibus gerimus, quia dominus illo die processionaliter cum ramis arborum est susceptus. Hæc dies est

priui-

priuilegiata in hoc, quod filij Israel illo die sub Iosua transito Iordane sicco vestigio terræ intrauerant terminos promissionis, & comederunt de frugibus terræ Chanaan, & statim defecit Manna, quo aliti fuerunt in deserto quadraginta annis, *Vt patet Iosua 2.* In eodem etiam die sicut tunc erat dies Palmarum, eiecit dominus de templo ementes & vendentes, postquam à turbis cum ramis palmarum & oliuarum honorifice est susceptus. Ad Pascha etiam pertinet dies cœnæ, quæ secundum Iohannem Beleth in quatuor est priuilegiata, in pœnitētium ad Ecclesiam redeuntium reconciliatione, qui enim in die cinerum ab Ecclesia per iustitiam excluduntur, in die cœnæ per misericordiā in sinum Ecclesiæ recipiuntur, & ideo in quinta feria fecit dominus ex aquis pisces & volucres, partem enim remisit gurgiti, partē leuauit in aera, quia Dominus malos in carnalibus delectantes separat à bonis, in cœlestibus glorificatis. Secundum priuilegium consistit in veteris sacrificij terminatione, & viuifici Sacramenti altaris institutione, quando carnalis ritus in cœlestem & spiritualem ritum est mutatus. Tertium priuilegium consistit in sacræ vnctionis & chrismatis consecratione, tunc enim ab episcopo oleum catechuminorum & infirmorum, quo paruuli baptizandi inunguntur inter scapulas & in pectore, infirmi inunguntur in organis sensuū, morte iam appropinquante, consecratur. Eodem etiam die conficitur chrisma ex oleo & balsamo, quo paruuli chrismantur à minori sacerdote in vertice, à maiori scil. ab episcopo in fronte, videlicet in confirmatione. Quartum priuilegium est in mandati dominici repræsentatione, & hoc fit in pedum ablutione, in pauperum refectione, in altarium denudatione, & eorum expiatione. Est igitur dies cœnæ dies reconciliationis, transsubstantiationis, consecrationis siue vnctionis, dies refectionis & ablutionis. Ad pascha nostrum insuper pertinet dies parasceue, & dicitur bona sexta feria, quia in ea Dominus est passus, à cuius passione omnes sextę feriæ habendæ sunt in reuerentia & honore. Celebratur autem dies parasceue cum tristitia & mœrore, quamuis aliorum Sanctorum passiones cum gaudio celebremus, quia Sancti post martyrium euolant ad cœlum, CHRISTVS vero descendit ad infernum, sed quia fregit tartara & Sanctos eduxit, &

xit, & tertia die resurgens, viuum se ostendit, ideo tunc maxime gaudemus, *Vt dicit idem Ioannes Beleth.* Huius diei priuilegia fuerunt Christi immolatio, inferni deprædatio, mortis superatio, & dæmonis qui mortis habebat imperium humiliatio, paradisi apertio, hominis redemptio, scripturarum reseratio siue manifestatio, omnium figurarum consummatio, & ideo in cruce dixit Christus: *Consummatū est.* Ad Pascha quoq; pertinet ipsius vigilia, quę antonomatice Sabbathum sanctū appellatur, quia in illo Sabbato Christus, qui est Sanctus Sanctorum, per totum diem in sepulchro quieuit. In hac enim die ignis nouus acquiritur, benedicitur, & ad accēdendum Paschalē cereū custoditur, deinde Paschalis cereus erigitur, & à Diacono benedicitur & accenditur, cui thus in forma crucis imprimitur, deinde lectionibus lectis ad consecrationem fontis processionaliter acceditur, & completo Baptismo ad celebrationem missæ reuertitur & reditur. Totum autē diei officium sub breuissimarum vesperarum compendio terminatur, ne neophyti ad diuinum officium inconsueti, tædio afficiantur, tota etiam septimana Paschalis celebris est & solennis, cuius finis in Sabbatho in albis terminatur, quando Alleluia duplicatur, signat enim futuram Sanctorum gloriosam resurrectionem, in qua duplici stola electi decorabuntur, *de quibus dicitur in Apoca. Ambulabunt mecum in albis, quoniam digni sunt.*

CAP. XXXI.

De Pentecoste.

PEntecoste fuit festum solenne apud Hebræos, sicut est moderno tempore quo ad nos. Et est dies quinquagesimus à Pascha. Sicut enim Israeliticus populus quinquagesimo die, quo Pascha celebrauerunt, in Ramasse venerunt ad montem Syna & legem susceperunt, *Vt patet Exod.* 19. Ita quinquagesima die à passione Christi datus est Spiritus sanctus Apostolis in linguis igneis, vt facūdi essent in omni genere sermonis, & feruidi in amore charitatis. Dicitur autem Pentecoste à πέντε, quod est quinque & κόστη, quod est decem, quia quinque decades dierum à Pascha ad Pentecosten intercurrunt & distinguuntur, per septem se-

ptimanas, propter septiformem gratiam, quæ in aduentu Spiritus sancti credentibus est collata. Tempus autem circa Pentecosten est tempus militiæ & strenuitatis, tunc enim noui tyrones militiæ cingulo seu gladio accinguntur. Est etiam tempus munditiæ & siccitatis. Sole enim terræ superficiem tunc fortius calefaciente humorum consumis superfluitatem & lubricitatem, & sic inducit mundiciam per superinductam siccitatem. Item tempus lætitiæ & iucunditatis, tunc enim aues & animalia in maximo amore viuunt. Item tempus viroris & amænitatis, tunc enim præcipuæ herbæ virent, & syluæ tunc frondent. Item tempus odoris & suauitatis, nam flores hortorum nemorũ & pratorum suam redolentiam vndique tunc diffundunt. Item tempus est dulcoris & suauitatis & saporositatis, nam calor cœlestis tunc temporis humiditatem in floribus digerit, & in dulcedinem alterat & conuertit, & ideo tempus est mellificationi congruum, propter quod apes tunc præcipue frequentant herbas & arbores propter flores, *Vt dicit Aristot.* & etiam longe purius & dulcius est mel, quod colligitur tempore vernali, quam quod acquiritur tempore autumnali. Item tempus maturitatis. In calidis enim regionibus circa Pentecosten instat messis tempus. Et ideo vocatur in libro Numerorum tempus nouarum frugum, quia in festo Pentecostes panes ex nouis frugibus Domino offerri præcipiebantur. Item tempus est pascuæ & satietatis. Nam tum graminibus & herbis abundant loca omnia pascuosa. Et ideo tam equi quam alia animantia, propter nouarum herbarum abundantiam impinguantur. Item tempus est audaciæ & animositatis, nam ex feruenti impressione caloris solaris cholera tunc incenditur, ex cuius accẽsione circa cor ira & audacia in animalib. concitatur, vnde illud tempus regibus est magis consuetum, vt tunc iubeant moueri prælia contra hostes

CAP. XXXII.

De Scenopegia.

SCenopegia est festiuitas Hebræorũ, quæ tabernaculorum fixio dicebatur, quæ celebratur in memoriam expeditionis, quando recedentes de Ægypto in tabernaculis

mora-

morabantur, *vt dicit Isidorus*, Vnde ſcenopegia dicitur a σκηνώωμα græce, quod latine dicitur tabernaculum. Hæc ſolennitas ſemper in Septembri celebrabatur, quia collectis frugibus, de omnibus decimas Domino obtulerunt, & lætitiæ ac gaudio tunc ſpecialiter vacauerunt. Frondibus & ramis domos ſuas ornauerunt, fructus arboris pulcerrime & ſuauis, id eſt, poma cedri in manibus portauerunt. In decimo autem die eiuſdem menſis triplex feſtum eodem die celebraueruut, ſcil. expiationis, afflictionis, & propiciationis. Nam eodem die ſummus Pontifex intrauit cum ſanguine vitulæ rufę, & expiauit Sancta ſanctorum, & ideo dicitur dies expiationis, eodem die ieiunabat populus, pro reatu vituli in deſerto, & ideo vocabatur dies afflictionis, dies vero vocabatur dies propiciationis, quia tali die audierunt Dominum ſibi placatum fuiſſe, & propicium ſuper tranſgreſſione vituli idolatræ in deſerto.

CAP. XXXIII.

De Encania.

ENcænia eſt noui templi dedicatio, καινὸν enim græce, nouum dicitur latine. Hanc ſolennitatem Iudæi diuerſis temporibus celebrabant, ſecundum quod diuerſis temporibus vel nouum templum ædificabatur, vel ædificatum de nouo reparabatur, ſicut Iudas Machabæus legitur templum dedicaſſe & renouaſſe, 1. *Machab.* 4. dedicationis etiam feſtum tenet Eccleſia. Cum enim Epiſcopus Eccleſiam circuit aqua benedicta, Eccleſiam aſpergit, alphabetum duplex tranſuerſaliter per pauimentum ſcribit, parietes ſignat chriſmate & linit, thus & thimiama per quinque partes altaris comburit, reliquias includit, altaria ornat & veſtit, emunitatem & priuilegia impendere conſueuit.

BARTHOLOMÆI ANGLICI De proprietatibus materiæ & formæ Liber decimus.

Completo tractatu de proprietatibus temporis & partium eius, agendum est de inferioribus rebus & materialibus creaturis. De elementis scilicet & eorum quæ ex elementis materialiter componuntur Sunt autem materia & forma omnis rei corporalis principia, vt dicitur in libro de vnitate. *Materiæ autem & formæ priuatio nihil aliud est nisi totius rei destructio, & est materia contraria vnitati, & ei dissimilis,* vt dicitur ibidem. *Materia autem quanto est natura subtilior & sublimior, tanto ad susceptionē formæ est habilior: quanto vero est compactior & terrestrior, & à natura cœlesti remotior, tanto ad susceptionem impreßionum formalium est debilior,* vt dicitur in lib. de 5. substantiis, *& hoc habet proprium materia,* sicut ibidem dicitur, *scil. suscipere formam & non suscipi, retinere & non retineri. Principium autem distinctionis, diuisionis & alienationis in rebus generalib. & numerationis est materia,* vt dicitur 7. meta. *quia generans non differt à generato, nisi secundum materiam, & ideo vbi est generans sine materia, ibi est substantialiter idem generans & generatum in substantia, & natura, vt in diuinis.*

Materia enim est causa indiuiduationis rerum, vt dicit Aristot. 4. Meta. *quia diuisio speciei per indiuidua est secundum materiam & non secundum formam. Item materia propria appropriat sibi formam propriam,* vt dicitur 10. meta. *vnde secundum substantiam & esse sub vna forma, est vna materia, & sub pluribus plures.* Item 3. physicorum: *Causa quantitatis continuæ & infiniti est materia, subiectum enim continuitatis & quantitatis diuisio*

uisio est materia, propter quod accidens non potest diuidi, nisi secundum diuisionem & quantitatem subiecti. Item materia infinita dicitur, vel quia diuisibilis est in infinitum, vel quia habet appetitum ad infinitas formas. Et ideo propter indeterminationem suorum appetituum & inclinationem ad formas infinitas dicitur infinita, & non, quod eius virtus sit infinita non limitata, scilicet neque coarctata sicut virtus est diuina. Et ideo dicit Plato: *quod materia fluit in infinitum, nisi forma sistat fluxum, & ideo corpora, quæ multum habent de materia & parum de forma crescunt multum, vt patet in arboribus, & ideo ossa parum habent sensibilitatis, quia multum habent materiæ & terrestreitatis,* vt dicit Auicenna. *Latet autem in materia potentia quadam actiua, quæ est forma incompleta, & hæc potentia est communis duobus contrariis: vnde quando illa potentia ducitur ad actum vnius formæ, appetit statim esse sub forma contraria, vt ista potentia, quæ communiter se habet ad frigidum & calidum, quando actualiter est sub frigido, statim appetit esse sub contrario. Vnde nulla forma corruptibilium & generabilium potest sufficienter complere potentiam actiuam in materia, quando semper appetat impleri per aliam formam. Illa autem forma cum sit disparata, non potest induci, nisi per corruptionem formæ præsentis, secundum ergo quod virtus agentis immissa corrumpit præsentem, sic excitat formam actiuam ad formam contrariam, & dat ei paulatim completius esse, donec fuerit sub esse completissimo illius formæ. Has & multas alias proprietates habet materia, quas esset hic superfluum recitare,* quære tamen sup. lib. 8. de bonit. mun.

CAP. I.

De Forma.

EX iam recitatis proprietatibus materiæ, relucent proprietates ipsius formæ, quæ *secundum Aristotelem in lib. de quinq. substantiis*, est quasi lumen vnicuiq; pulcritudinem, essentiam & signum tribuens. Formæ autem lumen materiæ infusum descendēdo, fit debile & obscurum, secundum materiæ capacitatem. Est autem forma differentia qua differt aliquid ab aliquo, *vt dicit idem*. Forma autem alia est essentialis, alia accidentalis. Essentialis forma est illa, quæ adueniens materiæ perficit eam & secum conuenit ad rei alicuius perfectionem, qua posita res ponitur, & qua destructa, nihil de rei substantia inuenitur. Vnde 3. *Physicorum dicitur*. Forma cum materia est causa omnium accidentium. Forma etiam accidentalis non perficit res neque facit eas, *sicut dicitur* 8. *metaph.* sed quælibet forma accidentalis indiget forma substantiali, quæ est causa formæ accidentalis. Forma vero omnis simplicior est & actualior & nobilior materia. Et ideo *secundum Aristotelem lib. de animalibus*. Forma se habet per modum viri, quia potest informare multas materias, sicut vir potest fœcundare multas fœminas. Vnde secundum exigentiam formæ, quæ est imprimenda materiæ, oportet materiam disponi & præparari, quia si de materia terræ debet fieri ignis, oportet vt terra subtilietur & depuretur & simplicior fiat. Si vero è conuerso tunc è conuerso. Est autem forma materiæ manifestatiua, nunquam enim potest sensu videri materia, nisi substantiali vel accidentali forma sit imbuta, aut per viam priuationis, sicut videtur tenebra videndo nihil, & sicut auditur silentium, non audiendo sonum, *vt dicit Calcidius super Pla. & commentator super primum metaph. dicit*. Materia est causa quare male videmus res creatas: vnde nihil est communius & generalius, & tamen nihil ignobilius, quam sit materia, quia nunquam videtur sine forma, nec etiam potest videri forma nisi cum materiæ actu sit coniuncta, vbi vero plus est de forma ibi minus est de materia, *sicut dicitur* 4. *metaph.* & è conuerso vbi plus est de materia, ibi minus est de forma, & est res magis grossa & impura, magis ignobilis & obscura, quan-

to à nobilitate formæ amplius est remota. Formarum autem alia spiritualis alia corporalis. Corporalis vero alia cœlestis alia elementaris. Forma autem cœlestis est ita actiua, quod complet totum appetitum materiæ suæ, & ideo propter præsentiam suæ formæ complentis totaliter, & perficientis cœlestem materiam substantia cœli, non potest destrui vel corrumpi, sed potius per formam suam, quæ in suo actu perfectissima est in esse perpetuo conseruari. Forma vero elementaris non potest complere tantam potentiam materiæ suæ, nec eius perficere appetitum, & ideo relinquit illius potentiæ materialis aliquod incompletum, propter quod semper appetit nouam formam, & ideo talia corpora sunt semper corruptibilia, quo ad potentiam, & etiam sæpius, quo ad actum. Quanto enim forma est nobilior & spiritualior, & à conditionibus materiæ separata, magis & abstracta, tanto est actualior & virtuosior, vt patet in intelligentiis, quarum substantia non dependet à materia, *sicut dicitur in 3. de anima*. In habentibus materiam non est intellectus. Veruntamen angelos non habere in sua forma materiam non affirmo, sed siue angelorum essentia sit ex spirituali materia, & forma composita, siue non, hoc pro certo tenetur, quod eorum substantia respectu rerum corporalium simplicissima est & actualissima, sicut forma spiritualis actualior est quam forma corporalis, *Vt dicit Albu.* vnde respectu materiæ nobilis est forma cuiuslibet mixti, nobilior est forma elementi, nobilissima autem est forma corporis quinti siue cœli, sed omnes istas formas incomparabiliter in nobilitate & actualitate spiritualis forma siue sit in angelo siue in anima præexcellit. Et hæc de proprietatibus formæ & materiæ prout ad hoc opusculum pertinet dicta iam sufficiant.

CAP. II.

De Elemento.

ELementum, *secundum Constantinum*, est simpla & minima corporis compositi particula. Minima autem dicitur quo ad nos, quia sensu non percipitur. Est enim particula minima & vltima in corporis resolutione, sicut fuit in prima compositione. Dicitur autem simpla, non quia

ſimplex ſit elementum ſine compoſitione aliqua, ſed quia non habet partes aliquas componentes, ſpecie & numero differentes, ſicut aliqua corpora quæ ſunt mixta, vt patet in metallis quorum partes differunt. Pars enim quædam eſt aer, quædam terra, & ſic de aliis, ſed quælibet pars ignis eſt ignis, & ſic de cæteris. Dicitur autem elementum quaſi hilemētum *ſecundum Iſidorum*, ab hile, eo quod omnium corporum ſit materia, & quaſi primitiuum fundamentum, & ſecundum aliquos dicitur quaſi eleuamentum ſiue alimentum, eo quod omnia corpora aluntur elementaribus qualitatibus & augmentantur. Sunt autem quatuor elementares qualitates, quarum duæ ſunt actiuæ, ſcilicet caliditas & frigiditas, & duæ paſſiuæ, ſcilicet ſiccitas & humiditas, quarum conuenientiæ & differentiæ ſuperius in quarto libro planius deſcribuntur, *quære ibi*. Inter qualitates autem elementares contrarietas eſt & repugnantia, ratione quarum ad inuicem agunt & patiuntur & generantur & corrumpuntur, quantumcunque autem ad inuicem contrariantur, per influentiam tamen cœli & planetarum virtutem conciliantur in ſuis effectibus, & ad concordiam reducuntur, & ideo quodam mirando naturæ nexu coniunguntur. Nam ignis & aer conueniunt in caliditate, quamuis diſcrepant in ſiccitate & humiditate. Aer vero & aqua in humiditate conueniunt, ſed diſcordant in frigiditate, ſed aqua & terra concordant in frigiditate, ſed diſcordant in humiditate & ſiccitate. Ignis autem & terra, quæ ſunt elementa ſumme diſtantia, ſecundum ſitum conueniunt in ſiccitate, diſconueniunt tamen in frigiditate, quia terra frigida eſt ſubſtantialiter & in vltimo, ignis vero eſſentialiter calidus eſt & in ſummo. Ex iſtis autem elementis quatuor duo ſunt nobilioris ſubſtantiæ, & purioris & leuioris, ſcilicet aer & ignis, & ideo à centro ad circumferentiam motum habent, & naturaliter mouentur ſurſum, & iſta duo contrahunt nobilitatem ſuam quo ad virtutem, operationem & ſubſtantiam ex vicinitate orbis ſiue cœleſtis corporis, à quo recipiunt influentiam nobilitatis & virtutis. Nam virtus cœleſtis primo influit ſuper ſphæram ignis, & per ignem ſuper ſphæram aeris, & ideo hæc duo elementa ſunt cæteris ſublimiora, quo ad ſitum habiliora, quo ad motum, puriora & ſubtiliora, quo ad ſubſtan-

ſubſtantiam, clariora & magis perſpicua, quoad formam, virtuoſiora, quo ad actum. Duo autem elementa ſunt inferiora, ſcilic. aqua & terra cæteris duob. naturaliter grauiora, motum à circumferentia ad centrum deorſum habentia per aggregationem partium, & compactionem ſpiſſa & obſcura, & ideo prædictis duobus ſunt groſſiora & materialiora plus habentia de materia quam de forma. Vnde propter ſummam elongationem à ſphæra orbis cœleſtis virtuti motiuæ cœli non ita ſunt obedientia, ſicut duo prima. Nunquam enim ſunt elementa ocioſa imo in agendo & patiendo ſunt continua, vnde nunquam quieſcunt à generatione & motu. Terra enim etſi quieſcat à motu nunquam tamen quietem & ceſſationem recipit ab effectu, & ſicut non ſunt ocioſa ab actu, ſic non ſunt vacua ab ornatu. Nam quodlibet elemẽtum habet ornatum ſuum, ignis ſidera, aer volatilia, aqua natatilia, terra greſſibilia, *vt dicit Beda.* De quibus aliqua (auxiliante Domino) breuiter ſunt dicenda.

CAP. III.

De Igne.

IGnis eſt corpus ſimplum in vltimo calidum & ſiccum, *vt dicit Conſtantinus.* Naturaliter enim ſuper aerem ſedem quærit. Per violentiam enim in aere vel in terra detentus, paulatim in mollem aerem euaneſcit, *vt dicit Iſid.* Proprietates autem ignis *tangit Dionyſius in hierarchia angelica cap.* 12. Ignis, inquit, eſt corpus ſenſibile, longe excellentius & ſubtilius omnibus aliis rebus corporalibus, & naturæ ſpirituali proximum, ac per hoc effectum ſuum diſſimilius cunctis aliis demonſtrat. Ignis enim in omnibus eſt, & per omnia dare ſe conſueuit, & ab omnibus non remouetur. Eſt tamen occultus, incognitus, immenſurabilis, inuiſibilis, quodãmodo incorporeus, potens ad actionem propriam, mobilis, tradens ſe omnibus quoquo modo approximantibus, mouẽs vniuerſa ſe participantia, renouatiuus omnium, naturæ cuſtos, illuminatiuus cum circumuelatis ſplendoribus, clarus, diſcretus, diſtinguens & reſiliens, deorſũ paſcens, & ſurſum mouẽs, acute means, excelſus, non recipiens ignominiam minorationis, ſemper motiuus, comprehenſiuus, & mutatiuus in ſe reuertens

tens potenter actiuus, &c. *Hæc verba Dionysii diuinissimi profundissima sunt.* Describunt enim ignem quo ad eius substantiam, virtutem & operationem. Vnde ad declarationem prædictorum verba commentatoris breuiter super hunc locũ hic ponemus. Ignis enim inter omnia elementa situm habet sublimiorem, & hoc, quia naturam habet leuiorem. Et ideo dicitur excelsus, quia pondere carens sublime quærit vel petit, supereminet vniuersis, & quicqnid corporeum est præter ipsum naturaliter sub eo subsistit. Item inter omnia elementa naturam habet puriorem & sufitiliorem, & dicitur quodammodo incorporeus, quia propter subtilitatem suę substantiæ præter subiectam materiam sensu non videtur, propter hoc etiam videtur multum naturæ spirituali proximum, quia quodammodo videtur ignis esse medius inter visibilia & inuisibilia. In quantum autem illis appropinquat superioribus est incorporeus, sed in quantum approximat inferioribus, corporeus est. Item naturam habet cæteris elementis actualiorem & in agendo fortiorem, & ideo dicitur immensurabilis, quia eius virtus & operatio crescit in infinitum, si materia fuerit infinita, quam diu enim materia subiecta sufficit, ignis non deficit, sed semper potius crescit. Item naturam habet occultiorem, & ideo dicitur occultus, quia in sua essentia sensibiliter non videtur. Inuisibilis & incognitus dicitur, quia sine substantiæ materia sensu non percipitur. Quid etiam sit in sua essentia seu substantia, vix cognoscitur intellectu. Item virtutem & naturam habet aliis mobiliorẽ, & ideo dicitur mobilis & potens omnium, quia in igne est principium virtutis motiuæ, quia mouet se & alia, & à nullo inferiori se mouetur. Item naturam habet cæteris inferioribus clariorem. Vnde dicitur, quod ignis est illuminatiuus, quia claritate sua omnia illuminat, sed cum circumuelatis splendoribus. Nam splenditi ignis radii foris emicant, sed circumuelantur, quia rursum ad secretum suæ substantiæ sinum reducti à nostris sensibus occultantur. Item ex subtilitate suæ substantiæ virtutem habet omnibus aliis acutiorem & penetrabiliorem, propter quod dicitur acute means, quia propriæ virtutis motu subintrat sine resistentia, & penetrat vniuersa. Item ignis habet virtutem sui & aliorum manifestatiuam & distin-

distinctiuam. Nam se manifestando alia sibi obiecta manifestat, eorum colores & figuras oculis repræsentans, & ideo dicitur clarus, manifeste discretus, distinguens. Item vim habet inferiorum ad superiora attractiuam, nam materiam in quam agit, rarefaciendo dissoluit, & caloris sui violentia sursum trahit, propter quod dicitur deorsum pascens & sursum trahens. Item virtutē habet renouatiuam. Omnia enim veterascunt, antiquantur & deficiunt, quæ virtute ignea non seruantur, vt patet in senibus, in quibus deficit calor naturalis. Et ideo dicitur renouatiuus omniū & etiam naturæ custos, sine enim virtute ignis non potest subsistere virtus alicuius corporis naturalis. Item virtutem habet immutatiuam, quia omnium naturam, in quam agendo superat, conuertit in suam speciem & transmutat, & propter hoc dicitur apprehēsiuus & immutatiuus. Nam materiam in quam agit apprehendens illam non deserit, sed consumendo in suam similitudinem conuertit, apprehendens autem non apprehenditur, quia consumpto eo in quod agit in se resilit atque redit. Et ideo dicitur resiliens, &c. Item virtutem & naturam suiipsius communicatiuam habet, & sine diminutione diffusiuam, & ideo dicitur non recipere ignominiam minorationis, quia sicut cum effunditur non augetur, sic cum recipitur non minoratur, neque in eo quod videtur augmentum recipere est capiens gloriam, neque in eo quod putatur minor sustinet contumeliam. Item naturam habet purgatiuam, metalla enim quæ non potest consumere à scoria & rubigine, mundificat, expurgat & mundat. Item virtutem habet saporum & humorum alteratiuam, vnde & humores in corpore excoquit & digerit, & cibos crudos cōsumendo in eis superflua sapidos & sanos reddere consueuit. Item virtutem habet suæ substantiæ per rerum omnium & commixtorum corporū essentiam diffusiuam, quia in rebus omnibus inuisibilis est inclusus, quamquam includi actualiter non videatur, quod inde est manifestum, quia ex forti corporum solidorum allisione ignis excutitur, in quibus esse nullatenus putabatur. Item ignis subtilitate sua substantiali habet virtutem sui cum alio corpore immediatissime vnitiuam, vt patet in ferro ignito, & carbone inflammato & huiusmodi, in quibus ignis ita secundum omnes sui partes sin-

tes sin-

tes singulis ferri & carbonis particulis coniungitur, vt videatur vna substantia & alterius sensibilis distantia penitus non sentitur. Vnde & triplex ignis species à philosophis diffinitur. Est enim ignis lux, ignis flamma, ignis carbo. Ignis enim est in sua sphæra lux, sed flamma dicitur in materia aeris, carbo autem in substantia terrea siue in fœculentia materiæ grossioris. Has & multas alias habet ignis proprietates, *de quibus supra lib. 2. in tractatu de ordine Seraphin. Et lib. 4. de qualitatib. elementaribus, scilicet de calore quære ibi.* Nam ea quæ dicta sunt hic sufficiant.

CAP. IV.

De Flamma.

FLamma est materia ignea in substantia aerea accensa. Nam aer propter suæ substantiæ subtilitatem & immediatam, quam habet cum sphæra ignis, vicinitatem de facili ignitur, & in naturam igneam commutatur, & secundum quod substantia aerea est purior, tanto flamma erit lucidior & clarior, & naturæ lucis similior videbitur. Mouetur autem flamma naturaliter sursum & ab omni parte rei accensæ linealiter in acutum tendit, & in conum, vnde in sua extremitate habet formam pineam & acutam, vnde & in suo acumine propter concursum radiorum in angulo acuto fortius caloris sui imprimit actionem, & ideo quia in summo pyramidali angulo calidior existit, materiam sibi oppositam inflammat facilius & accendit. Calorem, secundum materiam in quam agit, recipit. Vnde si materia est turbida & fumosa, turbidam & obscuram reddit lucem, & econuerso, si materia fuerit transparens & pura, rutilat & luminosos radios vndique circumfundit, tenebrosa illuminat & abdita prodit, viam & viæ offendicula ambulantibus ostendit. Propter sui leuitatem & materiæ aereæ mobilitatem in quam agit, in motu est continuo & nunquam penitus requiescit. Nam modicus impulsus (alias venti) flammam excitat & accendit, sed si fuerit nimis vehemens, flammam dissipat & extinguit, tortuose & anfractuose aerem impellit continue, & ideo mouetur circulariter & incendit, *vt dicit Marius.* Vnde Vulcanus à Iunone in terram proiectus, *secundum figmenta poetica,* clau-

claudus fuit. Ex violentia sui motus partes materiæ in quã agit inuicem allidendo concutit, & ex partium collisione mutua sonum facit, locum superiorem quærere satagit, & materiam cui per incorporationem adhæret ab inferis ad superiora attrahere non desistit.

Cap. V.

De Fumo.

FVmus est vapor ex partibus materię subtilioribus & humidioribus vi caloris resolutus. Habet autem graues partes, mixtas cum leuibus, ex quibus obscuritatem contrahit & fœtorem, vnde aerem denigrat, & in naturam fumigabundam conuertit. Amaritudinem enim ex materiæ suæ grossicie contrahit, ex cuius acumine oculos amaricat ac lachrymas prouocat. Sensibiliter visum lædit suo acumine & ad cerebrum penetrat, & spiritum animalem grauat & per consequens naturalem. *Vnde dicitur in li. animalium*, quod fumus candelæ extinctæ lædit prægnantes in tantum, quod si equa parturiens talem fumum senserit, faciet abortiuum. Fumus & apibus etiam est inimicus, & lædit accipitres & alias prædæ aues, *Vt idem dicit.* Fumus insuper cito moritur postquam oritur, *Vt dicit gloss. ibi. Sicut Virgula fumi.* Cito enim in altum ascendit & subito euanescit. Ex igne oritur, & antequam appareat, ignis apparere videtur, à vento mouetur, & dispergitur, multipliciter circumfertur. Fumus etiam ostendit ventum à qua parte veniat, quia illic fumus tendit, quo ventus ipsum agitat & impellit, *Vt dicit Gregor.* Domos denigrat & inficit, & in parietibus generat fuliginem atque nutrit, loca angulosa petit, & in eis infectionis vestigia imprimit & & derelinquit. Fumus etiam aromaticus a speciebus aromaticis resolutus est sensui olfactus delectabilis & amicus. Cerebri namque est confortatiuus, & spirituum cordis & capitis reparatiuus, rheumatis & nociui fluxus restrictiuus, desiccatiuus, constrictiuus & pororum obstructorum apertiuus, & ad confortationem neruorum ad interiora penetratiuus, serpentum & venenosorum animalium & reptilium fugatiuus. Omnem etiam fumum & maxime odoriferum odiunt tam colubri quam serpentes, *Vt dicit Gregor.*

Gregor. Fumus insuper à cibo vel potu resolutus, vi caloris ascendens ad cerebrũ, neruos sensibiles opilat, & somnum generat & sensus exteriores ligat, & per consequens calorem naturalem ad interiora reuocat, & virtutem in interioribus adiuuat & confortat. Si vero fuerit fumus melancholicus vel nimis acutus aut venenosus ex cibo vel potu aut ex medicina nociua resolutus ad cerebrum aduolat, virtutem animalem aggrauat, timorem generat, vt in melancholicis phrenesim & furorem excitat, vt in phreneticis & ebriosis, obliuionem & erisipilam generat, vt in lethargicis, sensus & rationis vsu priuat, vt in epilepticis & caducis. Has & multas alias infert corpori fumositas pessimas passiones & nociuas. Fumi etiam à terra & à mari virtute caloris ad superiora attracti, aerem inficiunt & condensant, nubes & nubila generant, ventis, tempestatibus & aliis aeris passionibus fomentum & materiam administrant, radios solares in aere intercipiunt & obumbrant. Et hæc de fumo dicta sufficiant.

Cap. VI.

De Carbone.

Carbo est ignis actualiter incorporatus terrestri materiæ & vnitus, *vt dicit Raba.* vnde ignis per sui incorporationem partibus grossioribus terrestribus admixtus, per quandam violentiam inferius detinetur. Vnde sicut ignis in flamma mouetur sursum, sic carbo crepitando & scintillando grauitate materiæ deorsum inclinatur. Carbo itaque quando ignitur, vertitur in ruborem, sed quando extinguitur, induit nigredinem, & omnino perdit pristinam ignis speciem & decorem, vnde quanto fuerit pulcrior ex sui ad ignem prima vnitate siue vnione, tanto apparet deformior & vilior in ipsius ignis extinctione. In carbone autem substantialis humiditas totaliter consumitur, & ideo de facili rumpitur & frangitur, quando humor, qui fuit causa coadhærentiæ partium ignis, totaliter violentia exhauritur, & ideo in carbone extincto pars à parte de facili rumpitur, quia nihil humiditatis per quam partes cohæreant in ipsius substantia inuenitur, *sicut dicit Gregor.* partibus terrestribus solum remanentibus propter dominium

nium ſiccitatis, de facili ignitur & accenditur. Sed poſtquam accenſus fuerit, faciliter extinguitur, ita quod in eo nihil de ignis veſtigio præter nigredinem reperitur. Nigredine enim ſua polluit & inficit, quicquid tangit. Carbo etiam ignitus, acutiſſimum habet ignem & ſumme actiuum & penetratiuum, vnde ſui acumine ferrum coquit, & partes eius reſoluendo & relaxando remollit, ſuo etiam acumine caput lædit, ſub cinere autem inuolutus, in ſe ignem retinet & cuſtodit, detectus autem & frigido aeri expoſitus, in fauillarum multitudinem redigitur & per ſe ſubito euaneſcit, *vt dicit Gregor.* Carbo vero ſi ignitus fuerit plantas conculcantis vrit & lædit, extinctus vero quamuis vrendo non lædit tangentem, ſtridorem tamen & ſtrepitum magnum facit.

Cap. VII.

De Scintilla.

SCintilla eſt modica ignis particula, ex materia ignea, virtute & impetu caloris diſſoluẽtis reſoluta, vnde motus ſcintillaris eſt ſubitus. Vi enim ignea ſubito reſoluitur ac ſurſum mouetur, ſed ex grauitate partis terreſtris ad centrum tandem inclinatur. Item motus eius clariſſimus eſt ad modum ſtellæ & luminoſus, & per diffuſionem ſuæ igneitatis in aere apparet vndique radioſus. Eſt præterea motus eius ad modũ ignis actiuus & virtuoſus. Nam modica ſcintilla in fungo vel in ſtipula recollecta, in ignem maximum ſubito augmentatur, aeris immutatione ſubito euaneſcit, & extincta nihil niſi fauillam poſt ſe relinquit. Vento temperato ſeu flatu accenditur, impetuoſo autem extinguitur, aerem impellendo penetrat, & tamen in penetrando ipſum aerem parum alterat aut immutat, quanto ignis eſt fortior, tanto ſcintillaris motus ſiue impetus erit maior. Ex materia viridi vel humida ſcintillæ groſſiores & in ſuo effectu penetrabiliores generantur, veruntamen pauciores.

Cap. VIII.

De Fauilla.

FAuilla à fouendo eſt dicta, eo quod ignem foueat atq; tegat. Eſt cinis modicus de extinctione ſcintillaris materiæ

teriæ derelictus, *Vt dicit Isidorus.* Est autem fauilla tenuis, mollis, subalbida, sicca atque leuis in superficie carbonis igniti adhærens, fulgorem eius hebetat, & feruorem eius attenuat & minorat. Ad modicum venti flatum dispergitur, dispersa vero vix vnquam recolligitur, *Vt dicit Gregor.* de facili inflammatur, sed propter defectum nutrimenti subito extinguitur. Fauilla etiam quando est ignea, venti raptu sursum tendit, extincto autem proprio pondere ima petit, *Vt dicit Gregorius*, vnde deorsum tēdit motu proprio, sed sursum extollitur & rapitur motu alieno.

CAP. IX.

De Cinere.

CInis à cadendo est dictus, nam de substantia materiæ terrestris vi caloris resolutus generatur, *Vt dicit Isidor.* Est autem cinis mollis, despecti coloris, amari & stiptici est saporis, partes habet minutissimas & tenuissimas, leui flatu sparsionis & diuisionis receptiuas. Cinis etiam virtutem habet colatiuam siue mundificatiuam, vnde valet ad vestium ablutionem, habet etiam vim corrosiuam & desiccatiuam, *Vt dicit Const.* Cinis insuper si fuerit calidus, ignem ab eo tectum custodit: si vero fuerit frigidus, destruit & extinguit. Cinis etiam per multam ignis conflagrationem & violentiam suam formam vilem & obscuram aliquoties commutat in speciem vitream atq; clarā, nam ex materia cinerum solet fieri vitrum, *Vt dicit Greg.* Hoc autem habet cinis defectus & imperfectionis, quia quamuis quotidie aquæ vel pluuiæ irrigationem suscipiat, sterilis tamen manet, vnde terram quam tangit non fœcundat, sed potius si sterilis fuerit, reddit steriliorem & in omnibus viliorem. Et hæc de libro decimo sufficiant.

BAR-

BARTHOLOMÆI ANGLICI De proprietatibus Aeris, Liber vndecimus.

AEr est dictus eo quod ferat ignem, & ab aqua feratur, vt dicit Isidorus. *Aer autem partim pertinet ad materiam terrestrem, partim ad materiam cœlestem,* vt dicit Beda. *Nam pars aeris superior pura, clara & quieta, vbi procellosi & ventosi motus non possunt attingere, pertinet ad cœlestem, pars vero inferior sphæræ aquæ & terræ vicina, turbulenta, grossa & compacta, ex humidis & terreis vaporibus corpulenta, pertinet ad terrestrem. Et hæc pars aerea diuersas ex se producit species.* Nam, vt dicit Isidor. *Aer vehementius concitatus, facit ventos coruscationis, & tonitrua, confractus nubila, conspissatus pluuias, congelatus niuem & grandinem, distentus serenitatem,* vt dicit Isidorus & Beda. *Plus autem habet raritatis & inanitatis quam cætera elementa. Est autem aer* secundum Constantinum, *elementum simplex, substantialiter humidum & calidum.* Ex *propria enim natura seu substantia est humidus, sed ex vicinitate orbis calidus, & ideo secundum vtriusque qualitatis proprietatem aer est sui naturaliter diffusiuus, à superficie terræ & aquæ vsque ad sphæram ignis vndique extensiuus. Ex substantiæ autem suæ subtilitate & raritate transparens est & perspicuus. Vnde ratione diaphaneitatis suæ & transparentiæ est influentiæ cœlestis virtutis & impreßionis solaris luminis receptiuus. Virtutis inspirandi & respirandi est aer omnibus animantibus ministratiuus. Omnium enim animantium est respiraculum, & volatilium cœli proprium habitaculum. Sine enim aere non potest viuere aliqua animata creatura. Aer enim ratione leuitatis, substantialis est, naturaliter mobilis & alterabilis, ac verti-*

bilis in oppositas qualitates. Vnde ex vaporibus terræ & maris sæpe recipit immutationem. Nam si vapor fuerit fœtidus & corruptus ac venenosus, aer corrumpitur & inficitur, cui talis vapor pestifer admiscetur. Si vero fumus ex pura & munda substantia fuerit resolutus & odorifera, aer odoriferam & naturæ amicabilem, ex incorporatione fumi odoriferi, recipit qualitatem. Item aer nos circumdans, summe nobis est vtilis propter anhelitus necessitatem, & vitalis spiritus continuum nutrimentum. Si enim clarus, lucidus & purus fuerit, humores atque spiritus erunt lucidi atque puri. Si vero turbidus & nebulosus, humores erunt turbidi, spiritus grossi ac infecti, vt dicit Constantin. & Philaretus, *vnde aer est elementum & corporum & spirituum. Euentatio enim aeris adueniens spiritibus, est causa meliorationis eorum & depurationis & mitigationis, prohibens spiritus & humores ab inflammatione. Attractus enim à pulmone cordi, per cor toti corpori præbet temperamentum, vnde aer maxime immutat corpus & ingreditur ad interiora spirituum, & miscetur cum eorum substãtia, quæ corpori præbet vitam. Vnde si aer fuerit purus & mediocris, in suis qualitatibus temperatus ad conseruationem vitæ maxime proficit. Si vero fuerit corruptus, distemperatus, maxime lædit, & corrumpit,* vt dicit Constan. *Quanto autem est à terra remotior & cœlo vicinior, tanto purior & similior est æthereæ puritati, quanto vero terræ vicinior, tanto frigidior & crassior, & similior terreæ qualitati. Vnde ex vaporib. terræ ad interiora aeris attractis varia & cõtraria in aere generantur. Et quanto aer est grossior & spissior, tanto Sol in eo fortius imprimit calorẽ radiorum propter radiorũ solariũ repercussionẽ, conculcationẽ & confractionem. Ex repercussione autem solarium radiorum in aere humido & denso, generantur in eo varii colores,* vt dicitur in libro

meteo.

meteo. vt patet in Assub & in Iride, *& in consimilib. Fit autem aeris condensatio triplici de causa, scil. ex vapore partes terrestres suas & grossas cum aere permiscente, vel ex frigiditate partes humidas aeris congelante, vel ex generatione noui aeris sensum in se recipiente, per cuius ad primam additionem aer ingrossatur*, vt dicit philosophus. *Rarificatur autem & subtiliatur ex causa contraria, scilicet propter vaporis ascendentis consumptionem, propter fortiorem calorem aerem extenuantem vel clarificãtem, vel ignearum partium ex particulis aeris generationem per vltimam humiditatis suæ rarefactionem, & caliditatis intensionem, aer in naturam igneam transmutatur. Immutatur autem aer secundum substantiam vel qualitatem multipliciter*, vt dicit Auicenna. *Primo à Solis appropinquatione vel elongatione. Calefit enim aer, quando Sol ad nostrum habitabile appropinquat, quemadmodum frigescit quando se elongat. Item ex ortus & occasus stellarum immutatione. Stellæ enim tam erraticæ quam fixæ sunt causa, quare aer in suis qualitatibus immutatur. Sole namque cum aliqua stella effectus frigidi, sicut Saturno in frigido signo conueniente intenditur frigus in aere. Si vero conuenerit cum calido planeta, vt cum Marte, est causa, quare in aere fit excessus in calore, & sic de aliis est intelligendum. Item immutatur ex terræ varia dispositione, situ & positione. Nam in parte septentrionali fit siccus aer & frigidus, australi calidus & humidus, orientali calidus & siccus, occidentali frigidus & humidus. Item ex terræ eleuatione vel depreßione, quia in montibus est aer frigidus, in vallibus autem calidus. Cuius rationem reddit* Constant. in pantegni, dicens: Boreas, inquit, habet ortum ab eminenti zona, vnde loca eminentia libere expetit et mouet, & subtiliat aera, & ita infrigidat, quia omne subtile dummodo ha-

beat exhalationem per motum infrigidatur, aer autem in vallibus manet quietus, & ita calidus. *Altam tamen reddit* Macro. *rationem, dicit enim quod hoc fit ex aggregatione radiorum, qui multiplicantur in vallibus, propter condensationem vaporum, in vallibus potius quam in montibus, & ideo niues citius liquescunt in valle quam in monte, quia ibi ex radiis maior calor generatur. Et hoc concordat cum Aristotele* in libro meteo. 1. cap. 4. vbi dicit, quod multiplicatio radiorum qui tendunt ad terram, velut ad centrum, est in causa huius calefactionis, similiter reuerberatio radiorum in acutis angulorum & mora, &c. *Item immutatur aer ex vicinitate maris quia terra vicina mari septentrionali frigida est & sicca, ex vapore frigido & sicco à mari resoluto, ibi enim calor est debilis, & parum vincit, & ideo mare aquilonare parũ salsescit, vnde Ponticus cum mare est quasi dulce. In mari australi est contrarium ex causa contraria. Item immutatur aer ex cadauerum & paludũ propinquitate, ex quorum corruptione aer contrahit corruptionem, & aer efficitur putridus & quasi pestilentialis. Et accidit ista aeris putrida infectio in fine æstatis, & sæpius in autumno, quia tunc aer ex sui natura est subtilior, & ideo conuertibilior, propter quod accidit ei talis corruptio, ex cõmixtione malarum fumositatum, quæ ascendunt ex putredine cadauerum vel paludum, siue alterius rei cuiuslibet corruptela,* vt dicit Iohan. *Et hæc de aere dicta in generali nunc sufficiant.*

Cap. I.

De Igne perpendiculari.

NVnc de impressionibus, quæ fiunt in aere est dicendum. Primo de his, quæ fiunt ex vapore calido & sicco, sicut est ignis perpendicularis, qui quandoque apparet in aere, & non est aliud nisi impressio generata ex vapore calido

calido & ſicco, in prima aeris parte eleuato, habente latitudinem in profundo, & longitudinem in ſupremo, ſecundum figuram flammæ pyramidalem, per ignem & motum cœli inflammato. Secundus eſt ignis longus, qui eſt impreſſio generata ex vapore calido & ſicco, in ſuprema parte aeris, carente latitudine manifeſta, reſpectu ſuæ longitudinis inflammato per virtutem ignis, & per motum firmamenti, & dicitur hęc impreſſio Draco euomens ignem, &c. Tertia impreſſio vocatur candela, & generatur ex calore calido & ſicco, in ſuprema parte aeris, habente paruam longitudinem & latitudinem æquales tamē, propter quod apparent quaſi rotundæ figuræ inflammatæ per calorem ignis, & motum cœli. Quarta impreſſio vocatur aſſub *ab Ariſtot.* & eſt duplex, aſcendens & deſcendens. Et generatur hæc impreſſio ex vapore calido & ſicco ſubtili in ſuprema parte aeris longitudinem & latitudinem magnam habens, proportionales tamen, inflammato vehementer & calefacto per ignem & motum firmamenti, petens ſuperiora propter ſubtilitatem materiæ, & vehementiam inflammationis. Alia eſt impreſſio, & dicitur aſſub deſcendens, generatur autem ex vapore calido, ſicco & groſſo, longitudinis & latitudinis æqualis, exiſtente in parte ſuperiori medii interſtitii aeris, inflammata per ignē & motum firmamenti. Deſcendit autem inferius propter frigus circumſtans, & pondus materiæ groſſioris, *Vt dicit Ariſtot.* Iſtæ impreſſiones ſunt, quas vulgus putat eſſe ſtellas de nocte cadentes de cœlo & ad cœlum aſcendentes.

Cap. II.

De Ventis in generali.

SVnt & aliæ impreſſiones ex vapore ſicco, ſicut ventus, qui *ſecundum Ariſtot.* eſt motus vapori ſicci eleuati à centro terræ cum aere, & in aera cum aliqua cœleſti virtute incorporati. Vnde ventus, *ſecundum Bedam*, nihil aliud eſt quam aer motus & circumagitatus, ex fumoſitatibus enim à terra deſcendentibus, & aerem repellentibus generatur ventus, *Vt dicit idem.* Hanc autem deſcriptionem arguit *Ariſtot. in Topicis*, quia deſcriptum non vniuerſaliter prædicatur de ſua deſcriptione, quia non omnis aer

motus est ventus. Oportet enim ad hoc, vt aer motus sit ventus, quod ibi sit maximus impulsus, & quod multum de aere diutius impellatur. *Et ideo diffinit sic Constantin.* ventus est vapor frigidus & siccus, ex terris & aquis per calorem resolutus, aerem per incorporationem sui fortiter commouens & impellens. Alii ponunt causam ventorum esse nubes in aere existentes, sua mole aerem hinc & inde prementes & impellentes, ex tali motu nubium & impulsu fit ventus. Alii autem dicunt ventum procreari ex conflictu brachiorum maris in quatuor partibus terræ. Nam in Aquilone brachium australe conflictum in Oriente commouet mare, ex cuius motu mouetur aer, & fit ventus qui vocatur Subsolanus. Quando vero confligunt in Occidente, fit ventus qui dicitur Fauonius siue Zephyrus. E conuerso si brachium oriẽtale & occidentale fecerint conflictum in meridie, fit ventus qui vocatur Auster. Si vero in Septentrione, fit ventus qui vocatur Boreas. Ex aliis autem refluxionibus maris intermediis dicunt ventos collaterales generari. Alii adhuc dicunt, *vt dicit Beda*, quod ex cauernis terræ fit ventus hoc modo, quia aer labilis est naturæ, & ideo subintrat cauernas terræ & exit. Cum autem vna pars nititur exire, & alia subintrare, fit conflictus, & mouetur aer, & fit aer inde ventus, & ideo Æolia regio est ventorum, quæ est regio cauernosa.

Primam autem rationem generationis ventorum *approbat Aristoteles in lib. meteoror.* vbi dicit quod duo sunt genera vaporum, qui per calorem à terra resoluuntur, vnus est humidus qui est materia pluuiarum & aquarum, per maiorem condensationem vel minorem, alter vapor est siccus, & est materia omnium ventorum. Vndecunq; autem prouocatur ventus siue generetur, hoc manifestum est, quia ventus summe mobilis est, & motus inquietus & agitationis in aere concitatiuus. Est etiam tempestuosus in mari & in aere tempestatũ generatiuus. Item ventus, quando est moderatus & nauigantibus in mari contrarius itineris ipsorum est directiuus & promotiuus. E conuerso vero si contrarius fuerit & immoderatus periculum & timorem ingerit & sic itineris retardatiuus. Item ventus subtilitate sua & impetu penetrat ad interiora maris procellarum, & maris vndarum est eleuatiuus, extensiuus in par-

tes

tes oppositas diffusiuus. Item ventus borealis cum sit frigidus & siccus, est aeris depuratiuus, pluuiarum, nebularum ac nubium fugatiuus, & serenitatis inductiuus. E contra vero australis cum sit calidus & humidus, contrarios habet effectus, aerem enim condensat, turbulentiam & obscuritatem generat, *Vt dicit Beda*. Item ventus quando obstaculum inuenit suæ virtutis siue fortitudinis est ostensiuus, tunc enim maxime apparet fortis & violentus, vnde & domos & arbores sibi resistentes diruit radicitus & subuertit, & ideo dictus est ventus, *Vt dicit Isid.* eo quod vehemens sit & violentus, vis enim eius tanta est, vt non solum saxa & arbores euellat, sed etiam cœlum & terram conturbet, mariaq; commoueat, *Vt dicit idem*. Item ventus est humoris superflui consumptiuus & lubricitatis ac immundiciæ abstersiuus. Nam viæ quæ per inundationem pluuiarum effectæ sunt lubricæ & sordidæ per flatum venti fiunt mundæ. Item temperatus venti flatus est ignis & flammæ excitatiuus. Si vero fuerit nimis impetuosus & intensus, erit eiusdem extinctiuus. Item ventus in suo ortu inuisibilis est & occultus, sed paulatim per aggregationem partium vaporabilium in aere est augmenti receptiuus, suiipsius & manifestatiuus. *Et ideo dicitur in lib. meteororum*, quod venti, quando oriuntur de terra, sunt debiles, sed post efficiuntur fortes propter multitudinem vaporum, qui post in aere multiplicantur & aggregantur. Item ventus mouetur circulariter & tortuose, nam vapor qui ascendit, primo sursum flectitur, postea in circuitu terræ, & ideo eius motus est tortuosus & circulariter processiuus. Item venti impetus est palearum leuatiuus, pulueris & cineris dispersiuus, vesicæ inflatiuus & extensiuus, per sui subintrationem intrat enim cauernosas & spongiosas terrę partes. Est ventus terræmotus generatiuus, ex vento enim intercluso & agitato in ventre terræ fit terræmotus, *Vt dicit Aristoteles*, nam pororum tam terræ quam corporum animalium est ventus apertiuus, ad interiora terræ subtilitate suæ substantiæ penetratiuus per sui interclusionem intrans partes aqueas, est ventus in superficie aquæ eleuatiuus, & spumæ causatiuus. Et est ventus in aquarum superficie dissimilitudinis partium & inæqualitatis inductiuus. Nam aqua esset æqua superficialiter atque plana si vento-

rum impulſu nullatenus moueretur, *vt dicit Iſidor.* Item vapor ventoſus à cibis & potibus, & aliis humoribus vi caloris reſolutus, multarum paſſionum eſt in corpore illatiuus, nam incluſus in ſtomacho vel interioribus viſcerum torſiones generat, quaſi intolerabiles & multas alias paſſiones, ſicut hydropiſim, artheticam, & huiuſmodi. In auribus etiam facit ſibilum & tinnitum, vnde inficit & impedit audibilem ſpiritum ſiue auditum.

CAP. III.

De Ventis.

VEnti autem ſunt 12. quorum quatuor dicuntur eſſe cardinales, & octo collaterales. Primus cardinalium dicitur Subſolanus, qui oritur in oriente ſub æquinoctiali parallelo, ibi enim quandoque fit maximus aeris impulſus ex tranſuerberatione terræ & aquæ in aera, ex qua fit ventus. Et dicitur Subſolanus quaſi ſub Sole natus, quia naſcitur in torrida zona, ſub qua ſemper mouetur Sol. Iſte ventus habet duos collaterales ſcilicet Vulturnum verſus Septentrionem, & Eurum verſus Auſtrum, & poſſunt retineri in hoc verſu.

Sunt ſubſolanus Vulturnus & Eurus Eoi.

Hi venti ſunt calidi & ſicci, calidi, quia ſub Sole diu morantur: ſicci autem, quia mare orientale eſt à nobis valde remotum, vnde antequam ventus orientalis ad nos veniat, ſi quid habet de humore humido, totum calore Solis eſt conſumptum. Ventus vero Subſolanus eſt in calore temperatus, ſed quando declinat in Vulturnum omnia deſiccat, quando autem in Eurum, generat nubes. Venti autem orientales *ſecundum Conſtantinum*, ſunt ſalubres in ortu diei, quia ab aere veniunt temperato & ſubtiliato, *nam vt dicit idem*, regionum orientalium eſt aer clarus & parum ſiccus, inter calidum & humidum temperatus: vnde talis ventus aquas clarificat, & eis ſaporem ſuauem adminiſtrat, vnde venti orientales corpora in ſanitate cuſtodiunt, propter ſuarum temperiem qualitatum, propter hoc etiam orientales maxime fructibus & floribus abundãt plus quam aquilonares vel occidentales. Item flumina contra orientem fluentia & mare orientale ſubintrantia ſunt meliora & ſaniora ac clariora, quia vẽtorum orien-

orientalium occursione & Solis orientis reuerberatione aquæ subtiliantur & depurantur. Secundus ventus cardinalis est Fauonius, & oritur in occidente sub parallelo æquinoctiali, & habet iste ventus duos collaterales, scilic. Circium versus septentrionem, & Zephyrum versus Austrum & retinentur per hunc versum:

Circius occasum zephyrusq; fauonius afflant.

Dicitur autem Fauonius eo quod fouet ea, quæ nascuntur, *Vt dicit Isidor.* hyemem enim resoluit, germina & flores producit. Est autem Fauonius temperate frigidus & humidus, frigidus est, quia paruam moram facit Sol in occidente, & ad nos venit antequam à solaribus radiis incalescat. Venti itaque occidentales in fine diei sunt salubriores & temperatiores, quia Sol in occidente subtiliat eos & depurat, quia ergo regiones occidentales aerem non habent perfecte temperatum in calore & humore, ideo eorum aqua mutabilis est & turbida, eo quod in principio diei radiis solaribus non digeratur. Nam in principio diei ventus ibi nimis est frigidus, in vespere vero calefit, *Vt dicit Constantinus.* Tertius ventus cardinalis est Auster & oritur sub polo antarctico, eadem de causa qua & primi, & habet duos ventos collaterales, scilicet Notum versus orientem, & Affricum versus occidentem, qui notantur hoc versu.

Atq; die medio Notus hæret & Affricus Austro.

Auster autem ab hauriendo aquas est dictus. Est autem calidus & humidus, & fulmineus, densum facit aerem atq; spissum, & nebulas nutrit, suo calore poros aperit & sua humiditate pluuias multiplicat & adducit, *Vt dicit Isidor.* tempestatem in mari generat, quia ab imo flat, *Vt dicit Beda*, poros corporum aperit, virtutes animales impedit, grauitatem in corpore facit, *Vt dicit Hippocrat. Venti, inquit, australes auditum grauant, caliginosi sunt, & capita grauantes, pigri dissoluentes, &c.* dissoluunt enim venti australes humores ab interiorib. ad exteriora, sensus & grauitatem faciunt, colorem corrumpunt, & ægritudinum faciunt recidiuationem, podagram, & pruritum cõmouent & epilepsiam & acutas febres. Ventus itaq; australis oritur in zona, iuxta polum antarcticum, quæ præ nimia eius frigiditate est inhabitabilis, vnde naturaliter est frigidus &

ſiccus, quantum eſt de ſuo ortu, ſicut & ſeptentrio, qui flat in axe oppoſito. Sed dum tranſit per torridam zonam, ibi calorem aſſumit, & quia verſus meridiem venit, vbi eſt maior aquarum copia, & loca vapore & rore plena humiditatem contrahit & acquirit. Vnde & apud nos calidus & humidus inuenitur, & ipſo flante, aer prædicto vapore repletus, in pluuias reſoluitur, & quia de ampla zona aerem impellit ad noſtram anguſtam, ideo condenſat aerem, vnde nubes generantur, quarum obiectu ſolares radii obſcurantur, *vt dicit Iſidorus*, multas itaque habet Auſter laudabiles proprietates, quia eſt ventus mollis & remollitiuus, calidus & humidus, pluuiæ & roris miniſtratiuus, pororum terræ apertiuus, germinum & ſeminum productiuus, nutritiuus & augmentatiuus, ſuperficiei terræ renouatiuus, pennarum veterum & plumarum in auibus mutatiuus, humorum frigidorum & compactorum in corpore diſſolutiuus, ſudoris & euaporationis fumoſitatum, & humorum ſuperfluorum prouocatiuus, reptilium & vermium terreſtrium de interioribus terræ eductiuus. Quartus ventus cardinalis dicitur Boreas, qui ortum habet ſub polo arctico, eadem de cauſa qua & præcedentes, & habet iſtos collaterales, ſcilicet Aquilonem verſus occidentem & Corum verſus orientem, & notantur per hunc verſum.

Ac Boreas Aquilo veniunt & Corus ab alto.

Et dicitur Boreas ab Hyperboreis montibus à quibus flat, *vt dicit Iſidor.* ſicut Auſter dicitur Affricus de prouincia Affricæ, à qua frequentius ſolet flare, dicitur & ſeptentrionalis, quia flat à parte aeris & ſeptentrionis, & oritur ex locis aquoſis & congelatis & cōſtrictis propter nimiam remotionem à circulo Solis & ex montib. excelſis, ex quibus ad nos venit, & cum ab illis locis nequeunt vapores diſſolui, propter nimiam congelationem aerem ſerenum reddit & peſtilentiam ab Auſtro ortam reprimit & repellit, *vt dicit Iſidorus*, vehementia ſui frigoris terrarum & aquarum ſuperficiem conſtringit & nunc in glaciei nunc in cryſtalli ſpeciem, ſecundum maiorem vel minorem indurationem alterat & conuertit. Hi tres ergo venti cum frigidi ſint & ſicci, corpora indurant, & poros claudunt, humores putrificant, ſpiritus & ſenſus ſubtiliant, vim digeſtiuam adiuuant, virtutem retentiuā confortant, aerem peſti-

pestilentem sanant, vim generatiuam augmentant. *Vnde dicit Aristoteles lib.* 14. quod in conceptione fœtus si ventus fuerit Septentrionalis, natus erit masculus, & è conuerso, si fuerit meridionalis erit fœmina, *dicit etiam Constant. lib.* 5. *cap.* 7. quod ventus aquilonaris humores malos contrahit & impedit, ne in alia membra discurrant, veruntamen tussim facit propter pectoris desiccationem, terræ & corporum asperitates facit, frigiditate & siccitate sua neruos percutit, contrahit & constringit, ideo à motu & operatione membra impedit, flores & fructus teneros lædit & corrumpit, vineas germinantes & florentes exurit, herbarum & arborũ virorem spoliat atq; tollit, humores desiccat exteriores & interiores, & ideo phthisicis est nociuus, quia pulmonem sua siccitate dilacerat & vlcerat, *Vt dicit Galenus*, ventus enim eius est frigidus & siccus, de angusta zona veniens ad amplum aerem rarefaciens subtiliat & desiccat, & congelando partes humidas tam terræ quam aquæ superficialiter coadunat, vnde dicitur Aquilo quasi aquas ligans, *Vt dicit Isidorus*

CAP. IV.

De Nubibus.

NVbes est impressio facta in aere ex multis vaporibus in medio aeris interstitio aggregatis in vnum corpus ex loci frigore condensatis. Vnde nubes est communis materia ad niuem, pluuiam & grandinem, &c. Habet autem nubes sic generari, nam calor cœlestis vi sua partes aquæ & terræ vaporabiles ad se subtilissime attrahit & partes earum subtiliores consumens, & residuum condensans in nubem conuertit, *Vt dicit Isidorus*, nubes est aeris densitas, ex vaporum & fumositatum terræ, & maris attractione conglobata, aeris etiam leuitate & ventorum impulsu à calore in concauitate ventris nubis intercluso, hinc inde mouetur nubis substantia & in circuitu agitatur. Est autem nubes concaua naturaliter, & ad modum spongiæ cauernosa, & ideo impressionis superiorum corporum est de facili receptiua, & ideo per radiorum Solis subintrationem est multiplicis formæ, & coloris repræsentatiua, vt patet in arcu cœlesti, qui nihil aliud est quam nubes quædam ro-

rida, in cuius substantia multiplex forma per Solis radium generatur. Est autem nubes interius concaua, & per sui figurationem cum sphæra cœli, cui appropinquat, rotunda est exterius, & conuexa, à latere autem non est ei aliqua forma siue figura determinata, nam quando nubes nubi lateraliter approximat, altera alteri in figura se conformat *Vt dicit Beda.* Item nubes leuitate suæ substantiæ sursum est motiua, & secundum quod à vento plus minusue propellitur, citius est vel tardius processiua. Item secundũ ꝙ ex subtilioribus & puriotibus vaporib. est cõposita, magis est illuminationis & impressionis radiorum solarium receptiua, diaphaneitate enim sua & transparentia luci est peruia, nisi quando ex nimis grossis fumositatibus ipsius substantia est in aere aggregata, tunc enim est obscura, & per sui interpositionem inter nos & Solem luminis solaris est interceptiua, & à nostris aspectibus ablatiua, est etiam caloris solaris per sui oppositionem mitigatiua, propter quod nubis præsentia messoribus & aliis in æstu Solis laborantibus est accepta. Item nubes calore Solis in pluuiam resoluta per imbrium effusionem est terræ fœcundatiua, & germinum ac seminum de terra productiua. Item cum omnia fere quæ generantur in aere, sit quasi mater, & quędam communis materia diuersarum rerum est ad terram de sua substantia transmissiua, quod patet, quia nũc pluit, nunc grandinat, nunc ningit, nunc fulminat, nuncq; tonat. Item nubes ex aquis marinis aggregata, & in altum contra Solem suspensa, beneficio caloris cœlestis est totius marinæ salsedinis & amaritudinis in dulcedinem conuersiua, nam de mari originem contrahit, & tamen depurata à Sole maris amaritudinem non sapit neque sentit. Item nubes in pluuiam resoluta vtilis est terræ & proficua, sed qnando resoluitur in ventum plurimum est nociua, quia tunc est tempestatis non modicæ, in mari vel in terra generatiua. Item nubes in alto aeris interstitio suspensa, videtur cœlo esse proxima & coniuncta, cum tamen in veritate magis terræ quam cœlo sine comparatione aliqua sit vicina. Item circumfluxus siue mutua collisio nubium est aeris aliquoties inflammatiua, & coruscationis ac tonitrui causatiua. Item ex vento in ventre vel concauitate nubium intercluso, fit aliquando partium nubis subita diruptio,

ptio, & ex talis partis à parte subita attractione, est nubes strepitus & tonitrui effectiua. Item quando à paludibus siue cadaueribus, siue aliis corruptis rebus fit vaporum corruptorum attractio, ex eorum incorporatione in substantia nubium, procedit ex ipsis nubibus corruptis corruptio maxima, & pestilentia infectiua. Item quanto nubes terræ est vicinior, & à cœlo remotior, tanto maioris quantitatis est aspicientium oculis ostensiua. Vnde maxima nubes, quando est vicina, cœlo videtur minima, quæ vero in se minima est, iudicatur maxima, quando terræ est vicina, *Vt dicit Beda.* Item nubes ex Solis vaporibus siccis & ventosis generata, solet esse deceptiua, nam imbrem futurum prætendit, sed in fine præter ventum & turbinem nihil soluit. Item nubes pluuiosa si subito & simul ad terrã corruerit, terræ vbi cadit quia submergit eam, est nociua. Sed si paulatim & guttatim fuerit resoluta, magnæ vtilitatis est frugibus collatiua. Item nubes sæpe suis guttis terram rigat, sed irrigando suiipsius est consumptiua, quia dum alia irrigat & humectat, per sui dissolutionem seipsam annihilat, *Vt dicit Greg.* Item quando nubes vna nubi alteri est contraria, tempestatis & commotionis est in aere excitatiua. Contrarietas enim & aduersus concursus nubium, contrariis ex impulsibus est ventorum, ex quorum allisione mutua fit commotio in aere & in terra.

CAP. V.

De Iride.

IRis est impressio generata ex nube concaua & rorida, ad pluuias præparata in stillicidiis infinitis, tanquam in speculo relucens, habens figuram arcualem, varios calores exprimens à radiis solaribus, vel lunæ generata, sed à radiis Lunæ causatur ratio, quia non nisi bis in quinquaginta annis, *Vt dicit Arist.* Arcus itaque cœlestis est nubes aquosa per omnes sui partes Solis radiis penetrata, *Vt dicit Marc.* & dicitur arcus à similitudine curuati arcus, nam quandam conuexitatem in summitate nubium prætendit, & cornua quædam reprimit ad terram, & extendit, *Vt dicit Isidor.* In hoc arcu quædam sunt pertinentia ad eius generationem, quædam vero ad eius speciem, siue formam &

figu-

figurationem, & quædam ad eius virtutem & operationem, quo ad generationẽ eius attenditur, quod substantia eius ex refulgentia & reflexione radiorum in nube rorida & imbrifera generatur. Item quod plena facie semper respicit Solem ex opposito, & a Sole respicitur. Item quod à terra vsque ad cœlum circulariter eleuatur, nam duobus cornibus terram percutit, & vertice cœlũ tangit, qui quanto contrahendo comprimitur, tanto plus in conuexitate extenditur, & in figuram circuli eleuatur, quantum autem ad figuram & speciem, est sphæricus & circularis, perspicuus & specularis, in colore multiplex est, & singulariter singularis. Nam in Iride, propter eius transparentiam & dyaphaneitatem, refulgent species & formæ sibi oppositæ & obiectæ, & ideo arcus apparet coloratus, *nam secundum Bedam* colorem contrahit ex quatuor elementis, nam in ipso velut in speculo formę & species elemẽtorum relucent: Vnde ex igne contrahit colorem rubeum in supremo, ex terra viridem in infimo, ex aere vero Hyacinthinũ, & ex aqua cæruleum in medio, *Vt dicit Bedá.* & hi colores sunt ad inuicem coordinati *secundum Aristo. in libr. Meteoror.* Primo enim est color rubeus seu vinosus, qui fit ex radio tangente superficiem rotunditatis nubis, deinde sequitur color mixtus, scil. blaueus vel cæruleus, secundũ qualitatẽ vincentem & dominantem in vapore existente in medio nubis, deinde apparet in infimo color viridis, in inferiori parte nubis, vbi vapor magis est terrestris, & hi colores sunt principaliores aliis, quia *secundum Philosophum* multos alios habet colores, inter quos distinguere sensui est difficile, *& ideo dicit Philosophus*, quod nullus pictor potest depingere colores arcus siue fingere, causa autem Iridis *secundum Aristot.* est repercussio radii redeuntis ad vaporem contrarium nubibus, sicut splendor refulgens in aqua relucet, in pariete rediens ad ipsum, & cum non videatur arcus, nisi per radium Solis, per diem aut per radium Lunę per noctem impeditur ipsius visio, vel propter turbulentiã aeris, vel debilitatem visus, aut propter obscuritatem & densitatem nubis, radiorum illuminationi resistẽtis. Videtur autem tempore pluuiali, quia tunc resoluitur superfluitas vaporis coarctati in nubibus, & fit ex eo roratio parua, in qua relucet radius sibi oppositus, & fit formatio Iridis:

dis : vnde contrahit varios colores ex varietate vaporis, in quo relucet radius, *ficut dicit Arist.* quo ad virtutem vero eius fiue operationem fui interpofitione feruorem Solis temperat & mitigat, per fui refolutionem in pluuiam vel in rorem inferiora vegetat & fœcundat, per fuam figuram & multiformem colorum variationem fuperiora pulcrificat & decorat, dominium humiditatis in aere fignat. Et ideo ante iudicium, *Vt dicit Beda & magifter in hiftor.* per annos 40. non apparebit, & hoc erit fignum deficcationis & defectus elementorum, *Vt dicit idem.* Pacem & concordiam inter mundum & Deum defignat, & diuinum iudicium per diluuium præteritum fore denunciat & demonftrat, ficut etiam Solis facit indicium, quia in qua parte cœli fit Sol fua præfentia indicat, quia nunquam eft in eadem parte cœli cum Sole, fed femper ex aduerfo. Sole enim exiftente in oriente, apparet arcus in occidente, & econuerfo; Sole exiftente in meridie, apparet arcus in feptentrione. In parte autem auftrali fiue meridionali nunquam apparet *ficut dicit Beda.* In hora autem recte meridiana nunquam apparet, cuius rationem affignat Philofophus, quia in meridie, quando mediat Sol orbem, tunc refplendet radius eius in vtroque horizonte, fecundum æqualitatem, quare tunc non plus refplendet in vna parte quam in alia, & ideo non apparet arcus in aliqua parte cœli in puncto meridiei, *Vt dicit Ariftot.* Rariffime autem videtur de nocte, immo nunquam nifi in plenilunio, *Vt dicit Beda.* & hoc non contingit nifi bis in 50. annis *fecundum Arift.*

CAP. VI.

De Rore.

ROs eft impreffio generata ex vapore frigido & humido, non congregato in corpus nubis, in inferiori parte medii interftitij aeris, paruo frigore occurrente. *Dicit autem Ariftot.* quod non fit ros nifi quando Aufter flat, quoniam ros eft pluuia pauca, & pluuia ros multus : vnde ventus auftralis fua humiditate rorem generat & nutrit, quem Aquilo fua ficcitate lambit, & intenfa frigiditate cōprimit & conftringit. Luna etiam humiditatem fuam aeri imprimit & generationis roris in aere caufa exiftit. *Vt di-*

cit

cit Ambros. vocans Lunam matrem roris: vnde de nocte virtute Lunari in aere primo originem occulte contrahit & tandem insensibiliter descendens per herbarum superficiem suauiter in se diffundit. In suo ortu & descensu herbi, & plantis vigorem tribuit, & quæ æstus diurnus desiccando & consumendo inclinauerat, ros nocturnus reparat, erigit & sustollit. Item in herbarũ summitatibus guttatim se recolligit, & quasi suam originem petens, ad aerem descendendo semper in foliorum & herbarum extremitatibus se suspendit. Item vim ardoris Solis non sustinens cito ad tactum solarium radiorum dissoluitur, & penitus euanescit, virtutem tamen suam aeri impressam non deserit, quia per diffusionis præsentiam, per aera effectum suum in herbis & seminibus manifestissime derelinquit. Item ros cum sit substantia quædam aerea, & in se subtilissima in superficie, nihilominus tamen miro modo efficax in virtute est, quia terram inebriat & fœcundat, & medullam in granis amplificat & augmentat, ostreas & alios pisces conchylium in mari impinguat & imprægnat, & maxime ros vernalis, nam tempore verno ostrea de nocte se cõtra rorem aperit, quem descendentem intra se recipit atque haurit, qui haustus & piscem reficit & impinguat, & per sui incorporationem cum interioribus piscis gemmam preciosissimam scilicet margaritam generat, quæ quanto est nobilior, tanto albior atque maior, *Vt dicitur in libr. gemmarum.* Item pullos coruinos adhuc in pluma albidos antequam nigrescant, reficit & sustentat, *Vt dicit Gregor.* Item aerem diurno calore calefactum refrigerat & temperat, & si fuerit nimis per calorem præcedentem, rarefactus ros per sui incorporationem ipsum inspissat, mediocriter & condensat, *Vt dicit Albu.* Item ros vim veneni reprimit in animalibus venenosis, & coarctat, ne tantum de nocte quantum de die se diffundat: vnde serpentes latitantes inter herbas, parum solent transeuntes lædere, quamdiu flores & germina sunt in rore. Item ros gustatus, quamuis in se videatur ad modum aquæ insipidus, tamen potestatiue & effectiue est dulcissimus, & mellis ac manantis in herbis & floribus causatiuus. Nam ex rore cœlesti mel in floribus, & Manna in quibusdam Herbis, in quadam parte Greciæ generatur, *sicut dicitur in Platone*, Item ros in aere corrupto genitus,

ex cor-

ex corruptione loci fit corruptus, & aliorum corruptiuus, vnde talis ros inficit flores tenellos, & corrumpit segetes nouellas, quando sunt adhuc in spica, *vt dicit Gregor.* & talis corruptio vocatur aurugo seu rubigo, *vt dicit gloss. Hiere. super Iohel ibi. Residuum bruchi comedit rubigo. Hier.* Rubigo est, quando teneræ fruges noxio rore percutiuntur, & vertuntur tam spicæ quam culmi in ruborem vel nigredinem vilem, & hæc pestis omnia vastat etiam stipulam & fœnum, in tantum quod nec cibo sunt vtilia neq; fimo.

CAP. VII.

De Pluuia.

PLuuia est impressio ex multo vapore frigido & humido in nube aggregato abundāte, in quantitate & substantia respectu roris, & magis infrigidat & humectat quam illa. Fumi enim ex aqua & terra euaporantes, vi calore cœlestis ad infimam partem medii intersticii aeris attrahuntur, & ibi frigiditate loci condensantur, deinde calore humiditatem eius dissoluente, & non ex toto consumente, guttatim resoluuntur in pluuiam & in imbrem, *vt dicit Beda.* Et est pluuia à pluralitate guttarum dicta, *vt dicit Isidorus,* eo quod interpolate & guttatim descendere consueuit. Et dicitur Imber ab imbuendo, quia terram imbuit & fœcundam facit, terra enim sterilis manet, super cuius superficiem pluuia non descendit, quanto autem nubes ex qua generatur pluuia, à terra est remotior, & cœlo vicinior, tanto suauius & cum guttis gracilioribus descendit, quanto vero terræ est vicinior, tanto impetuosius, & cum stillis grossioribus descendere consueuit, venti etiam super mare discurrentes, multum humorem de aquę superficie recolligunt, & secum in aera deferentes, tandem in materiam pluuiæ conuertunt. Quando vero multum est de materia pluuiali in nube, & nubes fuerit valde densa, fortis fit radiorum impressio super nubem, & ex multiplicatione radiorum & confractione eorum contra nubem gignitur fortis calor, cuius virtus tandem dissoluitur in pluuiam fortem, vnde sæpe post acutissimum calorem videmus subsequi pluuiam vehementem, *vt dicit Beda.* Tanta etiam fit aliquando caloris generatio ex aggregatione radiorum &

eorum confractione circa nubes, quod vapor quasi aduritur, & ex vehementi adustione in colorem rubeum commutatur. Et ex hoc credit vulgus, quod aliquando pluat sanguis, *vt dicit Aristot.* Est autem aqua pluuialis multum stiptica & constrictiua, & ideo restringit fluxum ventris, *vt dicit Constantinus.* Est tamen subtilis substantiæ & leuis, plus habens aereitatis & aereæ leuitatis, quam aliæ aquæ. Et ideo multum est alterabilis & conuertibilis in oppositas qualitates, & ideo de facili putrescit & recipit corruptionem, *vt dicit Constan.* dulcior tamen est & sapidior aliis aquis, quando in sua puritate permanet & virtute. Pluuia igitur si fuerit in qualitate & quantitate temperata, & tempori congrua, vtilis est ad infinita. Nam terram fœcundat, & ipsam, si fuerit rimosa, conglutinat, caloris temperiem mitigat, aerem serenat, ventos sedat, pisces impinguat, siccam complexionem adiuuat & confortat, *vt dicit Constant.* Si vero pluuia mala fuerit, ac in suis qualitatibus distemperata, ac loco & tempore incongrua, in pluribus est nociua, nam profunditatis, immundiciæ & lubricitatis est in viis & in semitis effectiua, graminũ & herbarum inutilium multiplicatiua, fructuum & seminum corruptiua, & caloris naturalis in seminibus extinctiua, densitatis & obscuritatis in aere inductiua, radiorum solarium interceptiua, nubium & nebularum aggregatione, operum & operantium impeditiua, maturitatis, segetum & fructuum tardatiua, rheumatis & fluxus prouocatiua, morborum omnium humidorum augmentatiua, sterilitatis & famis causatiua, corruptionis & pestilentiæ in iumentis & ouibus inductiua, nam imber corruptus corrumpit gramina, & inficit herbas pascuales, ex quarum pastu sequitur necessario corruptela in animalibus, *vt dicit Constantinus.*

CAP. VIII.

De Gutta.

GVtta siue stilla est vapor humidus, in minutissimas particulas resolutus. Magnæ autem fiunt guttæ in diebus quando calor est, & resoluuntur partes nubis, quæ prius erant aggregatæ, propter frigus, *vt dicit Aristoteles.* Quando enim in aere est calor, adueniente frigore, velo-

cior est congelatio vaporis siue aquæ, *Vnde dicit Aristot. in lib. animalium*, quod piscatores aquam calidam fundunt super sua instrumenta, vt citius congelata submergant. Gutta autem quanto est terræ vicinior, tanto est grossior, & è conuerso, paruitas enim eius & rotunditas causatur, quamdiu manet in aere remoto à terra, *Vt dicit Aristoteles.* Est autem humida, mollis, rotunda, peruia & lucida, terræ inebriatiua, seminum & graminum humectatiua, est & ardoris aeris mitigatiua, aeris purgatiua, & cum sit mollissima in substantia, tamen ex frequenti casu est lapidum cauatiua, *quare infra lib.* 13.

CAP. IX.

De Pruina.

PRuina est vapor congelatus, *Vt dicit Aristot.* siue impressio, generata ex vapore frigido & humido, congregato in corpore nubis in medio interstitio aeris, congelato, per frigiditatem loci & temporis, in quibus non est aliqua pars caliditatis, *Vt dicit Aristotel.* Vnde pruinæ accidit duricies ex frigore loci & temporis, in quo generatur, quia frigus vaporis partes aggregat & contrahit, & sic pruinæ substantiam duram reddit. Ex nimia etiam frigiditate albescit, & herbas & flores super quos cadit, marcidos efficit & exurit, ad modicum Solis radium euanescit, & in rorem redit, quia pruina nihil aliud est quam ros congelatus, *Vt dicit Beda.* Nam ros descendens ad terram, frigiditate noctis congelatus, speciem albam, duram & frigidam recipit, & sic in pruinæ substantiam superficialiter se conuertit, *Vt dicit idem.*

CAP. X.

De Grandine.

GRando est stillarum pluuiæ, frigoris & venti rigore in aere congelatio, *Vt dicit Aristote.* Est enim impressio generata ex vapore frigido & humido, à frigore fugato ad interius nubis per dominium calidi circumstantis. Generatur autem grando in nubibus à terra longinquis, *Vt dicit idem*, & causa generationis est vapor in concauitatibus nubis receptus, qui ex frigiditate aeris condensatur. Nam

partes humidæ & frigidæ fugientes, calorem aeris se recipiunt in interioribus nubis, & ibi inuenientes vaporem, partes eius aggregant, & in substantiam grandinis coagulant, & ideo in æstate frequentius sunt quam in hyeme, vehemens enim calor generationẽ grandinis impedit. Nam dissoluendo vaporem, partes eius aggregari pariter non permittit. Similiter nimium frigus in hyeme, quia tunc non est caliditas in aere, quam fugiendo frigus se recipiẽs intrat nubem, grando autem rotunda & parua descendit ex supremis locis, *vt dicit Aristot.* Causatur autem eius paruitas & rotunditas ex mora eius in aere longo tempore, vnde ex reuolutione eius diurna rotundatur, & ex aeris calore partes eius aqueas resoluente minoratur. In grandine in locis vicinis terræ generata accidit contrarium ex contraria causa. Grando itaque cum impetu, magno vento ipsam impellente, & calore dissoluente, terram petit, percutit, & per eius superficiem ad modum salis se dispergit, segetes, fructus & flores multum lædit, frequentius per diem quam per noctem descendit. Cuius ratio est, quia calor diurnus fugat frigus ad interiora nubis. Item ventus septentrionalis frigidus & siccus, rorem ab aere descendentem congelat & constringit, & in substantiam grandinis coagulat, & conuertit, *vt dicit Beda.* Et tantum de grandine.

Cap. XI.

De Niue.

NIx est impressio generata ex vapore frigido & humido, in infima medii interstitii aeris congelato in corpus nubis à mediocri frigido respectu pruinæ, propter admixtionem caliditatis in parte, quæ caliditas inclusa in eius substantia, & non statim deuicta, à frigore circumstante rarefacit eius substantiam & mollificat, recipiens albedinem in colore, propter victoriam frigoris, in fine atque propter expansionem & dispersionem partium nubis, & propter frigus debilitatum à calore, frangitur in partes latas ad similitudinem fractæ testæ à debili virtute frangentis, *vt dicit Aristot.* Nix igitur generatur in nube frigida, minus tamen frigida est quam illa, in qua grando congelatur, Et hoc attestatur mollicies niuis, quia caliditas

admixta

admixta nubi prohibet partes eius inspissari & vehementius aggregari. Nix ergo aqua est durior & siccior ex frigore constringente, grandine tamen mollior est ex admixtione caloris in ventre nubis. Dealbatur autem ex frigiditate in eius superficie dominante, ad modicum calorem nix in aquam resoluitur, & tam à duricia quam ab albedine de facili immutatur. Ex mora niuis super terram humus inpinguatur, sua enim frigiditate poros terræ claudit. Vnde reuocato calore, ad interiora radicum & seminum fit humor interiorum attractio, ad radices & eorum inuiscatio, ex qua terra impinguatur, vnde nix herbas malas & superfluas mortificat & attenuat, bonas vero nutrit & impinguat. Nix etiam sua præsentia loca fœtida & fimaria & sterquilinia tegit & occultat, vias & semitas per sui diffusionem tegens, itinerantes impedit & retardat. In alto mari niuem cadere raro *Beda asserit & confirmat*, cuius ratio est, quia maris fumositates continuæ vel exhalantur, vel à ventis ibidem flantibus disperguntur, vel antequam possint condensari in niuem, in pluuiam vel nebulam resoluuntur. Item feris & animalibus nocumentum præstat, quia eorum tegit pascua, & vestigia manifestat, vnde tempore niuis feræ à venatoribus de facili capiuntur. Item loca alta & montuosa nix frequentat, & diutius in montibus quam in vallibus perseuerat, quia venti frigidi liberius in montibus quam in vallibus inualescunt. Insuper valles sunt montibus calidiores propter maiorem aggregationem & confractionem radiorum, & ideo niues in montib. plus abundant. Item nix vi caloris resoluta, terram imbuit remollit & inebriat, quam ante resolutionem frigiditatis suæ coarctatione in sua superficie fortius indurabat, *vt dicit Gregor.* Item nix propter suæ substantiæ molliciem & leuitatem in suo descensu strepitum vel sonum non generat, immo sensibiliter de occulto aeris descendens interstitio suauiter superficiei terræ se applicat, & æqualiter se coaptat. Item nix in candore suo & pulcritudine ad sui aspectum oculos intuẽtium prouocat, sed si nimis diu aspiciatur spiritum visibilem disgregat, & valde immutat. Item aqua niuea potẽtiali & actuali frigiditate sua fluxum ventris reprimit & constringit, neruos percutit, contrahit & opilat superfluitatem menstruosam vel strumosam, eam

continuue bibentibus generat, membra ſtupida & quaſi dormitantia cito reddit, lapidem in veſica gignit, & frigidam hydropiſim prouocat & nutrit, *Vt dicit Conſtan.*

Cap. XII.

De Nebula.

NEbula eſt impreſſio facta ex reſolutione nubium reſolutarum in aquam pluuialem, *Vt dicit Ariſtoteles*, vapores enim ſic reſoluti diſperſi per ſingulas aeris particulas ac diffuſi, nebulam gignunt & inducunt, quæ quanto eſt terræ vicinior, tanto ſpiſſior eſt & obſcurior & frigidior inuenitur, à terra vero eleuata, magis eſt Soli peruia, & ideo minus eſt frigida & obſcura. Quando autem nebula à Sole attracta, totaliter ſurſum mouetur, in materiam redit nubis, & ideo futuræ pluuiæ eſt ſignificatiua. Quando autem totaliter à radiis Solis repercuſſa deorſum cadit, & in ſuam redit originem, deficit & euaneſcit, vnde purgato aere futuram præſagit ſerenitatem. Eſt autem aliquando corrupta ex vaporibus, ex quibus generatur, & tunc multum eſt nociua, florum etiam & germinantium vinearum eſt corruptiua, & diuerſarum infirmitatum animalibus inductiua, latronibus & peruerſis eſt amica, quia inſidiarum ipſorum eſt occultatiua, itinerantium & peregrinantium impeditiua, quia in magna nebula & obſcura via eſt incognita & incerta, radiorum Solis & aliarum ſtellarum eſt interceptiua, & ideo nauigantibus eſt grauis & periculoſa, *Vt dicit Beda*, quia dum nebulæ obſcuritas ſuperficiem maris occupat, quo debeat nauta recte vertere gubernaculum, ignorat aut ambigit.

Cap. XIII.

De Tonitruo.

IMpreſſionum quæ generantur in aere ex vapore duplici, prima eſt tonitrus, quæ eſt impreſſio generata in aquea ſubſtãtia nubis propter vaporis calidi & ſicci agitationem, huc & illuc fugiens ſuũ contrarium, ab omni parte coarctati in ſe, & ex hoc inflammati, extinguentis ſe tandem in nube & rumpentis eam, *Vt dicit Ariſt.* Vel generatur tonitrus ex colliſioue nubium *ſecundum philoſoph.* quando à ventis

ventis contrariis agitatæ nubes ad inuicem colliduntur, ex mutua concussione adinuicem & violenta confractione fit concussio in aere & strepitus, qui tonitrus ab antiquis est nominatus. Dicitur autem tonitrus vel tonitruum à terrore, eo quod sonus terreat audientes, *vt dicit Isidorus.* Nam tonus idem est quod sonus, quia interdum tam acriter cõcutit omnia, ita vt cœlum discerpsisse videatur, quia cum procella vehementissimi venti in nubibus se repente immerserit, turbine inualescente, exitumque quærente nubem excauat & constringit, & impetu magno incidit & diuidit partes nubis, ac sic cum horrendo fragore ad aures venit, quod mirari nullus debet, cum vesica quamuis sit parua, tamen magnum sonum complosa efficit & emittit. Cum tonitruo vero simul fulgur emittitur, sed celerius videtur fulgur, quia clarum est. Tonitrus autem peruenit tardius ad aures, quia subtilior est sensus visus quam auditus, & ideo primo videt lucem siue fulgidum lumen, quod procedit, quam audiat sonitum subsequentem, sicut homo prius videt ictum hominis arborem incidentis, quam ipsum sonum. *Hucusq; Isidorus.* Et ista ratio Isidori de causa tonitrui concordat quasi cum philosopho dicente. Tonitrus (*inquit*) est spiritus ventorum in sinu nubium receptus, qui virtute mobilitatis suæ quaslibet partes nubis interrumpit, & strepitum ac fragorem tonitrui introducit, vnde subdit, tonitruum est spaciorum aeris sibi occurrentium sonus, *secundum Aristotelem in lib. meteoror.* tonitruum nihil aliud est, quam extinctio ignis in nube, vapor enim siccus eleuatus, & calore aeris inflammatus, quando à nube aquosa intercipitur, subito extinguitur, & ex tali extinctione strepitus tonitrui generatur, sicut quando in aqua extinguitur ferrum ignitum, fit sonitus atq; stridor, descendit autem tonitrus sæpe cum fulmine, & tunc magis lædit, *vt dicit Beda*, vnde obest fructibus cum aduenerit cum coruscatione & fulmine sine pluuia. Cum vero accidit cũ pluuia, prodest, *vt dic. idem.* Tonitruum igitur motu suo omnia cõcutit, cerebrum commouet, animũ terret, vinum in doleis perturbat, commouet & corrumpit, *vt dicit Aristot.* Si venerit in hora cubationis auium oua lædit, mulieres parturientes sæpe aborciri facit, turres altas sæpe concutit impetu suo & deiicit, arbores altas diruit

radicitus & euellit, & frequentius in locis altis quam in humilibus & demissis lædere consueuit, *Vt dicit Beda.* Anfractuosum & quasi orbicularem sonum facit, & aerem quodam inæquali susurrio per circuitũ concutit, ita quod speciem strepitus rotæ vehiculi exprimit quodammodo & prætendit, *Vt dicit Cassi.* Et talis circularis sonus accidit forsitan ex rotunditate nubium, in quibus vapor siue ventus, qui causa est tonitrui dissimiliter agitatur, quia nunc sursum, nunc deorsum, nunc ante nunc retro per concauitatem nubium commouetur.

Cap. XIIII.

De Coruscatione.

Coruscatio, *secundum Aristotelem*, comprehendit fulgur, fulmen, & proprie dictam coruscationem. Nam proprie dicta coruscatio, est apparitio subita vaporis subtilis, inflãmati euanescentis in aere sine descensu ad terram. Fulgur vero siue fulguratio est ignis subtilis, grossior tamen coruscatione ad terram descendens, qui penetrat herbas & res molles, *sicut ponunt philosophi*, vt recitatur in 3. physicæ Algazelis.

Cap. XV.

De Fulmine.

Fulmen vero est vapor ignitus, compactus & solidus, impetuose cadens, maioris vis quam sit fulgur, percutit enim quod tangit, penetrat & vrit siue liquefacit, diuidit & scindit, & nihil corporale ei resistit. Et secundum hoc, *dicit Isidorus*, quod fulgurare idem est quod ferire, quia *sicut idem dicit.* Ex subtilioribus partibus elementorum componitur, ex quibus maior vis penetrandi relinquitur, & ideo ictus cœlestis, iaculi *ab Isidoro nuncupantur.* Generatur autem ex vapore grosso, composito ex contrariis, & diuersis eleuato & vehementi calore ignito & inflammato, qui collisione ventorum & attritu nubium impellitur, & quasi lapis igneus de concauitate nubium deorsum per violentiam, ad modum iaculi commouetur. Vnde fulmina collisa ad modum lampadis fulgida vi inflammationis discurrere per aera discernuntur. Et quamuis igneæ sint naturæ,

tamen per violentiam motus, contra naturam ignis infe-
rius descendere compelluntur, *Vt dicit Beda.* In suo autem
descensu incendit & vrit, & tunc dicitur fulgur, *Vt dicit Isi-
dor.* penetrat & findit, & tunc dicitur fulmen, *Vt dicit idem.*
Vbi autem vrit secum fumum & fœtorem pessimū gignit,
super loca alta frequentius cadere consueuit, in forti æsta-
te aut in forti hyeme raro sunt fulgurationes, sed in prin-
cipio autumni & in fine veris, *Vt dicit Beda. Philosophus li-
bro 2 cap.* 52. in hyeme & æstate raro fiunt fulmina, quia in
hyeme propter frigus vapor in aere non gignitur. In æsta-
te vero propter siccitatem & subtilitatem aeris non fit ag-
gregatio vaporis in nubibus, sed in autumno & in vere est
aer mobilis & nimbosus, & ideo tunc sæpius fulgurat. Item
cap. 53 *dicit idem* fulminum plura genera traduntur, nam
quæ sicca veniunt non adurunt, sed dissipant, quæ humi-
da, non vrunt sed infuscant, tertium est quod clarum vo-
cant, quod miræ est naturæ, nam vinum exhaurit in doliis,
intactis vasis. Aurum & argentū liquat sacculis non com-
bustis. Quid autem sit coruscatio & vnde proueniat, diuer-
si diuersimode tradiderunt. *Dixit enim Empedocles*, quod
coruscatio est ignis occultatus in nubibus ex radiis Solis.
Et hoc, *dicit Aristotel.* esse falsum, quia si hoc esset, ex omni
nube coruscatio accideret, quia in omni nube radii sola-
res occultantur. *Anaxagoras autem dixit*, quod corusca-
tio est ex aere descendente in nubem vel ad nubem, & se in
ea occultante, cuius apparitio est coruscatio, & quando il-
le ignis extinguitur in nubibus aquosis, stridor illius ex-
tinctionis vocatur tonitruum. *Alii dixerunt* coruscatio-
nem causari ex ventis calidis & siccis, in nubibus compres-
sis, quibus inflammantur & aduruntur, & ignis in eis egre-
diens est coruscatio, cuius splendor prius peruenit ad vi-
sum quam sonitus ad auditum. *Alii dixerunt* coruscatio-
nem non fieri per ignem, sed per aquæ splendentis imagi-
nationem, quæ per stellarum de nocte lucentium illustra-
tionem in nubibus videtur. *Sed dicit Arist.* quod iste sermo
error est, quia coruscatio de die videtur sub radiis Solis sic-
ut videtur de nocte. *Secundum Arist.* autem vapor aggre-
gatus in nubibus eorum vehementi collisione attritus,
ignitur, & fit materia coruscationis, & quia habet aliquas
partes terrestres, earum grauitate mouetur inferius. Et

quia illa coruſcatio eſt vehementis ſubtilitatis, & non vehementis inflammationis & aduſtionis, ideo apparet alba, & ideo corpora, quæ pertingit, non inficit nec corrumpit. *Hucuſq; Ariſt. lib. 2. meteor.* Coruſcationis itaque motus ſubitus eſt & improuiſus, ſubito enim apparet ab oriente in occidente, ſubito eſt oſtenſiuus & ſubito ſui occultatiuus. De matrice enim ſua, *vt dicit Gregorius* in ictu oculi exit, & in ſe ſubito reuertens, ſuam originem non relinquit. Ex ſua ſubita apparitione aſpectus intuentium eſt repercuſſiuus, timoris incuſſiuus, per totum orbem ſecundum apparentiam & opinionem & indicium viſus ſui eſt diffuſiuus, futuri tonitrui præambulus, & ſui aduentus annunciatiuus. Si pluuiam habuerit concomitantem vtilis eſt & proficuus. Si vero pluuia caruerit, tenellis floribus & fructibus eſt nociuus, *vt dicit Beda.*

CAP. XVI.

De Aura.

AVra eſt aer leuiter motus & agitatus, æſtuantibus refrigerium, algentibus præbens calorem. Quæ quanto eſt purior, tanto delectabilior & ſanior eſt. Quæ ſi fuerit temperata & debitas qualitates temporis non exierit, maxime vitæ hominis eſt cõgrua, & ſanitatis cõſeruatiua: ſi vero contrario modo ſe habuerit, maxime eſt nociua, quia peſtilētiæ & corruptionis non modicæ eſt inductiua. Eſt autem peſtilentia aeris corruptio ex ſiccitatis & pluuiarum diſtemperantia ex meritis hominum contingens, *vt dicit Iſidor.* Et dicitur peſtilentia, quaſi paſtulentia, quia totam naturam hominis perambulat & depaſcit. Nam corruptis aquis & pluuiis in aere, quibus ſpirando & edendo paſcimur, ſtatim corrumpimur & diuerſis paſſionibus neceſſario laceſſimur, *vt patet ſupra in eodem libro, vbi de proprietatibus aeris dictum eſt.* Sed hæc dicta iam ſufficiant.

BARTHOLOMÆI ANGLICI de proprietatibus Auium, Liber duodecimus.

Expedito tractatu de proprietatibus aeris & eorum, quæ in aere generantur, restat dicere aliqua quæ pertinent ad eius decentiam & ornatum, vt in ipsis, sicut in cæteris creaturis, Dei magnalia extollantur. Ad ornatum autem aeris, pertinent aues & volatilia, vt dicit Beda, *Et ideo aliqua pauca, adiuuante* CHRISTI *clementia, sunt de his huic opusculo inserenda, non quidem de omnibus sed solum de auibus & volatilibus, de quibus specialiter fit mentio* in textu Bibliæ vel in glossa. *Et primo dicendum est in generali, deinde in speciali, & hoc per ordinem alphabeti. Aues itaq; quasi deuiæ, id est, sine via sunt dictæ,* vt dicit Isidorus, *eo quod ipsarum viæ non sunt in aere determinatæ & distinctæ. Aues enim motu & agitatione alarum diuidunt aerem & incidunt, sed statim post volatum, aere se claudente nullum signum sui transitus derelinquunt. Dicuntur autem volucres quia volitant alis,* vt dicit Isidorus, *propter quod & alites quasi alates, id est alis se leuantes, à pluribus nominantur. Sine enim alis non volitant, sine quarum beneficio de terris in aera se non leuant. Vel ideo auis dicitur ales ab alendo, quia ab illo, qui pascit volatilia cœli & dat escam omni carni, alitur, id est, nutritur,* vt dicit Isidorus. *Attenduntur etiam auium cõditiones & proprietates penes multa, quia penes earum substantiam & complexionem. Nam ex duobus elementis inter summe graue & summe leue intermediis auium substantia est creata. Nam in earum compositione aer & aqua potissime dominantur, & ideo quia minus habent terrestreitatis & plus aereæ leuitatis quam gressibilia vel natatilia, leuitate suæ naturæ habent ferri super aera,* vt dicit

Isido-

Isidorus. *Aer enim inclusus inter pennarum concauitatem auem leuigat, & vt leuiter feratur sursum, ipsam disponit & habilitat & adiuuat. Vnde quanto volucres plus habent pennositatis & minus carnis, tanto facilius se sursum leuant, vt patet in auibus prædæ, quæ exoneratæ à mole carnis, altißimi sunt volatus & valde acuti visus & magnæ animositatis,* vt dicit Aristot. lib. 12. *Item consideratur volucris conditio penes generationem. Habent enim sibi insitam à natura seminalem rationem, cuius virtute mouentur naturaliter ad sui generis multiplicationem & suæ speciei per generationis actum siue ordinem conseruationem,* vt dicitur ab Aristotel. lib. 6. *Omnes* (inquit) *aues cum pullificant, faciunt oua, quamuis in omnibus non poßit videri propter paucitatem. Est autem principium generationis pulli* sicut dicitur ibidem *ab albugine, & cibus eius à vitello, & post dies decem generatio pulli complebitur sed omnes sui partes, ita quod erunt partes eius distinctæ & manifestæ, & habet tunc caput toto corpore maius, & si tunc frangeretur oui testa, inueniretur caput inclinatum supra crus dextrum, & eius alæ expansæ super caput. Completa autem generatione & singulorum membrorum perfecta lineamẽtatione, rumpitur testa aliquando in die 18. vel vicesima, vt patet in gallinis, & exeunt pulli iam completi & viuificati, & aliquando gemelli, sed inter gemellos vnus erit maior & alter minor, & multoties menstruosior,* sicut dicit idem ibidem lib. 6.

Inter omnia autem animantia in generationis ordine volucres sequuntur naturæ maximam honestatem. Nam secundum ordinem naturæ mares fœminas cùm solicitudine quærunt, inuentas diligunt, pro ipsis pugnant, & periculo se exponunt solummodo eis quasi coniugalis amoris fœdere se coniungunt, & fœtus ab ipsis procreatos solummodo nutriunt atque pascunt. Vnde naturaliter inter sexum

xum & sexum iudicant & discernunt, exceptis paucis, in quibus degenerat natura, vt ponit Aristot. exemplum de perdicibus, quæ obliuiscuntur sexum. *Vnde dicit quod masculus surgit in masculum, & fœmina in fœminam, & ex tali coitu non fiunt oua pullificatiua, imo fiunt sicut oua venti, & sentitur etiam ex tali coitu malus fœtor. Item dicitur de columba masculo, quando,* inquit, *senex non potest coire, sed solum deosculatur & saltat supra masculum, & hoc facit quia deosculatur, &c. Obseruant autem aues in generando temporis congruitatem. Nam vernali tempore quando instat tempus generationis aues vociferant, mares fœminis se associant, nutibus & vocibus ad amorem mutuum se inuitãt, nidificant, ouant, pullificant, pullos generatos nutriunt & educant, sed completo generationis officio à cantu cessant, & ab inuicem se separant, & vsque ad iteratum generationis tempus inuicem non appropinquãt. Item attenduntur aues quo ad habitationem. Sunt enim quædam volatilia, quæ humanam videntur diligere frequentiam, & habitationem, sicut galli, anseres, gallinæ, columbæ, ciconiæ, & hirundines: quædam vero omnino fugiunt, timent & abhorrent hominum conuersationem, sicut aues syluestres, montuosæ & fluuiales seu palustres, quia secundum varias eorum complexiones, varia quærunt habitacula, & diuersas sibi vendicant mansiones.* Nam *quæ naturæ sunt magis frigidæ & humidæ paludes & fluuios frequentant propter victus acquisitionem, nidificationem, pullificationem, & fœtuum educationem, vt aucæ, merguli, anates & cygni, in quibus ingeniata est natura,* vt dicit Arist. *vt pedes haberent latos, clausos & indiuisos, propter natandi necessitatem, vt scil. pedum latitudine aquas propensius pulsent, & sic pulsis retro aquis quasi remigando in anterius fortius se extendant. Caudas etiam habent breues, ne in natando caudæ ma-*

dæ madefactæ pondere impedimentum sentiant, rostra autem habent lata, vt gramina & radices carpant aptius & incidant, colla longa, vt facilius victum de profundo attrahant & acquirant. Volatilia vero quæ calidioris & siccioris naturæ sunt, montuosa & rupium cacumina inhabitant & frequentant, vt omnes aues prædæ, quæ de præda sunt viuentes, sicut sunt aquilæ, & falcones, accipitres & consimiles, quibus dedit natura, vt dicit Aristoteles, *vngues curuos, & pedes fortes & neruosos, & rostrum curuum & acutum, vt fortius prædam retineant & carnem facilius lanient. Habent autem huiusmodi aues modicum carnis & multum plumæ, & sunt magnæ animositatis, vt sic sint motus velocioris & volatus fortioris,* vt dicit Arist. *Caudam insuper habent subtilem, tenuem & longam, qua in volando se regunt, sicut gubernaculum regit nauem. Omnes tales aues,* secundum Arist. lib. 2. *solicitudinem diligunt, & cum aliquo sociorum habitare non possunt, imo pullos proprios à se abiiciunt, & statim quando possunt volare rostro eos percutientes, à nido exire compellunt, & in suo consortio viuere non permittunt,* vt dicit Arist. *Hæ & aliæ aues prædæ recipiunt in prædando diuersificationem. Quædam capiunt prædam in aere volando, & nunquam aliquam prædam inuadunt super terram. Quædam vero è conuerso in terra aues capiunt, sed in aere nunquam lædunt. Vnde mansuetæ volucres, vt columbæ, istarum auium differentiam recognoscunt, & ideo quando prædones aeris vident, ad terram fugiunt, quãdo vero prædones terræ conspiciunt in aera, subito se extollunt, & quæ in terra erant in periculo eleuatæ à terra in aera tutæ fiũt,* vt dicit idem. *Item sunt quædam aues nemorosæ, quæ syluas frequentant, & densas arborum inhabitant summitates. Et hæ quædam sunt cæteris maioris mansuetudinis, sic sunt omnes modulantes & æstiuo tempore dulcissimis vocibus*

bus in syluis & arboribus resonantes, sicut sunt merulæ, & philomelæ, & huiusmodi, quæ tempore amoris maxime cantant, in rubis & frutectis nidificant, super oua solicite cubãt, pullos suos diligunt & reducant. Sunt & alia quædã volatilia, quæ campestria præcipue frequentãt, & victũ de terræ fructibus acquirunt continue & manducant, quales sunt grues & anseres, tam domestica quam syluestres. Et huiusmodi aues simul viuere tam in terra quam in aere diligunt, turmatim incedunt, speciem suam diligunt, regem sibi faciunt & ei obediunt, ordinate volant, & quandoq; inter se vehementißime pugnant, & rostris se dilacerant & deplumant, sed post pugnam quasi reconciliati simul volant, & societatem pristinam non declinant, tempestatem futuram præcognoscunt, & cum vident eam imminere vociferant atque clamant, vigilias ordinant & in vigilando vices mutãt. Hæc omnia cõtinentur in hexameron Basilii & etiam Ambros. similiter & in Aristot. Superaddit etiam Arist. & dicit, *vigil lapillum inter pedes tenet, vt si forsitan surrepserit somnus, casu lapidis excitetur, & si qua societatem perdit, altißime ascendit & vociferando socios suos quærit, & quovsque inuenerit ad pascua vix descendit. Dicit etiam quod rex huiusmodi auium semper primo se deponit, & primo de terra se erigit, caput etiam præ cæteris frequentius eleuat & circumspicit, sed si quenquam viderit venientem, vociferat & excitat alias ac premit. Item sunt consideranda quarundam auium proprietates secundam variam cibationem, sunt enim quæ non cibantur nisi carne vel sanguine, sicut omnes aues prædæ, quæ sunt curui rostri & acuti vnguis, quæ comedunt omnia animalia, quæ possunt venari, sed non venantur neque comedunt aues sui generis, sicut faciunt pisces*, vt dicit Arist. lib. 17. *& tales aues nunquam potant aquam,* vt dicit ibidem. *Alia vero sunt volatilia,*

quæ solis vtuntur seminibus & fructibus ac herbis terræ nascentibus, vt columbæ, turtures & anseres tam syluestres quam domestica. Alia vero sunt volatilium genera, quæ vescuntur, nunc carnibus nunc fructibus indifferenter, sicut omnes aues coruini generũ, sicut monedulæ, cornices, corui & picæ, de quibus dicit Arist. & etiam Basil. *Pascunt aues coruini generis pullos suos in iuuentute, & iuuenes pascunt parẽtes in sua senectute. Quando etiam debilitantur iuniores, in suis humeris eleuant & deferunt seniores,* vt dicit idem. *Et in omnibus huiusmodi volucribus naturalis pietas commendatur, vt homo pietatis obsequium denegare parentibus erubescat, quod ab auibus impendi sibi inuicem non ignorat,* vt dicit Ambros. *Item secundum variam membrorum dispositionem considerantur aliquæ auium proprietates,* quia sic dicit Aristoteles lib. 14. *Omnes aues in hoc conueniunt, quod omnes habent rostrũ, quod in aliis animalibus non inuenitur. Sed in dispositione est differentia, quia quædam habent rostrum breue & latum, quarum vita quieta est & mansueta, quia huiusmodi rostrum est aptum ad sumendum cibum de vicino. Quædam vero habent rostrum longum & acutum sicut & longum collum, quia acquirunt cibum de profundo. Quædam curuum & acutum, quia talis figura necessaria est ad comedendum & dilacerandum carnem crudam. Hoc autem habet proprium omnis auis, quia bipes est sicut homo, & in pedum & crurium dispositione maxima diferentia inuenitur, quia pedes auium vncorum vnguium, sunt fortes & acuti, quia conuenientes sunt prædationi, venationi, pedes autem fluuialium sunt clausi & indiuisi & lati, quia coueniunt natationi. Et omnes aues longorum pedum & crurium habent collum longum, & volant extenso collo, & si collum fuerit gracile & debile, declinant ipsum in volando, & est generale, quod omne volatile habens breue collum,*

collum, breuia habet crura & è conuerso. Omne autem volatile habet vmbilicum quando nascitur, sed cum crescit auis latet vmbilicus, & omnino non apparet, quoniã continuatur cum intestino per interiorem venam. Item considerari possunt quo ad citam vel tardam pullificationem, quædam enim multoties pullificant, vt columba quæ decies ouat in anno, quædam vero multum ouant, vt gallina, & quædam multoties, vt columba. Gallinæ autem multum ouantes cito moriuntur, vt dicit Aristoteles lib. 5. *Aues autem curuorum vnguium, quæ carnem comedunt, raro ouant, quia non nisi anno semel præter hirundines, quæ solæ inter comedentes carnes pullificant bis. Infirmantur autem aues, quando cubant super oua sua, vt patet in gallina & in aquila,* de qua dicitur lib. 6. *quod aquila tunc valde grauatur, & albescunt alæ eius, & hebetantur vngues eius & debilitantur. Sunt & multæ aliæ proprietates auium, quas prosequi esset longum. Hoc solum attendere oportet, quod aues inter cætera animantia generaliter sunt substantiæ purioris, leuioris & nobilioris, motus fortioris, visus acutioris, carnis digestibilioris, sapidioris, conuertibilioris, & sanioris, in nidificando & pullos educando solertiæ amplioris. Hæc autem in generali dicta nunc sufficiant.*

CAP. I.

De Aquila.

NVnc de auibus in particulari dicendum est, & primo de Aquila, quæ velut regina inter volucres obtinet principatum. Inter omnes auium diuersarum species aquila est maxime liberalis, *vt dicit Plin.* Nam prædam quam arripit, nisi nimia fame arceatur, sola non comedit, immo auibus eam sequentibus quasi communem exponit, sua tamen recepta primitus portione. Et ideo semper aquilam aliæ aues solent insequi, sperantes quod de ipsius præda eis debeat aliqua portio impartiri, sed quando præda prius

capta sibi non sufficit, tanquam rex de republica viuens, auem sibi proximiorem rapit & in medio ponit illã. Duos lapides preciosos nomine ætites, quorum vnus est masculinus, alius vero fœmininus, in nido suo reponit, sine quibus, *vt dicitur*, parere nequit. Gemmam, quæ dicitur achates, reponit in nido, vt pullos suos custodiant à morsu reptilium venenoso, *vt dicit idem Plinius*. Est autem aquila ab acumine oculorum dicta, *vt dicit Isidorus* tanti enim & tam limpidi dicitur visus esse, vt cum in aere super maria immobili penna deferatur, vt præ nimia eleuatione à terra vix humanis pateat obtutibus, de tanta sublimitate pisciculos viderit in mari natare ad instar lapidis, descendens, piscem rapit, & sic captam prędam ad litus trahit. Est autem auis naturaliter calida & sicca, prędæ auida, & supra aliarum auium vires fortis & animosa, cuius fortitudo maxime viget in alis, pedibus & in rostro, quia alas habet valde neruosas & parum carnosas, & ideo in volando patiens est laboris, quia respectu magnitudinis sui corporis, parum habet carnositatis, & multum neruositatis, propter quod multum habet fortitudinis & virtutis, & multum etiam habet pennositatis, propter quod etiam plurimum continet leuitatis. Inter omnes autem volucres maxime viget in aquila vis visiua, spiritũ enim habet visibilẽ, temperatissimũ, & in actu videndi acutissimũ. Solem n. irreuerberatis oculis in suæ rotæ circumferentia intuetur, & tamen visus sui acies nõ obtunditur, nec claritate solaris luminis disgregatur, *vt dic. Amb. dicit etiam Amb. sicut & Arist. lib.* 20. quod quędam species aquilæ quam vocat almachor est acuti visus valde. Et pullos suos vngue suspensos radiis Solis obiicit & Solem aspicere compellit, & hoc antequam habeant alas completas, & ad hoc eos percutit & vertit ad aspectum Solis. Et si oculus alicuius lacrymetur ipsum tanquam degenerem vel interficit vel abiicit, à nido vel contemnit: si autem directa acie Solis radium viderit, ipsum tanquam in natura sibi similem, diligit atque nutrit. Quamuis autem ita irreuerberata Solis acie claritate videat, visum tamen ad prædæ aspectum dirigit & inclinat, *vt dicit Gregorius & Aristoteles lib.* 12. Aues, *inquit*, vncorũ vnguium indigent necessario acuto visu, quoniam vident cibum suum à loco remoto valde, & propter hoc

leuat

leuat se aquila plus quam alia volatilia. Hinc etiam in altissimis rupibus nidificat, vbi loci sublimitate ab omnimodo cursu aduersario se tutificat & defendit, *vbi secundum Gregorium*, in altissimis tuta residet. Et cum pastus gratia infima ista videt, ad altissima se eleuat & ascendit: & tamen viso cadauere vel pręda, quam desiderat, subito ima petit. Est insuper aquila auis difficulter cubans, pullificans, & pullos suos nutriens. *Dicit Aristot. lib. 6.* quod aquila ad plus ponit tria oua, sed tertium proiicit à nido, quoniam grauiter incubat super ea. Et subdit: quia illo tempore debilitatur in tantum quod non potest bene venari pullos auium aliarum, quia tunc incuruantur vngues sui, & albescunt alæ suæ, & tunc nimis grauatur in dando cibum pullis suis. Et si contingit aquilam habere tres pullos, eiicit vnum de nido suo propter difficultatem nutriendi, sed auis kyni, quę Arabice dicitur cebar, nutrit pullos suos casualiter ab aquila sic reiectos, *vt dicit idem. Item idem docet*, quod aquilarum diuersæ sunt species, & diuersimode cibant & nutriunt pullos suos. Nam quæ albas habent caudas in earum cibatione plus laborant: quæ vero habent nigras, minus in huiusmodi negocio se fatigant. Pullos autem suos ad volandum iam adultos & de nido eiicientes, paulatim prouocant ad volandum, & faciunt eos esurire, vt auidius eas sequantur in aera propter pastum. Et forsitan si pigritauerint, ad exeundum percutiunt eos cum rostro, & subtrahunt eis cibum, vt sic cogant eos ad exeundum. Et postquam fuerint completi in fortitudine & in pennis, fugant eos à se, & non sunt plus solicitæ super eos, præter quandam speciem aquilæ, *quam Aristoteles vocat achat*, quæ cogitat de pullis suis magno tempore, & quando volant pulli, volant cum eis, & dant eis ad comedendum, & quandoq; volitat super illos, curã illorum agens, parata ad resistendum aliis auibus, si forte conuenerint ad nocendum pullis suis in aliquo seu lædendum. Hæc omnia tangit *Aristot. in lib. 6. De aquilis vero dicitur vt tangit Gregorius super Iob.* quod quando eius pulliculi recenter natĩ ad capiendum grossiorem cibum & digerendum sunt inualidi, sanguinem & liquidiorem humorem prædæ suæ in os suum attrahit & sugit, & attractum sanguinem in ora pulliculorum vomit, & ita reficit eos cibo leuiori, quousq;

inualescant ad sumendum cibum foriorem. *Ad hac dicit Augustin. & Plinius*, quod aquila in senectute patitur caliginem in oculis, & grauedinem in alis suis. Contra quod incommodum instruitur à natura, vt fontem aquę scaturientis quærat, deinde ascendit, quantum potest, per aera, donec ex calore solis & labore volatus fortius incalescat, vnde tunc ex calore poris apertis & pennis relaxatis, subito descendens in fontem ruit, ibique mutatis plumis & purgata caligine in oculis, vires recipit & resumit. *Super Psal. etiam dicti idem*, quod cum senuerit, ita induratur & incuruatur eius rostrum, vt vix possit sumere cibum suum, & contra hoc incommodum inuenit remediũ, quia petram sibi quærit, contra quam fortius rostrum percutit & allidit, & sic deponit onus rostri, & cibum capiens, resumptis viribus, iuuenescit. *Et sicut dicit Plinius*, aquila sedendo super rupem vel arborẽ ad solis claritatẽ oculorum aciem dirigit, vel post prædam hinc inde circumspicit, vel vngues suos inspicere non desistit. Fel huius est multum medicinale, quia positum in collyriis, visum acuit & subuenit caligini & aliis incommodis, *vt dicit Dias. & etiam Constan.* Habet autem aliquas proprietates minus laudabiles. Est enim auis excedẽs in calore & siccitate, & ideo est animosa & iracunda, quia ira fortis non est, nisi in corporib. magnæ siccitatis, *vt dicit Arist. lib.*16. & auibus innocentibus est aquila inimica & infesta. Vnguibus enim rapit, & rostro percutit caput auis. Vocem habet roboantem & generaliter omnes aues terrificantem. In aspectu enim aquilæ & auditu terrentur omnes aues alterius speciei, etiam aues prædæ. *Vnde dicit Plinius*, quod erodius & consimiles aues in die, quando audiunt aquilam, vix prædantur, & hoc forsan accidit ex timore. Aquilam in aere tantum rapientem timent generaliter omnes aues, minus autem illam, quæ rapit in terra, minime autem illam, quæ rapit in aqua, quia illam non timent, nisi volucres quarum victus & conuersatio est in aqua tantum. Talis autem aquila multum degenerat à nobilitate aliarum aquilarum, quæ in aere vel in terra rapiunt prædam suam, timet enim vulturem. *Vnde dicit Aristot. lib.*9. quod amachel manet iuxta mare, & iuxta magnos lacus, & cibatur ex auibus prope mare, quando ascendunt ab aqua: & si viderit vulturem veni-

venenientem timebit, vnde fugit ad aquam, sed vultur qui est acuti visus, semper vocat circa locum illum, & si exierit auis de aqua in aerem vel in terram, statim rapit eam vultur. Si vero diu fuerit in aqua, suffocatur. Habet autem aquila vnum pedem clausum, ad modũ pedis anseris, cum quo se regit in aqua, quando solet descendere propter prædam. Alium vero pedem habet diuisum cum acutissimis vnguibus, cum quibus prædam rapit. Habet autem penna aquilina quandam latentem corrosiuam virtutem, *vt dicit Plinius*. Dicit enim, quod penna aquilæ posita inter aliarum auium plumas, corrumpit & corrodit eas, sicut chordæ factæ de intestinis luporum in vigella vel in cithara positæ cum chordis factis de intestinis ouium eas destruunt & corrumpunt, *vt dicit idem*, Aquila societatem non diligit, imo fugit, *vt dicit Aristot. lib.* 1. Aues quæ habent vncos vngues, non est possibile, quod sint cum aliquibus sociorum suorum, &c. Item vngues habet pro mucronibus, & ideo quando sedet super lapidem, retrahit eos & quasi claudit intra carnem, ne os allidat vel conterat contra petram, *vt dicit Aristote, lib.* 14. Non insidet auis habens vncos vngues super arbores vel lapides, quia natura vnguium eius est contra istas duas res, &c. Item impia est contra filios suos, quando eorum visus clauditur contra solem, quoniam eos reputat alienos. Item vt ad prædam aliarum auium instruat eos & compellat, rostro eos percutit & vulnerat, *vt dicit Plinius*.

CAP. II.

De Accipitre.

ACcipiter est auis regia, quæ plus animo quam vngulis est armata, & quod ei in quantitate corporis natura denegat, hoc ei in virtute & audacia animi recompensat, *vt dicit Isidorus*. Est enim auis, *vt dicit Isidorus*, aliis auibus capiendis auida, à quarum arreptione accipiter, id est, raptor est vocata. *Dicit etiam Basilius in hexamer.* quod accipitres circa suos pullos sunt crudeles, quia cum sint habiles ad volandum, cibos eis subtrahunt, & percutiendo ad modum aquilarum de nidis exire compellunt & cogũt, quia eos audere docent, & ad prædam excitant, ne adulti

effecti, tepescant ocio, & magis cibum quærere, quam vigorem animi consuescant, *Vt dicit Beda & Ambro.* Sunt enim quidam accipitres prædones aeris tantum: quidam vero terræ tantum, sicut & aquilæ, *Vt dicit Aristotel. lib. 6.* Primi aues tantum volantes rapiunt, secundi vero sedentes in terra percutiunt & inuadunt, & inter hos columba discernit, *sicut de aquila dictum est.* Est igitur accipiter auis calida & sicca, mole carnis depaupetata, pennarum plumarumq; varietate decorata, struthioni in pennarum decore similima est, sed in agilitate & animi magnanimitate omnino impar est. Summa enim celeritate nunc in aere se leuat & ascendit in tantum, quod ab hominum aspectibus se subtrahit, nunc subito inferius in prædam ruit. Pectus vero accipitris est acutissimum, modica tamē carne est minutum. *Vnde dicit Aristot. lib.*14. Quanto pectus eius magis est acutum, tanto melioris est volatus, quoniam si haberet pectus multum latum, moueret multum aeris, & esset grauis motus. Carnosum autem non est, quia acutum est, & debile esset si haberet coopertorium ex multa carne, *sicut dicitur ibidem.* Maxima itaque est eius fortitudo in pectore, & in vnguibus, & in rostro, quo statim petit cerebrum prædæ suæ. Eius fel medicinale est, & vtiliter in oculorū collyriis admiscetur, visum enim acuit, & oculorum albugines destruit & consumit, similiter & fimus eius. Habet autem hoc proprium accipiter, *Vt dicit Gregor.* quod in senectute, quādo sentit se pennarum pondere prægrauari, expandit alas suas contra solis radios, flante austro, & sic ex repentina aura & calore resoluente aperiuntur pori, quibus apertis, excutit alas, & sic veteres pennæ exiliunt & nouæ crescunt, & sic nouitas pennarum ipsum efficit ad volandum aptiorem. Duo enim sunt genera accipitrum: quidam enim est domesticus, & quidam syluestris. Qui domesticus est, syluestres rapit aues, & raptas eas domino suo derelinquit. Syluestris vero domesticas rapit aues. Indignantis enim naturæ est accipiter: vnde si prædam quam impetit & sequitur casu aliquo non arripit, vix illa die ad manum domini sui redit. Oportet autem vt accipitrū diæta sit ordinata, scil. nec nimis tenuis, nec nimis lauta. Ex abundanti enim cibo impinguantur, & tunc insolescunt aut pigrescūt, & ad reclinatorium redire de-

ire dedignantur. Si vero fuerit nimis paucus, deficit accipiter viribus, & efficitur impotens ad prædandum. Solent etiam oculi talium auium ciliari, claudi, siue tegi, ne nimis de manu gestantis se efferant auibus visis, ad quarum raptum anhelant & aspirant. Et ideo quibusdam laqueolis illorum pedes illaqueantur, ne libere ad quamlibet auiculam efferantur. Gestatur in sinistra, vt de dextra aliquid recipiat vnde reficiatur. Seruantur autem accipitres domestici vel domiti in mutatoriis, vt à pennis veteribus & induratis exonerentur, & sic in iuuentute & decore renouentur. Datur autem eis cibus de aliqua carne aliquantulum venenosa, & sic facilius mutentur. Accipitres vero maxime lædit fumus, *vt dicit Beda*, & ideo eorum mutatoria à locis fumosis debent esse remota, ne eorum corpora ex fumi amaritudine lædantur, & ne plumæ ipsorum ex nigredine fumi inficiantur. Carnibus recentibus & sanguinolentis reficiantur, & solent eis dari corda auium quæ prædantur. Quamdiu viuunt & potentes sunt ad prædandum, à suis dominis diliguntur, in manibus gestantur, super perticas reponuntur, in pectore & in cauda manib. replanantur, cum diligentia nutriuntur. Sed quando moriuntur, ab omnibus inutiles reputantur, non enim comeduntur, sed potius super sterquilinium proiiciuntur.

CAP. III.

De Alieto.

ALietus, *secundum glossam Deute.* 14. idem est quod falco, auis, scilicet prædæ auida & multum animosa. Inuadit enim aues longe se maiores eas pedibus & pectore percutiens & inuadens. *Secundum aliquos vero*, alietus est auis paruula, capiens alias minutas aues, *vt dicit autor aurora.*

Obtinet exiguas alietus corpore vires,
Sunt & aues minimæ præda cibusq; suus.
Exprimit hic aliquem qui solos vexat egenos.

Et secundum hoc videtur, quod alietus idem sit quod nisus paruus, qui Gallice dicitur muschet vel ipse nisus.

Cap. IIII.

De Apibus.

APes *secundum Isidorum* sunt dictæ, eo quod sine pedibus nascantur, vel ex eo, quod pedibus alligent se inuicem, & connectant. Hæ *secundum Isidorum* solertes sunt in gignendi mellis officio. Assignatas & sibi proprias incolunt sedes, non vendicantes sibi alienas. Domicilia sua inenarrabili arte componunt, & ex variis floribus, mirabili artificio fauum condunt, textisque ceris prole nimia castra replent. Exercitum & regem habent & bella mouent, fumum fugiunt & ventum & bella, tumultum exasperantur. Has plerique experti sunt de boum cadaueribus nasci. Pro his creandis vitulorum occisorũ carnes verberantur, vt ex putrefacto cruore vermes procreentur, & postea receptis alis apes efficiãtur, sicut crabrones de equorum carnibus generantur, *Vt dicit Isidorus. Secundum autem Ambrosium in hexameron*, mirabiles sunt apum proprietates & insignes & nobiles. Nam apes communem habent sobolem, vnam incolunt mansionem vnius portæ clauduntur limine, communis est labor omnibus, communis cibus, communis operatio, communis visus, communis fructus, communis est omnibus volatus, communis est omnibus generatio. Integritas quoque corporis virginalis omnibus est communis, sicut & partus, quoniam nullo concubitu miscentur, nec libidine resoluuntur, nec partus quatiuntur doloribus & tamen maximũ filiorum examẽ constituũt, nam cum aliæ volucres vix in anno singulos edant fœtus, apes geminos creant & duplici cæteris fœcunditate præponderant. Item apes regem sibi creant, ipsæ sibi populos ordinant, & tamen, licet positæ sint sub rege, ipsæ tamen sunt liberæ, & regem sibi substituunt, & naturali affectu diligunt, & summa defensione defendunt, & pro eo perire pulcrum putant. Regi suo tantam reuerentiam exhibent, vt nullæ de suis domibus exire audeant nec ad aliquos prodire pastus, nisi rex fuerit egressus & volatus sibi vendicauerit principatum. Eligunt autem apes sibi in regem in magnitudine & specie magis insignem, & quod in rege præcipuum est mansuetudine clariorem, nam & si habeat aculeum, eo tamen non vtitur ad vindicandum.

Natu-

Naturaliter autem apes tanto sunt leuiores, quanto cæteris sunt maiores, sed & apes quæ non obtemperant regi propria condemnatione se mulctant, vt aculei sui vulnere moriantur, in apum vero examine nulla est ociosa. Quędam enim certant quasi in bello campestri contra alias apes, aliæ vigilant circa victum, aliæ futuras explorant imbres & speculantur concursus, aliæ ceras de floribus fingunt: aliæ cellulas nunc rotundas, nunc quadratas, mira connexione & æqualitate componunt, & tamẽ inter tam diuersa opera nulla alienis laboribus insidiatur. Nullo raptu victum quærit, sed proprio volatu & labore inter herbas & flores, quæ sibi sunt congrua, recolligit & requirit, Habent tamen apes spicula sua & inter mella fundunt venenum; si ab aliquo fuerint lacessitæ vitamque suam ponunt ardore vindictæ pro domiciliorum suorum defensione. Apis itaq; & si infirma est robore, valida tamen est vigore sapientiæ & virtute, cuius fructus omnibus est suauis, qui suauitate sua fauces obdulcat & vulnera curat, ac interioribus vlceribus infundit medicamentum. *Hucusq; Ambros. Sunt & alia proprietates quas tangit Aristoteles lib.* 10. *Vbi ista interseruntur*, dicit etiam inter cætera, quod apum operationes inter se sunt diuersimodæ. Quædam enim adducunt suis aluearibus, quo indigent ad præparationem mellis ex floribus & frondibus arborum & herbarũ, & pręcipue in quibus est glutinositas, & illiniunt ex eo superficiem aluearis, & hoc faciunt propter nocentia animalia. Et si introitus aluearis fuerint nimis ampli, strictificabunt eos, deinde congregant mel, & primo incipiunt facere domos, in quibus habitant reges, deinde alias domos in quibus habitant aliæ apes aluearia custodientes, & accipiunt ceram ex floribus, & congregant ipsam cum pedibus anterioribus, deinde mutant eam ad pedes medios, deinde ad coxas pedum posteriorum, & post volant cum ipsa, & tunc manifestatur ponderositas in eo, & cum volat apis non tangit flores diuersos, nec dimittit vnum florem & vadit ad aliũ, quam diu ibi inuenit quod sibi necessarium est & vtile. Sed colligit ex eo quo indiget, & tunc redit onusta ad locum suum. Qualiter autem mel recolligant, & quæ sit mellis propria materia, non possumus leuiter distinguere sensu, frequentant autem libenter folia & flo-

res oliuæ, & manent super ipsam longo tempore propter spissitudinem foliorum. Quando autem rex earum nequit volare, tunc ferunt ipsum turba apum, & si fuerit rector viuus, mares erunt in vna parte, & fœminæ in alia. Si vero fuerit mortuus, mares erunt cum fœminis in domibus, & fœmina rectoris est dupla ad alias, & habet acutiorẽ aculeum quam masculus, & multi de maribus carent aculeis, & volunt quasi pungere cum aculeo, & non possunt. Rectores autem duorum sunt modorum, vnus est niger & alius est rubeus, & hic melior est, & est apis bona, parua rotunda, in se densa, constricta in medio quasi cincta, mediocriter villosa, & differunt apes in pastu, quia quædam pascuntur floribus hortulanis, & sunt diuersæ ab illis, quæ pascuntur in floribus montanis. Nam illæ quæ pascuntur in arboribus montanis minores sunt aliis & fortiores & plus patientes laboris. Item apes sedent super aluearia & sugunt quod est superfluum in fauis, & dicitur quod si non facerent hoc, generaretur ex eis aranea & morerentur apes. Quando autem modicum est de melle in domibus, deserunt eas & pugnant cum illis qui volunt extrahere mel, & propter hoc videntur sæpe sedere super foramina quasi paratæ ad resistendum, & pugnant breuiores contra lõgiores pugna forti, quando multũ comedunt de melle, & laborant eiicere eas de aluearibus, quæ non mellificant nec laborant. Item reges non apparent extra aluearia soli, nisi magno stipatu apum, & ipse in medio earum est, & exitus eius est ante exitum pullorum apum tribus diebus, deinde exeunt apes paucæ & volant circa aluearia & diuidunt se per cateruas, & vadit cum quolibet rege caterua vna, & si contingat quod exeat vna pars apum ad alias, tunc illæ paucæ residuæ vadunt ad alium regem, & dimittunt suum primum regem, & vadunt ad regem possidentem plures, & si rex, quem dimiserunt, insequatur eas, interficiunt ipsum. Item quando apes pungunt cito, post moriuntur, si totum infixerint & non retraxerint aculeum suum, quia impossibile est totum aculeum exire, nisi cum eo exeat intestinum. Rectores autem apum raro pungunt, & si aliqua apis moriatur in aluceari, extrahunt eam residuæ, quia hoc animal valde est mundum plus quam alia animalia, & propter hoc eiiciunt stercus suũ in volando & non

non in aluearí ſuo, quia fœtidus odor grauat eas. Similiter ventus, vnde ſi fuerit fortis ventus, cuſtodes apum debent tegere orificium aluearis, ne intret ventus ad eas, quando autem aluearia efficiuntur aliquo caſu fœtida, derelinquunt ea, & ſi contingat eas ibi morari, ex fœtore infirmantur, quando etiam nimis quieſcunt infirmantur & eiiciunt ocioſas, & conuenit eis in hyeme locus calidus, & in æſtate locus frigidus & ſi homo dimiſerit eis multum de melle, non multum poſt operabuntur, & ſi modicum ſegneſcent ad operandum mel, & propter hoc debet cuſtos dimittere de melle ſecundum multitudinem apum, & ſi defecerit eis mel ad comedendum, debet eas paſcere ficubus & aliis dulcibus, ne moriantur. Item quando contendunt inuicem intra aluearia, ſignum eſt quod volunt diſcedere ab aluearí, & ideo debet cuſtos irrorare vinū dulce intra aluearia & tunc manebunt. *Hucuſq; Ariſt. lib.* 8 *ſiue* 9. *Item idem lib.* 4. apes non faciunt ſtrepitum niſi volando & extendendo, & contrahendo alas ſuas per aerem cadentem inter alas & corpus. Item poſteriores pedes apum ſunt maiores quam anteriores propter ambulationem, & vt cito eleuentur à terra cum voluerint euolare, *vt dicit idem lib.* 14. Item accidit apibus infirmitas, quæ *ab Ariſtotele li.* 8. dicitur cabizoim, alias kalyroim, vel raboyzoix, ex paruis vermiculis qui generātur in aluearibus ex corruptis fauis, & quando creſcunt illi vermiculi, faciunt texturam ſimilem texturæ aranearum, & dominantur ſuper totum aluear, & idē putreſcit mel & ægrotant apes vel moriuntur. *Item idem lib.* 16. Apes non generantur ex coitu, neque ex diuerſis generibus coeuntibus neque ex operibus per coitum. In annis autem pluuialibus multiplicantur apes valde ſiue pulli apum, quia propter humiditatem multiplicantur ſuperfluitates in corporibus. In annis autem temperatæ complexionis pulli apum diminuuntur, *vt dicit idem. Item in diætis particularib. dicitur*, apes flores amygdalinos paſcentes faciūt mel magis temperatum, & magis ſaporoſum minuſque acutum, ſed ſpiritualium membrorum maxime mundificatiuum, apes vero abſinthium paſcentes & alias herbas amaras faciunt mel ſed minus dulce, eſt tamen multum mundificatiuum opilationis ſplenis & epatis apertiuum, & hydropicorum iuuatiuum, & mor-

ſus

ſus rabidi canis curatiuum. *Quare infra de melle in tractatu de liquoribus, alias proprietates apum in litera A in tractatu de animalibus ſecundum philoſophum & Auicennam.*

Cap. V.

De Bubone.

BVbo à ſono vocis nomen habet, *vt dicit Iſidor.* Eſt autem auis feralis onuſtaque plumis, ſed graui ſemper detenta pigritia, debilis eſt ad volandum, in ſepulcris die & nocte verſatur, ſemper commorans in cauernis, deinde apud augures malum prætendere fertur. Nam in vrbe viſa ſolitudinem prætendere aſſerunt, *vt dicit idem.* De bubone *dicit Ariſt. lib.* 8. Monedula *(inquit)* pugnat cum bubone, quoniam debilis eſt viſus bubo apud meridiem. Clarius namque videt de nocte, quam de die, & propter hoc capit monedula, quæ eſt auis coruini generis, bubonis oua, & comedit ea de die, & bubo comedit oua monedulæ de nocte, quia bubo fortior eſt de nocte quam de die, & monedula fortior eſt de die quam de nocte, & aliæ aues volant in circuitu bubonis & deplumant ipſum, & propter hoc aucupes cum eo deprehendunt alias aues, pugna autem iſtarum auium ſicut & beſtiarum non eſt, niſi propter cibum & manſionem, cuius frequens vlulatus de nocte præſagium eſt mortis, ſecundum augurum coniecturam, bubo ſtercoribus & aliis immundiciis paſcitur ab aliis volucribus, hoc odio habetur, templa frequentat nocturno tempore, vt de oleo lampadum ſatietur, in plumis tantum & in roſtro auibus prædę ſimilis eſſe videtur, ſed in animoſitate penitus eſt diſſimilis, & in virtute quando ab auibus impugnatur, in ſupinum ſe vertit, & roſtro cum pedibus ſe defendit, mures & veſpertiliones venatur, & comedit, de nocte euagatur & circumuolat, de die vero in parietum rimulis ſe abſcondit.

Cap. VI.

De Columba.

COlumbæ ſunt dictæ à colore colli, eo quod earum plumæ in collo colore multiplici ſunt reſperſæ, *vt dic. Iſid.* Sunt autem columbæ aues manſuetæ, hominum frequen-

quentiam & consortium diligentes & in earum multiplicatione conuersantes, quas antiqui venereas nuncupabāt, eo quod frequentent nidos & osculo amorem concipiant, & Veneri multum vacant. Et ideo columba dicitur quasi colens lumbos, *vt dicit Isidor.* nam columbæ ouant omni tempore & faciunt pullos cum fuerit earum mansio calida, & fuerit earum cibus paratus, meliores autem faciunt pullos in autumno quam in vere, vel in æstate, propter copiam victus, *vt dicit Isidor. De natura vero columbarum, dicit Arist. lib.* 5. columba auis est voluptuosa, vnde & sese osculantur ante coitum, & masculus senex non potest coire, tamen non cessat osculari, & fœmina multoties saltat super fœminam, cum non sit masculus, & hoc facit cum osculatur & non eiiciunt semen. Ex tali autem coitu faciunt oua aliquando non pullificantia, sicut sunt oua venti, & omnes aues quæ similes sunt columbis, ouant in vere bis vel ter & faciunt duo oua, sed non ouant tertio nisi quando corrumpitur secundum. *Item dicit libro 6.* Columbæ *(inquit)* pro maiori parte pullificant marem & fœminam, & primus pullus est masculus, & aliquando exit vnus pullus vno die, & alius alio die, & masculus cubat de die oua, & fœmina de nocte, & primum ouum complet se & funditur in 20. diebus, & columba primo penetrat testam, & post diuidit illam, & masculus & fœmina calefaciunt pullos in vno tempore, & fœmina est magis sollicita circa pullos quam masculus, & decies in anno ouant, & quandoque vndecies vel duodecies sicut in Ægypto, & masculus coit cum fœmina post annum. *Item idem lib.*8. cum pullificat columba statim masculus regit pullos, & si fœmina tardat venire ad pullos propter dolorem partus, percutit eam masculus, & cogit eam ponere se super pullos, & cum crescunt pulli, vadit masculus & sugit terram salsam, & illud quod sugit, ponit in ore pullorum, vt assuescat eos cibo. Cum autem mas vult eiicere pullos de nidis, coit cum ipsis. item Columbę habent proprium sicut & turtures, quia caput suum non erigunt, quando potant, quousque eis sufficiat haustus potus. Viuunt autem columbæ & generaliter cubant vsque ad annos 15. *Hucusque Aristot.* Proprietates autem columbarum visuales & multum notas, *tangit*

gloss.

gloss. super verbum illud. Oculi tui columbarum. Cantic. primo. Columba (*inquit*) felle caret, rostro non lædit nisi parem suum forte, in cauernis petrarum nidificat, alienos pullos nutrit, columbas alias errantes associat & recolligit, iuxta fluenta manet, meliora grana eligit, gemitum pro cantu reddit, gregatim volat & societatem diligit, alis & rostro se defendit, cadauera & alia immunda non comedit, geminos pullos nutrit super fluenta residens, vmbram accipitris de longe venientis inspicit, quam videns, statim ad interiora foraminis fugiens se abscondit, *sicut dicit glos. ibi. Oculi eius sicut columbæ super riuos aquarum, &c. Can. 5. cap. Et vt dicit in viatico. Constan.* sanguinem habet medicinalem. Dicitur enim quod sanguis eius sub dextra ala extractus, & calidus oculis impositus seu instillatus dolorem mitigat, & sanat ophthalmiam oculorum. Fimum habet ardentem quem de nido eiicit, & pullos vt eiiciant, instruere consueuit, *vt dicit Arist.* Columba pacis est nuncia, simplicitatis forma, natura munda, prole fœcunda, pietatis æmula, societatis amica, iniuriæ immemor, quæ quanto est pennosior tanto fœcundior inuenitur, vnde columbæ habentes pedes pennatos fere pullificant omni mense. Est autem columba naturaliter timida, raro secura, nisi quando est in foramine petræ, ibi aliqualiter requiescit. Est autem obliuiosa, & ideo sublatis pullis damni sui immemor nidificare & pullificare in eodem loco iterum non obmittit, *vt dicit Iero.* Item stulte est curiosa, nam sedens super arborem circumspicit, & ad quam partem velit tendere, quasi deliberans, collum vndique circumflectit, sed sæpe dum de volatu deliberat antequam arripiat volatum sagitta eam transoluat, & ideo propositum non perficit, quia quod diutius fieri proposuit, in tempore cõgruo non perficit, *vt dicit Gregor. Item vt dicitur in diætis particularibus.* Caro columbina dura est ad digerendum & viscosa: vnde grossum dat nutrimentum, maxime caro pulliculorum, sed quando volare incipiunt ratione motus & laboris, multum amittunt de illa grauitate, & fit caro leuior & acceptabilior ad ad digerendum. Quanto autem vetustior, tanto durior & peior ad digerendum, & illaudibilius generat corpori nutrimentum. Item columba aliquando inuenitur domita, quæ ad deceptionem syluestrium est instru-

cta; nam syluestribus se associans ad rete eas ducit, & vt cautius eas decipiat cum illis intrat aucupis rete, & inuolui se permittit sub amicitiæ specie, quasi ad pascua eos allicit, & sic pascendo ad laqueum & interitum eas trahit. Item in Ægypto & in Syria, *vt dicit Ambros.* instruitur columba, vt literarum sit gerula, prouinciæ ad prouinciam internuncia, naturaliter enim diligit locum & mansionem vbi primitus est nutrita, & quantumcunque deferatur ad longinquas partes, semper redit ad propria, si libertati fuerit restituta. Tali autem columbæ cautius solet alligari litera sub ascella, quæ dimissa eleuat se in aera & nunquam cessat donec redeat ad suę natiuitatis prima loca, sed quandoq; in via cognoscitur ab hostibus, & sagitta impetitur, & pro literis quas defert, interficitur & vulneratur, & sic non sine periculo est baiula literæ, quia frequenter litera sic portata, est causa vel occasio mortis suæ.

CAP. VII.

De Coturnicibus.

COturnices sunt quædam auiculæ à sono vocis dictæ, quas Gręci ὄρτυξ vocant, eo quod ferūtur in Ortygia insula primo visæ, *vt dicit Isidorus.* Hæ aues certa habent adueniendi tempora, gregem faciūt & ducunt, accipitrem timent, & quamdiu accipitrem vident, tamdiu de terra non surgunt, ideo etiam ortygometra dicuntur, habent autem hæ aues duces sicut & grues. Et ideo quia timent accipitrem, cura est eis sollicitare duces, per quos cauēt propria discrimina, ne ab accipitre capiantur. Hæc sola auis morbum caducum patitur sicut & homo & passer. Mare transiens cum lassatur, in aquam descendit, & vnam alam erigens, velum sibi facit, cibos gratissimos habet semina venenosa, propter quas causas veteres eas vesci prohibuerunt. Helleborus enim est cibus coturnicum, qui si ab animali in multa quantitate sumatur, perniciosum est, nam cum animalia latas habent venas, per quas defertur fumus vi hellebori cor subito infrigidatur & mortificatur. Coturnices autem venas habent strictas circa cor, & ideo fumus venenosus non habens liberum transitum, in stomacho remanet, & ibi digeritur & subtiliatur: vnde non læduntur.

tur. Coturnices autem vulgari sermone curleios vocamus à veloci cursu, citissime enim currũt super terram, speciem autem suam diligunt tales aues; & ideo vociferando mutuo se requirunt. *Vt dicit Ambrosius.*

Cap. VIII.

De Ciconia.

Ciconia vel Ibis est auis fluuialis, quæ seipsam purgat rostro suo, quia quando ex ciborum multitudine sentit se grauatam, aquam marinam intra rostrum recolligit, quam per anum ad interiora infundit, quæ remolliendo cibi compacti duritiam mordicando intestina superflua eiicit & emittit. Hæc auis serpentum ouis vescitur, & ex eis gratissimam escam deferens pullis, *Vt dicit Isidorus*, & dicitur ciconia quasi cicannia, quia conquatiente rostro quasi cum canna sonum facit, *Vt dicit idem*, veris est nuncia, & in suo aduentu prædicat nouitatem temporis, serpentibus est inimica, rostro enim eos percutit & interficit, & quãdoque deuorat & reglutit, humanam frequentiam & societatem diligit, & ideo nidificare super domos ab hominibus inhabitatas consueuit, & nidum suum primum nisi fuerit coacta, de facili non dimittit, sed in suo recessu cõtra hyemem terra replet nidum suum, & cum luto virgulas nidi & spinas compaginat, ne aliquis ventus tempestuosus ipsum in hyeme deiiciat aut dissoluat. In reditu autem suo in vere eundem locum occupat, ab aliis nidum occupare volentibus protegit & defendit, viuente fœmina mas causa coitus cum alia se non associat, sed quo ad nidum & generationis officium, fœminæ fidem seruat, in qua si masculus aliquo casu adulterum concubitũ præsenserit, vltra secum non cohabitat, sed rostro, si potest, eam transuerberat atq; necat, *Vt dicit Aristot.* Alias quam in nido mas fœminam non calcat, & incubando super oua mas cum fœmina vices mutat, pullos suos miro affectu diligit & custodit, & ex assiduo cubitu super eos plumas perdit, pater quando est in pascuis, mater in nido residet, & è conuerso, quando reuertitur mas euolat fęmina ad pascua, & masculus nidũ fouet, *Vt dicit Ambrosius*, ciconiæ maria transuolant, & collecto agmine, ad calidas regiones simul volant. In suo autem discessu

cessu

cessu comites habent cornices, quæ ipsas præcedunt & quasi ciconiis ducatum præbentes, contra aues infestas eis pro viribus se opponunt, *vt dicitur in hexamer.* Quamuis autem venenosa comedant, vt ranas & serpentes, & huiusmodi, venenum tamen naturam earum non superat nec immutat, ideo eis est refectio & nutrimentum, quod hominibus & aliis animalibus est venenum, vi enim caloris qui in eorum interioribus dominatur, virtus veneni extinguitur & superatur. A pullis suis in senectute pascuntur, nam eximia illis circa filios est pietas, & ideo quantũ tempus expendunt in fœtibus educandis, tantum ipse à pullis suis vice reciproca nutriuntur, *vt dicit Ambrosius* quando vero pulli nascuntur, crura, pedes & rostra habent ad modum cygni valde nigra, sed deposita paulatim nigredine, rubere tanto plus incipiunt, quanto quotidie plus senescunt.

CAP. IX.

De Cornice.

CORnix est auis annosa, quæ apud Latinos græco nomine appellatur, quam aiunt augures hominũ curas agere, insidiarum vias monstrare, futura prędicere, sed magnum nefas est credere, quod Deus consilia sua cornicibus manifestet, *vt dicit Isidorus*, his inter multa auspicia tribuunt, vt etiam pluuias prætendant vocibus, *iuxta illud Virgilii.*

Nunc plena cornix pluuiam vocat improba voce.

Est autem auis garrula & impia, & incolis vbi habitat nociua, *vt dicit idem.* Immundis pascitur & venenosis, diutissime viuit, contra senectutem in pluma albescit, sed in carne intrinsecus quanto viuit diutius plus denigrescit. Vulpem præ cæteris animalibus odit, cõtra nisum & accipitrem confligit, *vt dicit Isidor.* Est enim auis improba, aquilæ & aliis prædæ auibus importuna. Nam aquilam quam tangere formidat, garritu & volatu insequitur & infestat. Sed de sua improbitate non semper lucrum portat, quia post longam aquilæ dissimilationem, aliquando ab ea rostro percutitur aut interficitur, quando ei plus debito appropinquat. De cornice autem *dicit in hexameron.* quod cornices ciconias conducunt & dirigunt, & velut

quibusdam turmis eas stipantibus, eis turmatim se adiungunt, & contra alias aues ipsis ciconiis infestas dimicantes, propriis periculis aliena bella suscipiunt. Cuius indicium est, quia in illo temporis interuallo, quo ciconiæ solent recedere, non reperiuntur in locis consuetis residere. Et quia cum vulnere reuertentes, manifesta quadam sanguinis voce certisq; indiciis grauem se certaminum ostendunt conflictum subiisse. *Item ibidem dicitur*, quod admiranda est huius auis clementia. Nam cum parentes per longæuam senectutem plumarum tegmine & alarum regimine nudari cõtingit, cornices iuniores propriis pennis eos fouẽt & collecto cibo pascunt. Quando etiam parentes earum senescunt, eos fulcro alarum suarum subleuant & ad volandum excitant, vt in pristinos vsus membra dissueta reuocent & reducant.

Cap. X.

De Coruo.

Coruus siue corax à sono gutturis nomen habet, *vt dicit Isidorus*. Coruus pullorum ora suorum hiantia respicit, quib. cibum prius non ministrat, nisi prius per perfectam nigredinem proprii coloris similitudinem recognoscat. Postquam vero nigrescere inspicit, totis suis viribus deinceps eos pascit, *vt dicit idem Isidor*. Dicuntur autem pulli coruorum roræ cœlesti vesci, quamdiu beneficio ætatis, non habent nigras plumas. Non enim prius escis sci cadaueribus fœtidis, sed roris cœlestis beneficio sustentantur, *vt dicit August*. Petit enim coruus in cadaueribus mortuorum loca occulta, *vt dicit Isido*. Et est auis clamorosa, & diuersas format voces. Solus enim inter aues sexaginta quatuor habet vocis mutationes, *vt dicit Fulgentius*. Est etiam auis dolosa, res furtiue subtrahens, reponens in locis abditis & abscondens. Est etiam immunda auis cadaueribus insidens, & ex venenosis & rebus immundis cibum quærens, & *secundum augures*, quandam vim præsagii & diuinationis habens. Et ideo apud gentiles coruus inter volucres fuit Appollini consecratus, *vt dicit Mar*. De coruo autem *dicit Aristot. lib. 6.* fœminæ coruorum cubãt super oua solæ, & masculi deferunt eis cibum, & pullificat

plures

plures pullos, & cubat dieb. viginti & deiicit aliquos propter multitudinem, quia aues quæ multos pullificant, aliquos eiiciunt à se. *Item dicit idem lib.* 8. Coruus niger pugnat cum asino & tauro, & volat super ipsos, & nocet eis percutiendo cum rostro, & pungit oculos ipsorum. *Item ibid.* Coruus niger est amicus vulpis, & propter hoc pugnat cum aceloni & aliis bestiis vt iuuet vulpem. *Item ibid.* Corui pugnant pugna forti, & percutiunt se ad inuicem cum armis, id est cum rostris, vnguibus & alis suis. Victus obedit victori, victoria forti. *Hucusque Aristot.* Item solus coruus in mediis æstiuis feruoribus contra naturam aliarum auium ouat & pullificat fœtus suos. *Vnde Petronius: Coruus maturis frugibus oua defert &c.*

Cap. XI.

De Cygno.

Cygnus latine olor dicitur Græce, eo quod totus albus sit in plumis suis, nulli enim inueniunt cygnum nigrum. ὅλος autem græce, totum dicitur latine, *vt dicit Isidor.* Cygnus autem à canendo est dictus, eo quod carminis dulcedinem modulatis vocibus fingit. Ideo autem canit dulciter, quia collum longum & reflexum habet, & necesse est eructantem vocem per longum & flexuosum iter varias reddere modulationes. Fertur autem in hyperboreis partibus præcinentibus citharœdis cygni pullos euolare de nidis, & apte admodum concinere, *vt dicit Isidor. Secundum autem Mar. & Ambro.* Nautæ bonum præsagium euentus reputant, quod cygni scilic. in nauigio obuiant, *sicut ait Ennius:*

Cygnus in auspiciis semper lætissimus ales,
Hunc optant nautæ quia non se mergit in vndis.

& ideo Apollini fuit consecratus, *vt dicit Mar.* In alis autem maxima est fortitudo. Cygnus quando est in amore, quærit fœminam, & ei per complexionem colli blanditur, & quasi eam trahit ad se, & coniungit collum suum collo fœminæ colligando. Post coitum vero fœmina percutit marem, & fugat ipsum. Balneat autem se masculus post coitum, similiter fœmina antequam cibum sumat. Instante autem morte penna infixa cerebro, canit, & contra

aliorum animantium consuetudinem pro gemitu cantum reddit, *Vt dicit Ambro.* Plumam habet candidissimã, omni nigredine vel colore aliquo impermixtam. Carnem vero habet nigram, & ad digerendum duram. Rostrum cũ quadã tuberositate, visum ab olfactu & gustũ distinguente. Collum habet intrinsecus valde nigrum, & interius densatum, cum quo collo in profundũ merso cibum suum quærit & incidit. Cum sit inter pisces nutritus, ipsos non comedit, ideo si panis vel esca sibi proiecta fuerit, piscibus ipsum sequentibus ipse cedit. De herbis & radicibus victum suum quærit. Pedes habet nigros, latos & clausos, natationi valde aptos, quorum vno vtitur pro remo in natando, alio pro gubernaculo se regendo. Stagna & lacus inhabitat, & secus aquas nidificat, vbi super pauca ligna coniecta super oua cubat & pullificat. Pullos solicite nutrit & educat, & eos rostro, alis & sibilo protegit & defensat. Et si quis aduersus eos appropinquauerit inter pullos & appropinquantibus opponere se, & interponere non cessat. Auis est magnæ carnositatis & ponderositatis corporis, & ideo quietem diligi, & raro volat. Volant autem cygni syluestres volatu forti, collis extensis, & pedibus ad posterius applicatis, sed non sunt tam magni corporis, nec tantæ pinguedinis, sicut sunt domiti, qui iuxta hominum habitacula sunt nutriti, *Vt dicit Mar.*

Cap. XII.

De Culice.

CVlex est musca modica ab aculeo dicta, eo quod sanguinem sugit. Habet autem in ore fistulam ad modum stimuli, qua carnem terebrat, vt sanguinem bibat, *Vt dicit Isidorus.* Reputatur autem inter volatilia, sicut & apis, cum tamen corpus vermis habeat plures pedes habentis, eo quod alas habeat quibus volat. Generatur autem ex vaporibus putridis de cadaueribus ac palustribus locis & corruptis generatis. Ex continua alarum replicatione in aere strepitum generat & quasi strider. Super cadauera & vlcera libenter residet, equis etiam vlcerosis valde nocet, strepitu & morsu dormientes infestat, & requie eos arcet. De nocte maxime circumuolat & mem-

bri

bra, quibus insidet, terebrat atque mordet. Lucipeda est, quia lumen libenter videt, vnde minus caute in candelam vel in ignem irruens, se ob auiditatem luminis videndi comburere sæpe solet. Hirundinibus pascendis summe valet, culices enim in aere volitantes ab hirundinibus, quæ venantur muscas in aere præda gratissima reputantur. Dicuntur aūt culices Scynipes, i. e. muscæ minutissimæ, sed aculeis permolestæ, σκύνη enim græce, musca dicitur latine, vnde & dicitur κυνόμυια, musca canina, & huiusmodi muscis terra Ægyptiorum percussa est *vt dic. Isi.* Est autem κυνόμυια genus pessimum muscarum, magni corporis & lati ventris, respectu muscarum aliarum, & parui volatus, sed magnæ tenacitatis & adhærentię in membris animantium, in quibus insidet. In villis enim & pilis animalium & maxime canum se immergit, & ibi se occultans, sugit sanguinem atque bibit in tantum, quod carnem vlcerat & corrodit, vt patet in antiquorum canum auribus, quas corrodunt & vlcerant tales muscę. Vnde non est mirum si tales muscæ sint multum fœtidæ, quæ ex tam fœtidis & corruptis humoribus sint nutritæ.

CAP. XIII.

De Cicada.

Cicada à canendo est dicta, eo quod in exiguo gutture suo dulcem facit melodiam, vel miram facit cantilenam, *vt dicitur in hexameron.* Hæc in medio æstu, quando arbusta meridianis calorib. rumpuntur, tanto cantum resonat clariorem, quanto spiritum aereum tunc temporis attrahit puriorem. Deinde si quis cicadas perfundat oleo, statim necantur, eo quod obstructis poris spiramen aereum haurire non valent. Sed si quis statim his acetum superfundat, ilico reuiuiscunt, eo quod vis aceti aperit poros, qui ex olei constrictione obstruebantur, *vt dicit Ambro.*

Cap. XIIII.

De Phœnice.

PHœnix vnica dicitur esse auis, & in toto orbe terrarum singularis, vnde & laici mirantur, vnde apud Arabes vbi nascitur phœnix singularis nuucupatur, *Vt dicit Isidorus.* De hac aue *dicit philosophus*, quod phœnix est auis sine pari viuens, 300. vel quingentis annis, quibus completis, cum suum sentit defectum, nidum facit ex lignis aromaticis, & multum siccis, quæ in æstate ex feruore solis flante Fauonio, accenduntur, quibus iam accensis sponte nidum ingreditur, & ibidem inter ligna ardentia incineratur, ex quo cinere infra triduum quidam vermiculus nascitur, qui paulatim plumas recipiens in volucrem reformatur. *Idem dicit Ambro. in hexameron.* de phœnicis humore siue cinere nouus surgit, paulatimque adolescit, & processu temporis alarum induit remigia, atq; in auis speciem reparatur, Est autem auis pulcerrima, pauoni in plumis similima, solitudinem diligens, granis & fructib. mundis cibum quærens, de qua narrat Alanus, quod cum Onias summus Pontifex in Heliopoli ciuitate Ægypti, templum ad similitudinem templi Hierosolymorum ædificasset, primo die azymorum, cum multa ligna aromatica super altare congregasset, & ignem ad offerendum sacrificium succendisset, descendit in medium rogum talis auis, quæ in igne sacrificii statim in cinerē est redacta, remanente autem cinere, & cum diligentia custodito, de præcepto sacerdotis, & reseruato, infra triduum quidam vermiculus de prædicto cinere est creatus, qui tandem recipiens formam auis, ad solitudinem euolauit.

Cap. XV.

De Grue.

GRus de propria voce nomen accepit, tali enim voce sonat, *Vt dicit Isidorus.* Est autem auis alarum magnarum & fortis volatus, aeris alta petens vt videat, quas velit pergere regiones, *Vt dicitur in hexameron.* Est enim auis diligens suam speciem, & in societate viuens, habens regem & ordine literato volans, *Vt dicit Ambrosius.* Ductor autem agminis quasi instigando & arguendo voce ad re-

ctos volatus cogit agmen, & si forte raucescat, succedit alia grus quæ supplet idem officium. Grues autem voce præconia terram petunt, vt quiescant & cum sederint ad custodiam sui vigilias ordinant, vt aliæ securius conquiescant. Vigiles autem super vnum crus stant directe, & lapillum tenent in pede altero, à terra suspenso vel eleuato, vt si casu aliquo dormierint, per casum lapilli excitentur, *vt dicit Aristotel.* Item sunt grues in iuuentute cinerei coloris, sed in senectute quanto diutius viuunt, tanto plus nigrescunt, & si quæ illarum à societate oberrauerint vociferando perditas socias aduocant & requirunt. Grues etiam quando supra se venientem erodium vel accipitrem percipiunt, rostra sua superius erigunt, & prout possunt, cum rostri acumine se defendunt.

Cap. XVI.

De Gallo.

Gallus à castratione est vocatus. Inter cæteras tantum aues huic soli testiculi adimuntur, veteres enim abscissos gallos vocauerunt, *vt dicit Isidorus.* De gallo *dicit Plinius lib. 29. cap. 4.* Carnes gallorum crudæ & calidæ appositæ super morsum serpentis, demunt venenum. Et ad idem valet eius cerebrum in potu sumptum, si quis eius pinguedine vel viscello iunctus fuerit, à pantheris & leonibus tutus erit. Si auro liquescenti ossa gallorum vel gallinarum commiscentur, consumunt illud in se, vnde & os gallinaceum auri est venenum, & hoc est mirum. Gallus itaque est auis calidæ & siccæ complexionis, & ideo multum habet audaciæ & animositatis, propter quod contra suos aduersarios pro suis vxoribus audacter pugnat, & rostro ac calcaribus aduersarium impetit & lacerat, obtenta victoria statim cantat. Antequã autem cantet alis se verberat, & se ipsum feriens, ad cantandum reddit aptiorem. In profundioribus horis noctis cantum solet emittere clariorem & valentiorem, sed circa tempus matutinum vocem format leuiorem, *vt dicit Ambrosius*, cristã rubeam gestat in capite pro corona, qua amissa perdit audaciam, & ad aggrediendum aduersarium ipsum efficit segniorem, zelat & diligit vxores suas, & inuento cibo, voce quadam eas

conuocat, & sibi subtrahit, vt eas reficiat atque pascat, pinguiorem & teneriorem quam plus diligit, secum quietis gratia vicinius collocat, & ipsius præsentiam circa se plus affectat, de mane cum ad pastum euolauerit, latus suum lateri ipsius primo applicat, & per quosdam nutus ipsam ad sui copulam allicit & inuitat, & pro ipsa tanquam zelotypus specialiter pugnat, & appropinquantes gallos rostro & calcaribus à se fugat, rostro in pugnando terram percutit, & plumas circa collum erigit, vt se audacem faciat & pennas caudæ quantum potest, sursum ac deorsum eleuat, vt sic aptus ad prælium se accingat, lapidem preciosum nomine allectricium vel allectoriũ chalcedonio similem gignit & portat, quem ratione lapidis, vt credunt, quidam leo timet & abhorret, & maxime si fuerit albus, album enim gallum leo formidat, *Vt dicit Plinius.* Rostro & pedibus victum quærit, paleam & puluerem sulcat & reuersat, & inuento grano, ad gallinas vociferat & eas vocat, timet etiam gallus aquilam, & accipitrem prædones terræ quia tales prædæ aues volucrib. in terra deambulantibus insidiantur, & ideo cum gallus sit valde acuti visus, vnum oculum pro victu quęrendo inferius deprimit, & alium sursum ad aera dirigit, vt aduentum aquilæ vel accipitris præcaueat, quoniam cum venientem à remotis viderit, statim ad gallinas vociferat & fugiens in domibus, rupibus, ac sepibus se occultat, *Vt dicit idem.* Decrepitus etiam gallus ouat in vltima senectute, & facit quædam oua parua multum rotunda, & quasi liuida vel crocea, ex quibus si ab aliquo verme venenoso in diebus canicularibus foueantur, basiliscus procreatur, *Vt dicit Beda.* De gallis *dicit Constan.* Galli iuuenes duriores sunt ad digerendum, minorisque humiditatis quam gallina, caro eorum quiddam nitrositatis habet, sed quando coquitur, soluitur: vnde si vetus gallus, proiectis interioribus de semine croci hortensis, & polypodio impleatur, & quandoque libris aquę coquatur, donec aqua fere consumatur, fit vtilissimus cholericam habentibus passionem, viscosos & phlegmaticos purgat humores, melancholiam patientibus subuenit, grossam stomachi ventositatẽ excludit, dolorem mitigat, tumorem & dolorem arteriarum curat, valet contra arteticæ febris prolixitatem, *Vt dicit idem.*

CAP.

Cap. XVII.

De Gallo gallinaceo.

GAllus gallinaceus gallus est, qui propter absciſſionem teſticulorũ effœminatur, more enim aliorum animalium caſtratorum totus in complexione mutatur, criſtam enim perdit, audaciam deponit, vocem & cantum amittit, inter horas noctis non diſcernit, alis ſe non percutit, nec ad pugnam ſe accingit, ſuper oua aliena cubat ac ſi eſſet gallina, officium fœminæ aſſumens, pullos alienos nutrit & circumducit, vocem etiam gallinæ ſimilat, & crocitando voce raucida pullos vocitat, gallinis ſe aſſocians cum eis earum eſcam comedit & deuorat, ſed eas non reficit, nec impinguat, cum eis impinguatur, ſed eas non impinguat. Eſt autem gallinaceus timidioris animi quam gallus & carnis humidioris & mollioris, & pinguedinis maioris ac plumæ laxioris, cuius pedes quandoque franguntur, vt cubare ſuper oua cogatur, cuius calcaria vel hebetantur vel cadũt, cuius pedes colligantur poſt impinguationem, & depreſſo capite ad terram ad forum erectis pedibus deportatur, de gallo tamen caſtrato, *dicit Conſtantinus* Carnes inquit, caſtrati galli omnium volatilium carnib. ſunt conuenientiores, laudabilius enim generant nutrimentum & ſanguinem meliorem, cerebella eorum cerebellis auium aliarum ſunt vtiliora.

Cap. XVIII.

De Gallina.

GAllina eſt à gallo dicta, ſicut à Leone dicta eſt leæna, cuius membra, vt quidam ferunt, ſi cũ auro liqueſcent miſceantur, conſumunt aurũ, *Vt dic. Iſid.* Eſt autem multæ ouationis & pullificationis, & multæ ouant ſine coitu, *Vt dicit Ariſtoteles lib. 6.* & dicuntur oua venti, & ſunt aliis ouis inſipidiora & illaudabiliora, & quædam gallinæ ſæpe faciunt gemellos, & vnus gemellorũ eſt paruus, & quandoque monſtroſus. Poſtquam autem cubant ſuper oua ſua per tres dies, ſtatim apparent ſigna pulli, & erit hoc in maioribus poſt plures dies, & in minoribus poſt pauciores, & generatur pullus ex albumine, & nutritur ex vitello,

Vt dicit idem. Gallinæ etiam quæ nimis ouant, non sunt longæ vitæ, sed cito moriuntur, *Vt dicitur lib. 6.* Alias vero gallinæ proprietates omnibus fere notas tangit *gloss. super Matt. 23. Vbi dic. Gallina est auis pia circa pullos, nam pullos sub ala fouet, contra miluum tuetur,* de dolore filiorum ægrotat & plumam deponit, plus pullos quam se pascit & satiat, & ipsos inuento cibo congregat atque vocat, pro pullorum defensione fortiori se opponit, & etiam hominem impugnat, pullos dispersos congregat, atque vocat & ne à niso vel miluo rapiantur, eos sub alarum tegmine protegit & defensat, plumarum hispiditate & vocis raucedine affectum circa pulliculos manifestat.

CAP. XIX.

De Gryphe.

GRyphes inter volatilia recitantur. *Deutero. 14. & dicit ibi glo.* quod gryphes est quadrupes, capite & alis aquilæ similis & reliquo corpore simiils est leoni, & habitat in hyperboreis montibus, equis & hominibus maxime est infestus, in nido suo reponit lapidem smaragdum contra venenosa animalia montis.

CAP. XX.

De Erodio.

ERodius est auis regia, prædæ auida, & manu gestantis assueta. Est autem auis animosa ad modum accipitris, paucæ quidem carnis respectu corporis sui, & est multæ pennositatis, & ideo leuissimi est volatus, quia parum est in eo quod aggrauat, & multum quod erigit atque leuat, *Vt dicit Gregorius,* & ideo dissimilis est struthioni in audacia & virtute, quamuis ei similis sit in penna & varia in colore. Erodius autem magnæ est animositatis, acutissimi pectoris & fortis vnguis, & plus lædit prædam super ipsam irruendo pectore quam rostro siue vngue. Tantę autem est animositatis, quod si primo vel secundo impetu prædam non arripit, quasi vindictam de se petit. Vnde si syluestris est, illo die vix prædam quęrit: si vero domesticus quasi prę verecundia euagatur per aera, & ad manum gestantis de facili tunc non redit, tunc enim victum & quasi degene-

rem

rem se æstimat, quādo de volucre quā impedit non triumphat, *vt dicit Gregorius.* Hæc auis à vulgo falco nuncupatur siue filica, *vt dicit glossa super Psalmum.* Et est auis quæ inter omnes prædæ volucres habet affectum pium & animum circa pullos, *sicut dicitur in hexamer.* Eodē *(inquit)* sedulitatis officio quo proprios fœtus pascit, pari subministratione pullum ab aquila abiectum siue non agnitum suscipit atq; nutrit. Cadauer fugit, nec in famis vehementia putridas carnes tangit, sed laboris patiens abstinendo exepectat, quousque prædā sibi congruam inueniat quam acquirat, *vt dicit Greg.*

Cap. XXI.

De Hirundine.

Hirundo quasi arundo, ab aere est dicta, eo quod cibos non sumat residens, sed vt edat in aere cibum capit, *vt dicit Isidor.* Est enim auis vocifera per tortuosos orbes & circuitus vaga. In nidis construendis & pullis educandis solicita, *vt dicit idem.* In nidis quoque construendis est summæ solertiæ. Vix enim ad hoc faciendum sufficeret humana industria de quauis materia quod facit hirundo solo rostro de argilla. Hirundo itaque est auis valde pennosa, miræ agilitatis & velocissimi volatus, & ideo à cæteris auibus nō impetitur, nec vnquam alicui præda est. Maria transuolat ad regiones calidiores, in quibus creditur, per hyemem commorari. Certa custodit tempora aduentus sui & recessus. Cuius aduentus indicium est veris & testimonium instantis serenitatis æstiualis, *vt dicit Ambrosius. De hirundine dicit Aristot. lib. 6.* Auis agrestis non coit in anno neque ouat, nisi semel præter hirundinem, quæ ouat bis, sed prima oua aliquando corrumpuntur propter hyemem, oua vero posteriora complentur & faciunt pullos. *Item dicitur ibidem.* Aues quæ comedunt carnem non ouant bis præter hirundinē, quæ aliquando bis pullificat. *Item ibid.* si quis cæcauerit pullos hirundinum reuertētur oculi eorum. Quærit n. herbam, quæ dicitur chelidonia, cuius succo linit oculos filiorum, & sic eorum oculi sanitati pristinæ restituuntur, *vt dicit Macrobius.* Item in vtero hirundinis inueniuntur duo lapilli: quorum vnus est albidus

dus & dicitur fœmineus: alter vero rubeus & dicitur masculinus, quia maioris est virtutis quam albus. Hi lapilli dicuntur chelidonii, & sunt preciosi, maxime quando extrahuntur de pullo antequam tangat terram, *vt dicitur in lapidario, vbi eorum virtutes describuntur, vt dicit Constantinus.* Sanguis de dextra ala extractus oculis medetur, sicut sanguis columbæ, fimus eius valde est calidus & vritiuus siue corrosiuus, & ideo oculis est nociuus. Instruit autem hirundo pullos suos eiicere stercora extra nidum. Sunt autem hirundinum duo genera: quædam enim sunt maioris corporis, dorsum habentes nigrũ, pectus rubeum & ventrem album, & hæ diligunt humanam societatem, vnde in domibus hominum nidificant. Aliæ sunt minoris corporis, nigrum habentes pectus, & nidificant in riparum foraminibus iuxta aquam. Sed tam istæ quam illæ in terra nidificant siue argilla & vtriusque cauda ad modum forpicis est bifurcata. Inter hirundines dicitur esse vnum genus, quod timent aliæ etiam aues, aquila & accipiter, & fugiunt illam hirundinem tanquam hostem, nec audent super prædam illa visa irruere, timent enim morsum eius, quia forsan venenosus est, *vt dicit Plinius.* Pugnant autem hirundines contra passeres, nidos earum subintrantes & morsibus ac vnguibus fugant eos de nidis suis.

CAP. XXII.

De Charadrio.

CHaradrius, *secundum philosophum*, est albi coloris, nullam habens partem nigredinis, cuius pars inferior fœmoris ipsius purgat caliginem oculorum. Cuius natura est talis, quod quando aliquis graui detinetur infirmitate: si ægritudo fuerit ad mortem, charadrius auertit faciem suam à sic ægrotante, & sine dubio tunc moritur homo, si autem infirmus debet conualescere, charadrius figit visum in ipsum, & intendit in eum quasi applaudens ei. Differt autem charadrius ab auicula quæ dicitur chalandra, quæ est auis sonora & canora sicut merula, *vt dicit glos super Deuteron.* 14. *vbi dicitur, differt charadrius à chalandra, &c.*

CAP. XXIII.

De Laro.

LArus est auis quandoque in terra, quandoque in aquis habitans. *Vnde in aurora scribitur.* Larus est fluminis habitator & incola terræ. Nunc natat vt piscis, nunc volat instar auis.

CAP. XXIV.

De Locusta.

LOcusta est dicta eo quod pedibus sit longa vt hasta, & ideo Græci eam hastagion vocant, *Vt dicit Isidor.* Locustæ regem non habent, & tamen ordinate egrediuntur per turmas suas, *Vt dicitur Prouerbiorum* 30. Mutuo se deuorant, nam maiores minores comedunt & manducant. In æstate apparent: in hyeme vero latent. Longiora habent crura posteriora quam anteriora. *Et sicut dicit glo. super Iohel. primo*, est primo athelabus & post crescentibus alis fit locusta, & plus lædit in iuuentute quando est athelabus quam in senectute, quando est locusta. Os habet quadrangulum, & pro cauda aculeum habet. Crura sunt replicata & in se reflexa. Germina arborum & herbarum radicitus comedunt & corrodunt. A vento australi generantur & ad volandum concitantur. In vento autem septentrionali moriuntur. In saliendo locusta se erigit, & in erigendo cadit. A floribus amygdalinis impinguantur locustæ. Locusta insuper tota pro maiori parte in ventre consistit, & ideo insatiabilis est. Vnicum habet intestinum, quod sanie & immundicia est semper repletum, sed quamdiu viuit semper esurit, & si quid inuenerit viride, corrodere non desistit. Modico frigore quasi moritur & consopitur, sed calore Solis reuiuiscit, ex cuius stercore vermes nascuntur.

CAP. XXV.

De Mergulo.

MErgulus ab assiduitate mergendi nomen sumpsit, sæpe enim dimisso in profundum capite, aurarum signa sub fluctibus colligit, & ante venientem æquoris tempestatem cu[illegible] clamore litus petit. Nam in pelago grauissima

tempestatem futuram esse certissimum est, quando mergguli fugiunt ad litus cum clamore, *Vt dicit Isidor.* Mergulus in arundinetis super pauca ligna nidificat, & miro quodam affectu naturæ pulliculos nutrit & educat. Qui mox nati matrem sequuntur, & varias pelagi vndas ascendere & descendere nullo modo verentur. Vermes aquatiles & pisciculos ad sui ventris satiandam ingluuiem venantur. In hyeme propter paucitatem motus impinguantur. In æstate autem propter volatus libertatem carnibus & pinguedine depauperantur. Quando ab aue rapace persequuntur, ad aquam refugientes mersionis beneficio liberantur.

CAP. XXVI.

De Miluo.

MIluus mollis est volatu & viribus, vnde miluus quasi molliter volans est dictus. Nam leui penna & quasi immobili super aera fertur, & vix leui tactu aerem in volando mouere videtur. Est autem auis patiens laboris, & ideo cuculos in scapulis suis suscipit, & ne per longa itineris spacia fatigati deficiant, à partibus Hispaniæ secum ducit, *Vt dicit Isidor.* Est autem auis rapax & audax in minimis, sed timidus est in magnis, nam volucres syluestres inuadere non audet, domesticis insidiari non timet, pullis etiam insidiatur, vt eos rapiat & quos incautos repererit, statim necat, cadaueribus & immundis vescitur, & pro modico ventris pastu circa æthera circumfertur. A niso impetitur, & à minore se propter ipsius pusillanimitatem & segniciem superatur. Et miluus in iuuentute ab aliis prædæ auibus non videtur differre, sed quanto diutius viuit, tanto suam naturam degenerem plus ostendit. Quoddam enim genus est milui qui in principio aues rapit, exentera animalium comedit, tandem vix muscas & vermiculos arripit, *Vt dicit Aristot.* vltimo fame perit. Est autem auis impia circa pullos suos, sicut & vultur, dolet enim quando videt eos impinguari & vt marcescant, rostro eos percutit & subtrahit eis cibum, vocem habet querulam famis nunciam, nam quando esurit voce querula cibum quærit.

CAP. XXVII.

De Nycticorace.

NYcticorax est noctis coruus sic dictus, eo quod noctem amat, quia de nocte volans cibum quærit & quærendo clamitat, cuius clamor est volucribus odiosus, *Vt dicit Isidor.* Est autem auis lucifuga & Solem videre non potest, sepulcra & loca mortuorum inhabitat & frequentat, in parietibus & in locis ruinosis nidificat, oua columbarum & monedularum frangit & deuorat, & cum eis pugnat. Hæc dicitur noctua, quasi de nocte acute tuens, de nocte enim videt, exorto autem splendore Solis eius visus hebetatur. Hanc insula Cretensis non habet, & si venerit aliunde, statim moritur, *Vt dicit Isidor.*

CAP. XXVIII.

De Onocrotalo.

ONocrotalus est auis in aqua sonitum faciens. In faucibus autem habet quosdam folliculos in quibus primo cibum recipit, & receptum in secundum ventrem mittit, duos enim habet vteros, in vno tantum cibaria recipit, in alio tantum decoquit & digerit, sed primus pro vesicula gutturis reputatur, *Vnde dicit Isidor.* Onocrotalus auis dicitur Græce cum longo rostro. Et sunt duo genera, vnum aquatile, & aliud solitudinis, quia autem in aquis manet, est auis valde gulosa, quæ rostrum in aqua mergens horridum sonum facit. Præcipue autem insidiatur anguillis, & prædam quam arripit subito deglutiens in aluum mittit, deinde ruminat & fauces mouet, ac si cibum in ore receptum adhuc teneret. Hæc in littore quiescens rostrũ suum semper sursum erigit, & sic ipsius acumine contra insultum accipitris se præmunit, vt sic securius dormire possit, *Vt dicit Isidorus.*

CAP. XXIX.

De Pelicano.

PElicanus est auis quæ *in Leuitic.* 11. *& Deuter.* 14. porphyrio nuncupatur. Et est auis Ægyptia habitans in solitudine iuxta Nilum. Inter volucres autem *secundum legem*

gem immundas *in Leuitic.* numeratur. Sunt autem duo genera huius auis, vnum in aquis inhabitans, & eius escæ sunt pisces, aliud est in terra habitans, solitudinem diligens, cuius cibus sunt animalia venenosa, vt lacertæ & huiusmodi, omnia quæ pelicanus comedit, primo pedē in aquam tingit, & intinctum quasi cum manu pede ori applicat & opponit. Solus pelicanus inter aues prædæ præter psitta cum pede vtitur loco manus. De pelicano quoque *dicit glos. super psal. Et idem dicit Plinius per hac verba.* Pelicanus *inquit* est auis amator filiorum suorum. Cum enim gignit natos & incipiunt crescere, parentes suos in faciem percutiunt, propter quod ipsos mater repercutit & occidit, tertio vero die mater se in costa vsque ad effusionem sanguinis percutit, & calidum sanguinem super corpora mortuorum filiorū post effundit; ex cuius virtute pullus prius mortuus reuiuiscit. *Et glossa super locum illum Psalmi. Factus sum sicut pelicanus, &c.* Pelicanus dicitur rostro occidere pullos, & in triduo lugere, & tunc sanguinem suum super eos fundere, & sic illos viuificare, aliam causam mortis pullorum pelicani assignat *magister Iacobus de Vitriaco in lib. de mirabilibus orientalium regionum. Est (inquit) in AEgypto auis, quæ vocatur pelicanus magnarum alarum & maxima maciei, quia, quicquid deglutit, cito emittit per secessum, lubricum enim habet intestinum, & ideo vsque ad plenam incorporationem neque tenet cibum.* Hanc autem naturaliter odit serpens; propter quod serpens, dum pro pastu mater exit, nidum repens per arborem pungit & interficit pullos suos, super quos mater rediens lugere per triduum fertur, deinde in pectore se vulnerat & sanguinem super eos respergens, eas à morte suscitat. Ex sanguine vero copiosius sic effuso debilitatur mater, vnde & pulli coguntur exire pro cibo, quorum quidam naturali affectu matrem debilitatam pascūt, quidam vero degeneres sunt, de matre penitus nullam curam gerunt, quod diligentius aduertens mater, receptis viribus filios se pascentes refouet & diligit, alios vero tanquam ignobiles & ingratos à se reiicit, & secum commanere aut viuere non permittit.

CAP.

CAP. XXX.

De Perdice.

PErdix à voce nomen habet, *vt dicit Isidorus*. Est auis immunda, nam masculus in masculum consurgit, & obliuiscitur sexum præceps libido, *vt dicit Isidorus*. Adeo autem est fraudulenta, vt aliena oua diripiens foueat ea sic subtracta, sed hæc fraus fructum non habet, quia cum pulli vocem audierint propriæ genetricis naturali quodam affectu matrem putatiuam, quæ eos fouerat derelinquunt, & ad illam quæ genuit, reuertuntur, *vt dicit Isidorus, pariter & Ambrosius*. Non autē laborant in cubando & ouando, sicut aliæ aues, *sicut dicit Aristot.* Aliquæ, inquit, aues generant leuiter, sicut perdices, & mater perdicis volat in circuitu venatoris, quousque fugiant pulli sui, & post fugam pullorum fugit & ipsa mater, & clamat pullis suis, cuius pulli mox nati sequuntur matrem, & statim quęrunt cibum. Est autem perdix paucæ pennositatis, & multę carnis, ideo debilis est volatus, & in volando parum à terra se erigit, sed statim post paululum terram petit, in tantum nisum timet & fugit, quod quamdiu videt ipsum, in aera à terra non recedit, ad sonitum vero campanulæ fugiens circa terram antequam sciat, in rete vel in laqueum se immittit. *Plinius dicit lib. 29. cap. 6.* Fel perdicum cum æquo pondere mellis, multum clarificat visum, vnde & in pixide argentea debet reseruari, oua eorum in vase æreo tecta, valent cum melle vlceribus oculorum.

CAP. XXXI.

De Pauone.

PAuo à sono vocis nomen habet, cuius caro est tam dura, vt vix putredinem sentiat, nec facile coquitur, *vt dicit Isidorus*, viuit autem pauo *secundum Aristot.* 20. annis, & pullificat in fine trium annorum, deinde colorantur eius alæ. Cubat autem oua sua 30. diebus, & modicū plus, deinde scinduntur testæ & non pullificant nisi semel in anno, & ponit 12. oua aut parum minus, & eiicit plumas suas cum prima arbore eiiciente folia sua, & tunc primo nascitur pluma cum arbores incipiunt folificare, est

enim auis non diligens fœtum suum, persequitur enim masculus fœminam & oua fœminæ inuestigat vt frangat ea, vt sic suæ luxuriæ magis vacet, quod timens fœmina, sollicite abscondit ea ne ab eo valeant de facili inueniri. Habet autem pauo, *vt ait Isidorus*, caput infirmum & deforme quasi serpentinum, & tamen cristatum, incessum simplicem & occultum, collum modicum & erectum, pectus saphyreum, caudam oculatam, mira pulcritudine distinctam & ornatam, habet pedes deformissimos & rugosos, pennarum suarum admirans pulcritudinem, erigit eas ad modum rotæ siue circuli, & per gyrum capitis circumponit, videns autem pedum suorum deformitatem, quasi erubescit, & velut non attendens prædictam pennarum pulcritudinem, eas subito deprimit & submittit, vocemq; habet terribilem, *vt ait quidam*, vocem habet dæmonis, caput serpentis, passum latronis, &c. *Plinius enim lib.* 29. *cap.* 6. dicit quod pauo resorbet fimum suum inuidens hominum vtilitati, valde enim medicinalis est, sed raro inuenitur.

Cap. XXXII.

De Passeribus.

PAsseres sunt minuta volatilia à paruitate sic vocata, *vt dicit Isidorus*. Est autem auis passer instabilis & garrula, iuxta hominum habitacula nidificans. Auis siquidem est multum calida & libidinosa, vnde eius caro frequenter in cibum sumpta, est libidinis excitatiua, *vt dicit Constantinus*, multæ est ouationis & pullificationis, & magnæ solertiæ in educando pullos suos & nutriendo. In fœno & in plumis nidificat, & nidum suum à stercore mundũ seruat, & ideo pullorũ stercora extra nidũ eiicit, & ad eiiciendum eas cogit. Araneis & vermibus & muscis eos pascit, semina venenosa vt iusquiami sine læsione comedit, & lepram & morbum caducum aliquando sustinet & incurrit, & fœmiña diutius viuit quam masculus, & masculus zelat pro vxore sua, & pro ea pugnare consueuit, *vt dicit Aristoteles*. Mustelam timet & odit, & clamando ac vociferando præsentiam eius prodit, pro nidis hirundinum occupandis eis rostro morsibus se opponit, suam speciem diligit, & pullos ab illis derelictos aliquo casu recolligit tanquam proprios

atque

atque nutrit, & si contingat aliquem laqueo, vel aliquo alio modo deprehendi, clamitat pro adiutorio & vocifecat, cui compatiens passerum multitudo mutuo se conuocat, & vt captum liberent, accelerant & pro viribus festinant.

Cap. XXXIII.

De Struthione.

STruthio à Græco vocabulo nomen sumpsit, *vt dicit Isidorus*, eo quod corpus animalis gradientis habeat, pennas tamen habet vt auis, habet etiam duos pedes & rostrũ sicut volucris, sed propter ponderositatẽ sui corporis cum auibus in aera non leuatur, ouat etiam sicut auis, sed oua sua fouere negligit, quæ proiecta, in arena fotu pulueris animantur, *vt dicit Isidor. De struthione autem dicit Arist.* Struthio autem, inquit, in creatione assimilatur aui, & quo ad quid, quadrupedi, quia in aera non leuatur, alæ enim eius non sunt conuenientes volatui, sed creatio eorum est tenuis sicut creatio pili, & quia est sicut auis, multas plumas habet in inferiori parte corporis, & habet pedes duos sicut volucres, & vngues scissos sicut sunt vngulæ quadrupedis, & causa illius est, quia magnitudo corporis eius assimilatur quadrupedi, & non aui. Tantæ enim caliditatis est, quod ferrum diglutit & consumit, *& secundum Auic.* Natura, quæ in omnibus est prouida, dedit ei facere oua maxima & durissimæ testæ, vt circa eorum generationem occupatus calor temperaretur, & si esset nimis intensus calor, esset causa, quare citius moreretur. Alias autem struthionis proprietates tangit *beatus Grego. super Iob. 29. Vbi dicitur*, penna struthionis est similis pennæ erodii in colore, sed non in virtute, pennæ autem similitudinem habet, sed volatus celeritate caret, ad volatum alas suas erigit, sed tamen à terra in altum nullatenus se suspendit, siue in longum raris pennis induitur, & magno corpore grauatur. Item quando venit tempus vt oua pariat, ad stellas, quæ vocantur virgiliæ siue pleiades, oculos leuat. Non enim oua ponit, nisi quando illa constellatio oritur vel ascendit. Cum enim viderit stellam circa mensem Iunii, arenam fodit & ibi ponit oua sua, quæ sabulo cooperit atq; tegit. Cum autem ea ibi reliquerit, statim obliuiscitur vbi

ea posuit, & nunquam ad ea vlterius redit, sed calefacta arena, Solis feruore abscondita oua excoquit, & in ipsis pulliculos procreat & producit. Cum autem fracta testa pulliculus eductus fuerit, tunc primo mater ipsum recolligit atque nutrit, & quem in ouo contempserat, egressum de ouo recognoscit. Et ideo dicitur ad beatum Iob: *Induratur ad filios suos quasi non sint sui.* Item struthio naturaliter equum odit, & in tantum ei contrariatur, quod equum sine terrore videre non possit, & si discurrerit equus contra eum quasi contra hostem alas erigit, & alarum concussione ipsum ad fugam cogit.

CAP. XXXIV.

De Turture.

TVrtur autem à voce vocatur. Auis simplex est vt columba, sed longe dispariter est pudica. Turtur autem auis casta ex moribus appellatur, eo quod comes sit castitatis. Amisso enim pari suo alterius copulam non requirit. Solitarie incedit, memor societatis perditæ semper gemit, loca solitaria diligit & eligit, consortiaque hominum valde fugit, ad hortulos tamen hominum & agros descendit, vbi quærit cibum, vnde viuit. Obtento autem cibo iterum iuga montium & secreta nemorum petere consueuit. Veruali tempore aduenit, & nouitatem instantis temporis querula voce prodit. In hyeme vero deplumatur, & tunc in truncis concauis se abscondit, contra æstatem vero & tempus veris resumptis plumis, de locis abditis vbi latuerat exiens, loca ad pullificanda congrua sibi quærit inter densos arborum ramos, de lignis duris & nodosis nidum construit, in quo ouat, cubat, pullificat & pullos nutrit, *Vt dicit Arist.* Turtur ouat in vere bis, sed non tertio, nisi quando oua primo corrumpuntur, & viuunt & cubant 15. annis, & non descedunt super rem fœtidam, neque super cadauer propter cibum. Morticinio enim nõ vescitur turtur, sed pro suo & pullorum victu paucula grana quærit, & in locis mundis recolligit vnde viuit. Aliis autem bus vociferantibus gemit. Sunt autem pulli eius calidi & humidi, sicut & pulli columbini, *Vt dicit Constant.* quod testatur grauitas ad volandũ, sed volare incipientes, amittun-

gunt illam grauitatem, fitque caro eorum leuior & acceptabilior ad digerendum. Sanguis enim alæ dextræ eius est medicinalis, sicut sanguis hirundinis & columbæ.

Cap. XXXV.

De Vulture.

VVltur à tardo volatu nuncupatur, *Vt dicit Isidorus*, magnitudine enim carnis pręcipites volatus non habet. Hos quidem concubitu dicunt non misceri, & sine copula concipere & concipi, generare atque gigni, natosque eos dicunt viuere centum annis, *Vt dicit Isidorus*. Hæc auis est impia circa filios suos, sicut & miluus. Si enim videt pullos suos impinguari, rostro & pedibus eos percutit, vt sic fiant ex dolore morsuum macilenti, *Vt dicit Plinius. Dicit etiam idem*, quod maxime viget sensus olfactus in hac aue. Vnde & sentiunt odore cadauera à remotis, existentes enim vltra mare, sentiunt cadauera ex ista parte, & è conuerso. Vnde exercitum vultur sequitur, vt hominum & equorum cadaueribus satietur. Et ideo, *secundum augures*, quando conueniunt & circumuolant simul multi vultures, est futuri prælii præsagium, quod aliquo sensu naturæ occulto præsentiunt affuturum. *De Vulture dicit Aristoteles*, Vultur, inquit, pugnat cum erodio, & volat super ipsum, & quando deuincit ipsum, moritur, & comedit carnem crudam, & ideo pugnat contra alias aues propter cibum. Venatur autem à meridie vsq; ad noctem, & ab ortu Solis vsque ad tempus illud, in silentio requiescit, & quando senescit, elongatur rostrum eius superius & recuruatur in fine, & moritur tandem fame, *Vt dicit Aristoteles ibid.* Hoc ei accidere secundum errorem antiquorum putatur, quia dicitur aliquando fuisse homo, & erat impius peregrinis quibusdam, sed hoc est superstitiosum. *Dicit etiam idem*, quod quando est aliquid superfluum de cibis suis, non relinquit illud auibus aliis, sicut facit aquila, sed reponit in nido suo, ad cibandum pullos suos, quoniam nō de facili acquirit cibum. Nidificat autem in altis montibus & nemoribus, & si viderit aliquid volitans circa pullos suos, rostro percutit & fugat illud, & nutrit pullos suos quousque possint volare, & tunc eiicit illos à nido, & vetat

illos appropinquare illico. Nec permittit vnum par vulturum aliud par subintrare locum suum. *Item eodem lib.* Almachar est quædam species auis fluuialis, quæ timet vulturem, & ideo fugit ad aquam, & circumuolat vultur à remotis, & cum sit acuti visus, inspicit quando auis illa exit aquam illam, & tunc si potest capit eam. Est insuper vultur auis multum fœtida & immunda, cuius caro est durissima & mali saporis & grauis odoris, & ideo ad esum est inutilis, de facili pro cadauere terram petit, sed cum descendit de terra, iterum vix ascendit, *vt dicit Gregor.* In alto volans, cadauer in infimis conspicit, & pro amore cadaueris ad ima de sublimitate aeris se submittit, *vt dicit idem.* Quando autem ab aliquo impetitur, contra ventum alias percutit, & sic venti adminiculo potius quam robore proprio ab infimis in aere se extollit, *& ad hoc dicit Plinius lib. 29. cap. 3.* Vultur, inquit, inter aues contrariatur serpentibus, nam si pennæ eius vtantur, fugant serpentes nidore suo. Cor etiam eius reddit se portantes à serpentibus & à feris tutos. Cor eius ligatum in pelle leonis vel lupi fugat dæmones. Penna eius ligata pedi sinistro parturientis velociter liberat eam, sed celerius solue, ne interiora sequantur. Vnguētum factum de adipe vulturis & oleo mirthi & cera neruos curat, iumenta sanat. Pes eius dexter alligatus pedi sinistro dolenti sanat ipsum, similiter dextrum sanat sinister pes. Lingua eius sine ferro euulsa, & collo in panno nouo suspensa, dicitur efficere hominem gratiosum ad impetrandum ab homine quicquid petit. Cinis ossium eius combustorum mixtus cum chelidonia datus animalibus, eorum sanat morbos. *Hucusque Plinius. Idem lib. 36.* Sanguis vulturum cum herba cambeduce vel chameleonte & cedria sanat lepram.

Cap. XXXVI.

De Vlula.

VLula est auis à plausu vel vlulatu nominata, eius enim vox vlulatum prætendit. Vnde & apud augures vlulans prætendit aduersitatem, tacens vero prosperitatem, *vt dicit Isidorus.* Et secundum hoc idem videtur esse vlula quod bubo siue noctua, cuius vox secundum augures est infau-

infausta. *Glo. Hier. super Esa. 14. dic. sic*: Vlula est auis coruinæ magnitudinis respersa maculis, quæ rostro in palude fixo horridum sonum facit. Et secundum hoc videtur quod vlula est onocrotalus, quæ auis est palustris, loca inhabitans paludosa. *Quare sup. de onocratalo.*

CAP. XXXVII.

De Vpupa.

VPupa, *vt dicit Isidor.* à Græcis est nuncupata, eo quod stercora humana comedat, & fœtenti fimo nutriatur. Auis enim est spurcissima & immunda, cristis à capite exeuntibus galeata, semper in sepulcris commorans vel in fimo. Cuius sanguine si quis se inunxerit, dormitum pergens, dæmones in somnis se suffocantes videbit. Cuius cor malefactoribus valet, nam in suis maleficiis eo vtuntur. *De hac aue dicunt Physici*, quod cum senuerit, eo quod nec videre nec volare queat, pulli eius euellunt ei pennas inualidas, & liniunt ei oculos herbarum succis & fouent sub alis, donec recrescant plumæ eius, & sic renouata perfecte volet & videat clare sicut & ipsi, *vt dicit Isid.*

CAP. XXXVIII.

De Vespertilione.

VEspertilio à tempore nomen sumpsit, eo quod lucem fugiens circumuolet in crepusculo vespertino præcipiti motu attrito, & tenuissimis brachiorum membranis suspensa. Et est animal simile muri, non tam resonans voce quam stridore, speciē simul volatilis & quadrupedis habet, quod in aliis auibus solet rarius inueniri. *Huc vsq; Isidorus. Dicit etiam glossa super Esa. cap.* 2. quod vespertiliones lucem fugiunt. Cæci enim sunt sicut & talpæ, puluerem lingunt, oleum de lampadibus sugunt, in rimulis parietum se abscondūt, frigidissimæ sunt naturæ. Vnde sanguis vespertilionis linitus super palpebras non sinit recrescere pilos, *vt dicit Constantinus*, & hoc forsan est, quia sua frigiditate opilat poros, quibus opilatis non recrescunt pili.

BARTHOLOMÆI ANGLICI de proprietatibus Aquę, Liber decimus tertius.

DEscriptis proprietatibus ignis & aeris, restat vt de aquarum effectibus, quantum spectat ad hoc opusculum, nũc aliqua dicamus. Dicitur autem aqua quasi æqua, quia nunquam quiescit à motu, donec superficies eius adæquetur, vt dicit Isidorus libr. 12. *Est itaq; elementum aqua* secundum Constantinum *frigidum & humidum, respectu terræ subtile & perspicuum, proprio termino non contentum, deflueret enim aqua ad nihilum, nisi alieno termino sisteretur.* Aquæ vero proprietatem describit Basilius in generali in hexameron dicens. *Aqua*, inquit, *inter omnia elementa est vtilissimum, cœlum enim temperat, terram fœcundat, aerem suis vaporibus incorporat & condensat, scandit in sublime & cœlum sibi vendicat. Aquæ enim sunt omnium nascentium causa, quia fruges gignunt, arbores & plantas producunt, sordes detergunt, peccata diluunt, potum cunctis animantibus tribuunt. Est enim aqua terræ cõiunctiua, penetratiua, repletiua, caloris cœlestis nutritiua, omnium inferiorum temperatiua, nisi enim hæc inferiora suis exhalationibus temperaret, omnia in conflagrationem vi caloris verterentur. Hæc ab animalibus potata, nutrimentum transducit in carnis vegetationem. Hæc piscibus dat spiraculum, sicut aer animantibus præbet vitam & animationem. Hæc sui diffusione per interiores partes terræ facit partium eius vnionem, terra enim propter intensionem siccitatis dissolueretur in puluerem, nisi pars cum parte humorositate aquea vniretur. Hæc etiam transiens per interiores meatus terræ, à locis per quæ transit in colore & sapore recipit immutationem, & ideo nunc salsa, nunc dulcis apparet, nunc clara*

clara nunc turbida, nunc grossa nunc subtilis. Caret enim aqua determinata qualitate in colore & sapore, vt sic esset omnium colorum & saporum susceptiua facilius. Et ideo aqua quanto est in se purior, tãto apparet obscurior, quando ad ipsius colorationem ipsam solaris radius non subintrat. Hæc mouetur à fundo siue à centro ad circumferentiam, nec sistitur donec æquetur eius superficies secundum aquæ distantiam à centro terræ. Hæc insuper lucem à radiis Solis susceptam reflectit in cœlestia & refundit. Et ideo quia superficiem habet specularem, per actionem reflexi luminis rerum obiectarum imagines in se repræsentat, & intuentium facies ad modum speculi manifestat. Hæc etiam radios ipsius substantiam penetrantes diffundit, & in ampliorem latitudinem extendit, & ideo res in se visas facit apparere maiores quam sunt in seipsis. Has aquę proprietates generales & alias plures in hexam. poteris inuenire. *Aquarũ autem multiplex est differentia,* vt dicit idem. *Aut n. in aere originem sumit, sicut est aqua pluuialis, & hæc, quia cœlestis terræ nascentib. maxime est vtilis: aut de visceribus terræ scaturit, & erumpit, vt aqua fontana & putealis aut terram præterfluit vt fluuialis: aut orbem terræ lateraliter circuit, vt mare Oceanum & Mediterraneum, quod omnium aquarum matrix est & origo generalis,* vt dicit Constantinus. *Aqua igitur pluuialis ex se lucida est & clara, subtilis, leuis & sapida, cuius claritas ostendit quod ei nihil aliud admixtum sit, leuitas vero & sapiditas subtilem eius demonstrant substãtiam. Inter omnes autem aquas melior est ad terræ fœcundationem, maxime quando cadit cũ tonitruo, suo enim motu tonitrus discutit vaporem, vnde fit quod aquam subtiliat & depurat, quæ vero niui est admixta, vel ex niue resoluta peior est & ieiunis non conuenit, stomachum enim percutit & contrahit, tussim gignit, dentes stupefacit,* vt

dicit Constantinus. *De aquarum autem differentiis quo ad earũ qualitates diuersas & varias efficacias*, quęre supra libro 6, de potu aquæ. Ibi enim omnia plane inuenies diffinita. *Post aquam vero pluuialem melior est fontana, præcipue quæ de petra viua effluit aut de fonte alto scaturit & descendit. Fons enim est caput & origo aquæ viuæ, quæ manat & effluit continue de occultis & abditis terræ venis. Vnde fons quasi fouens aquas est dictus siue fundens*, vt dicit Isidorus. *Occultum enim habet de venis terræ egressum, & de profundis petrarum meatibus consequitur ortum suum. Est enim fons suæ aquæ multiplicatiuus, suiq; communicatiuus, nulli enim se occultat, ita peregrinis sicut indigenis se communicat. Item sui & aliorum est purgatiuus. Nam fontalis aqua, quæ effluit à solida petra, lympida est, & sordium maxime purgatiua. Item fons est renouatiuus sui & aliorum immutatiuus, nam aquas suas continue renouat & renouationis & immutationis beneficium cunctis se in fontibus immergentibus administrat*, vt dicit glossa super psalm. *Item sitis est mitigatiuus & refrigeratiuus, æstuantes enim & itinerantes refrigerat, & sitientibus potum congruum administrat. Item locorum sibi adiacentium est fœcundatiuus, nam loca fontibus magis vicina solent esse magis graminosa, florida & etiam sæpius amplius fructuosa. Item fons in medio sui ortus vbi primo de terra erumpit, est puluerum & arenarum sibi obsistentium à se reiectiuus, nã vbi ebullit, violentia sui motus, partes terrestres penetrat & diuidit & partem à parte disgregat. Item fons ratione suæ claritatis & transparentiæ specularis est & formarum sibi obiectarum repræsentatiuus. Et ideo intuentium facies apparent in fontibus & resultant, & tam rugarum quam aliarum macularũ deformitates se in aqua fontanæ transparentia manifestant. Item fons est, secundum qualitatem*

temporis hyemis, scilicet & æstatis suæ qualitatis immutatiuus, nam secundum Macrobium, *in hyeme fons calescit & æstiuali tempore refrigescit.* Cuius ratio est, *quia calor in hyeme refugiens dominium contrarii sui petit interiora fontium, ex cuius præsentia & conculcatione continua ora fontium calefiunt. In æstate vero contingit ex causa contraria è conuerso, nam ex dominante caliditate in aera fugit frigiditas ad interiora meatuum & venarum fontium, & ideo aquæ emanantes tunc temporis inueniuntur frigidiores. Item fons est secundum situm sui originis, aquarum ad superiora emißiuus, ita enim alte in fistulis ducitur sicut oritur, si enim in montis vertice scaturit, ad eandem altitudinis æqualitatem in altitudine in alio monte conduci per fistulas consueuit, nec altius per violentiam de facili ducitur, quam in suo ortu primo erumpere inuenitur. Item fons, quamuis in suo ortu sit paruulus, tamen propter suam indeficientē emanationē multorum & magnorū fluuiorū est originaliter causatiuus. Nullus enim est fluuius, qui non ab aliquo fonte occulto, vel manifesto oriatur,* vt dicit Isidorus. *Item fons est aquarum lacualium & alias quiescentium melioratiuus, & quasi viuificatiuus. Quando enim fons est modicus vbi scaturit, & transit per magnum stagnum, aquas ibi stantes efficit saniores, & etiam pisces degentes reddit simpliciter meliores. Item fons est à venis & meatibus terræ per quos transit, caloris & virtutis & saporis receptiuus,* vt dicit Isidorus, *& ideo fontes nunc sunt calidi, nunc frigidi, nunc sulphurei, &c. secundum diuersas scilicet qualitates terræ per quā transit,* vt dicit Isidorus libr. 12. *Est fons in Italia, cuius aqua sanare oculorum vlcera consueuit. Item est fons in Affrica cuius aqua voces canoras facit. Item fons est in Boetia duplex: vnus enim memoriam alter obliuionem inducit. Item in Æthiopia est fons rubei coloris, ex quo qui biberit, statim*

tim lymphaticus erit. Item in Sicilia duo sunt fontes, quorum vnus sterilem facit, alter sterilem fœcundat. Fons est in Idumea, quater in anno mutans colorem, nam tribus mensibus videtur puluereus, ac si eßet cum puluere mixtus, tribus sanguineus, tribus viridis & tribus lympidus. Hic fons ab incolis, fons Iob nuncupatur. Item fons est in Syloe ad radices montis Syon fluens, qui non vniuersalibus aquis, sed certis diebus & horis ebullit. Item in Sardinia sunt fontes calidi qui oculis medentur, fures arguunt. Nam cæcitate eorum facinus detegitur. Item in Ægypto dicunt esse fontem, in quo faces accensæ extinguuntur, & extinctæ accenduntur. Item apud Garamantes dicunt fontem esse ita algentem de die, quod non bibatur, & ita ardentem de nocte quod non tangatur. Hucusque Isidorus, *Ex quo patet, quod fons sapit naturam sui fundi. Nam si dulcem & purum habuerit fundum, & dulcis & pura erit aqua, & è conuerso, si sulphureus fuerit fundus atque limosus sulphur aut limum sapit aqua. Vnde si fons in suo ortu sit corruptus & vitiosus, totum, quod inde effluxerit, vitiosum erit & corruptum.*

CAP. I.

De Puteo

PVteus est lacus defossus, à potu dictus, *vt dicit Isidorus*, de sudoribus enim terræ & catharactis aquæ oritur, quia ruptis terræ venulis inferioribus, aqua quasi fumando euaporat. Ex cuius euaporatione aqua putealis generatur, *vt dicit idem.* Aqua vero putealis *secundum Constantin.* inter aquas est grossior & indigestibilior, tum propter terræ salsuginem: tum etiam propter ipsius quietem, & propter nimiam elongationem ab aere. Iuxta fluuios autem aqua putealis de facili inuenitur, & illius aquæ substantia complexioni aquæ fluuialis assimilatur. Quando vero puteus fit iuxta puteum: ille qui situaliter est profundior, aquam vicini putei minus profundi attrahit, & in se colligere

gere consueuit. A terra autem circumstante saporem attrahit, & ideo nunc salsam, nunc dulcem se ostẽdit. Item aqua putealis frequenter corruptionem contrahit, quando non mouetur, & ideo vt depuretur & subtilietur, necesse habet vt sæpius moueatur & hauriatur. Quanto autem terræ viuæ est vicinior, tanto aqua putealis frigidior & dulcior communiter experitur. Item in hyeme raro vel nunquam congelatur, nam per præsentiã aeris frigidi hyemali tempore, calor frigori contrarius ad interiora putei repellitur, & ideo aqua ipsius ex vapore calido immutata congelari non permittitur, imo calidior in hyeme quam in æstiuo tempore inuenitur. Item aqua putealis propter situm eius in profundo cum difficultate acquiritur, & sine magno labore & artificio vix hauritur.

CAP. II.

De Fluuio.

FLuuius à fluendo est dictus, *secundum Isid.* enim fluuius est perennis fluxus, quia continue fluit, & nisi eius intercipiatur origo, fluere non desistit. Est igitur considerare in fluuio quo ad fluxum, perennitatem, quo ad situm, profunditatem, quo ad motum, circularitatem. Per longissima enim terrarum spacia currere fluuius consueuit. Item quo ad ortum siue suum originale principium & finalem terminum amaritudinis qualitatem. Omne enim flumen originaliter per occultos meatus in capitibus fontium à mari exit, & per manifestos transitus iterum in mare redit. *Vt dicit glo. super Ecclesiast.* 1. *Vbi dicitur: Omnia flumina intrant mare, &c. Vbi dicit Hieron, Dicunt Philosophi aquas dulces, quæ mari influunt vel ardore Solis consumi, vel salsuginis pabula esse maris.* Sed noster Ecclesiastes aquarum, scil. conditor, dicit, eas per occultas terræ venas ad capita fontium regredi & de matrice abysso in sua principia ebullire, &c. Item est considerare in flumine quo ad medium progressum inter suum finem & principium dulcedinis saporositatem. Nam aqua fluuialis in venis fontium, per quas transit, colatur, vbi á sua salsugine spoliata, contrahit saporem potabilem & in dulcedinem commutatur, *vt dicit Isido.* Item quo ad aspectum specularem, perspicuitatem.

Sub-

Substantiam enim habet puram, luci peruiam & ad modum speculi diaphanam: vnde rerum imagines obiectarum in fluminis superficie repræsentantur. Item est considerare quo ad fluminis substantiam, mundiciam & puritatem, quo ad eius cursum decliuem & præcipitem velocitatem, quo ad impetus sui maximam virtuositatem, quia omnia obstacula & cunctos obices diruit, cuius rapacitati nihil finaliter resistit, sua enim impetuositate, omnia in se proiecta, vel secum rapit vel saltem ad ripam ducit. Naues onustas suo impulsu agitat & impellit. Rotas etiam grauissimas celeriter per violentiam circumuoluit. Sordes etiam in se proiectas recipit, sed motus sui impetu receptas dissipat & dissoluit. Fluminis enim est sui & locorum, per quæ transit, mundificatiuus, & aquarum lacualium & stagnorum per quas subintrat, renouatiuus & à corruptione conseruatiuus. Piscium diuersi generis nutritiuus, & fœtoris & mali saporis in piscibus lacualibus & palustribus abstersiuus, & qualitatis eorum immutatiuus. Habet etiam flumen siue fluuius quo ad effectum multiplicem vtilitatem humanis vsibus congruentem. Nulli enim beneficiũ suum denegat, sed omnibus quantum est de se, se communicat. Vnde tam iumentis quam hominibus, tam paruis quam maioribus æqualiter administrat. Sordes & immundicias tam corporum quam vestium mundificat, æstuantes refrigerat, sitientes potu reficit & recreat, loca sibi adiacentia irrigat & fœcundat, humoris sui effluentia radices & semina humectat, ingrossat & impinguat, *vt patet in AEgypto*: vbi iacto semine in hortorum morem à Nili flumine omnia campestria irrigantur, *vt dicit Rabanus super* 11.c. *Deut. Terra tua non est sicut terra Ægypti, &c.* Sua circumfluentia ciuitates & alia habitacula munit & fortificat, tam victualia quam mercimonia ad ciuitates deferẽtes homines locupletat, arenæ accumulatione & terræ limosæ compositione insulas format, loca minutionibus congrua coadaptat. De aqua vero fluuiali, *dicit Constant.* quod illa est melior, quæ tendit ad ortum Solis, & quæ ab latioribus montibus ortum sumit: quæ vero tendit versus Occidentem, minus est laudabilis. Dicit etiam quod flumina quanto sunt à ciuitatibus remotiora, tanto puriora sunt & nutriendis piscibus aptiora, Fluminibus enim influunt ciui-

tatum sordes & lauaturæ balneorum, lutique effusiones & huiusmodi, ex quibus aqua fluuialis aliquando contrahit corruptelam, *vt dicit idem.* Aqua fluuialis est laudabilis, cuius fluxus est velox, fortis, currens super lapides paruos & fundum arenosum siue argillosum, solidum, sapidum & mundum. Nam ex qualitate terræ, per quam fluit, colorem contrahit & saporem, & secundum hoc variantur fluuiorum tam nomina quam proprietates, *vt dicit glo. super Gen. 2.* Quamuis enim flumina communem à mari sortiantur originem, à locis tamen quibus oriuntur, & per quæ transeunt, sicut colorem contrahunt & saporem, sic & nomen. Quamuis enim multas aquas in se recipiat fluuius influentes, quamdiu tamen cognoscitur primus & principalis alueus, nomen primum perdere non de facili consueuit. Aquas enim quas influendo recipit, re & nomine sibi incorporat atque vnit. Vnde fluuius quamuis sit paruus & modicus, quando de primo fonte primo effluere incipit, quãto tamen à suo principio plus elongatur per aquarum influentiam, tanto plus crescit, vt patet in Danubio Germaniæ fluuio, *de quo dicit Isidor. lib. 14. cap. penult.* quod à Germanicis montibus ex parte occidentis oritur ex fonte paruo, pergens contra orientem 60. fluuios in se recipit, & 7. ostiis in Ponticum mare fluit. Vtilis est autem omnis fluuius quamdiu riparum suarum terminos non excedit. Sed quandoque imbrium inundatione seu niuium resolutione terminos aluei sui egreditur, tunc vicinæ terræ planiciem destruit sæpius & submergit. Sunt autem fluminum duo genera, *vt dicit Isid. lib. 13. cap. penul.* Vnum dicitur flumen viuum, *de quo Virgilius:*

--- Donec me flumine viuo
Abluero, &c.

Aliud est torrens aqua, scil. cum impetu veniens & recedens, dicitur autem torrens, quia pluuia crescit, siccitate vero torrescit, id est arescit, cui Græci ab hyeme nomen dederunt, quando crescit, nos ab æstate, quando deficit & arescit. Est autem decursus torrentis impetuosus & fortis, & ideo quælibet sibi obuiantia diruit, & cum impetu secum trahit, vbi autem fluit, terram concauat & corrodit, & lapillos ac paleas coaceruans, post se vestigia derelinquit, vias destruit, vicina mergit, in mare descendit.

Cap. III.

De Amne.

AMnis dicitur fluuius nemore & frondibus redimitus siue circumseptus, *vt dicit Isid.* sic ex amœnitate vocatus, iuxta quem abundant herbæ medicinales, volucres syluestres nidificant: In cuius decursu feræ potum sumentes, vel feruore æstus se refrigerant, ex cuius vicinitate ibi abundant pascua, & suum vigorem & virorem diutius retinent & reseruant. Sunt autem quædam flumina, de quibus specialiter fit mentio in scriptura, sicut Phison, Gyon, Tigris, Dorix, Euphrates, Iordanis, &c. Est autem Phison Ganges fluuius, *vt dicit Isidor. lib.* 13. à Gange, Æthyopum rege dictus Ganges. Hic exiens de Paradiso, circuit terram Euilath, Indię scil. regionis. Et dicitur Phison, id est caterua, quia decem in se recipit flumina. Interpretatur etiam mutatio oris, quia mutatur à facie quam habet in Paradiso. Et hoc tribus modis, *sicut dicit magister in histo.* In colore, quia alibi clarus: alibi obscurus: alibi turbidus. In quantitate, quia alibi paruus: alibi magnus & diffusus. Et in sensu, quia alibi frigidus, alibi calidus. Hic fluuius abundat arenulis aureis & gemmis preciosis, in cuius etiam littoribus crescunt arbores & herbæ medicinales.

Cap. IIII.

De Gyon qui Nilus dicitur.

GYon qui & Nilus est fluuius Mesopotamiæ, de Paradiso exiens Et dicitur hiatus terræ vel terreus, quia turbidus est & limosus. Oritur autem non procul ab Atlante, & circuit terram Æthiopiæ, & descendit per Ægyptum & irrigat plana eius, *vnde dicit Hieron. super Amos* 8. *ibi defluet quasi riuus Aegypti, &c.* Nilus dispositione Dei totam Ægyptum semel in anno irrigat, cumulis arenarum claudentibus ostia eius, ne defluat in mare, post irrigationem autem solutis cumulis redit in alueum suum, & sic tandem mare ingrediens à mari absorbetur. Hic fluuius nutrit reptilia multum nociua & venenosa, sicut crocodilos & bestiolam, quæ dicitur Enidros, *de quo dicit Isidorus lib.* 2. *cap.* 2. Enidros, inquit, est bestiola, ex eo nuncupata

quod

quod in aquis versetur & maxime in Nilo, quæ si inuenerit crocodilum dormientem, volutat se in luto primo & intrat per os eius in ventrem, & carpit omnia interiora eius & sic moritur. *Dicit etiam glossa super 24. cap. Eccles.* Ibi quasi Gyon qui est Nilus, fluuius turbulentus est & multum contrahit limi: vnde limositatis ratione quam secum ducit, terram per quam transit, frugiferam & valde fertilem facit.

CAP. III.

De Tigri.

TIgris fluuius est Mesopotamiç, de Paradiso egrediens, pergit contra Assyrios, *vt dicit Isidorus*, qui post multos circuitus intrat mare rubrum. Vocatur autem hoc nomine propter impetum & velocitatem ad instar tigris animalis, nimio impetu percurrentis. *Dicit autem Iosephus*, quod Tigris oritur in Armenia ex eodem fonte, quo oritur Euphrates, & vocatur diglath, quod sonat acutum vel angustum: currit enim anguste & acute ad modum sagittæ propter quod Tigris lingua persica, id est velox vel sagitta nuncupatur.

CAP. VI.

De Euphrate.

EVphrates est fluuius Mesopotamiæ, de Paradiso exiens, copiosissimus in gemmis, qui per mediã Babyloniam fluit, hic ab vbertate nomen accepit, nam Hebraice Euphrata frugifer dicitur & interpretatur. Mesopotamiam autem perfluit in quibusdam locis & rigat sicut Nilus Ægyptum. Salustius autem autor certissimus asserit Tigrim & Euphratem de vno fonte manare in Armenia, qui per diuersa loca exeunt spacio multorum millium in medio derelicto, terra autem quæ ab ipsis ambitur, Mesopotamia dicitur. *Hucusque Isidor. lib. 13. cap. penult.*

CAP. VII.

De Dorice.

DOrix est fluuius, *secundum glossam super Eccles. 14.* qui alio nomine dicitur Araxes vel Arapsis, amnis Arme-

 niæ,

niæ, qui oritur ex eodem monte cum Euphrate sic dictus, eo quod rapacitate omnia prosternit. *Vt dicit Isidor. libr.* 13. Vnde cum Alexander eum vellet transgredi, ponte fabricato, tanta violentia inundauit vt pontem dirueret. Hic breuib. interuallis ab Euphratis ortu caput tollit, ac deinde in Caspium mare fluit, *Vt dicit Isidorus ibidem.* Dorix autem dicitur à Græcis à parte terræ ipsorum: nam illa patria vbi fluit lingua ipsorum dorica vocatur, *Vt dicit glossa super Eccles.* 24. Hic fluuius quasi quoddam brachium videtur esse Tigris vel Euphratis, vel vtriusque, cum ex eodem fonte in Armenia oriatur, propter quod dicitur abundare gemmis & herbis aromaticis, quarum vsus conuenit medicinæ. Dorix autem medicamentum generationis interpretatur, mediante itaque Tigri vel Euphrate exire de Paradiso dicitur & prodire.

CAP. VIII.

De Iordane.

IOrdanis Iudææ fluuius à duobus fontibus, quorum vnus Ior, alter Dan vocatur, Iordanis nominatus est, *Vt dicit Isidor. lib.* 13. nascitur autem sub Libano monte, diuidens Arabiam & Iudæam, qui per multos circuitus iuxta Hiericho in mare mortuum influit, quod ipsum absorbet penitus & consumit. Hic fluuius tempore messis triticeæ, quæ solet in Palæstina vernali tempore iam maturescere, consueuit plus solito abundare, quod accidit ex imbris serotini inundatione, & ex niuium resolutione, *sicut dicitur in historiis, & in glos. super Iosue* 3. *dicitur. Iordanis ripas alnei sui tempore messis impleuerat, &c. Et Eccles.* 24. *fere dicitur idem.* Hic fluuius est in multis priuilegiatus. Primo, quia regionem fidelium Iudæorum, à regione incredulorum, Iudæam scil. ab Arabia separauit. Secundo, quia coram filiis Israel se aperuit, & eis ad terram promissionis transitum præbens, in arca Domini & populi præsentia se diuisit, *Vt dicitur Ios.* 3. Tertio, quia lepram Naaman Syri abluit & mundauit, 4. *Reg.* 5. Quarto, quia per sui diffusionem sanctitati Heliæ & Helisæi testimonium prohibuit, quia vtriusque imperio obediuit, *Vt patet* 4. *Reg.* 2. Quinto, quia ferrum contra naturam aliarum aquarum non abscondit in fundo,

in fundo, imo vsque ad suam superficiem illud remittens prophetæ, qui prodiderat ipsum, vt reciperet, eleuauit, *Vt legitur 4. Reg. 6. cap.* Sexto, quia ex contactu mundissimæ carnis Domini sanctificari meruit, quo mediante, Dominus vim regeneratiuam aquis contulit, & humanæ salutis Sacramentum in aqua fieri ordinauit, *Vt patet Luc. 2.* Septimo, quia in Iordane Ioannes baptizauit, & cœlos apertos videre, & vocem Patris audire meruit, quando totius Trinitatis mysterium in baptizando Dominum intellexit. Sunt & alia flumina, quæ nominantur in Scriptura, sicut sunt Abana & Pharphar, quæ sunt fluuii Syriæ, fluentes iuxta Damascum, quorum subductione horti Damasceni irrigantur, & multiplici genere herbarum & arborum ac fructuum multiplicatione fœcundantur, *de his dicitur 4. Reg. 5.*

Cap. IX.

De Gasan.

Gasan est fluuius Medorũ qui alio nomine dicitur Hydaspes, qui à quodam Rege Medorum sic vocatus est. Oritur autem in Oriente, & rubro mari excipitur, in vinculis autem Syris super hunc fluuium duæ Tribus & dimidia, quæ à Salmanasser Rege Assyriorum captiuæ, in Assyrios sunt deductæ, permanere exules sunt coactæ, *Vt patet 4. Reg. 18.* sicut duæ Tribus captiuatæ à Nabuchodonosor super fluuium Chobar in Babyloniam fuerunt multis temporibus collocatæ, *Vt patet in Ezech. 1.* Est autem Chobar fluuius Babylonicus, per paludes Babyloniæ se diffundens, à Tigri vel Euphrate ortum ducẽs, ac in vnum ipsorum iterum rediens siue cadens, *Vt dicit Hiero. super Ezech.* Fluuius autem Chobar parte sui littoris abundat salicibus & carectis, *sicut dicitur gloss. super locum illum. Isa. 18. Vltra torrentem salicis duceris.* Hunc torrentem vocat Babyloniæ flumen, super quod residens populus Dei non resultat, imo plorat, *sicut scriptum est: Super flumina Babylonis, &c.* Sunt & alia flumina multum famosa, sed de illis hic tacemus, quia de eis mentionem in Biblia non habemus.

CAP. X.

De Lacu in generali.

LAcus est latentium aquarum receptaculum, in quo aqua retinetur: nec fluctibus admiscetur, *vt dicit Isidor.* lib. 13. quod Græci λίμνην, id est, stagnum vocant. Nam fontes labuntur in flumina, flumina vero in freta discurrunt. Lacus autem stat in loco, nec fluit, & ideo dictus est lacus quasi aquæ locus, *vt dicit Isidor.* Aquas enim quas scaturiendo vel influendo recipit, alias non transfundit. Pisces autem lacuales, *vt dicit Constantin.* minus sunt laudabiles quam fluuiales, nam sua limositate pisces, quos nutrit, quasi limum sapientes reddit. Herbas superfluas gignit, in quibus ranas & vermiculos multos nutrit. Aqua fluens lacus subintrans & influens, ipsorum aquas recentiores efficit, & ipsas à corruptione custodit. Ex nimia vero aquarum receptione frequenter ripa stagni rumpitur, & quicquid diutius intus nutritum est subito inanitur. Aqua autem lacualis cæteris est grossior, & aquis fluuialibus ad potandum minus laudabilis experitur. Nam talis potus sæpe assumptus, multas generat in corpore passiones, *vt patet sup. lib. 5. de aqua potu.* Contrahit autem aqua lacualis diuersas virtutes ex fundo & situ, vbi recolligitur. *sicut exemplificat Isidor. lib. 13. cap. 3. de diuersitate aquarum dicens:* In Æthiopia, inquit, lacus est quo profusa, corpora velut oleo nitescunt. Etiam lacus est in Africa, quæ canoras facit voces. Item in Italia est lacus, qui bibentibus aquam ipsius, tædium vini facit. In Reatinis paludibus iumentorum vngulas indurari dicuntur. Item in Asphaltico lacu Iudææ nihil viuum habens animam, mergi potest. In Indis Syden est stagnum, in quo nihil natat, sed omnia submerguntur. In Thraconitide est lacus, in die ter amarus, & toties dulcis. *Hæc omnia recitat Isidorus in lib. & cap. supradicto.* Hæc autem & aliæ consimiles aquarum putealium & lacualium diuersitates, accidunt ex varia qualitate venarum terræ, per quas transeunt tales aquæ, vel a natura & dispositione fundi, vbi aquæ huiusmodi recolliguntur.

CAP.

CAP. XI.

De Lacu Asphaltitis.

LAcus Asphaltitis mare mortuum nuncupatur. Mare, propter eius magnitudinem & profunditatem. Mortuum, quia nihil gignit viuum, nihil enim recipit ex genere viuentium. Vnde nec pisces habet nec volucres, sed quæcunque viuentia mergendo temptaueris quacunque arte, statim resiliunt, & quamuis vehementer illisa, confestim excutiuntur. Sed neque a ventis mouetur, bitumine turbinis ventis resistente, quo omnis aqua stagnatur, neque nauigationis patiens est. Omnia autem vita carentia in profundum merguntur, neque materiam aliquam sustinet, nisi quæ bitumine illustratur. Extinctam lucernam in eo submergi, accensam vero supernatare dicunt. Hic lacus Asphaltitis, id est, bituminis vocatur, siue mare salinarum, & est in Iudæa, inter Hiericho & Zacham. Longitudo eius vsque ad Zoraas Arabiæ dirigitur, stadiis septingentis & octoginta. Latitudo eius stadiis centum, vel vsque ad vicinia Sodomorum. *Hucusque Isidor. lib.13. in cap. de lacu & stagnis. In histor. dic. magister cap. de subuersione Sodomorũ in fin.* Hic lacus nigras glebas bituminis euomit, & ideo lacus Asphaltites dicitur, in cuius ripa poma in arboribus nata, vsque ad maturitatem coloris sunt viridis, quæ si matura incidas fauillas intus inuenies. *Vnde ait Iosephus: fauilla terræ Sodomorum fidem habet. Simile dicitur in gloss. super 2. Petr. 2. cap. super locum illum: Ciuitates Sodomorum in cinerem redigens, &c. Seruare adhuc voluit Dominus regionem contra positam speciem pristinæ pœnæ.* Nascuntur ibi poma pulcerrima, quæ ex se cupiditatem edendi spectantibus generant, quæ si carpas, fathiscunt & resoluuntur in cinerem, fumumq; excitant, quasi adhuc ardeant.

CAP. XII.

De Lacu Tiberiadis.

LAcus Tiberiadis ab oppido Tiberiadis est vocatus, quod quondam Herodes in honorem Tiberii Cæsaris condidit. Est autem stagnum maximum siue lacus omnibus lacubus in Iudæa salubrior, & ad sanitatem cor-

porum efficacior. Circuit autem stadia centum sexaginta, *vt dicit Isido. lib.13.*

Cap. XIII.

De Stagno Genesareth.

Stagnum Genesareth, *vt dicitur ibidem*, est lacus amplissimus in Iudæa, qui longitudine 160. stadiis extenditur, latitudine vero 60. diffunditur, aquis crispantibus aura, non ventis, sed de ipso sibi creans, vnde & Genesareth dicitur Græco vocabulo, quasi generans sibi auram, denique per diffusiora spacia lacus frequentibus auris spirantibus agitatur, vnde purior est haustus eius & dulcior, ac habilior ad potandum. *Hucusque Isidor.* Propter magnitudinem vero eius sæpe in Euangelio mare vocatur, non quia sit mare, sed potius est quædam magna Iordanis refluxio, *vt dicit glos. super* Ioan. *cap. 6.* Consuetudo est autem Hebræorum omnem talem aquarum congregationem vocare mare, & ideo sæpe maris nomine nuncupatur.

Cap. XIIII.

De Piscina.

Piscina est aqua ad nutriendum pisces collecta, quamuis per antiphrasim aquarum collectio non habens pisces, piscina sæpius nominetur, *vt dicit Isidorus.* Ad bonitatem autem piscinę exigitur fundi soliditas, aquæ influentis puritas, & influentiæ continuitas. Vbi enim fundus est limosus & paludosus, pisces saporosi nullatenus nutriuntur. Vbi etiam recens aqua non fluit, aquæ stantes & non motæ de facili corrumpuntur. Et ideo ad piscinæ renouationem per canales & fistulas aquæ dulces & recentes inducuntur, vallibus & aggeribus ne influentes aquæ effluant, piscinarum termini minuuntur. De piscinis etiam riuuli ad hortorum irrigationem deducuntur. Herbę & arbores iuxta piscinas sitæ, magis virentes & fructiferæ inueniuntur.

Cap. XV.

De Riuo.

RIuus à rigando est dictus, *vt dicit Isidorus*, nam à fonte vel a riuo fluuius ducitur, vt inde ortus irrigetur. Naturam enim & effectum sui originis sapit riuus. A fontali origine mediante riuo procedit fluuius siue lacus, *vt dicit Auicen.* Est autem riuus immundiciarum purgatiuus, terræ fœcundatiuus, potus animalibus & auibus ministratiuus, viroris & pulcritudinis in herbis & floribus conseruatiuus, lapillorum & arenularum attractiuus.

Cap. XVI.

De Fluctu.

FLuctus à flatu est dictus, ventorum enim impulsu aquę agitatæ fluctuant, quarum eminens liquor, qui semper in motu est, vocatur vnda. Et est vnda ab eundo dicta, eo quod continua agitatione mota nunquam quiescit, *vt dicit Isidorus lib.* 13. Fluctus autem mutuo se collidunt, vt nunc sursum nunc deorsum mutuo se agitent & impellant, & ex frequēti allisione mutuo spumam ex se gignunt, arenulas & varias fundi particulas secum admiscendo sursum ferunt. Pisces allidunt, & ex motus sui impetu meliores reddunt. Ex ventosi aeris subintratione fluctus intumescunt, & secundum venti impetum nunc ascendūt nunc descendunt. Ex concussione mutua aerem concitant & ventum gignunt. Naues eleuant & ad ripas deprimunt, & litora se cum strepitu cōstringunt. Semper sunt in motu & quiescere non possunt, aut enim penitus deficiunt aut vndiquę se agitant & diffundunt.

Cap. XVII.

De Gurgite.

GVrges est in flumine locus altus siue profundus, à gutture gurges est dictus, *vt dicit Isidorus*, eo quod aquas influentes absorbeat, & absorptas iterato reuomat, & remittat. Vnde propter sui profunditatem motu circulati & reflexo circumfertur, propter quod natantes de facili in gurgite periclitantur. In gurgite etiam pisces maxime se

occultant, & vix quam diu gurgitem non exeunt, capiuntur.

Cap. XVIII.

De Tramite.

TRames est primus aquæ seu fluminis decursus & exitus continuus à fonte exiens, ac meatus sui alueum non relinquens. A fonte enim effluere incipit, & quousque mare intrauerit infra aluei sui limites continue fluere non desistit. Fundum suum concauat & consumit. Nauigio maxime conuenit. Pisces maiores nutrit, quia recentiorem aquam & fundum puriorem habere generaliter consueuit. Cum maiori impetu fluit quam aliqua alia pars aquæ, & ideo naues atque lignorum strues celerius secum trahit, & ideo trames dicitur à traho is, vel transmitto tis, quia omnia imposita trahit celerrime & transmittit. Quanto enim aquæ cursus in suo tramite est recentior, tanto est velocior, & omnia velocius secum ducit siue trahit.

Cap. XIX.

De Alluuione.

ALluuio alluuionis & hæc alluuies, dicitur latens & lenta aquarum inundantia, ab alluendo vel abluendo dicta. Abluit enim terram, per quam transit & abluendo consumit, vnde subterranea riparum consumptio ex aqua facta alluio dicitur. *Iob* 14. *Alluuione paulatim terra consumitur, &c.* Quanto autem per absconditas riparum concauitates meliori fluxu se diffundit, tanto periculosius littoris soliditatem dissipat & dissoluit. Nam ripæ superficies exterius solida creditur, quia eius consumptio interior non videtur, sed ideo pes calcantis ripam facilius labitur, quia consumpta interiori soliditate latens vacuitas non cauetur, *vt dicit Constant.*

Cap. XX.

De Abysso.

ABystus est aquarũ profunditas impenetrabilis, à qua fontes & flumina oriuntur. Omnes enim aquæ de abysso exeunt, & per occultas venas ad matricem abyssum reuer-

reuertuntur, *Vt dicit Isidorus lib.* 13. Vnde dicitur abyssus quasi abuisus, quia eius pronfunditas videri non potest. Vel dicitur abyssus quasi sine bysso, id est sine cãdore, quia propter nimiam distantiam à fonte luminis, lucis pulcritudine caret & decore, *Vt dicit Iohannes Damascen. Abyssus nihil aliud est quam aqua multa, cuius finis est incomprehensibilis & inuisibilis, quia ad eius terminum lucis diffusio non attingit.* Vel dicitur abyssus quasi sine base, quia eius fundamentum & sustentatio sensu non videtur. Et ideo primordialis materia, quia in principio non erat forma determinate distincta, abyssus *ab Augustino* est vocata. *Propter quod dicitur in libro confessionum* 12. *Abyssus est corporale illud quod fecit Deus, Vt esset materia corporearum rerum informis sine ordine & sine luce.* Vnde abyssus idem est quod prima materia. *Vt dicit Augustinus in libr. de symbolis.* Terræ (*inquit*) & abyssi nomine materiam nuncupauit; quæ de nihilo facta est, vt ordinatissimo Dei munere primo capax formarum fieret, & deinde formarentur quæcunque sunt formata. Vnde eadem materia aqua est dicta, tum quia fluida, tum etiam quia omnis formæ est susceptiua. Vnde dicebatur terra propter naturalem stabilitatem vel soliditatem, secundum quam erat generationi & corruptioni subiecta. Abyssus, propter informitatem, quia nulla erat forma distincta. Dicebatur & aqua, propter formationis possibilitatem secundum quam erat omnis formæ & qualitatis potentialiter receptiua, *Vt dicit Augustinus.* Abyssus itaque ex se habet obscuritatem, profunditatem, omnium aquarum & fluuiorum capacitatem, insatiabilitatem, quia nunquã tot aquas recipit quin plures recipere possit, inscrutabilitatem, inexhaustibilitatem, communicabilitatem.

CAP. XXI.

De Mari.

MAre est aquarum collectio tam dulcium quam salsarum, *Vt dicit Isidorus lib.* 13. Proprie autem dicitur mare, eo quod aquæ eius sunt amaræ, *Vt dicitur ibidem. Et sequitur*: vocatur autem mare *Aequor* ab æqualitate, eo quod æqualiter sursum est. Quamuis enim aquę maris fluctuantes velut montes erigantur: sedatis tamen tempesta-

tibus, iterum adæquantur, *vt dicit idem.* Idem autem dicitur *Pelagus*, quasi pellens vndas, quia in mari fit vndarum & procellarum motus continuus & impulsus. Mare autem, *vt dicit idem ibidem*, quamuis omnium fontium in se recipiat aquas & flumina: ex tanto tamen aquarum concursu non suscipit incrementum. Quod accidit ex hoc: vel quia eius magnitudo influentes vndas non sentiat, vel quia amara vndas fluentes consumat: vel quia ipsæ nubes multam aquositatem ad se attrahunt. Siue quod illas auferant partim venti, partim Sol exsiccet. Seu quia aquæ dulces per occulta quædam foramina percolatæ redeant ad capita fluuiorum & fontium reuolutæ. *Hucusq; Isidorus lib. 13. Secundum Ambrosium autem & Basilium in hexam.* mare est aquarum aggregatio multiplicata, per diuersa loca & nomina, sed tamen continue vna semper mota, vaga, sonora, spumosa, in fluxu & refluxu Lunæ naturam imitans, cuius virtute & influentia cohibetur. Est autem mare caput & hospitium fluuiorum, fons imbrium, quo sibi discrepantes populi copulantur, subsidium in necessitatibus, refugium in periculis, itineris compendium, laborantis lucrum. *De mari etiam dicit Aristotel. in libr. meteororum.* omnium aquarum mare est principiũ & origo, & est aquarum quies, & diuiditur in reliqua maria. Causa autem propter quam sit in mari salsedo & amaritudo, est, quia duo sunt vapores, humidus vapor & siccus, subtilis & aquosus. Resoluitur pars subtilior per motum Solis & remanet grossior, & calore Solis cum calefacit, efficitur salsum quod remanet & amarũ, vt sudor & vrina ex adustione. Fit enim res amara quãdo remanent partes terrestres adustæ aqueis & insipidis partibus consumptis, & de amaritudine per adustionis intensionem fit salsedo, vt patet in cinere, in quo aqua colata sentitur salsa. *Item Aristoteles in eodem.* Aqua maris salsa grauior est aqua dulci, quia hæc grossior, illa vero subtilior. Cuius signum est, quia ouum natat in aqua salsa & non in dulci, & profundius submergitur nauis cadens in aqua dulci quam in salsa. Et ideo in mari mortuo non mergitur animal nec generatur, quia vincit in eo siccitas. *Item in libro de animalibus.* In mari est aqua & potest ab eo extrahi salsedo, quoniam si homo acciperet vas terreum, nouum, crudum & clauserit eius orificium, & eijceret

ret ipſum vacuum in mari per diem & noctem, intrahit in ipſum aqua dulcis. *Item idem in libro meteoror.* Aquæ dulces eleuantur propter leuitatem ſuam ſurſum, & aquæ ſalſæ deſcendunt propter grauitatem ſuam deorſum, & quod ſalſum eſt remanet in terra & duce euaporat. *Item idem libro de elementis.* Mare in actionibus ſuis imitatur naturam Lunæ. Quod patet, quia quandocunque Luna oritur in aliqua hora diei vel noctis, tunc flumen ingrediens mare in illa regione, in qua oritur Luna, extendit ipſum mare, ita quod aqua illius fluminis redit ad partem loci, à quo cucurrit, ac ſi eſſet per violentiam repercuſſa. Et cum eſt Luna in cardine inferiori, incipit aqua diminui, ſicut quando Luna vult oriri aqua incipit augmentari. Vnde ſicut ferrum ſequitur adamantem, ita mare curſum Lunæ ſequitur & virtutem, *Quære ſupra lib. 8. in cap. de Luna.* Item inſpiſſatur quoque mare poſt aſcenſum ſtellæ, quæ vocatur canicula, & mutat colorem & efficitur nunc viride, nunc cœruleum, nunc turbidum, nunc clarum. *Item Macrobius in lib. Ciceronis.* Oceanus in incremento Lunæ ordinem iſtum tenet. Nam primo die creſcentis Lunæ fit copioſior ſolito, quia tunc mare plenum eſt in ſummo: deinde minuitur ſecundo, & ſic deſcendendo minuitur vſque ad diem ſeptimum, & tunc eſt maxime in vltimo defectu. Incipit autem paulatim creſcere iterum vſque ad diem ſeptimum. Die itaque quo Luna eſt 14. quando totaliter eſt plena, eſt iterato mare in ſuo augmento ſummo, & iterum incipit minui per dies ſeptem alios. Ita quando Luna eſt 21. eſt iterum in ſuo minimo. Et creſcendo incipit aſcendere per ſeptem alios dies, ita quod quando Luna eſt 28. tunc iterum eſt in ſuo ſummo. Et ſic ſemper mare quatuor recipit immutationes quolibet menſe, duas ſcilicet creſcendo, & duas in decreſcendo ſecundum augmentum vel decrementum ipſius Lunæ. Semper itaque eſt mare in ſuo augmento & vigore, quando Luna plena eſt lumine vel verſus cœlum, vt in nouilunio, vel verſus terram, vt in plenilunio fieri conſueuit. Et quanto Luna in ſuſceptione ſiue in amiſſione luminis ſui plus proficit vel deficit: tanto mare creſcit amplius aut decreſcit. Item mare *ſecundum Ariſtotelem in libro Vegetabilium*, fundum & litus habet durum, ſolidum & arenoſum. Et ſignum huius quod mare ſit

ſalſum

salsum super arenas est, quia obtinuerunt in eo partes terreæ siccæ quia sunt salsæ, & existentia aquæ diuisit lutum per partes suas, & ideo terra mari propinqua arenosa est. Inter partes vero eius arenosas diuersi lapides & gemmæ miræ virtutis procreantur, & arenarum attritu politæ per vndarum maris motum ad litora iactantur. Prẹter istas autem maris proprietates sunt quædam aliæ communes, & omnibus fere notæ, quas tamen propter simplices bonum putaui hic apponere, vt materiam habeant aliqua mystica, per earum similitudinem simplicibus suadere. Est itaq; mare suiipsius purgatiuum, omnia enim cadauera & immunda à se reiicit, & omnia immunda & mortua discutit, per motus violentiam expellit, *vt dicit Gregorius*. Itē mare est per occultissimas venas sui abyssi diffusiuum, & tā fontibus quam fluminibus materiam sui fluxus continue ministratiuum, *vt dicit Hieron. super Eccles.* Item mare est animantium & monstrorū multiplicis formæ productiuum, mare enim longe plura producit monstra & mira, quam facit ipsa terra, *sicut dicit Rabanus super Eccles. 43. ibi. Illic præclara & mirabilia opera & varia bestiarum, &c. Et in Psalmo. Illic reptilia, quorum non est numerus.* Item quamuis mare substantialiter sit molle & liquidum, durissimarum tamen rerum tam animatarum quam inanimatarum est generatiuum, vt patet in conchylibus & piscibus duræ testæ, & in lapidibus & gemmis, quas emittit. Item mare quamuis in se non sit potabile vel delectabile quantum ad gustum, est tamen vtile quo ad effectum. Multarum enim infirmitatum est curatiuum, sanat enim hydropicos, vlcerosos & alios scabiosos, *vt dicit Constantinus*, & multos alios curat. Item mare quamuis ex se sit salsum & amarum, per dulcedinem tamen venarum terræ per quas transit, est sui vaporis immutatiuum, dulcedinem enim quandam contrahit ex colatione terræ per quam transit, *vt dic. Macrobius & Aristoteles.* Item mare quantumcunque sit insipidum aut amarum, piscium tamen dulciū est nutritiuum, latentem enim habet dulcedinem, quam sugentes pisces contrahunt nutrimentum congruum & saporem, *vt dicit Ambrosius.* Item mare mobile est & inquietum, & ex suo motu est suæ substantiæ à corruptionis periculo conseruatiuum, quia ex continuatione motus subtiliatur, & sic ne pu-

ne putrescat, à corruptibili vitio conseruatur. Item cum sit liquidum & male terminabile: tamen per seipsum sistitur & non per alium, propter quod vltra littorum suorum terminos non est de facili processiuum, *sicut dicitur Prouer. 8. Hiere. 5. Iob. 38.* Item salsedine & amaritudine sua est dulcedinis, fontium & aliarum aquarum influentium, absorptiuum, tanto enim reputatur aqua fluens dulcior, quanto plus amaris introitu elongatur. Item ex collisione & mutua reuerberatione suorum brachiorum, quib. cingit terram, est ventorum contrariorum generatiuum, *vt dicit Beda.* Item inconsuetis mare maxime est nociuum, est enim timoris incussiuum, & doloris capitis generatiuum, vomitus & nauseæ prouocatiuum, appetitus cibi & potus ablatiuum. Item ex vaporatione fumositatum, quas emittit, est nebulæ & nubium generatiuum, caliginis & obscuritatis in aere inductiuum, & radiorum Solis interceptiuum, caloris solaris repressiuum. Item colorem proprium non habens, pro qualitate ventorum est sui coloris mutatiuum, nam modo flauum est, modo lutulentum, modo atrum, *vt dicit Isidorus lib. 13.* Item mare multorum periculorum est in se contentiuum, modico enim flatu venti redditur tempestuosum, procellosum, feruidum & tumultuosum. Et ideo mare fretum dicitur *vt dicit Isid.* scil. feruidum habens motum, vt patet in mari Siculo, in quo propter maris feruorem strepitum facientem, scylla & charybdis esse dicuntur, quæ sunt duo loca periculosa, in quibus multæ naues facilime periclitantur. Est autem scylla ingẽs saxum in mari eminens, multa habens promunctoria siue capita, ad quæ collisi fluctus horrendum strepitum faciunt, cui naues aliquo casu impingentes, à naufragio non euadunt. Charybdis vero est dicta, eo quod gurgitib. occultis naues sorbeat. Est enim ibi mare voraginosum, & quasi reflexum in se, tortuosum, & ideo naues ibi transeuntes sibi attrahit & in se deglutit, ac deinde mergit, ter in die fluctus erigit & ter absorbet: nam aquas accipit vt euomat, iterato vomit vt sursum accipiat, *vt dicit Isidorus libr. 13. in capi. de æstubus maris & freti.* Item aliud notabile periculum occurrit in mari, scilicet inæqualitas fundi, quando in aliquo loco aqua est profundissima, & statim iuxta illum locum vix est vadosa, & hoc periculum Syrtis vocatur, eo quod ibi arenę

in cu-

in cumulos cõtrahuntur. Syrtis enim græce idem est quod tractus. Et dicitur Papias quod tales Syrtes sunt in mari Ægyptiaco & ei admiscentur. Ex quo patet quod periculosus est maris transitus, tum propter latentes scopulos, tum etiam propter arenarum cumulos, sub aqua pariter adunatos, quia in talibus locis naues citissime cõfringuntur. Item aliud periculum dicitur bithalassum, quando scilicet nauis onusta impingit in fundum multum bituminosum & limosum, quia propter limi tenacitatem non potest se eximere aut exire: *Vnde dicit Hugo*, quod bithalassum est vestigium limo impressum. *Glossa tamen super acta* 27. *dicit* quod bithalassum est concursus duorum marium. *Magister vero in histo.* dicit quod bithalassum dicitur lingua terræ in mari protensa, hinc & inde mari circundata. Et dicitur bithalassum quasi mare bifidum, terræ interiectu diuisum, thalassum enim græce mare sonat. Quando ergo in bithalassum offendit nauis, manet immobilis prora, sed puppis frangitur retro maris impetu superuenientis *sicut dicit magister ibidem.* Item transfretantes generaliter patiuntur periculum, aut ratione maris aut ratione aeris, aut ratione nauis. Nam si mare fuerit scopulosum, vndiq; rupibus & saxis impeditum, non sine periculo pertransit, aut si fundum habuerit inæqualem, nunc cumulis arenosis eleuatum, nunc vero ad modum voraginis depressum & profundatum, de facili transitus impeditur, sed & quandoque mare in sua superficie subintrantibus ventis efficitur nimis tumidum, & vndis sese allidentibus & mutuo se concutientibus, fit nimium procellosum. Nauis fluctibus ascendentibus & descendentibus periculose exponitur, quia sæpe aut concutitur, aut à procellis contrariis operitur. Item accidit periculum ex aura turbulenta, nam tempore tempestuoso, obscuro & nebuloso mari se committere, solet esse plurimũ periculosum, potissime quando nauis præceps fertur in periculum, & periculum non videtur, maxime autem formidatur ventorum nimietas, & maxime quando venti contrarii casu aliquo oriuntur, quia certum naufragium tunc timetur, quanto autem nauis per vnius venti impulsum promouetur versus portum, tanto fortioris venti contrarii impetu compellitur ad præcipitium aut saltem inter contrarios fluctus in periculo diutius detinetur.

tur. Item adducit periculum nauis deferentis debilitas & insufficientia. Non enim tutum est se committere super mare nauiculæ nimis paruæ siue fragili & confractæ: quia talis nauis non est secura inter sæuientis procellas maris, quoniam vel propter paruitatem suam fluctibus opprimitur & subuertitur, aut propter fragilitatem ventorum & aquarum impetu confringitur, aut propter rimarum & foraminum multiplicitatem, aquarum subintrantium pondere ad ima demergitur, vel saltem ad portum in tali nauicula tardius peruenitur, & præcipue, quando in tali naui boni naucleri & gnari præsentia non habetur. Tunc enim summum in mari est periculum, quando nauis habet imperitum gubernatorem & incircumspectum. His & multis aliis incommodis subiacet mare tam mediterraneum quam oceanum, *vt dicit Isidorus*. Vocant autem tam Græci quam Latini mare oceanum, eo quod in modum circuli ambit orbem. Totam enim sphęrā nostri habitabilis circuit oceanus, à celeritate sic dictus, eo quod ocyus circumeat & discurrat, vel quia purpureo colore nitet oceanus, quasi ceanus, id est cœli circulus, *vt dicit Isidor. libr.* 13. hic oceanus oras terrarum amplectitur, alternisq; æstibus accedit & recedit, respirantibus autem in profundum ventis, aut remouet maria aut absorbet. Et quamuis vnum sit mare, quantum ad sui continuationem, tamen propter multifidos eius sinus de proximis regionibus diuersa vocabula sumpsit: vt mare Gallicum à Gallicis, & mare Britannicum a Britannis, sic & Gadiacum mare a Gadibus est dictum, vbi primo ab Oceano maris magni limen aperit, vbi cum Hercules peruenisset, columnas ibi posuit, sperans ibi terræ esse finem. *Hucusque Isidor. lib.* 13.

Cap. XXII.

De mari Magno siue Mediterraneo.

MAre magnum siue mediterraneum est, quod ab occasu ab Oceano fluit & in meridiem vergit, inde ad septentrionem tendit, quod inde magnum appellatur, quia cætera maria in comparatione illius sunt minora. Dicitur autem mediterraneum, quia per mediam terram vsque ad orientem perfunditur. Asiam & Africam termi-

terminans & Europam, cuius primæ partis sinus qui in Hispania perfunditur. Hybericus & Balearicus appellatur. Deinde gallicus qui Narbonensem prouinciam alluit, post Ligusticus, qui iuxta vrbem Genuam est proximus, & vicinus, post est Thyrrenus, qui Italiam attingit. Inde Siculus, qui vsque ad Cretam à Sicilia vadit, qui post in Pamphiliam & Ægyptum se extendit, deinde per Hellespontum versus septentrionem magnis anfractibus se retorquet, & tandem iuxta Græciam & Illyricum in angustas septem stadiorum constringitur seu coarctatur. Deinde diffusus æquore pauci cursus stringitur, & facit Propontidem, qui mox in quinquaginta passus coarctatur. Fitque Bosphorus Thracius, qui locus dicitur propontides, eo quod præuenit mare Ponticum & præcedit. Idem dicitur Bosphorus à transitu stricto & angustis meatibus boum, *vt dicit Isidor.* Inde diffunditur sinus Ponticus amplissimus: à tergo habens Mæotides paludes. Quod mare ex multitudine fluminum & aquarum dulcium influentium dulcius est atque amplius nebulosum; atque præter phocas & delphinos, alias beluas marinas maiores non patitur. Sicut autem terra cum sit vna, pro diuersis locis variis vocatur vocabulis, ita pro variis regionibus, hoc mare magnum, diuersis nominibus nuncupatur. *Hucusque Isidor. lib.* 13. Sinus vero maris dicuntur maiores recessus, vt in mari Mediterraneo Ionicus ab Io rege Græciæ sic dictus. Iones autem dicuntur Athenienses. Vnde Ionicum mare ab Ionia vsque in Siciliam dilatatur. In oceano vero maximus est sinus Caspius, Indicus, Persicus, Arabicus, qui & mare rubrum dicitur. Rubrum autem mare est vocatũ, eo ꝙ sit roseis vndis infectum, nõ tamen talem habet naturã, qualem videtur ostendere, sed ex vicinis litorib. viciatur gurges atque inficitur, quia omnis terra quæ circumstat pelago, rubea est & sanguineo colori proxima & vicina. Inde enim minium acutissimum excerpitur, & alij colores, quibus pictura variatur. Vnde cum terra talem habet naturam, ex fluctibus littus dissoluentibus, maris substãtia rubrificatur. Ob hoc etiam in his litoribus gemmæ rubræ inueniuntur. Nam huiusmodi lapilli humo inuoluti cum inter arenulas sint attriti, maris colorem retinent atque fundi. Hoc mare in duos sinus diuiditur, vnus est Persicus ab oriente, quem

Persæ

Persæ inhabitant: alius ab occidente Arabicus, quem Arabes incolunt & frequentant, *vt dicit Isidor. lib.13.*

Cap. XXIII.

De Pelago.

PElagus est latitudo maris sine litore & sine portu, *vt dicit Isidor.* summam habens profunditatem, instabilitatem, & motus continuitatem, cetorum & aliorum monstrorum nutriens diuersitatem; multorum vaporum & fumositatum generans densitatem; ex quibus contrahit obnubilationem & obscuritatem, ex ventorum varietate recipiens coloris mutabilitatem, & ex collisione vndarum, spumarum congregans in superficie leuitatem: & tumultuositatem emittens & sonoritatem. Tumultuosum enim est pelagus & sonorum inquietum & periculosum. *Sicut de mare superius dictum est.*

Cap. XXIV.

De Gutta.

GVtta est minima maris vel aquæ siue pluuiæ particula, à totalitate sua, per aliquam violentiam separata. Quę quidem, *vt dicit Isidor.* gutta dicitur, quando stat aut pendet de tectis aut arboribus ac si esset glutinosa. Stilla vero dicitur dum cadit. Hinc & stillicidium dicitur quasi stilla cadens. Tam stilla vero quam gutta à nube aquosa vi caloris siue impetu venti resoluta, suo pondere inferiora petit. Et dum in cadendo est nomen stillæ, in stando autem vel pendendo obtinet nomen guttæ. Stilla autem siue gutta in substantia est humida & clara & dyaphana, forma rotunda, quantitatę modica, virtute magna. Nam terram super quam cadit, humectat & fœcundat, radices & semina nutrit & ingrossat, virorem in herbis, arboribus & plantis vegetat & conseruat. Pisces in mari reficit & recreat, ostrea impinguat, ac in eis margaritam generat, *vt dicit Isid.* maxime gutta roris. Et cum sit in se mollissima, ex frequenti tamen casu penetrat durissima, iuxta illud:

Gutta cauat lapidem non vi sed sæpe cadendo.

CAP. XXV.

De Spuma.

SPuma est dicta, eo quod spumatur, *Vt dicit Isid.* Ex sordibus enim aquæ generatur, vnde & mustum, & ea quæ coquuntur spuma purgantur. Fit autem spuma propter interclusionem venti interclusi in aquæ superficie, motu aliquo, agitatæ. Vnde propter inclusi aeris leuitatem enatando aquæ superfertur, & cito quippe ex vndarum collisione gignitur, sed tamen cito dispergitur & dissipatur. Spuma maris quandoque inter lapides recolligitur, sed per feruidam superuenientis caloris solaris actionem quandoque in pumicem, quandoque in spongiam induratur.

CAP. XXVI.

De Piscibus.

PIsces à pascendo sunt dicti, *Vt dicit Isid.lib.*12.*c.*7. terram & herbas aquaticas lambunt, & sic sibi victum quærũt. Dicuntur & reptilia, eo quod natandi & reptandi speciem habeant. In natando enim repunt quamuis in profundum se demergant. *Vnde Ambros. in Hexameron* Magna, *inquit*, inter pisces & aquam vicinitas & cognatio est, extra enim aquas diu viuere non possunt, nec solo aeris spiraculo sine aquæ attractu diu viuunt. Habent enim quandam reptandi speciem & naturam, quia dum piscis natat contractione corporis in minorem se colligit longitudinem, & iterum se extendens aquæ innititur, quo nisu repellens aquam in anterius se propellit, vnde vtitur quibusdam pennulis in natando sicut auis in volando, sed alio modo: quia piscis natans pennulas mouet à parte posteriori in anterius, & quasi quibusdam brachiis aut remis aquas amplectens & retinens in anterius se extendit. Auis vero mouet pennas sursum, & collectum aerem, per expansam alarum amplitudinem compellit redire per partem posteriorem: vnde per violentam aeris propulsionem à parte posteriori mouetur corpus in anteriorem. Species autem piscium multipliciter variantur, scilic. quo ad locum vbi generantur: & quo ad escam qua cibantur: & quo ad colorem & formam variam qua ab inuicem discernuntur, & quo ad substantiam,

tiam, qua compatiuntur: & quo ad virtutem qua diuersimode operantur. Quantum igitur ad situm siue locum vbi procreantur, magna diuersitas est, quidam enim in solis aquis: quidam vero partim in terris, partim in aquis conuersantur. Et talium piscium genera sunt amphibola, id est, dubia, *ab Isidoro dicta*, eo quod ambulandi in terris vsum & natandi in aquis officium retinent à natura, vt phocæ & Crocodili, castores & hippopotami, id est, fluuiales equi & huiusmodi. A nominibus enim animalium terrestrium pisces nomina sunt sortiti, vt canes marini & lupi, eo quod mordeant alios voracitate improba atque lædãt. *Isidor.* In solis aquis viuentes, alii sunt in solo mari degentes, alii vero sunt in fluminibus & in stagnis, & in aliis aquis dulcibus commorantes. Alii vero sunt inter hos medii, nunc ad dulces nunc ad salsas aquas, pastus gratia, diuertentes. Pisces vero à mari ad dulces aquas egredientes, in earum dulcedine delectantur & impinguãtur, & è conuerso, & hi nunc in mari, nunc in aqua dulci conuersantur. Multi autem pisces sunt fluuiales, qui maris salsedinem non ferentes, gustata aqua salsa, subito moriuntur, vel sursum ventrem eleuant, & super aquæ superficiem natant, quod in omnibus piscibus maris & aquæ dulcis est signum mortis. Pisces vero in mari natantes, squamas habent duras & grossas propter aquæ salsæ siccitatem. Pisces vero fluuiales squãmas subtiles & spinas molles. Spinæ vero in piscibus necessariæ fuerunt ad sustentandum carnis eorum, propter fluidam molliciem naturalem. *Docet autem Auicen. eligere bonos pisces secundum naturam loci vbi nutriuntur, dicens sic lib. 2. cap. 7.* In locis, inquit, in quibus morantur pisces est electio, quoniam illi, qui morantur in locis petrosis sunt meliores vel dulciores, & in aquis dulcibus currentes, in quibus non sunt sordes, & non sunt limosæ, neque lacuales, neque campestres, & qui non sunt de lacubus paruis, qui flumina non imbibunt, & in quibus non sunt fontes. *Item idem ibid.* Et pisces quidem marini sunt laudabiliores, qui sunt subtiles, & meliores sunt illi, qui sunt pelagini, non alias quam in alto pelago nutriti. Et qui morantur in aquis discoopertis, flatu ventorum supra se meliores sunt illis, qui sunt è contrario, & illis qui in aquis multarum agitationum & vehementis exercitii meliores

liores sunt illis qui habitant in aquis stantibus. Vnde pisces pelagini sunt meliores quam fluuiales, & ipsi meliores quã lacuales, maxime si sunt longe à fluuio & à mari. Habent enim quietem, nec eorum putredo lauatur à subintrante fluuio siue mari: vnde tales pisces male sapiunt, & cito computrescunt. Meliores etiam sunt pisces tam marini quam fluuiales in pelago Aquilonari & Orientali, quam in Australi, quia ex ventorum impetuoso flatu aquæ plus mouentur, & amplius depurantur & subtiliantur, & ideo illarum aquarum pisces plus mouentur & exercitantur, & à suis superfluis magis emundantur. Item diuersificantur piscium species non solum secundum generationis suæ locum: verum etiam quantum ad generationis suæ modum. Quidam enim generantur per ouationem, & quidam per coitum & spermatis emissionem. *Vnde dic. Arist. li.* 5. Accidit generibus piscium ouantium, quoniã quando fœmina ouat, sequitur masculus, oua & lac suũ eiicit super oua, & omne quod tangit lac siue sperma masculi ex ouis erit piscis, & ideo quæ non tanguntur ex spermate non pullificabunt. Fœmina autem est multæ ouationis, sed maior pars ouorum transglutitur a fœmina, & multa oua damnantur in humido, & non saluantur ex eis, nisi quæ ouantur in locis, vbi sperma masculi eiicitur, quoniam si omnia saluarentur, nimis multiplicarentur. Seruant autem pisces paritatem in suo genere, *sicut Aristote. ibidem dicit:* Nunquam, inquit, inueniebatur piscis, qui faceret coitum cum genere alterius piscis, fœtus autem suos diligunt & nutriunt longo tempore, *Vt dicit Aristot. in eodem*, omnes pisces nutriunt & custodiunt pullos suos præter ranas. *Item ibidem dicitur*, quod pisces fluuiales & palustres plus ouant & citius quam alii, quia in maiori parte post quinque menses. Alii autem omnes pullificant post 12. id est, annum, parui enim pisces pullificant in locis, vbi aqua est iuxta radices arborum & cannarum. *Item idem ibid.* maxima pars ouorum damnatur, quando pisces ouant vagando, quia cum præsens non sit masculus, ab ipsius semine oua non informantur, ab auibus etiam & ab aliis piscibus degluttiuntur. *Item ibidem dicitur*, quod quidam pisces generantur sine ouis & sine coitu, ex limo & arena, & ex putrefactione, quæ est super aquam. *Item ibidem*, tempore coi-

re coitus vagantur mares & fœminæ piſcium, ſicut grex, & ambulant par cum pari, & multi ex eis cum pullificant, infirmantur, & propter hoc tunc temporis maxime deprehenduntur. *Item ibidem*, quidam piſces pariunt, quando ad arenam fricant ventrem ſuum. In libro autem Iorath de animalibus dicitur, quod piſcis ephemeron ſine coitu naſcitur, & cum vixerit per tres horas diei, tunc moritur. Piſcis etiam Muræna non a ſuo ſimili concipitur, ſed a ſerpente, quem ſibilo prouocat ad amplexandum, *vt dicit Iſidorus lib.*12. *cap.* 6. Murænam, inquit, Græci ſtannam vocant, eo quod ſe complicet in circulos, hanc fœminei ſexus eſſe tradunt, & concipere a ſerpente, ob id a piſcatoribus ſibilo euocatur & capitur, fuſte percuſſa, vix interimitur, ferula vero ſtatim. Hanc habere animam in cauda certum eſt, nam capite percuſſo, vix dicunt eam interfici, cauda vero percuſſa & amputata, ſtatim dicitur mori. E contrario de ſerpente, nam contrito capite vel abſciſſo ſtatim dicitur mori, cauda vero inde abſciſa, diu viuit. *Dicit etiam idem Ior.* quod ſerpēs deponat venenum, antequam coeat cum muræna, ſed completo generationis actu, reſumit venenum ſuum. Et ideo muręna in concipiendo non cõtrahit venenum à ſerpente, nec generat aliquid ſerpentinum, ſed ſibi ſimile, *vt dicit idem.* Item quidam piſces concipiunt ex ſolo rore ſine ouis & ſine ſpermate, ſicut oſtreæ & alii quidam piſces in conchis degentes, *vt dicit Ior.* Piſces, inquit, elich per noctem egrediuntur aquam, & in terris ex rore matutino concipiunt & pariunt, quorum conchæ in decremento Lunæ ſemper manent vacuæ. Quidam etiam piſces mouentur ad conceptum & ortum, ſecundum ortum ſtellarum vel occaſum, *ſicut dicit Iorath.* & *etiam Iſido.* Vnde dicit de piſce, qui dicitur auſtralis, tunc piſces illius generis oriuntur, quando pleiades incipiunt tendere ad occaſum, nec apparet quouſq; pleiades iterum oriantur, quamuis autem piſces generentur, nullus tamen mundorũ piſcium habet teſticulos, ſicut nec aliquod genus ſerpentis, nec aliquod genus carens pedibus, nec habet mamillas, nec lac, præter delphinos, qui habent lac, & lactant fœtus ſuos dum ſunt parui, *vt dicit Ariſt. lib.* 6. De quibus *dicit Iſidor. lib.* 12. *cap.* 6. Delphines, qui & Symones nominantur: ſic vocantur, eo quod voces homi-

num sequuntur, & ad vocem symphoniæ gregatim conueniunt, & in harmonia delectantur, quibus in mari nihil est velocius, nam plerunque salientes nauem transuolant, quorum saltus & ludus in fluctibus futuram signat tempestatem. Est etiam delphini genus in Nilo dorso serrato, qui tenera ventrium secantes interimunt crocodilos, *Isidor.* Item diuersificantur genera piscium quo ad cibationis modum. *Nam Auicen. dicit lib.* 2. Illi qui cibantur herbis bonis & radicibus plantarum, sunt meliores eis qui comedunt sordes, quæ de ciuitatibus proiiciuntur ad loca infusionum. *In hexamer. etiam dicitur*, diuersificantur etiam pisces in pastu, nam quidam mutuo se deuorant, & sua carne vicissim pascuntur, minor apud eos esca maioris est, rursus ille maior fit esca alterius, prædator alieni, & cum alium deuorauerit, tandem ab alio deuoratur, *Vt dicit Aristoteles lib. 6.* Carabus, inquit, vincit pisces magnos & comedit ipsos, multipes autem vincit carabum & comedit ipsum. *Item ibidem*, quidam pisces pascuntur in cœno & luto, sicut carabus, & propter hoc est ponderosus, & multum de luto in ipso inuenitur, pisces vero qui alios prædantur, dentes habent fortiores, sicut de pisce quodam, quem Græci phagion vocant, *dicit Isidor.* quod ita habet duos dentes, vt in mari ostreis nutriatur: vnde & dentrix præ granditate & fortitudine dentium appellatur, alii vero pisces, *Vt dicitur in hexamer.* dentes habent minores, sed plures & densiores ac acutiores, vt cito cibum acceptum incidant, & facile sine mora degluriant, ne cibus in ore diutius detentus, aquæ alluuione auferatur.

Aliqui etiam pisces cibum suum in arena fodiendo quærunt, *sicut dicit Isidorus lib.* 12. de porco marino, qui vulgo suillus dicitur, qui, dum escam quærit, more suis sub aquis fodit terram, circa guttur enim habet orificium, & nisi rostrum arenis infigat, pastum non colligit. *Item Arist. lib. 7.* Pisces pro maiori parte comedunt carnes, & comedunt se tempore pullificationis, excepto fuscaleon, & vniuersaliter pisces sunt gulosi & auidi ad cibum, & præcipue piscis, qui dicitur Habatue, & propter hoc extenditur venter suus, cum fuerit ieiunus, & sæpe inflat ventrem suum, & eiicit à se alios pisces, quoniam venter eius peruenit ad os, & non habet stomachum. Item differunt pisces quo ad tempus & locum

locum pastus. Nam quidam in aqua quęrunt cibum suum, & quidā de nocte super terrā, sicut Hippopotamus, equus scilicet fluuialis, sic dictus, eo quod equo in dorso & in iuba sit similis, *vt dicit Isid.* qui die in aquis commoratur, in nocte segetes depascitur, hunc Nilus gignit, *vt dicit Isido.* Generaliter autem *secundum Aristotelem libro* 7. Pisces plus laborant in die, quam in nocte, & plus ante mediam noctem quā post, & ideo, *vt dicit Arist.* venātur ante ascensum Solis, & tunc ponunt venatores rete, quia pisces non bene vident hora illa, & quando augmentatur lux, vident, odore tamen quærunt cibum nocturno tempore, in odoriferis enim delectantur, *& ideo dicitur libro* 4. Genera piscium odorant & audiunt, & ideo ad vasa noua quibus venantur, citius accedunt, quam ad antiqua, imo nisi fuerit nouum, de facili ad vasculum non accedunt, sæpe enim per odorem decipiuntur, *vt dicit Iohan.* Est *(inquit)* belua in mari, quæ de faucibus suis respirat aquam cum vapore odorifero, pisces sentientes odorem sequuntur ipsam, & intrant fauces eius post odorem, quæ ipsos deglutiens ab ipsis sic cibatur. Dicit etiam idem quod est piscis nomine faste, in cuius ore aqua hausta dulcescit, quam pisces minores sequentes intrant in os eius, quos subito accipit & deglutit. *Item dicit idem* quod delphini per odorem sentiunt & cognoscunt, si homo mortuus in mare vnquam comederit de delphino, quod si comederit: comedunt ipsum, si vero non comederit, à morsibus aliorum saluant eum, & ad littus pellunt eum cum rostris suis. *Idem dicit Aristoteles & Plinius. Item Aristoteles libro* 7. Pisces claras aquas & currentes inhabitantes non cadunt super res fœtidas nisi habeant bonum saporē sicut nec aues, & in hyeme fugiunt à fundo maris prope terram, quęrendo calorē, & ibi quærunt pastum suum. In æstate vero è cōtrario à littoribus fugiunt, calidum quærendo fundum, & venantur in hyeme iuxta terram, sed in æstate in profundo, nam calor immoderatus lædit pisces. *Item dicit in eodem.* Sunt pisces qui apud ascensum caniculæ moriuntur pro calore, similiter nocet eis magnum frigus, maxime habentibus lapidem in capite, vt cancri & huiusmodi, nam lapis in capite congelatur & coagulatur, & moritur de facili talis piscis, variantur etiam piscium species, quo ad figuram & dispositionem

tionem, tam in quantitate quam in qualitate. Sunt enim ingentia quædã beluarum genera, quorum corpora montibus sunt æqualia, vt dicitur, qualis fuit cetus, qui excepit Ionam, cuius aluus tantæ fuit magnitudinis, vt instar inferni obtineret, *dicente Propheta. De ventre inferni exaudiuit me*. Sunt & alii pisces ita paruuli, quod vix hamo capiuntur, *vt dicit Isidorus lib.12.* Aphorus est piscis, qui propter exiguitatem capi non potest, *vt ibidem dicitur* Enchirius est piscis paruus vix semipedalis: ab hærendo sic dictus, quamuis enim exigui corporis sit, maximę tamen est virtutis, nauem enim adhærendo retinet, nam nauis cui adhæret licet ruant venti, sæuiant procellæ, quasi radicata stare in mari videtur, nec moueri potest, non in retinendo sed tantummodo adhærendo virtus eius est, hunc Latini moron appellauerunt, eo quod nauigia stare compellat, *vt dicitur ibidem. In hexameron etiam dicitur de eodem pisce*, quod ventorum præsentiens procellas, calculum arripit validum & tanquam anchoram ne excutiatur fluctibus, trahit, & non suis se liberat viribus sed alieno pondere munitur, & contra futuram tempestatem stabilitur, quod videntes nautæ sibi præcauent, ne turbo præueniat eos improuiso, *sicut dicit Ambrosius & Beda. Dicit etiam Aristoteles lib.*4. quod fœminei pisces sunt longiores masculinis, & sunt durioris carnis, & anterius masculi durius est, & similiter superius. In fœminis vero interius & posterius durius. *Dicit autem Auicenna libro* 2. quod meliores sunt pisces qui non sunt magni valde, neque habent carnem nimis duram & siccam, & in quibus non est nimia pinguedo nec mustillago, in quibus non est malus sapor vel odor, suauis autem saporis sunt conuenientes, non nimis pingues, nec habentes superfluam pinguedinem, neque grossam maciem, & in quibus non accidit post exitum de aqua cito fœtor, & illi qui habent duram carnem, salsi meliores efficiuntur, & in illis qui sunt duræ carnis, melior est ille, qui minus est mollis. Ex quo patet diuersitas in piscibus quo ad substantiam & qualitatem. Omnis enim piscis, *sicut dicit idem*, generaliter frigidus est & humidus, quidam tamen sunt in comparatione complexionis piscium cæteris calidiores, & maxime quãdo sunt saliti. Et ideo quando sunt valde recentes generant phlegma aquosum, & molli-

mollificant neruos, & non sunt conuenientes nisi valde calido stomacho. Saliti vero magis conueniunt medicinæ. Capita enim salitorum piscium vsta, sanant morsum canis rabidi, & puncturam Scorpionis eradicant carnẽ adulterinam in vlceribus, & conferunt vlceribus putridis & saniosis. Similiter ius omnis piscis confert venenis bibitis & puncturis. Multos enim habent alios effectus, *sicut ibidem dicitur*, sed hæc dicta de eorum qualitate & substãtia nunc sufficiant. Item differunt pisces in viuacitate sensus & ingenii sagacitate. Multi enim sunt plurimum ingeniosi, aliqui enim miram astutiam habent euadendi, quando sentiunt insidias piscatorum, *Vt dicit Isid. lib.* 12. Mugil *(inquit)* est genus piscis multum agilis: nam vbi dispositas sentit piscatorum insidias, confestim retrorsum tendit, & ita cito rete transilit, vt volasse ab astantibus videatur. *Item dicit idem ibidem de Escario*, eo quod escarius solus inter pisces escam ruminare perhibetur, hunc *dicit Plinius* esse ingeniosum, nam dum sentit se intrasse sportulam piscatoris, non ex fronte erumpit, nec infestis viminibus caput inserit, sed crebris caudæ ictibus ex aduerso fores laxare incipit, atque ita retrorsum redit, quem luctãtem si alius escarius forte viderit, exterius vt erumpere satagẽtem adiuuet, caudam in ore eius apprehendens, prout potest ipsum liberare & extrahere, intendit vel contendit. *Ad hoc dicit idem*. Congrus quidem plures nexus habet, ingeniosus est in solertia esam acquirendi, nam cibum in hamo appetens, sed aculeum timens, non morsu sed suis pinnulis hamum cõplectitur, & non prius ipsum dimittit, quin escam circumroserit. Cancri etiam ostreis inimicantur, earum enim carnibus viuunt miro ingenio. Nam quia fortem & validam eius testam aperire non possunt, explorant quando ostrea claustra testarum suarum aperit, & tunc cancer, qui latitat in insidiis, latenter lapillum iniicit, ne ostreum claudere se possit, & ita impedita clausura, carnes ostreæ deuorat & corrodit. Ostrea autem à testa sunt dicta, qua interior carnis mollities munitur. Græci enim ostream testam vocant, & dicitur totus ille piscis cũ sua testa ostreum in neutro, sed ostrea in fœminino dicitur eius caro, dicuntur etiam tales pisces conchæ & conchylia, quia, deficiente Luna, tales pisces cauantur, id est, euacuantur. Luna

cum in augmento fuerit, auget humorem, diminuitur vero humor cum Luna fuerit in defectu, & ideo pisces clausi in conchis in Lunæ incremento turgescunt, & in defectu euacuātur. In his autem conchylibus preciose generantur margaritæ, *de quibus dicit Plinius & alii qui de animantium scripserunt naturis*, quod tempore nocturno littora petunt, & cœlesti rore margaritas concipiunt, vnde & tales conchyliæ margaritiferæ & herelię sunt dictæ, in quorum carne preciosus calculus solidatur, & est nobilissima gemma, quæ sic ex rore vernalis temporis generatur, quæ quanto albior & lucidior, tanto efficacior æstimatur. Sunt & quædam conchylæ siue conchæ murices dictæ ab asperitate & acumine, quæ alio nomine conchylia dicuntur, quę circumcisæ ferro lacrymas purpurei coloris emittunt, ex quibus purpura coloratur, & inde ostrum est appellatum, quia ex humore testæ elicitur hæc tinctura, *vt dicit Isidorus*. Has & multas alias piscium proprietates & naturas *in libro Plinii & Aristotelis & in Isidor. & in hexamer. Ambrosii & Basilii* poteris inuenire, ne tædium inferamus legentibus, de hac materia hæc sufficiant. *Dicit etiam Plinius, vt dicit Isidorus lib.* 12. quod piscium sunt in aquis genera 144, ex quibus multa quodam naturæ intellectu ordinem temporum suorum cognoscunt, quædam in suis locis sine mutatione vagantur, quędam sine temporis obseruatione viuūt, quædam vero commixtione masculi & fœminæ concipiunt catulos suos, vt cetus. Idem autem est Cetus & Balæna, & sunt Balænæ immensæ magnitudinis beluæ, ab emittendo & fundendo aquas sic vocatæ. Omnibus enim aliis beluis marinis altius iaciunt vndas. Balæna enim emittere dicitur. Cete autem dicuntur à corporis immanitate, *vt dicit Isidorus lib.* 12. *Dicitur autem in libro Iorath.* Cetus abundat in spermate, & post eius coitū cum fęmina, quod superfluit, supernatat aquę, quod collectum & desiccatum in ambræ substantiam commutatur, quando enim multum esurit, vaporem odoriferum ad modum odoris ambræ ex ore suo emittit, in quo pisces delectantur, & propter vaporis redolentiam ipsius orificium ingrediuntur, & sic decepti ab ipso deuorantur. In hoc pisce *vt dicit idem*, materia terrestris dominatur plus quam aquæ, & ideo multæ est corpulentiæ & pinguedinis. Vnde in senectute

necute præ magnitudine corporis in eius dorso coadunatur puluis, & condensatur intantum, quod herbæ & frutices ibi crescunt, ita vt belua Insulæ similis esse videatur, ad quam si nauigantes incaute appropinquauerint, sine periculo vix euadunt. Nam aquam in tanta quantitate de ore eiicit super nauim & diffundit quod ipsam aliquando obruit & submergit. Tantæ etiã est pinguedinis, quod quando piscatorum percutitur venabulis siue telis, vulnus non sentit nisi prius pinguedo totaliter perforetur, sed quando caro interior læditur, tunc facilime capitur, quia amaritudinem aquæ salsæ non sufferens littus petit. Tantæ autem est quantitatis, quod quando capitur, tota patria ex sua captura emendatur. Catulos suos amore miro diligit & eos in pelago longo tempore circumducit, quod si eos ab arenarum cumulis impedire contigerit, aquæ multitudinem in ore collectam, super eos fundit, & sic eos à periculo liberans ad profundum pelagi reuocat & reducit, contra omnes occursus ipsis nociuos pro eorum defensione se opponit, & semper inter se & mare in parte tutiori eos ponit, & quando inualescit tempestas, fœtus suos adhuc iuuenes & teneros, in ventrem suum contrahit, quos serenitate facta, viuos euomit iterum & emittit, *vt dicit idem. Item Iorath.* contra cetum pugnat quidam piscis serpentinus & venenosus sicut crocodilus, & fugiunt pisces ad caudam ceti, qui si deuictus fuerit, pisces prædicti moriuntur. Quod, si non poterit ille piscis pestifer deuincere cetum, à faucibus suis fumosum vaporem fœtidissimum in aquam emittit. Cetus vero fumo odorifero de ore emisso, fœtidum odorem repellit, & sic se & suos protegit & defendit.

BAR-

BARTHOLOMÆI ANGLICI de proprietatibus Terræ, Liber decimus quartus.

POstquam, diuina cooperante gratia, completus est tractatus de proprietatibus corporis supremi luminosi, scilic. cœli & corporis intermedii, lucidi, perspicui & dyaphani, sed ignei, aerei & aquei: vltimo dicendum est de proprietatibus corporis infimi & opaci, & hoc tam in generali quam in speciali. Corpus autem infimum & extremum est ipsa terra respectu cœli. De cuius proprietatibus communibus aliqua sunt huic opusculo inserenda, & hoc quo ad eius substantiam, qualitatem & cōtentum siue ornatum. Continet autem in se interius pro ornatu omnia meteorica & mineralia sicut lapides & metalla: exterius vero sensibilia, sicut bestias & iumenta: & vegetabilia, vt herbas, plantulas & arbusta: de quibus omnibus ponenda sunt aliqua in hoc tractatu, prout de eis sacra scriptura videtur in superficie facere mentionem. Simplicia autem & omnibus fere nota credimus hæc pro simplicibus sufficere debere, & ideo de illis pauca recitantes maiora maioribus & subtiliora subtilioribus reseruamus. Hoc autem in principio huius opusculi volumus protestari, quod parum aut nihil de nostro hic apponimus, sed authētica sanctorum & etiam aliquorum philosophorum dicta, quemadmodum in præcedentibus fecimus intercalariter per ordinem inseremus.

CAP. I.

De Terra.

TErra itaque, *vt dicit Isidorus lib.* 13. *cap.* 1. est in media mundi regione posita, ab omnibus partibus cœli in modum centri æquali interuallo separata, quæ singulari numero totum orbem signat, in plurali vero singulas eius partes. Est autem dicta terra, *vt dicitur ibidem*, à superiori

parte

parte qua teritur. Hæc & humus dicitur à mari humido, cui coniungitur. Dicitur & tellus, quia fructus eius tollimus. Dicitur & ops, eo quod opem fert frugibus. Eadem dicitur arida, vel quia araturæ vel culturæ est apta, vel quia ab aqua siccitate propria est distincta, quod enim humida sit, hoc ab aquæ vicinitate sortitur, *sicut ibi dicit Isidorus*, Proprietates autem terræ describit *Basilius in Hexameron sic*: Terra, *inquit*, est corpus infimum & medium, æqualibus spaciis à cœlo remotum, & ideo cœli cētrum à sapientibus est vocatum. Vnde & omnium corporum est corpulentissimum, de simplicitate & subtilitate habens minimum alterum mundi firmatum fundamētum. Corpus natura frigidum & siccum. Quantitate, respectu cœli, minimum, quamuis in se maximum: Qualitate obscurum & ex se opacum. Figuratione sphæricum, & non nisi aquæ glutino commansiuum, secundum se, totum quietum, licet in suis partibus suscipiat sępe motum. Omnium corporalium viuentium habitaculum, pedum Dei scabellum dictum, eo quod in corpore mundi minima est species huius elementi, minusque apparet in eo diuinę operatio potestatis: propter quod dicitur, *suo quasi infimo pede tangere terram.* Quia respectu magnitudinis & pulcritudinis cœli minime videtur in corpore terræ diuinæ sapientiæ sublimitas relucere. Quamuis autem terra respectu cœlestis corporis sit infima: tamen luminarium cœlestium influentiæ est maxime susceptiua. Et ideo fœcundissima est, tanquam mater omnium, & multarum & contrariarum specierum maxime productiua. Cum enim sit cœli centrum in omni sui parte, ab ipso recipit influentiam & effectum: vnde quid minus nobilitatis videtur habere in sua substantia, recuperat in effectu & virtute sua, quia nobiliores producit, secundum quid, species aliquas, quam ipsum cœlum, quod pro ornatu habet solas insensibiles stellas. Terra vero pro ornatu continet & producit vegetabiles, sensibiles & rationales creaturas, *vt dicit Basil. Dicit etiam ad hac idem:* terra, *vt dicit Philosophus*, est propriis æquilibrata ponderibus. Quælibet enim suarum partium suo pondere nititur ad mundi medium, quo nisu & inclinatione singularium partium, tota circa centrum æquilibrata suspenditur, & æqualiter immobilis retinetur, *sicut scriptum est: Qui*

funda-

fundasti terram super stabilitatem, &c. Ideo secundum Isidorum lib. 11. dicitur Solum: quia elementum est solidum, cuiuslibet corporis quantumcunque ponderosi sustinens totam molem. Vnde quælibet grauia sursum mota quousque terram stabilem tangant, permanēt inquieta, sed cum peruenerint ad terram, quietantur. Propter insignes autem ipsius terræ proprietates nobiles & effectus: error gentilium, terram deificauit, & eam diuinis honoribus antiquitus venerari & colere consueuit: *sicut tangit Isidorus libr. 8. in tractatu de iis gentium & nominibus cap. 13.* Cererem Deorum matrem vocauerunt antiqui terram, à creandis frugibus sic dicta, eo quod omnia cibat & nutrit indigentia alimento. Nam terra mater est fœcunditatis, quia nullum vegetabile potest crescere, nisi in terrestri substātia radicetur. Ideo etiam ops est dicta, quia melior fit terra ope culturæ, & ex ipsa consequitur opem victus quælibet viuens creatura. Dicta est Dea Vesta, quia constat vi sua, vel quia herbis & arboribus & floribus sit vestita, *vt dicit idem* Terra enim seminibus arescentibus in hyeme, colorem cōcipit ab æthere in vere & æstate: vnde tunc herbis & floribus ornatur & vestitur, quibus in autumno & hyeme spoliatur. In signum autem tantæ fœcunditatis & virtutis facta est ei magna imago fœminea, & alma mater nuncupata, cum turrita corona, posita super currum, cui leones domiti subiiciebantur. In vna manu portabat clauem, in alia tympanum siue cymbalum. Cuius aurigæ vibrabant gladiis quos gestabant, & galli matronam sedentem in curru subsequi fingebantur, &c. Mater siquidem fuit dicta, eo quod plura pariat, & omnibus mortalibus cibum gignat. Dicitur autem & mater alma, eo quod omnia animalia alat. Est enim elementorum nutrix terra, *vt dicit Isidor.* Coronam turritam in capite gestare dicitur, quia cunctis ciuitatibus suppositis insignitur. In curru rotato vehitur, quia ipsa terra pendet in volubili aere, in quo sustinetur. Sedet autem in curru volubili, quia cum omnia mouentur, illa sola dicitur non moueri. Quod illi leones subiiciunt mansuetos, ostendit nullum genus esse tam ferum, quod in morte non subiici à terra possit aut superari. Quia clauis in manu fingitur, ostendit, quod terra hyeme clauditur, & vt nascantur fruges, in vere aperitur. Quod autem

terræ

terræ dicantur galli seruire, ostendit, quod volatilia indigent seminibus terræ, & ideo aues eam oportet sequi, & ad eam descendere, vt in ea possint semina, victus gratia, reperire. Sonitus autem cymbalorum, designat in colendis agris strepitus ferramentorum, vomerum & ligonum: & ideo æneorum, quia antiqui instrumentis æneis colebant terram antequam ferrum esset inuentum, *Vt dicit Isidorus.* Quia ministri eius cum strictis gladiis finguntur, designat quod pro terra defensanda vel acquirenda sæpe bella committuntur, in quibus gladii extrahuntur. His & aliis multis modis describuntur proprietates terræ sub integumento fabularum, *sicut ibidem recitatur ab Isidor.* Quamuis autem terra sit summe fixa & stabilis, secundum situm, summe tamen inter elementa est passibilis, per effectum. Item quamuis secundum substãtiam sit frigida, quosdam tamen in se cõtinet vapores igneos quos emittit, vt patet in Æthna & Vulcano, *sicut ibidem dicit idem.* Item quamuis terra superficialiter exterius sit nigra & indecora, intrinsecus tamen continet multa preciosa. Ex quadam enim cœlestis influentię impressione, in interioribus terræ venis, preciosæ gemmæ & nobilia metalla generantur. Vnde & terræ virtuositas sub quadam extrinseca deformitate occultatur. Item terra vndiq; mari cingitur, & maris brachiis circumdatur & percutitur, à cuius humiditate per occultos meatus penetratur, ne præ siccitatis naturalis dominio, resolutis partibus, redigatur in puluerem, *Vt dicit Beda.* Item terra quamuis in suo toto sit solida, in substantia eius tamen quælibet pars ad centrum est naturaliter motiua, & per admixtionem ignearum partium & aerearum fit in aliquibus suis partibus rara & porosa, cauernosa & spongiosa. Cuius concauitate, vapor ventosus subintrans terræ partes commouet, agitat & generat terræmotum, *sicut dicit Aristoteles libro Meteor.* Ventus, *inquit*, frigidus in ventre terræ agitatus, facit istam agitationem, quæ est terræmotus. *Et sequitur ibidem*, sicut fit sonitus ex confricatione corporum se allidentium in aere, ita fit motus ex diuersitate agitationis venti occultati in terra. Et est signum super hoc, quia non adquiescit donec scindatur terra & exit ventus audita voce, &c.

Item ibidem dicit Aristoteles, In locis in quibus fit con-

cursus

cursus maris vehemens, & agitatio vndarum, eius in locis multarum cauernarum fit vehemens terræmotus. Sicut accidit tempore Herculis in quibusdam insulis, in quibus incepit eleuari terra ad similitudinem collis, deinde scissus est locus ille, & exiuit ventus fortis, qui destruxit ciuitatem, cuius impressio manifesta est vsque nunc, &c. *Item idem ibidem*, terræmotum consequitur vel concomitatur tenebrositas, tegens Solem absque nube vsque ad consumptionem terræmotus propter vaporem grossum. Et antecedit terræmotum signum, signans eius esse, quod videtur in cœlo nubes longa, sicut linea recta ante occasum Solis. *Et sequitur ibid.* Et accidit quandoque terræmotus propter eclipsim per Lunam, quia tunc calor Solis non peruenit ad aerem, vt subtiliet & consumat vaporem, qui est causa terræmotus. *Item in lib. Vegetabilium Aristotel.* terræmotus in locis arenosis non fit, sed in locis interius cauernosis & exterius in superficie duris, sicut sunt loca montium. Quia si locus in superficie fuerit rarus, exhalat vapor paulatim, & non fit tanta aggregatio vaporis, vt possit mouere terram. Sed cum locus interius est concauus & spongiosus, & exterius solidus atque durus aggregatis partibus, vaporis fit agitatio fortis, ita quod aliquando scindit terram. In locis ergo omnino porosis non accidit de facili motus terræ, propter vaporis continuam euentationem. Nec in locis valde duris & compactis propter partium compressionem, propter quam illas vapor plurimum non subintrat, sed accidit in locis interius cauernosis, sed duris exterius & compactis. *Hucusque Aristotel.* Item terra cum sit elementum, secundum substantiam similis est in toto & in partibus. Sed tamen secundum qualitatem non est in suis partibus vniformis, imo propter aliarum qualitatum elementarium admixtionem, complexionem & naturam mutat, & ideo vniformem non habet dispositionē, quia nunc colorem variat, nunc saporem. Ista diuersitas multis accidit de causis, & in multis modis. Quandoque ex sua eleuatione & depressione. Nam eleuata est frigidior, depressior vero & decliuior esse, calidior cōsueuit, quod *Vt dicit Macrobius*, accidit propter radiorum Solis fortiorem impressionem, tam in locis depressis quam in altis. Aer enim grossior est in vallib. quam in montanis, & ideo maior

maior ibi fit aggregatio radiorum & etiam conculcatio, propter reuerberationem ad aerem grossum. In locis vero montuosis & altis, quia aerem habẽt rariorem, disperguntur radii, & non ita coarctantur, & ideo minor ibidem generatur calor. Item ex directa vel indirecta Solis oppositione, quia illa terra fertilior est, quæ secundum situm disposita est maxime ad susceptionem concurrentium radiorum solarium, quæ vero magis elongatur à radiis, minus apta frugibus & fructibus repetitur. Item ex ventorum diuersificatione, nam terram quam continue perflat ventus orientalis, temperate calida est & inter humiditatem & siccitatem quasi media, *Vt dicit Constantin.* & ideo est fœcunda floribus & fructibus, & magis congrua hominum habitationi. Occidentalis autem ventus magis attinet frigiditati & humiditati, & minus efficit terram temperatã, & ideo occidentalis terra minus est fœcunda. Ventus autem septentrionalis terram desiccat & infrigidat, tamen ratione puri aeris ipsam subtiliat & depurat: vnde in terra aquilonari homines sunt proceræ staturæ & elegantis formæ, frigiditate enim exterioris aeris clauduntur pori, & calor naturalis retinetur intrinsecus, ex cuius virtute & statura ampliatur, & figura corporis decoratur. Ventus autem australis, quia calidus est & humidus, terram quam continue perflat, turbat, calefacit, inspissat & ingrossat & ideo homines aũstralis regionis sunt staturæ cõtrariæ & figuræ illis, qui habitant ĩn aquilone, & ideo homines talium regionum non sunt ita animosi, & iracundi & clamorosi sicut alii, *Vt dicit Constantinus.* Item variatur qualitas terræ siue proprietas ex elongatione à mari siue appropinquatione, nam terra vicina mari meridionali calidior est & humidior terra, quæ est vicina aquilonari. Nam vapor calidus & humidus a mari resolutus calefacit terram, quæ est sibi propinqua, mare vero septentrionale è conuerso, & ideo mare Ponticum dulcius est, quam cætera maria, siue minus salsum, quia plus in illo vincit frigus. Et ideo vapor frigidus ab eo resolutus, terram infrigidat propinquã, &c. Item variatur ex hominum exercitio & operatione, quanto vero plus foditur & euertitur, tãto eius virtus insita cum singulis partibus amplius permiscetur, & sic aptior redditur, vt ex ipsa fructus multiplex generetur, quando vero diu

ociosa dimittitur, & quieta, ad productionem fructuum redditur minus apta. Item bona terra si rore fuerit perfusa aut compluta, mollificatur, impinguatur, & melioratur, si vero arenosa fuerit aut nimis lapidosa, peior efficitur quia amplius induratur.

CAP. II.

De Monte.

MOns est tumor terræ in altum se erigens, solo pede reliquam terram tangens, vel dicuntur montes, eo quod sint super aliam terram eminentes, *vt dicit Isido. Dicit etiam Aristoteles in lib. de proprietatibus elementorum.* Quidam dixerunt quod terra in principio suę compositionis fuit rotunda & plana, in qua non fuerunt montes neq; valles, quia erat sphætica in figura, sicut corpora superiora, vnde montium & vallium causa non est, nisi commotio aquarum, quæ cauauerunt loca rara, & facti sunt montes, partes duriores, quæ non poterant concauari, loca vero concauata facta sunt loca marium & fluuiorum, &c. *Item etiam dicitur in lib. meteor.* Montes, inquit, fiunt quandoque ex vehementi motu terræ, vnde eleuatur terra, & fit mons, sicut ex aquæductu accidit concauatio profunda, & fit vallis. *Item ibid.* Maris quoque accessus & recessus quædam loca cauat, quædam extollit, & fiunt montes. Et quandoque mare totam terram cooperuit, deinde mollia quædam etiam abrasit, & dura relinquit, & in quibusdam locis congessit, mollia etiam quædam congestata cum abscinderet desiccata sunt, & in montes conuersa, &c. Montes itaque sunt duri, solidi & compacti, à terra versus cœlum erecti, & tamen terræ radicitus sunt coniuncti, quandoque tamen sunt interius spongiosi, concaui, cauernosi, & ideo ad se ratione vacuitatis aquas attrahunt atque sugunt, quas postquam fuerint eorum concauitates replетæ, per capita fontium emittunt, & sunt causa sempiterni fluxus, & origo & principium fluuiorum, *vt dicit Aristot.* Ex quo patet quod montes cauernosi sunt, aquarum & humorum attractiui, & attractorum continue emissiui. Item montes sunt metallorum nobilium contentiui. A profundis enim montium venis metalla nobilia extrahũtur. Item montes

montes sunt fructuum & aromatum productiui, propter puritatem enim aeris in summitatib. montium dominantis, puriores fructus & dulciores in montibus nascuntur, quam in vallibus, licet pauciores. Item montes sunt citius quam valles radiorum solarium susceptiui, & susceptæ illuminationis diutius retentiui. Item montes sunt vaporum & exhalationum generatiui, ex quorum aggregatione nubes in aere generantur. In altissimis tamen montibus vt in olympo raro generantur pluuiæ, *vt dicit Aristot.* quod est propter aeris subtilitatem, & vaporum paucitatē. Primo enim vapor resoluitur & consumitur, antequam ad acumen montium attingere videatur. Item montes ventis & turbinibus sunt expositi plus quam valles, & ideo ratione frigiditatis in montib. dominantis sunt niuiū conseruatiui. Ventis namque frigidis in montibus congelantur & constringuntur, & ideo in montibus diutius, quam in vallibus commorantur, vt patet in caucaso & in Libano, & in aliis consimilibus montibus, qui semper, *secundum Isidorum*, densissimis niuibus candidātur. Item montes sæpius patiuntur ictus fulminis & fulguris, quam valles, *vt dicit Isidor.* Vnde & Pyrenæi montes à crebris fulminum ictibus nuncupantur. Pyr enim græce, ignis dicitur latine, similiter & Ceraunei montes à crebris fulminibus sunt dicti, græce ceraunos fulmen dicitur, *vt dicit ibid. Isidorus.* Item montes, quia secundum situm alti sunt & sublimes, maxime congruunt speculationi, vnde & qui aduentum hostium præuidere & præcauere cupiunt, cacumina montium ascendunt, & eminentia pericula à remotis prædicere consueuerūt. Item montes quia, quo ad naturam & compositionem partium, solidi sunt & fortes, ideo potissime sunt apti castrorum ædificationi, vnde mansiones in montibus solent esse fortes, & cæteris tutiores, maxime quando propter interiorem duriciem non possunt suffodi, & propter situs altitudinem adiri non possunt faciliter seu ascendi. Item montes, quia in herbis & in pascuis fœcundi sunt & vberes, ideo conueniunt pasturæ ouium & animalium refectioni. Montosa enim pascua & gramina in montibus crescentia sunt salubria, & nutrituræ animalium vtiliora, quam illa, quæ crescunt in vallibus, quamuis sint generaliter pinguiora. Humor enim nutrimenta-

lis, quo nutriuntur herbæ & gramina in montanis, subtilior est & purior quam campestris. Et ideo calor cœlestis facilius illam humiditatem digerit, & in substantiam graminum & fructuum immutat perfectius & conuertit, tum propter humoris ipsius subtilitatem, tum etiam propter existentem ibidem aeris puritatem. Item in montibus abundant altiores arbores, quam in vallibus, & frutices densiores. Imo montes congruunt animalium agrestium habitationi, & auium syluestriũ nidificationi, propter quod & feræ, quando persequuntur à venatoribus, in valle refugiunt ad montes, & ibi fiunt tutæ.

CAP. III.

De Ararath.

ARarath mons est Armeniæ altissimus, in quo archa post diluuium requieuit, *vt dicit Isidor.* & vsque hodie lignorum archæ vestigia in eiusdem montis vertice adhuc apparent, vocatur autem idem mons diuersis nominibus. De hoc enim monte *dicit Iosephus sic*: Locus, inquit, vbi est archa Noe, Armeni egressorium vocant. Illic enim archæ solutæ reliquias vsq; nunc prouinciales adhuc ostendunt. Huius enim archæ, *vt dicit idem Iosephus, ibidem meminit Beros. Chaldæus narrans sic:* Dicitur autem & nauis quæ in Armenia venit, circa montem Cardien, adhuc aliqua pars esse, & quoddam inde bitumen cadere, quo maxime vtuntur homines ad expiationem. *De hoc etiam scribunt & Iosephus Ægyptius, & Manasses Damascen. in 96. historiarum lib. sic:* Est mons excelsus in Armenia, qui Baris appellatur, in quo multos confugientes, sermo est, diluuii tempore liberatos, & quendam simul in archa deuectum in montis venisse sumitatem, lignorumque reliquias ibi multo tempore esse reseruatas. Armeniæ etiam montes dicuntur Acroceraunei, propter multitudinem & fulminum crebram percussionem: Græce enim ceraunos, fulmen dicitur latine, *vt dicit Isidor.* Hi montes inter Armeniam & Iberiam incipiunt à portis Caspiis vsque ad fontem, vnde fluuius Tigris oritur, *vt dicit Isidorus.*

CAP. IIII.

De Bethel.

MOntes Bethel sunt in Iudæa, vicini Hierusalem, vbi domus Domini fuit sub Salomone ædificata. Sunt autem montes Bethel nemorosi, arboribus consiti, fertiles & fœcundi, graminibus & herbis aromaticis pleni, & ideo cerui, capreæ & hinnuli frequentare illorum montium cacumina sunt assueti.

CAP. V.

De Caucaso.

CAucasus est mons orientalis, ab India vsque ad taurum porrectus, per gentium, iuxta illos montes habitantium, varietatem, diuersis nominibus nuncupatus, *vt dicit Isidor.* Vbi autem ad orientem in excelsiorem surgit sublimitatem, propter nimium candorem Caucasus nominatur. Nam lingua orientali caucasus, id est, candor dicitur. Inde & eos qui huic monti sunt vicini, Croachasim vocauerunt. Achasim enim apud eos candor vel nix appellatur, *vt dicit idem.*

CAP. VI.

De Hebal.

MOns Hebal, est mons trans Iordanem, in quo steterunt sex tribus post Iordanis transitum, ad maledicendum illis, qui præcepta decalogi non seruarent, *vt patet Deuter. 26.* Et est mons, *vt dicitur*, cauernosus & voraginosus, patiens sæpius terræmotum, cui concordat interpretatio eius. Nam vetus vorago interpretatur. Fuit itaque mons maledictionis & imprecationis, in quo mala transgressoribus imprecabantur. Reputabatur etiam mons vilitatis & abiectionis, vnde & sex tribus ignobiliores, scil. ancillarum filii super montem Hebal fuerunt ad maledicendum populo deputati, *Deut. 26.*

Cap. VII.

De Hermon.

HErmon est mons modicus super Iordanem situs, qui in herbis & pascuis est fœcundus. Nam circa radices eius, siue circa pedem fluentis Iordanis irrigatione imbuitur. Circa verticem vero eius seu cacumen copioso rore perfunditur. Et ideo virore ex roris & aquæ influentia decoratur & insignitur, propter quod & ibi nutriebantur pecora, quæ in tẽplo debuerunt immolari Domino & offerri, & quia animalia ex roris influentia & herbis eiusdem montis impinguata, in monte Sion, id est, in atrio templi offerebantur. *Ideo dicitur secundum Hebræos per prophetam, quod ros Hermon descendit in montem Sion.* Quod ad literam fieri non potuit, quia mons Sion monte Hermon altior existit. Insuper & ab eo valde remotus fuit. Pro tanto igitur ros montis Hermon dicitur descendisse in Sion, quia pinguedines & adipes animalium, quæ in illo monte pascebantur ad pastum ignis altaris in Hierusalem in sacrificio offerebantur, propter quod & Hermon lumen exaltatum interpretatur, *sicut dicit gloss. super Psal.* quia lumen in altari augebatur, quando ignis sacrificii tali pabulo fouebatur.

Cap. VIII.

De Hebron.

MOns Hebron mons est in Iudæa, in quo est sita ciuitas famosissima ab eiusdem montis nomine Hebron dicta, *vt dicit Raban.* Cuius vallis dicitur vallis Mambræ, quæ ab antiquo tempore ab amicis Aner & Eschol est possessa, *vt patet in Gene.* Hic mons locus est solennis, ratione sanctorum Patriarcharum, quorum corpora ibidem quasi à mundi principio requiescunt, *vt dicitur Genes. ibi Adam maximus, &c.* Item illum montem potentissimi viri iure hereditario possederunt, *vt patet Iosue* 15. *Vbi dicitur: Deleuit ex eo Caleb filios Enac, Sesai & Ahimam & Tholmai, &c.* In hoc monte tanquam in loco tutiori, Dominus principium regni Dauid instituit, & ei vt illac ascenderet post mortem Saul diuinitus imperauit, vbi septem annorum spacio regnans, tandem ad totius regni Israeli-

Israelitici fastigium assumptus fuit. Iste mons ab antiquis Cariatharbe fuit primitus nuncupatus, id est, ciuitas quatuor, quia nominatissimorum virorum quatuor corpora ibi requiescunt, *vt dicit Hieron.* scilic. Adam & Abraham Isaac & Iacob, &c.

Cap. IX.

De Montibus Aethiopia.

MOntes Æthiopiæ dicuntur esse 7. inter quos præcipuus mons Atlas est. Æthiopia enim, *vt dicit Isidorus libr.14. capit.* 4. circa occiduum montosa est, & arenosa in medio, ad orientalem autem plagam deserta, cuius situs ab occiduo Atlantis montis, vsque in Ægypti fines porrigitur, à meridie oceano, à septentrione Nilo flumine clauditur. Huius regionis montana, sicut & plana plurimas habent gentes, vultu & monstrosa specie horribiles, ferarum quoque & serpentum referta sunt multitudine. Illic rhinocerota bestia, scilicet vnicornis: illic Cameli & Pardi, illic Basilisci & Dracones ingentissimi, ex quorum cerebro gemmæ extrahuntur. Hyacinthus quoque & Chrysoprasus ibi inueniuntur & cinnamomum recolligitur. Illic gignuntur sęuæ ferę, vt dracones, struthiones & simiæ & etiam elephantes. *Hucusq; Isidorus*, dicit etiam ibidem quod inter Cyrenem & Æthiopiam est fons qui friget calore diei & calet frigore noctis, contra naturam aquarum & fontium aliorum.

Cap. X.

De Aetna.

AEtna est mons in Sicilia insula, ex quo erumpit ignis cum sulphure, quemadmodum in gehenna, *vt dicit Isidorus lib.*14. *capite* 6. Hic mons ab illa parte, qua flat Eurus vel Affricus, habet speluncas plenas sulphuris vsque ad mare deductas, quæ spelũcæ in se recipientes fluctus, ventum creant, qui agitatus, ex sulphure ignem gignit, vnde & incendium fumosum ad terram, ab hoc monte erumpere consueuit, *sicut ibidem dicit Isidorus.* In hoc etiam monte sæpe dicuntur apparere quædam figuræ, & audiuntur sæpe ab incolis terræ circa montem Ætnæ gemitus & voces querulosæ: vnde à plerisque creditur, quod ibi sint loca

pœnalia, in quibus animæ aliquę puniuntur, quod tamen non affero, *sed beatus Gregorius in dialogo suo videtur de hoc facere mentionem.*

Cap. XI.

De Monte Esau.

MOns Esau idem est quod mons Seir. In hoc monte est ciuitas Idumæa ab eodem dicta, id est ab Esau filio Isaac, qui ciuitatem illam primitus dicitur constituisse, *vt dicit Hieron. super Abdiam.* Nam Esau, Seir & Edom appellatus est. *De hoc dicit glossa super Deut.* 2. Seir, inquit, est mons in terra Edom, in qua habitauit Esau, in regione Gebalena, vbi primo habitabat Horrhæus, quem interfecit Chodorlahomor *Gen.* 14. Et hic mons dictus est ab Esau piloso & hispido Seir, id est, pilosus nomen accepit. Istum montem habitauerunt primo Horrhæi, homines staturæ giganteæ, enormitate corporis horribiles, *vt dicit glossa super Deuterono.* 2. quibus expulsis atque deletis habitauerunt ibi filii Esau, *vt dicitur Deuterono.* 2. Montes itaque terræ Edom altissimi sunt, ita quod aliquibus partibus nubes tangere videantur. Sunt autem montes illi cauernosi & concaui, & speluncis pleni, *vt dicit glossa super Abdiam*, in quibus habitant homines in æstate, quia ibi minor est æstus Solis.

Cap. XII.

De monte Ephraim.

MOns Ephraim specialiter dicebatur mons in tribu Ephraim, in quo Iosuæ filius Nun recepit possessionem, *vt patet Iosua* 19. In quo ædificauit ciuitatem, habitauitq; in ea. Inter alios vero regionis illius montes, *vt dic. Adamantius*, erat mons iste herbis & arboribus insignior, & fructibus fœcundior, situ sublimior, aspectu pulcrior, aere salubrior, riuulis fontium montem irrigantium fertilior, & ideo erat locus congruus, vt in eo Iesus, qui dictus est Iosue habitaret, *vt dicit idem Adamantius.* In eodem monte à septentrionali parte montis, Iosue est sepultus, *vt dicitur Iosue* 24. Erat etiam mons iste vicinus Sichem, quæ erat ciuitas refugii, cum suburbanis suis in mõte Ephraim, *vt patet Iosue* 20. vbi sepulta sunt ossa Ioseph, *vt dicitur Iosue*

sue Vltimo. In eodem etiam monte reposuit Iosue cultros seu macheras petrinas, quibus filios Israel in eremo circumcidit, *Vt dicit Adamantius super Iosue cap.* 20. Præterea in monte Ephraim habitauit Debora prophetissa, & sedebat sub palma, quę erat inter Bethel & Rama, *Vt pat. Iud.* 4. Multos enim montes particulares siue colles habuit mons Ephraim, id est tribus Ephraim, quia tota illius sors plurimum fuit montosa & in locis pluribus nemorosa, *Vt patet Iosue* 17. Item in eodem monte interfecti sunt principes Madian, Oreb & Zeb, quorum capita ad Gedeō trans Iordanis fluuium sunt allata, *Vt patet Iud.* 7. In Ramatha etiam montis Ephraim natus fuit Samuel Propheta, 1 *Reg.* 1. & ibidem conuersatus, quia ab eo in eodem loco Saul in regem primitus est inunctus, *Vt patet* 1. *Regum* 10. In eodem etiam monte Samuel mortuus est & sepultus, *primo Regum* 25.

Cap. XIII.

De monte Phasga.

PHasga mons est maximus, continens in se multos particulares montes. Nam in hoc monte sunt Abarim & Nebo qui sunt colles super quos ascendit Moyses, vt videret terminos terræ promissionis, antequam moreretur, & in valle eiusdem montis in campestribus Moab tumulo traderetur, *Vt patet Numeri* 27. *&* *Deuteronom. Vltimo.* Hic mons fuit in finibus Moabitarum & Ammonitarum, diuidens terram eorum à terra Amorrhæorum, quam postea possederunt Ruben & Gad, & dimidia tribus Manasse, *Vt patet Deuteronom.* 3. Radices vero istius montis tangunt mare rubrum, quod est mare salsissimum, *sicut dicitur Deuteronom.* 3. *tam in textu quam in glossa.* Vnde isti montes diuidebant terram, quam inhabitabant Moabitæ & Ammonitæ à terra, quam in possessionem receperant Israelitæ. Vnde vsque ad verticem eius montis peruenit Moyses & ex illo loco totam terram promissionis fuit contemplatus, ibique mortuus est, & in valle eiusdem montis, vbi fuerunt campestria Moab, sepultus est, & vsque hodie occultatus, super istum montem Phasga ascendit Balaam Ariolus cum Balac rege Moabitarum, vt malediceret populo Israelitico, cuius maledictionem Dominus conuertit in

benedictionem, *vt dicitur Numeri* 23. Ex quo patet quod mons ille fuit mons diuisionis, quia terminos malorum à bonorum terminis diuidebat. Item mons benedictionis, quia inde Dom. per Balaam prophetam benedictionem populo Israelitico conferebat. Item mons fuit speculationis & contemplationis, quia inde Moyses terræ promissionis terminos præuidebat. *De hoc monte dicit Hieron. in lib. de nominibus locorum.* Abbarim *(inquit)* est mons, in quo mortuus est Moyses in terra Moab, contra Hiericho in supercilio montis Phasga, à qua tota regio in circuitu dicitur Phasga, & ostenditur ascendentibus de Lydia de Meselon, & idem est quod & Nebo, &c.

CAP. XIV.

De monte Phogor.

PHogor est mons siue collis Moabitarum, & est pars montis Phasga, super quem Balac duxit Balaam, vt malediceret Israel. *Numeri* 23. *ita dicit Hieron. in libro supradicto.*

CAP. XV.

De monte Galaad.

GAlaad, *vt dicit Hieronymus*, mons est ad quem Iacob venit septimo die de Canaan quando fugiebat Laban. Est autem, *vt dicit idem* ad tergum Phœnicis & Arabiæ collib. Libani copulatus, & extenditur vsq; vltra Iordanem in terra, quæ quondam fuit Seon regis Amorrhæorum, postea vero cecidit in sortem Ruben & Gad, & dimidię tribus Manasse in quo monte est ciuitas ædificata, & consimili nomine appellata à Galaad filio Machir filii Manasse. Hic mons inter alios est nobilis, quia mons est pasturæ & refectionis. Est enim fertilissimus in frugibus & in pascuis, & in fontibus. Item mons est medelæ & curationis, nam in Galaad inuenitur resina, qua curantur vulnera & diuersi morbi sanantur, *vt dicitur Hierem.* 8. *Nunquid resina est in Galaad, &c.* Item mons est fœderis & reconciliationis, quia in monte Galaad confœderatus est Iacob cum Laban, & ei totaliter reconciliatus, *vt patet Genes.* 31. Item mons est testificationis, *vt patet ibidem, dicitur enim*, appellatum

est nomen eius Galaad id est, cumulus testis. Item mons est lucri & negociationis, nam montana Galaad negociatores pro speciebus aromaticis cōparandis sæpius frequentabant, *vt patet Gen.* 37. viderunt negociatores venire de Galaad portantes aromatica in Ægyptum.

CAP. XVI.

De monte Garizim.

GArizim *vt dicit Hieron.* est mons iuxta Hiericho, cui vicinus est mons Ebal ex aduerso respiciēs. In his duobus montibus benedictiones & maledictiones populo intranti terram promissionis promulgabantur, vt per benedictiones prouocarentur ad bonum legum amatores. Per maledictiones vero terrerentur decalogi transgressores.

In Garizim vero sex tribus nobiliores cum sacerdotibus proclamabant benedictiones. Et ideo inoleuit consuetudo vt mons ille haberetur in veneratione à posteris & frequentaretur causa sacrificii & orationis. Vnde inter Iudæos & Samaritanos fuit contentio de loco adorationis Samaritanis proferentibus montem Garizim conuenientiorem esse ad orandum, quam templum in Hierusalem. Iudæis contrarium asserentibus, *vt patet Iohannis 4. tam in textu quam in glossa.*

CAP. XVII.

De monte Gelboe.

GElboe sunt montes, *vt dicit Hieronymus alienigenarum* 7. milliario a Sitopoli, in quibus est vicus grandis qui Gelboes nuncupatur, in mōtibus istis periit Saul cum Ionatha filio suo, & corruit coram Philistæis Israel, *vt patet* 1. *Regum vltimo.* Contra quos indignatus Dauid propter ruinam populi ipsis maledixit, & maledicendo eos in siccitatem & sterilitatem commutauit, *vt dicit glossa super* 2. *librum Regum cap.* 1. Montes (*inquit*) Gelboe vberes fuerunt ante maledictionem, quos hactenus maledictioni subiacere ferunt, nec vnquam ibi puluere testantur.

CAP. XVIII.

De monte Golgatha.

GOlgatha (*vt dicit Hieronymus*) est mons Caluariæ in quo Saluator noster fuit pro salute hominum crucifixus, & vsque hodie ostenditur in Helia, ad septentrionalem plagam montis Sion. Dicitur autem locus Caluariæ *secundum Isidorum*, quia ibi capita hominum damnatorum decaluarentur.

CAP. XIX.

De Gaas.

GAas est collis in monte Ephraim, in possessione Iosuæ filii Nun, vbi mortuus fuit Iosue, & sepultus in septentrionali parte eiusdem montis, *vt patet in libro Iosuæ capite vltimo*, cuius sepulcrum ostenditur in monte prædicto vsq; ad præsentem diem, *vt dicit Hieron. in prædicto libr. de nominibus.*

De monte Ebron.

CAP. XX.

MOns Ebron est monticulus in tribu Iuda, contra Septentrionem in 20. ab Helia milliario vbi est villa pergrandis, quæ Ephrata nuncupatur, *vt dicit Hieronymus.*

CAP. XXI.

De montibus Israel.

MOntes Israel dicuntur montes generaliter totius terræ promissionis, siue fuerint vltra Iordanem, siue citra, sæpe tamen sumuntur pro terra decem tribuum, quę fuit montuosa præcipue in tribu Dan & Ephraim. Nam & decem tribus nomen Israel sibi vendicauerunt sub Hieroboam, qui fuit de Ephraim, & regnauit primo in Samaria super decem tribus, *vt dicit Hieronymus*, *& patet in historia libr. 3. Regum* 12. Hi montes multum erant pascuales, vberes, fructuosi & frugiferi, oliuis & aliis arboribus fructiferis consiti, erant etiam medicinales herbis & speciebus aromaticis pleni, *vt dicit Isidorus lib* 14. *cap.* 3. Samaria regio est Palestinæ ab oppido quondã nomen accepit, quod quondam erat ciuitas regalis in Israel, quæ nunc ab Augustino

sto Sebasta nuncupatur. Hæc regio Iudææ vicina est, & illi similis in natura. Nam variarum opum diues est, frugibus fertilis, aquis illustris, opima balsamis. Vnde secundum gratiam elementorum Iudæi hanc terram melle & lacte fluentem iudicabant. Nam in eius montibus propter pascuarum abundantiam innumerabilium ouium & pecorum greges & armenta pascebantur. Apes etiam innumerabiles in eisdem mellificantes, herbarum & florum suauitate dulciflua nutriebantur, fructus & fruges propter aeris temperiem & roris abundantiam citissime ad maturitatem in illis montibus ducebantur, aurum & argentum & cætera metallorum genera in illis montibus fodiebantur. *Deuteronom.* 8. Fontes & flumina de venis montium superius progrediebantur, loca munitissima in illis montibus ædificabantur, feræ syluestres, sicut tigrides & leones in illis nemorosis montibus conuersabantur.

Cap. XXII.

De montibus Hyperboreis.

HYperborei montes dicuntur montes Scythiæ, eo quod vltra eos flat Boreas, *vt dicit Isidor. lib.* 14. Sunt autem *secundum Isidorum eundem cap.* 3, terræ Scythiæ locupletes, inhabitabiles tamen plures. Nam dum in plerisq; locis auro & gemmis montes Scythiæ affluant, gryphonum immanitate, rarus ibi accessus hominum est. In illis montibus smaragdi optimi sunt & crystalli purissimi de Scythiæ montibus transmittuntur Sunt autem syluæ asperæ ibi & maximæ, quæ immanibus feris pardis, tigridibus & pantheris sunt repletæ. Ibi etiam sunt canes tantæ magnitudinis & tam immensæ feritatis, vt taurum perimant & leones premant & occidant, & maxime in Albania & Hircania, quæ Scythiæ sunt regiones, quæ montuosæ sunt & plurimum nemorosæ.

Cap. XXIII.

De Carmelo.

CArmelus est mons Iudææ, in qua est ciuitas dicta Carmela. Et est duplex Carmelus: vnde in superiori parte contra meridiem, in quo Nabal legitur pauisse greges

1. Regum

1. *Regum* 21. Alius est Carmelus in inferiori parte terræ respiciens mare. Vterq; mons fertilis est in pascuis, fructibus & herbis.

CAP. XXIIII.

De Libano.

MOns Libani est mons Phœnicis altissimus, cuius meminerunt prophetæ. Dictus est autem Libanus à thure, *vt dicit Isidorus*, quod ibi colligitur. Cuius pars ad orientem respiciens Libanus appellatur, *vt dicit Isidorus*. Libanus etiam, id est, candidatio vocatur, quia perpetuis niuibus semper in hyeme, scil. & æstate candidatur. Nullo enim tempore, ita nix totaliter eliquescit, quin in aliqua sui parte valeat inueniri. Est autem Libanus fluuiorum & fontium principium & origo. Ex eius radice, *vt dicit Hieron.* oriuntur duo fontes, scil. Ior & Dan, qui simul iuncti Iordanem efficiunt. Libanus igitur est mons redolentiæ & summæ aromaticitatis. Nam ibi Herbæ odoriferæ crescunt. Ibi etiam arbores thuriferæ conualescunt, quarum gummi collectum, olibanum à medicis nuncupatur, *vt dicit Hieron.* Item mons est sufficientiæ & fœcunditatis. Nam propter roris abundantiam & pluuiarũ frequẽtiam, herbis abundat præcipuis, pascuis vberrimis, & fructibus optimis & maturis. Et ideo in monte Libani nutriebantur animalia, quæ offerebantur in templo: & in ipsius pascuis fouebantur. Item mons erat eminentiæ & maximæ sublimitatis. Quoniam, *vt Rabanus super Regum dicit*: Omnes alios montes, illius regionis altitudinis situ Libanus excedebat. Et ideo venientibus Tyrum, per remota valde, maris nauigia, se nauigãtium oculis offerebat, & quos deberent nauigantes petere portus, sua altitudine ostendebat, *vt dicit idem ibidem*. Item mons erat indeficientis influentiæ & sempiternæ humiditatis, nam quamuis siccitatem præferret in sua superficie, nobilissimis tamen abundabat intrinsecus venis aquæ, vt patet in puteis aquarum viuentium, qui *iuxta Salomonis sententiam in canticis* solent continue cum impetu de Libano emanare, *vt dicitur Can. 4. quasi Puteus aquarum, &c.* Item mons confidentiæ & securitatis. Nam in Libano quiescentes tuti sunt à venenosis & serpentibus, quos sua aromaticitate & virtute fugant

gant

gant tam herbæ quam arbores, ibidem continue concrescentes. Nam cedri ibi crescentes, suo odore fugant omnia venenosa, & ibi venenosa reptilia viuere non permittunt, *Vt dicit Hieron.* Item mons est pulcritudinis & amœnitatis. Nam Cedrorum & aliarum virentium arborum mira proceritas graminum & herbarum continua viriditas, auium syluestrium canora suauitas, riuorum & fontium multiplicitas, Libanum amœnum efficiunt & iucundum. Item mons est medicinæ & sanitatis. Ibi enim species aromaticæ crescunt, quæ sunt contra morbos innumerabiles remedia & medelæ. Ibi Cedri & Palmæ, ibi Cypressi & Oliuæ: quorum liquores & resinæ sunt contra diuersarum infirmitatum incommoda præcipuæ medicinæ. Item mons læticię & iucunditatis. Nam in collibus Libani crescit abundantia vini optimi & præcipuæ læticiæ & hilaritatis maxime inductiui. Item mons honorificentiæ & dignitatis. Nam inter omnes montes Arabiæ Phœnicis & Syriæ mons Libani in sublimitate, in fœcunditate, in amœnitate & aeris salubritate obtinet principatum, *Vt dicunt Hier. Iosephus & Iohannes.*

Cap. XXV.

De Moria.

MOria est mons in Hierusalem, in quo ædificatum est templum Salomonis, *sicut dic. 2. Paral. 3.* Hunc enim montem emit Dauid ab Ornan Iebusæo sexcentis siclis auri purissimi, vt in eo ædificaret altare Domino, quando pro numeratione quā fecit Dauid populus est percussus. 1. *Paralip. 21.* In hoc monte immolauit Domino, & orauit & exaudiuit illum Dominus de Cœlo in igne super altare holocausti. In hoc monte obtulit Abraham holocaustum pro Isaac, quem Dominus præcepit ibidem immolari, *Genes. 22. Vbi dicit Glossa Hieron. super illud Verbum, Vade in terram visionis & offer filium tuum super vnum montium, &c.* Hunc montem Hebræi dicunt esse illum, in quo postea templum conditum est in area Ornan Iebusæi in montem Moria, qui idcirco illuminans & lucens interpretatur, quia ibi est Dabir. hoc est oraculum Dei & lex & spiritus, qui inspirat prophetas & docet homines veritatem. *Hucusque Gieron.* In eodem loco creditur Iacob dormiuisse, & ascen-

dentium angelorum per ſcalam vidiſſe viſionem, *vt patet Gen.28. vbi dicit gloſ. ſuper illud verbum. Non eſt hic aliud niſi domus Dei, &c.* Hoc dicitur, quia præuidit templum & Dei cultum ibidem futurum. Fuit autem iſte locus collis a latere montis Sion, vbi ædificata eſt poſtea turris Dauid. Vnde patet ex prædictis quod mons Moria fuit mons viſionis & reuelationis, mons ſacrificii & orationis, mons prophetiæ & inſtructionis, mons luminis ſiue illuminationis, mons angelicæ frequentationis, mons diuinæ apparitionis, mons miſericordiæ & propiciationis.

CAP. XXVI.

De Nebo.

NEbo mons eſt in terra Moab, in vertice Phaſga contra Iericho. De hoc monte vidit Moyſes terram promiſſionis, & ibidem mortuus eſt poſtquam terram fuerat contemplatus, *vt dicit Hieronym. Et patet in hiſtoriis Num.27.*

CAP. XXVII.

De Hor.

MOns Hor eſt mons in extremis finibus terræ Edom, in quo monte mortuus eſt Aaron, iubente Domino, in anno 40. poſtquam egreſſus eſt de Ægypto, cum eſſet annorum 123. *vt dicitur Numer.* 28. Fuit autem triceſima manſio, in qua remanſerunt filii Iſrael, poſtquam egreſſi ſunt de Ægypto, *ſicut dicitur in libr. Numeri cap.* 20. *Cum mouiſſent caſtra de Cades venerunt in montem Hor, qui eſt in extremis finibus terræ.* In hoc monte ſuſcepit Eleazar filius Aaron primi ſacerdotii principatum.

CAP. XXVIII.

De Oliueto.

MOns oliueti eſt mons in Iudæa iuxta Hieruſalem, ſic dictus propter copiam oliuarum, quæ in monte illo maxime abundant, *& ideo ab Auguſt. ſuper Ioha.* vocatur mons chriſmatis & vnctionis: mons luminis: mons pinguedinis & refectionis, & mons medicaminis & curationis. Et hoc dicit propter oliuarum ibi creſcentium abundantiam, quarum fructus eſt vnctuoſus, luminoſus & deli-

delitiosus, *quia vt dicit Isidorus.* Oleum oliuæ ex radicis amaritudine surgit in pabulum luminis, in medicamen vulneris, & in refectionem esurietis In huius mõtis oliuarum radice siue pede, fluit riuulus, qui dicitur Torrens Cedron, inter cuius ripam & montem fuit hortus, quem Dominus, orationis & quietis gratia, sæpius frequentauit & subintrauit: vnde & ibi captus fuit primo in horto q Gethsemani dictus est, *vt dicitur Iohan. 19.* Ibi enim, scilicet in pede montis, fuerat quondam villula dicta Gethsemani, cuius horti tunc temporis adhuc ibi erant, *vt dicit Augustinus*, & illorum locum hortorum Dominus ex consuetudine frequentabat. Hic autem mons fuit ad orientalem partem templi, & ideo mane illuminabatur Sole oriente, de vespere vero & de nocte . illustrabatur ex fulgore, à luminaribus tẽpli resplendente. Et ideo merito mons luminis dicebatur, tum, quia à cœlo & à templo lumen recipiebat: tum etiam, quia lucis materiam olei sui abundantia aliis impendebat, *vt dicit Augustinus.* In hoc monte erat quidam viculus nomine Bethphage, qui sacerdotum erat, in cuius montis latere erat ciuitas dicta Bethania, quæ fuit ciuitas Marthæ, Lazari & Mariæ, *vt dicit glos. super Matthæum* 21. De hoc monte Dominus cœlos ascendit, & supra eundem montem ad iudicium apparebit, *vt patet in Act.* 1. *tam in litera quam in glossa.* In hoc monte ædificauit Salomon delubra & excelsa, *vt patet* 2. *Re.* 10. Et ideo vocatus est mons oliuæ & propiciationis: mons offensionis, 4. *Regum* 23. quia scilicet in illis idolis offendit Salomon Deum suum.

CAP. XXIX.

De Olympo.

OLympus est mons Macedoniæ excelsus nimis, ita vt sub illo nubes esse dicantur, *vt dicit Virgilius.*

--nubes excessit Olympus.

Dictus est aũt olympus quasi ὁλ☉ λαμπεὸς, id est totus fulgens. Hic mons Macedoniam, à Thracia diuidit. Tantæ enim sublimitatis est mons olympi, quod omnes excedit aeris turbines & alias passiones. Vnde philosophi ibi ascẽdentes, vt situs & cursus stellarum inspicerent, ibi viuere non poterant, nisi secum spongias cum aqua ferrent, & sic

per aquæ attractionem aerem redderent grossiorem siue spissiorem, *vt dicit magister in historia.*

CAP. XXX.

De Horeb.

HOreb mons est in regione Madian, *vt dicit Hieronym.* iuxta Arabiam in deserto, cui coniungitur desertum Sarracenorum, quod vocatur Pharan, & est idem mons Horeb & Syn, *vt dicit Hieron.* In hoc monte vidit Moyses multas visiones, *vt patet Exod.* 3. ibi vidit rubum ardentem & comburentem: ibi audiuit Deum loquētem sibi & multa præcipientem. Sicut post de monte Sinai dicetur

CAP. XXXI.

De Parnasso.

MOns Parnassus est in Thessalia iuxta Boetiam, qui mons duas habet vertices quasi in cœlum eleuatos, in quibus quondam Apollo & Liber Bachus colebantur, forte propter locorum amœnitatem & vinorum & vinearum maximam vbertatem.

CAP. XXXII.

De Alpibus.

RIphæi montes sunt Alpes in capite Germaniæ, *vt dicit Isidorus*, qui à perpetuo ventorum flatu & tempestatum impetu sic dicuntur. Nam ῥιφοῦς in Græco, impetus dicitur in latino. Dicuntur autem Alpes, id est alti montes, ad quorum cacumina non nisi per altos pedes collium & aliorum inferiorum montium peruenitur. In his Alpibus sunt perpetuæ niues, frequentes nubes, fontium & fluminum magnorũ capita & origines, bestiæ & feræ syluestres, aues multiplices, & maxime illius generis volucres, quarum alæ de nocte sunt lucentes, *vt dicit Isidorus.*

CAP. XXXIII.

De Rupibus.

RVpes sunt altissimi montes solidissimi & fortes: super altitudinem aliorum montium eminentes, tempesta-

tum

tum impetus & imbrium fluxus continue recipientes, propter quod terra superficialiter diluitur, & duriores montis partes & compactiores in petram commutatæ rupes immobiles & immeabiles aliquando efficiuntur. Quantumcunque autem rupes exterius multum habeant soliditatis & asperitatis, intus tamen habent aliquid spongiositatis & concauitatis. Vnde humores ibi attracti & collecti, sæpe per capita fontium scaturiunt & erumpunt. Venti etiam & aquæ cauernas rupium intrant, & sunt aliquando causa terræmotus, ex cuius violentia rupes quandoque corruunt & rumpuntur. Solis auibus, vt aquilis & vulturibus, rupium cacumina peruia inueniuntur. Rupibus etiam maris littora sistūtur, & ad duriciem rupis vndarum & procellarum impetus eliduntur. Loca munitionibus apta, in rupibus reperiuntur. Auium & animalium latibula in rupibus construuntur. Nebulis & nubibus capita rupium obuoluuntur. Radiis solaribus in ortu Solis summitates rupium perfunduntur. Rupes etiam dicuntur, quia ad rumpendum sunt difficiles. Sine enim ferri violentia rupes nullatenus perfodiuntur. Et de profundis etiam rupium venis preciosi lapides & metallorum variæ species sæpius extrahuntur. Partes autem eminentes in præruptis rupibus dicuntur scopuli, à σκοπεῖν quod est intendere vel speculari, quia inde loca remotissima speculantur.

CAP. XXXIV.

De Sephara.

SEphara mons est orientis in India, *vt dicit Hieronymus*, iuxta quem habitauerunt filii Iethan filii Hebre, quos Iosephus dicit venisse deinde in Sephara, ad quem locum classes Salomonis cum quibusdam commerciis infra tres annos venire consueuerunt. Hæc est Tharsis terra & portus maris, vnde serui Salomonis aurum & argentum, simias & pauones, & dentes elephantinos detulerunt, *vt patet tertio Regum decimo.*

CAP. XXXV.

De Segor.

SEgor est mons paruulus, qui & Balo dictus est, iuxta Sodomam, *Vt dicit Hieron.* in quo ædificata fuit vrbs, quę ad preces Loth liberata est, vbi crescit vinea balsami in signum pristinæ fertilitatis, & poma palmarum. Imminet autem mari mortuo, & fuit in eo postea positum præsidium Romanorum. *De hoc dicitur Esa.15. Vbi dicit glossa,* quod vitula vocabatur propter lasciuiam cőternans, quia bis concussa, tertio terræmotu corruit, quæ robusta permansisset, si post liberationem non peccasset.

CAP. XXXVI.

De monte Sinai.

SInai est mons, cuius pars est Horeb, & est in Arabia, in prouincia Madian. *De hoc monte dicit Iosephus in libro secundo antiquitatum.* Sina, mons est excelsus, & ad pascua egregius, optimas herbas ferens. Eratque hæc opinio ibi habitare Deum, & ideo primitus ibi nemo pascebat oues, quia pastores illuc ambulare minime præsumebant. Huic monti appropinquans Moyses prodigium vidit, scil. ignem rubum comburentem, & eius viriditatem & florem nullatenus depascentem, & eius ramos fructiferos, nullo incendio deuastantem, quamuis flamma velox & vehemens nimis esset. Vnde de illo igne Dominus ad Moysen locutus est. *Item idem lib.3.* Ascendit Moyses in Sina, qui mons est excellentissimus in illis regionibus, & propter altitudinem magnitudinis suæ, & scopulorum proceritatem, non solum est hominibus inaccessibilis, verum etiam cum labore videri potest. Et quia sermo erat, Deum circa eum habitare, erat terribilis & inadibilis vniuersis. Circa radices huius montis Hebræi sua tabernacula locauerunt, & ibi Deum videre in igne & in nube, & ipsum personaliter loquentem audire meruerunt. Dicitur itaque mons Sinai, mons diuinæ habitationis, angelicæ frequentationis, mons luminis & inflammationis, mons nubis & caliginis, mons pluuiæ & roris, mons pascuę & refectionis, mons sapientiæ & eruditionis, quia de illo monte Dominus Moysen & populum instruebat, & ei le-

gem

gem conferebat, mons misericordię & promissionis, quia inde bona inaudita populo promittebat, mons iustitiæ & comminationis, quia timorem inspicientibus inferebat. Vnde mons fuit fulguris & coruscationis, mons tubæ & clangoris, mons amicitiæ & confœderationis, quia mediante lege, populum ibidem sibi sempiterno fœdere vniebat, mons mundiciæ & puritatis, mons lætitiæ & iucunditatis, quia nulli ad montem accedere potuerunt, nisi qui mente & corpore mundi erant. Ibi etiam qui mundi erant coram Domino, cum lætitia comedebant & bibebant, mons clemētiæ & pietatis siue propiciationis, mons sacrificii & orationis. Nam ibi Domino immolabant, ac precibus Moysi & supplicationibus Deum sibi placatum & propicium audiebant.

Cap. XXXVII.

De Monte Sion.

SIon mons erat in Hierusalem, super cuius verticem erat arx, siue turris Dauid ibi posita, pro decore & defensione ciuitatis. In vno autem latere montis Sion erat templum, quasi medium inter arcem & inferiorem ciuitatem, vt scilicet munitio arcis defenderet templum, & templum cum arce protegeret ciuitatem. Et ideo sæpe scriptura vocat Hierosolymam filiam Sion, quia sicut filia protegitur à matre, & subditur ipsi matri, sic ciuitas inferior templo fuit subdita atque arci. Tantæ autem autoritatis & nobilitatis inter cæteros montes fuit mons Sion, quod non solum ciuitas Hierosolyma, nec etiam ipsa Iudæa, verum etiam vniuersalis Ecclesia, tam ex Iudæis quam ex gentilibus congregata, sæpius in prophetis à monte Sion denominatur, *sicut ibi: Fundatur in exultatione vniuersæ terræ mons Sion latera aquilonis ci.re.magni.* Nam mons fuit magnæ altitudinis & sublimitatis, magnæ fortitudinis & firmitatis, magnæ plenitudinis & vbertatis, magnæ pulcritudinis & amœnitatis, maximæ confidentiæ & securitatis, maximæ opulentiæ & locupletationis, maximæ læticiæ & exultationis, perfectæ iustitiæ & sanctificationis, mons doctrinæ & eruditionis, *sicut scriptum est Esa. 2. De Sion exibit lex,* mons prophetiæ & reuelationis.

CAP. XXXVIII.

De Selmone.

SElmon est mons in tribu Ephraim, iuxta confinium tribus Manasse, in quem ascendit Abimelech, quando dimicauit contra Sichimitas, *Vt dicit Hiero. & legitur Iud. 9.* mons præ multitudine arborum densus & vmbrosus, propter quod & Selmon vmbra interpretatur. Est etiam mons irriguus aquis, & ignibus, niuibus pinguis & pascuosus, *sic dicitur in Psalm. Mox dealbabuntur in Selmon mons Dei mons pinguis.*

CAP. XXXIX.

De monte Sophin.

SOphin est mons in tribu Ephraim in loco Armathen, vnde oriundus fuit Samuel, *Vt dicit Hieronym.* Fuit autem locus in alto situs, fertilis & graminosus, aquis irriguus, arboribus consitus & deliciosus. Saron, *de quo dicitur Esai. 35.* est mons inter montem Thabor, & stagnum Tiberiadis: vnde & tota illa regio Sarona vsque hodie est vocata, *Vt dicit Hieronymus.* Omnis etiam regio à Cęsaria Palęstinæ vsque ad oppidum Ioppe Sarona dicitur. Iuxta montem istum campi sunt fertilissimi, *Vt dicit glossa super Esa. 33.* tam frugibus quam fructibus valde apti.

CAP. XL.

De monte Seon.

MOns Seon, *de quo dicitur Deuteronom. 4.* dicitur pars montis Galaad, qui extenditur per desertum vsque trans Iordanem, vbi habitauit Seon Rex Amorrhæorum, & cecidit in sortem Ruben & Gad & dimidiæ tribus Manasse, *Vt dicit Hieron. super Hierem. 46. ibi. Ascendente Galaad, &c.* quære supra de monte Galaad.

CAP. XLI.

De monte Semeron.

SEmeron est mons *de quo dicitur 2. Paralipom. 13. capite,* In quo est mons Sebaste, vbi reliquiæ Iohannis Baptistę requiescunt, *Vt dic. Hier.* In eodem quidē monte prius ędificata

ficata est Samaria, à qua & tota regio postea Samaria est vocata. Hæc ciuitas ratione montis fuit fortissima & ad expugnandum difficilima. Vnde & reges Assyriorum miris sumptibus & bellorum maximis apparatibus eam tribus annis continue obsederũt, & vix propter famis angustiam contra ipsam præualere viribus potuerunt. Imo *vt dicit Hieronymus & Iosephus*, nunquam eam expugnassent, si ipsius habitatores Deum Israel ad iracundiam prouocantes plenam confidentiam habuissent in Domino, & ipsius legem nullatenus reliquissent. Istius montis proprietates quære supra de montibus Israel, & ibi plene inuenies.

CAP. XLII.

De monte Seir.

Mons Seir, de quo sæpius habetur mentio in scriptura, est idem qui & mons Edom, de quo supra sufficienter dictum est, quęre de monte Edom siue Esau, Trinomius erat Esau.

CAP. XLII.

De monte Thabor.

Thabor est mons in medio campo Gables, *vt dicit Hieronymus super Ieremia cap.* 26. & est mons mira rotunditate sublimis, distans à Diacæsarea, 10. millibus ad orientalem plagam, & fuit in confinio Zabulon, Isachar & Nephtalim. Hic mõs inter totius terræ promissionis montes maxime est famosus ratione situationis, fertilitatis, amœnitatis, fortitudinis & firmitatis. Gleba enim illius montis est fertilis vineis, oliuis & aliis arboribus fructiferis habilis. Aer ibi est salubris, ros frequens & dulcis, imber tam temporaneus quam serotinus mediocris, ibi arborum proceritas, quæ non deponunt hyeme & æstate comam vel virorem suum, ibi auium multigenarum canorus sonitus & canora suauitas, quarum voce afficitur auditus, pennarum varia dispositione ad earum aspectum prouoçatur visus, in carnium suauitate delectatur gustus, & ideo multi sunt ibi aucupes auiculis locum istum frequentantibus retia & tenticulas imponentes, *sicut dicit Hieronym. super illum locum Osea 4. quasi rete expansum super montem Thabor, &c.* Super omnia autem montem istum red-

dit commendabilem præsentiæ Saluatoris, qui ipsum sua potentia honorauit. Nam in hoc monte docuit, in hoc gratia orationis pernoctauit, in hoc monte aliquando pauit populum, & tum spirituali quam corporali pabulo recreauit. In huius montis et supercilio coram discipulis suis se transfigurare voluit & futuræ claritatis gloriam in suo corpore discipulis reuelauit.

Cap. XLIV.

De Ziph.

Ziph mons est squalidus & vmbrosus, in quo latuit Dauid, quando fugit à facie Saul, & est iuxta Carmelon in monte Carmeli, in quo Nabal Carmelites quondam habitabat, qui fuit de stirpe Caleb, *Vt dicit Hierony.* Est autem mons multum nemorosus, dumis & arboribus infructuosis consitus & saltuosus, feris & ibicibus peruius, speluncis & antris plenus, & plurimum cauernosus & ideo frugitiuis & latere volentibus congruus, est & ignotis transeuntibus periculosus.

Cap. XLV.

De Collibus.

Collis est tumor terræ breuis, terræ planiciem transcendens & ad montis altitudinem non attingens. Collis enim monte est inferior sed terra altior, & dicitur tumulus quasi tumens tellus, *Vt dicit Isidorus.*

Vnde solent colles mõtium esse pedes, nam de collibus ad montes solemus ascendere altiores. Et dicuntur colles à colendo, quia cum minori labore coluntur quam montes & plus quam montes ab hominibus incoluntur & inhabitantur, plus aeri & calori solati quam inferior terra exponuntur, & ideo fructus in collibus ad maturitatem citius producũtur, imbre & rore cœlesti plus colles quam valles perfunduntur, & ideo fructus accrescentes in collibus aliis dulciores & sapidiores inueniuntur. Item inter infimam terræ superficiem & summam montis altitudinem tenent colles medium quo ad situm, & ideo aer crassior & spissior est in colle quam in monte, purior vero & subtilior est quam in valle. Puriores enim & nobiliores recipiunt

cipiunt colles impreſſiones & influentias à ſuperioribus quam valles, & ideo tam fructus quam gramina ſunt in collibus ſalubriora, quam in vallibus & aliis partibus meliora, *Vt dicit Conſtantinus*. Item colles citius recipiunt radiorum Solis illuminationem, quam valles & velociorem à nubibus irrorationem. De montibus etiam deſcendunt torrentes & riuuli ſuper colles & de collibus deriuantur ad campeſtria & ad valles.

CAP. XLVI.

De Valle.

VAllis eſt terra decliuis ac depreſſa in montium medio collocata, *Vt dicit Iſidorus*. Eſt autem vallis aquarum à riuulis fontium defluentium receptaculum & vehiculum: vnde patet quod valles à riuulis ex montibus emanantibus irrigantur, & ex illorum circumfuſione in floribus & fructibus fœcundantur, frondium & florum virore citius decorantur, à montium & collium eleuatione obumbrantur. In vallibus etiam fit maior radiorum ſolarium concurſus ac confractio ac fluxus. Et ideo calidiores impreſſiones in valibus quam in montibus generantur, propter quod in vallibus citius quam in montibus reſoluuntur niues, ex quarum diffuſione loca circumiacentia humectantur, *Vt dicit Macrob.* Et ideo valles calidę, turbidæ, groſſæ & vaporoſæ, per experientiam iudicantur, quarum habitatores calidis & humidis paſſionibus ſæpius moleſtantur, *Vt dicit Conſtantinus*. Domus & ædificia in vallib. conſtituta, minus ventorum & tempeſtatum incommodis propelluntur, quã illa quæ in montibus collocantur, nam montium obiectu tuentur, & à procellarum inundantium impetu defenſantur, terræmotu incolæ vallium raro infeſtantur, cuius ratio eſt, quia partes terræ in valles reſidentes magis comprimuntur, & ſibi inuicem fortius adunantur. Et ideo venti illas partes difficilius penetrant & ſubintrant, ꝓpter quod partes illæ quia minime ſunt cõcauæ & poroſæ, minime à ventorum ſubintrãtium impetu agitantur propter quod non mouentur, *Vt dicit Ariſt.* Ad valles etiam confluunt ſordes & ibi diutius reſeruantur, propter aeris corpulentiam valles citius quam montes groſſis & fumoſis vaporibus obnubilantur, & denſioribus tenebris

obſcurantur. Vnde partes vallium plus quam montium profundantur ad centrum & à cœli circumferentia plus elongantur. Item ex aquarum multiplici concurſu, & limi ac luti obiectu paludes quaſi inuadabiles in vallibus frequentiſſime coadunantur, & loca ad tranſuadandum difficilia inueniuntur. Item ex humorum abundantia carices & gramina in vallibus maxime nutriuntur, ſalices & aliæ infructuoſæ arbores in vallibus plus quam in montibus creſcere dignoſcuntur.

Cap. XLVII.

De Campo.

CAmpus *ſecundum Iſidorum* eſt terræ planicies, nec depreſſa vt vallis, nec erecta vt montes, & ideo quia æqualis eſt pedibus, campus eſt vocatus, à camis Græco, quod breue vel æquale dicitur in latino. Et eſt campus locus planus & incultus, nec vomere ſulcatus nec ſtercore impinguatus, ſed potius deambulationi vel deductioni aut militari exercitationi iuxta ciuitatum habitacula deputatus, locus ſcilicet communis & publicus, omnium aſpectibus expoſitus vſibus rei publicæ aſcriptus, nulli proprius, ſed omnium vtilitatibus aſſignatus.

Cap. XLVIII.

De Agro.

AGer, *vt dicit Iſidorus lib.* 15. dicitur eo, quod in eo aliquid agatur. Omnis enim ager, *vt ait Varro*, aut eſt aruus, id eſt ſationalis, aut conſitus, id eſt arboribus aptus, aut paſcualis, quia herbis tantum pro animalibus vacat: aut florens hortus, ſcilicet floribus & apibus aptus. Vnde *ſecundum antiquos* ager eſt terra culta: rus vero terra inculta, vt ſylua & paſcua, in qua tam pecus quam lac haberi poteſt. Vnde & ruſticus nominatur. Nam agreſtium hominum hæc prima & ocioſa felicitas eſt. Vnde & ager dicitur, quaſi paſcuus, quia à diuiſoribus agrorum vicinis, paſcendi gratia, eſt relictus, Sicut *alluuius* dicitur ager, quem paulatim fluuius in agrum reddit. Sic & *arcifinius* dicitur ager, quia à certis linearum menſuris non continetur, ſed arcetur finis eius obiectu montium & arborum, & et-

& etiam fluuiorum. Sic & *noualis* ager dicitur primũ proscissus, siue quia alternis annis vacat, vt renouet suas vires. Noualia enim semel cum fructu erunt, & semel vacua sine fructu permanebunt. Aliquando etiam dicitur *ager squalidus*, quasi excolidus, sic dictus, eo quod à cultura iam exierit, sicut exconsul, eo quod à consulatu iam discesserit. Aliquando dicitur ager vliginosus, id est, semper humidus. Nam humidus dicitur, qui quandoque siccatur. Vligo autem est humor terræ naturalis ab eo nunquam recedens. *Hucusq; Isidorus lib.15.cap.14.* Ager est igitur locus exercitii, laboris & sudoris. Nam cum labore ager excolitur, ligone percutitur, foditur, euertitur, vomere aperitur, semine seritur, rastro tegitur, rore & imbre perfunditur, spinosis sepibus circumdatur & munitur. Hyeme gelu & frigore constringitur. In æstate æstu & caumate vritur. In vere siue verno tempore colitur. In autumno collectis fructibus iterato præscinditur vomere, & sic alternatis laboribus continue lacessitur.

CAP. XLIX.

De Prædio.

PRædium *secundum Isidorum* dicitur quasi præuidium, eo quod sibi à patrefamilias in omnibus prouidetur. Et est locus, in quo à patrefamilias in medio agrorum suorum domicilium pręparatur. Vel dicitur prędium eo, quod antiqui agros, quos bello ceperant, prædæ nomine possidebant, *vt dicit Isidorus.*

CAP. L.

De Prato.

PRatum est, cuius fœni copia armenta tuentur. Cui veteres Romani nomen dederunt, eo quod sit locus, qui protinus est paratus, quia culturæ laborem non requirit, *vt dicit Isidorus.* Et ideo talia loca dicuntur prata quia ad fœnum & ad gramina sunt parata. Prata siquidem fluminibus, riuulis & fontibus irrigantur. Et ideo propter humoris abundantiam, herbarum radicibus nutrimentum continue ministrantem, herbis & floribus diuersi generis decorantur. Et ideo propter vernantem & virentem quam pręten-

prætendunt pulcritudinem, prata ridere dicuntur. Prata etiam suo virore delectant visum, suo odore afficiunt olfactum, graminum suorum sapore reficiunt gustum. Pratorum herbæ & flores, mel apibus administrāt, lactis copiam in armentis & gregibus generant & augmentant. Vulnera curant, & contra diuersos morbos remedium præstant.

Cap. LI.

De Deserto.

DEsertum est terræ spacium sic dictum, quia ab hominum frequentatione & habitatione deseritur, nec ab hominibus colitur, nec inhabitatur, *vt dicit Isidorus.* Et hoc contingit aliquoties propter terræ sterilitatem, siue aeris intemperiem, seu propter aquarum & fontium defectibilitatem, siue propter hostium vastitatem. Vnde desertum est, incultum, spinis ac sentibus plenum, reptilibus & venenosis animalibus peruium, bestiarum & ferarum syluestrium domicilium, fugitiuorum & latrocinantium habitaculum, terra sitis & ariditatis, terra æstus & squaloris, terra vastitatis & horroris, terra deuii & erroris. Nam in deserto viæ sunt deuiæ, calles & semitæ non sunt tritæ, miricis & aliis fructibus infructuosis consitæ atque planæ, arenosæ, lapidosæ, puluerulentæ, fœculentæ, & aliis incommodis itinerantibus plurimum onerosæ. Et dicuntur deserta, *vt dicit Isidor.* quia non seruntur. Vnde loca syluarum & montium, quæ à semine vacua deseruntur, deserta nuncupantur, non minus tamen deserta dicuntur loca prius inhabitata, & post casu aliquo desolata *vt dicit idem.*

Cap. LII.

De Heremo.

HEremus autem est inuia solitudo, à paucis, nisi à feris & bestiis, habitata. Vnde heremitæ dicuntur homines deserta solitudinis appetentes, se ab aspectu hominum sequestrantes. Dicitur hæc heremus heremi. per contrarium, ab hæreo es. quia pauci ibi hærent atque manent. Vel dicitur heremus quasi hærens humus, quia dura & cōpacta solet esse terra, quæ heremus vel solitudo vsualiter est vocata. In locis autem heremiticis & solitariis feræ syluestres liberius quā in aliis locis, euagantur, securius commoran-

morantur. Ibidem etiam, propter nemorum spissitudinem & syluarum multitudinem, volucres syluestres dulcius modulantur. Ibidem etiam nidificant & conuersantur, & ideo propter ferarum multitudinem, & auium frequentiam, talia loca, quamuis sint solitaria, aliquando à venatoribus frequentantur. Ibi etiam aucupum laquei & retia sæpius occultantur. Talium etiam locorum habitatores pluribus laboribus exponuntur, nunc gelu, nunc æstu exuruntur, nunc rore, nunc imbre, nunc pruina, nunc niue perfunduntur, raro, nisi forsan à latronibus vel venatoribus, inquietantur, & ideo locus heremiticus quamuis multum habet afflictionis, tædij & laboris, plurimum tamen obtinet commodi & quietis.

Cap. LIII.

De Antro.

ANtrum ab atro est dictum, eo quod atris tenebris & horridis est suffusum *Vt dicit Isid.* Est enim proprium bestiarum in cauernis manentium latibulum: In quibus latitantes prædæ insidiantur, & ideo specus à speculando antrum dicitur, quia inde post suas prædas diligentius speculantur, *Vt dicit Isidorus.* Est autem antrum in æstate frigidum: in hyeme vero calidum, & fœtibus animalium nutriendis & occultandis est aptum, ex sudoribus autem & vaporibus animalium fœtidum est & corruptum.

Cap. LIIII.

De Fossa.

FOssa à fodiendo est dicta, eo quod sit terra viribus & ingenio fodientium profundata. Quæ quanto plus in sua superficie terra accumulata erigitur, tanto inferius amplius profundatur, & quanto altior est & profundior, tanto eius transitus difficilior & periculosior inuenitur, quam quilibet cadendo facilime ingreditur, sed post casum de ipsa faciliter non exigitur, *Vt dicit Gregorius. Ideo etiam dicit Hieron super Ezech.* 19. Leo in foueis capitur. Nam facta fouea, ouis vel capra in eius fundo ponitur, cuius odore allectus leo, foueam, prædæ gratia, ingreditur, sed postquam eam ingressus fuerit, ibidem ne exeat, detinetur. Fouea etiam intra foueam à latere, ad modum spelun-

lun-

lancæ, foditur, in qua cauea quædam ponitur, quæ ad modum cistulæ præparatur, quæ de facili clauditur, & de difficili aperitur. Quando ergo leo videt, se non posse de prima fouea egredi, timens venatorum venabula, latēdi gratia, secundam foueam ingreditur, & ibi in cauea ad hoc parata clauditur, capitur, & captiuus detinetur, *Vt dicit Hieron.* Foueæ etiam vtiles sunt & necessariæ, quia fossatis, ciuitates & castra, ne hostibus pateant, muniuntur. Fossatis insuper terrarum spacia & habitaculorum termini ab inuicem diuiduntur. Replentur nihilominus foueę aquis, in quibus pisces & reptilia diuersi generis nutriuntur: Vnde & fouea quasi fouens aquas est dicta. Nam in foueis fouentur & seruantur aquæ, nunc fluxibiles, nunc statiuæ; nunc eas subintrant torrentes & pluuiæ, nunc in eis erumpunt capita fontium, & scaturiunt riuuli aqua viua. Summa vero & præcipua & omnium munitionum fortitudo & tutela solet esse fouea, quando in lato & in longo, in alto & in profundo ordine congruo est parata. Nam inaccessibilis est locus sic munitus, nisi aggere, nauigio, vel ponte, talis fouea transeatur, *Vt dicit Hieron.*

CAP. LV.

De Spelunca.

Spelunca est fouea subterranea, à speculando dicta, quia propter sui latitudinem ad circumspiciendum est apta, latum enim & à parte luci expositum, habet introitum, sed in fine, finem siue terminum habet arctum. Vnde spelunca locus est subterraneus, primo quidem euidens & lucidus in ingressu, deinde obscurus & turbidus in progressu, tandem durus, arctus & hispidus in egressu, si tamen egressus aliquando poterit inueniri, *Vt dicit Damasc.* In locis autem mineralibus vbi effodiuntur lapides & metalla potissime sunt speluncæ, quæ quidem ratione extractionis lapidum seu metallorum remanent vacuæ, quibusdam tamen columnis siue aliis appodiationibus ne corruant, sunt fulcitæ. Sæpe tamen vel nimia mole terræ columnæ illæ desuper aggrauatæ, siue propriæ materiæ mollicie resolutæ, siue fundi inferioris humore relaxatæ corruunt, & sic omnia in illis speluncis existentia obruunt & confundunt. Vnde in speluncis manere periculosum est & difficile, tum

quia

quia frigidæ sunt & humidæ, obscuræ, instabiles & incertæ, tum quia hispidæ & duræ in superficie graues, & in infimo concauæ & profundæ. Sunt etiam loca congrua occultationi ferarum & habitationi, sordium & immundiciarum depositioni, serpentum & aliorum reptilium mansioni.

CAP. LVI.

De Cauerna.

CAuerna est terra concauata, à cauando dicta, eo quod partes terræ concaueutur & perforentur à reptilibus, & ab inuicem vel per partium compressionem siue euacuationem & eiectionem diuidantur. In cauernis siquidem mures & reptilia & vermes, suas faciunt mansiones, ad quas confugiunt, quando timent vel vident sibi imminere ab extrinseco aliquas læsiones. Ad cauernas etiam tam lapidum quam arborum, quandoque confugiunt volucres, columbæ, scil. & turtures, quando vident aquilas & accipitres in aere venientes. Similiter erynacei, cuniculi & lepores fugiunt ad cauernosos lapides, quando audiunt canes, vel præsentiunt venatores. In cauernis etiam tam terræ q̃ arborum mellificant sæpe apes, nidificant quædam volucres. Latitant etiam in cauernis colubri, & serpentes, qui sæpe lædunt & pungunt venenoso morsu homines & bestias ad tales cauernas appropinquantes. Terra insuper quando est ex se cauernosa & spongiosa, patitur sæpe motum & agitationem ex vento subintrante poros suos & replente, ex cuius agitatione generatur terræmotus, *vt dicit Aristoteles.*

BAR-

BARTHOLOMÆI ANGLICI de proprietate Prouinciarum, Liber decimusquintus.

De terræ autem partibus & diuersis prouinciis, per quas orbis generaliter est diuisus, pauca huic operi sunt, adiuuante Domino, breuiter inserenda. Non tamen de singulis dicendum, sed solummodo de his, de quibus sacra Scriptura sæpius inuenitur facere mentionem.

CAP. I.

De Orbe.

Orbis autem, *vt dicit Isidorus lib.*15. trifarie est diuisus. Nam vna pars Asia, alia Europa, tertia Affrica appellatur. Quas tres partes orbis, veteres non æqualiter diuiserunt. Nam Asia à meridie per orientem, vsque ad Septentrionem peruenit. Europa vero á septentrione vsque ad occidentem pertingit. Sed Affrica ab occidente, per meridiem se extendit. Sola quoque Asia continet vnam partem nostri habitabilis, scilicet medietatem. Aliæ vero partes scilicet Affrica & Europa aliam medietatem sunt sortitæ. Inter has autem partes ab Oceano mare magnum progreditur, easque intersecat, quapropter si in duas partes orientis & occidentis orbem diuidas, in vna parte erit Asia, in alia vero Affrica & Europa. Sic autem diuiserunt post diluuium filii Noæ, inter quos Sem cũ posteritate sua Asiam, Iaphet Europam, Cham Affricam, possederunt, *vt dicit glo. super Gen.*10. *& super lib. Paral.*1. *Ide dicit Chrysostom. Isid. & Plinius.*

CAP. II.

De Asia.

Asia itaque quæ media creditur esse pars orbis, ex nomine cuiusdam mulieris est appellata, quæ apud antiquos regnum tenuit orientis, *vt dicit Isidorus lib.*15. Hæc in tertia parte orbis disposita, ab oriente habet ortum Solis, à meridie oceanum, ab occasu nostro mari finitur, á septentrione Mæotidi lacu & fluuio Tanai terminatur. Habet autem multas prouincias & regiones, & diuersas gentium

tium nationes, in vita & in moribus mirabiles, figuris corporum, sicut & affectibus mentium, mirabiliter differentes, quarũ nomina & situs breuiter hic ponemus, sequendo ordinem alphabeti.

CAP. III.

De Assyria

Assyria Asiæ est regio & prouincia, ab Assur filio Sem sic vocata, qui illam regionem primo post diluuium inhabitauit & incoluit. Hæc ab oriente habet Indiam: à meridie Mediam tangit: ab occidente habet Tigrim, & à septentrione montem Caucasum, vbi portæ sunt Caspiæ, *vt dicit Isidorus lib* 15. In hac regione primo fuit inuentus vsus purpuræ. Inde etiam primo crinium & corporum vnguenta præcesserunt, pariter & odores, ex quibus effluxit luxuria Romanorum & Græcorum, *vt dicit Isid.* Et est terra in temperatis regionibus temperatissima, sed in multis extremitatibus, propter distemperatas terræ mansiones, sicut in bestiis & serpentibus, sic etiam in hominum moribus est in pluribus inquieta. *Vt dicit Plinius lib. 3. vbi describit hominum feritates.* In hac prouincia habitant Assyrii, ab Assur dicti, gens potentissima, quæ ab antiquo ab Euphrate vsque ad Indorum alii Medorum fines, omnium in medio terræ tenuit regionem, *vt dicit Isidor. lib. 9.*

CAP. IV.

De Arabia.

Arabia Asiæ est prouincia sacra. i. thurifera nuncupata, *vt dicit Isidor. lib.* 15. Ibi enim maximè abundant arbores thuriferæ, & aliæ odoriferæ, propter quam sacram aromatum fragantiam, Græci eam Eudemon, Latini beatam vocauerunt *vt dicit idem ibidem.* In eius enim saltibus myrrha & cinnamomum crescunt, & cætera medicinalia potissime inualescunt. Ibi nascitur auis phœnix & aliarum rerum syluestrium, tam bestiarum quam volucrum dissimilis & varia multitudo. In Arabia etiam est diuersitas gemmarum. Nam *vt dicit Isidorus Plinius & Orosius.* Ibi triplex, sardonix & gemma iris, imo multiplex gemmarum numerus inuenitur. Ibi enim inueniuntur dracones, & quidam aspides, in quorũ corporibus diuersarum gem-

marũ preciositas inuenitur. In ipsa est Saba, sic à filio Chus nuncupata, & est pars terræ Arabiæ, super sinà maris Persici coangustata, & versus sinum Arabicum consummata, *de Saba quære infra.*

Cap. V.

De Armenia.

ARmenia ab Armeno Iasonis Thessali comite est vocata, qui amisso rege Iasone, collecta multitudine eorum, qui passim vagabantur Armeniam cepit, & ex suo nomine nominauit *vt dicit Isidor. lib.* 15. Hæc est terra Ararath, in quam fugerunt filii Sennacherib, quando ipsum in templo Dei sui orantem interfecerunt *vt narrat hist. li. Regum.* Et dicitur Ararath mons, in quo Archa Noæ post diluuium requieuit. Sita autem est hæc Armenia inter montem Tauri & Caucasi, à Capadocia vsque ad mare Caspium protensa, habens à septentrione montes Ceraunеos, è quibus fluuius Tigris nascitur *vt dicit idem Isidor. Plini. & Chrysostomus vel Orosius.* Et est duplex Armenia: scilicet superior & inferior, sicut & duæ Pannoniæ, in quarum vtraque mira quædam & monstrosa, quo ad nos, sæpius inueniuntur. Terra tamen Armenica vbi attingit litora Tigris vel Euphratis, herbis & frugibus, nemoribus, hortis & fructibus est iucundissima, multis tamen bestiarum crudelium & serpentum generibus est repleta. *vt dicit idem. Et de hoc multa narrat Plinius* 2. *li.*

Cap. VI.

De Aradia.

ARadia siue Aradin est insula, quæ tota est ciuitas, sita in mari Mediterraneo, non longe a Tyro, *vt dicit gloss. super locum illum Ezech.* 27. *Filii Aradii in exercitu tuo, &c.* Viri enim sunt nautici & in pugnis naualibus eruditi.

Cap. VII.

De Albania.

ALbania Asiæ maioris est prouincia, a colore populi nuncupata, eo quod albo crine nascantur. Frigida enim

enim regio est, respectu aliarum regionum, quæ Asię ascribuntur. Hæc Albania habet ab Oriente mare Caspium, & surgit per ora septentrionalis Oceani, vsque ad Mæotides paludes, per deserta loca incultissima se extendens. Huic terræ ingentes sunt canes, animo & corpore tam feroces, vt tauros premant, leones perimant, & elephantes beluarum fortissimas superent & prosternant, *Vt de Albanorum cane exemplificat Plinius*, qui missus Alexandro de leone, apro & elephante, in stadio triumphauit, *Vt dicit idem lib. 8. cap. de canibus Albaniæ.* Hæc vero gens oculos habet pictos & glaucos, in pupillo adeo, vt melius de nocte quam de die videant, *Vt dicit idem. Et Isidor. lib. 9. Idem etiam pro miro Solinus narrat.*

CAP. VIII.

De Attica.

ATtica prouincia eadem est, quæ & Græcia antiqua; cuius pars vel ciuitas dicebatur ciuitas Athenarum, quæ quondam fuit philosophorum nutrix, & mater liberalium literarum, qua nihil habuit Græcia clarius, nihil nobilius quam diu amoris sapientię studio operam impendebat, *Vt dicit Plinius & Isidorus lib. 15.* totius Atticæ prouincię Plato Athenarũ doctor fuit, hanc Demosthenes eloquẽtia per multorum seculorum tempora publicauit, *Vt refert Salustius*, sed super omnia eam commendat Areopagita Pauli discipulus, cuius sapientiæ profunditas totius fere partes seculi decorauit, *Vt dicit Epiphanius in Dionysii Areopagitæ commentatione, prout idem refert Isidor.*

CAP. IX.

De Achaia.

ACHaia Græciæ in Europa est prouincia, ab Achæo quodam Rege antiquitus appellata. Hæc prouincia fere tota insula est, nam a septentrione vbi Macedoniæ iungitur, vndique septa est mari, nam ab oriente habet Cyreneum mare, ab Euro Græcum, a meridie Ionium, ab Affrico & occasu Cassopias insulas, a sola septentrionali parte Macedoniæ & Atticæ Græciæ sociatur. Huius prouinciæ caput est Corinthus locus munitissimus, *Vt dicit Isidor. lib. 15.* nam ad ipsam patet vix accessus propter situs

altitudinem, multitudinem populi, & propter munitionis fortitudinem, & maris vicinitatem. Hanc condidit Corinthus Orestis filius, quem Greci Corinthiam vocant, id est, reipublicæ administrationem, *vt dicit Isid. lib.* 16.

Cap. X.

De Archadia.

ARchadia est prouincia inter Ionium mare & Ægeum, *vt dicit Isidor.* collocata, quam Achas Iouis filius incolis deuictis, ex suo nomine Archadiam nominauit, nam etiam Sycionia a quodam rege Sycionio in posterum est vocata, *vt dicit Isid. lib.* 15.

Cap. XI.

De Alania.

ALania prima est pars Scythiæ, quæ prima & maxima regio est Europæ, quę scilicet Europa incipit a flumine Tanai, descendens ad occasum per septentrionalem oceanum, & vsque in fines Hispaniæ se extendit, cuius pars orientalis & meridionalis a Ponto consurgens, tota mari magno coniungitur, & in insulas Gades finitur, *vt dicit Isidorus lib.* 15. Pars itaq; Scythiæ prima est Alania, quæ ad Mæotides paludes pertingit, & vsque ad Daciam se protendit. Est autem regio latissima, multas & sæuas continens barbaras nationes sub frigido climate, constituta ab oriente declinans ad Aquilonem.

Cap. XII.

De Amazonia.

AMazonia est regio partim in Asia, partim sita in Europa, quæ Albaniæ est vicina & ab Amazonibus est vocata. Fuerunt autem Amazones Gothorum, qui exierunt de inferiori Scythia vel Syttia vxores, *vt dicit Isidor. lib.* 9. quæ maritis suis dolo interfectis, virorum suorum arma arripientes, hostes virili animo aggressæ, de maritorum suorum nece sumpserunt debitam vltionem, nam omnē masculum a sene vsq, ad paruulum in ore gladii perimerunt, & fœminas reseruantes & hostium spolia diripientes, deinceps pariter sine masculorum consortio viuere decreuerunt,

runt, quæ duas reginas scilicet Marsepiam & Lampetam maritorum exemplo, qui semper duos solebant habere reges, super se statuerunt, quarum vna procedens cum exercitu contra hostes dimicabat, altera interim rempublicam gubernabat, effectæ sunt autem tam fortes breui tempore bellatrices, quod magnam partem Asiæ fere centum annis dominio suo subiecerunt, inter ipsas vero nullum penitus masculum viuere vel morari ratione aliqua permiserunt, ex finitimis tamen gentibus maritos sobolis gratia elegerunt, ad quos statutis temporibus accedentes prolem conceperũt. Sed tempore completo ad conceptionis officium instituto maritos a se recedere & alias mansiones quærere coegerunt, masculos autem filios vel emactabant vel recto tempore principib. transmittebant, filias vero sibi reseruantes eas ad sagittandum vel venandum informabant, & ne in sagittarum ictibus mamillarum grossitie impedirentur, eis in septimo, vt dicitur anno, mammas exurebant, & ideo Amazones sunt dictæ, id est, sine mamma, *vt dicit Isid. lib. 9.* Has vnimammas antiquitus multi vocauerunt, quarum feritatem domuit vt dicitur, primo Hercules, deinde Achilles, sed hoc potius fuit per amicitiam quam per vires, sicut in gestis Græcorum & Amazonum continetur. *Dicit autem Isidorus*, quod per Alexandrum Magnum Amazones vsque ad internecionem penitus sunt deletæ. Sed historia Alexandri hoc non dicit, imo dicitur Amazonum regina Alexandro postulanti tributa per nuncios rescripsisse. De tua prudentia est mirãdum, quod cum fœminis confligere statuisti, quare si fauente nobis fortuna succumbere te contingat, merito es confusus, cum à mulieribus sis deuictus, quod si iratis nobis Diis nos deuiceris, parum tibi poterit cedere ad honorem, quia de mulierculis triumphasti. Super cuius responso ad admirationem ductus rex generosus dixit, decens fore, non per gladium & furorem mulieres vincere, sed potius per amorem propter quod libertatem eis concessit, & ipsas non violentia sed potius amicitia suo imperio subiugauit.

Cap. XIII.

De Alemannia.

ALemannia nobilis & generosa est regio in Europa, a Lemanno fluuio vltra Danubium, *secūdum Isidorum* sic vocata, vbi illius terræ incolæ prius habitauerūt, qui a fluuio Lemanno Alemanni dicti sunt. Hæc etiam Germania dicta est, *Vt dicit Isidorus lib.* 15. *Vbi dicit.* Post Daciam, quæ finis est Scythiæ inferioris, occurrit Germania, ab oriente habens Danubium, a meridie Rhenū fluuium, a septentrione & occasu oceanum. Et est duplex Germania, scilicet superior, quæ se extendit vsque ad Alpes, & mare Mediterraneum siue Adriaticum, vbi mare magnum sistitur in Aquileiæ partibus per paludes. Alia Germania est circa Rhenum, vtraque Germania diues est terra & inclyta, & tam viribus quam diuitiis ac bellicosis populis numerosa. Vnde a fœcunditate gignendorum populorum, a germinando Germania est vocata, *Vt dicit Isidorus libr.* 15. Generosos enim & immanes gignit populos, *de quibus dicitur in libr.* 9. *Isidor.* Germaniæ nationes sunt multæ immania corpora habentes, viribus fortes, audaces animo, & feroces, indomiti raptu, captibus & venationibus occupati, facie decori & formosi, comati & coma flaui, liberales animo, hilares & iucundi, & potissime Saxones, qui in prædictis sunt præcellentes, *de quibus dicit Isido.* Saxonum *(inquit)* gens in oceani finibus & litoribus constituta virtute & agilitate agilis. Vnde & sic est appellata, eo quod valentissimum sit genus hominum præstantius cæteris piratis, non enim per terram solis suis hostibus sunt infesti, verum etiam per mare illis qui se molestant, ac si essent saxei, sunt importabiles atque duri, quorum terra valde fructifera, aquis & fluminibus optimis irrigua, in ipsorum etiam mōtibus effodiuntur omnia fere metalla præter stannum. Sunt & aliæ prouinciæ in vtraque Germania, quæ non sunt minus laude dignæ, vt sunt Austria, Bauaria circa Danubium. Sueuia, Alsatia circa Rhenum, & aliæ multæ, quas per singulos enumerare esset tædiosum. A Saxonibus autem Germanici processerunt, quorum progenies & successio Britanniam insulam possidet, quorum linguā & mores Anglicorum gens vsque hodie in pluribus imitatur, *Vt*

dicit Beda in libr. de gestis Anglicorum. Quare infra de litera S de Saxonia.

CAP. XIV.

De Anglia.

ANglia Oceani est Insula maxima, quæ circumfusa mari à toto orbe vndique est diuisa, quæ quondam Albion ab albis rupibus, à longe circa maris litora apparentibus, est vocata. Nam succedente tempore, quidã proceres de Troiæ excidio descendentes facta classe: Palladis (*vt fertur*) oraculo ad prędictę Insulæ litora peruenerunt, qui contra Gigantes, qui tunc terram possederunt diutius pugnantes, arte pariter & virtute Insulam superatis Gigantibus, suo Dominio subiecerunt, & à Bruto, qui illius exercitus erat princeps, terram vocauerunt Britanniam, quasi insulam à Bruto tunc temporis armis & potentia acquisitam, à cuius bruti prosapia reges potẽtissimi processerunt, quorum opera magnifica si quem audire delectat, historiam Bruti legat. Illa autem eadem insula post longa tempora à Saxonibus germanicis multis & variis interuenientibus sæuissimis præliis est acquisita, & à suis posteris est possessa, qui Britonibus vel mortuis vel exulatis insulam inter se diuiserunt, & singulis prouinciis secundum lingue suæ proprietatem nomina imponentes, linguæ gentis suæ memoriam reliquerunt vocantes Insulam Angliam ab Engela regina clarissimi ducis Saxonum filia, quæ illam, insulam post multa prælia post possedit. *Isidorus tamen dicit*, Angliam ab angulo dictam, quasi terram in fine vel quasi mundi angulo constitutam. Sed beatus Gregorius videns Anglorum pueros Romæ venales tempore paganorum audiẽs, quod essent Anglici, alludens patriæ vocabulo respondit: Vere (*inquit*) sunt anglici quia vultu nitent vt angeli, illis oportet verbum anunciare salutis. Nam *vt dicit Beda* germanica nobilitas adhuc in puerorum cultibus resultabat. De hac insula, *dicit Plin. multa similiter & Orosius*, sed Isidorus summatim tangit expressius, quæ alii obscurius retulere, Britannia scilicet, quæ nunc dicitur Anglia est Insula, quæ contra aspectum Galliæ & Hispanię est sita. Circuitus eius obtinet quadragies octies septuaginta quinque millia, multa & magna flumina sunt in ea,

fontes calidi. Metallorum etiam larga copia. Agates lapis ibi plurimus, & margarita. Gleba optima, & diuersis fructibus valde apta. Ibi oues lanigeræ in præcipua abundantia. Ibi ferarum & ceruorum multitudo nimia inuenitur. Pauci lupi vel nulli in insula reperiuntur, & ideo oues, quæ ibi maxime abundant, tutius in caulis & in pascuis sine custodia relinquuntur, *vt dicit Beda*. Vnde quidam describens insulam Anglicanam metrice sic dixit.

Anglia terra ferax & fertilis, angulus orbis.
Insula prædiues, quæ toto vix eget orbe.
Et cuius totus indiget orbis ope.
Anglia plena iocis gens libera apta iocari.
Libera gens cui libera mens & libera lingua.
Sed lingua melior, liberiorq; manus.

Multas alias prosequi gentis & insulæ dignitates hic interponere, esset longum. Quære infra de Britannia.

Cap. XV.

De Aquitania.

AQuitania Galliæ est prouincia in Europa, *vt dicit Isidorus li.* 15. & est sic ab obliquis aquis Ligeris fluminis quod ex plurima parte terminus eius est, eamque pene in orbem circumcingit appellata. Terra siquidem fertilis & amœna oppidis, ciuitatibus & castris præclara, aquis & fluminibus irrigua, syluis, campis, hortis & pratis decora, vineis & arboribus fructiferis diuersi generis consita, & magnis diuitiis opulenta. Sub nomine vero Aquitaniæ multæ particulares prouinciæ compræhenduntur, *vt dicit Plinius*. Hæc à Circio habet oceanum, *vt dic. Orosius*, qui Aquitanicus sinus appellatur. Ab occasu Hispaniam habet; à septentrione & oriente Galliam Lugdunensem, ab Euro & Meridie contingit prouinciam Narbonensem, *vt dicit Orosius*.

Cap. XVI.

De Andegauia.

ANdegauia est Galliæ prouincia, quæ Aquitaniæ est vicina, & vsque ad minorem Britanniam se extendit, cuius metropolis Andegauis est nominata, à qua in circuitu

cuitu tota prouincia Andegauia est vocata. Et est terra vinifera & fructifera, bonis omnibus opulenta, similis Aquitaniæ in vineis & in fruge.

Cap. XVII.

De Aluernia.

ALuernia Galliæ Lugdunensis est prouincia. Cuius ciuitas maior Mons clarus nuncupatur. Hæc ab Euro habet Germaniam: ab Austro Italiam: ab occidente Narbonen. prouinciam: à septentrione Galliam Belgicam. Est autem terra syluestris & nemorosa, montosa, pascuosa, feris pecudibus & armentis referta, frugifera & vinifera in multis locis.

Cap. XVIII.

De Apulia.

APulia est regio maritima in Italia, quæ pars est Europæ, ab insula Siciliæ per maris brachium separata. Terra siquidem est multum populosa, auro & argento referta, frumento, mero & oleo opulenta, ciuitatibus nobilissimis inclita, castris & oppidis præmunita, frugibus & diuersi generis fructibus fertilis & fœcunda. Finis est Europæ contra meridiem, quæ solo mari à Barbaria est diuisa. Fontes dicitur habere calidos, infirmis præbentes sanitatem & medicinam. Metropolis autem illius regionis Brundusium dicitur, quam Græci quondam ædificauerunt, & dicitur à brunda græce, quasi caput cerui latine. Illa enim ad modum ceruini capitis habentis cornua, dicitur esse disposita, *vt dicit Isidorus lib. 16. in cap. de nominibus ciuitatum.* Huic à latere adiacet terra, quæ dicitur Campania, mater frugum. Nam eius gleba fertilissima est, quo ad frugum multitudinem producendam, ex cuius abundantia multæ prouinciæ sustentantur etiam transmarinæ.

Cap. XIX.

De Affrica.

AFfrica, *vt quidā putāt*, est dicta quasi Aprica, eo ꝙ Soli siue cœlo sit peruia & apta, propter quod horrori frigoris nullatenus est subiecta, *vt dicit Isidorus lib.* 15. Alii

putant Affricam esse dictam ab Affer filio Abrahæ ex Cethura, qui dicitur duxisse versus Libyam exercitum, & ibi victis hostibus consedisse, eiusque posteros Affros nominasse, *vt dicit Isidorus lib. 9.* Incipit autem Affrica à finibus Ægypti, pergens iuxta meridiem per Æthiopiam vsque ad Atlantem montem, à septentrione vero mari mediterraneo clauditur, & in Gaditano freto finitur. Hæc mundi tertia dicitur esse pars diuisa contra Asiam & Europam. Habet autem prouincias multas, sicut Libyam, Cyrenensem, Tripolim, Bizantium, Carthaginem, Mauritaniam, Æthiopiam & multas alias. Est autem illa pars mundi quæ Affrica dicitur, minor spacio quam Asia vel Europa, sed pro sua quantitate ditior est & mirabilior in qualitate. Nam in auro & gemmis ditissima est, similiter in frugibus, fructibus & oliuis. Mirabilissimas etiam producit bestiarum & hominum species & figuras, vt patebit, quando regiones Affricæ per sua nomina describentur. Solis ardoribus præ aliis terris exuritur, variis Oceani finib. intercipitur. Arenarum cumulis sterilis in multis partibus efficitur. Et a satyris pilosis, tigridibus & aliis horrendis bestiis possidetur, & hoc inferius plus patebit.

CAP. XX.

De Asturia.

ASturia est prouincia in citeriori Hispania in confinio Europæ & Affricæ constituta, *vt dicit Isidorus libr. 15.* Vnde Astures sunt dicti, qui prope Istrum flumen nunc inhabitant, quorum terra est syluis & montibus quasi vndiq; circumsepta, *vt dicit idem.* Illius solius incolæ sunt, *vt dicitur*, respectu aliorum, animo placidi, liberales & benigni, quorum ciuitas Metropolis nominatur. Terra quidem mero, frumento & oleo minus abundat. Nam terra est frigida & ad huiusmodi productionem frugum vel fructuum minus apta. Abundant autem ibi milium & castaneæ supra modum. Dicuntur autem ibi multa crescere fructuum genera & pomorum, de quibus loco vini faciunt sibi potum. Feris syluestribus & etiam domesticis pecudibus sunt maxime opulenti. Populus autem generaliter, *vt dicitur*, ex natura hilaris est, & canore vocis in cursu agilis,

lis, & in præliis militans, elegantis staturæ & pulcræ formæ secundum situm patriæ, & qualitatem calidæ regionis ad loquendum & forsan deridendum lingua leuis.

CAP. XXI.

De Aragonia.

ARagonia prouincia est in Hispania, vineatum & frugum fœcunda, fontibus & fluuiis irrigua, ab Aragothis, quondam occupata, a quibus regio vsque hodie nominatur. Nam Gothorum gens quandoque in illa prouincia habitabat: vnde Aragonia quasi Aragothia est vocata, *vt dicit Isidorus*, quam perfluit Iberus fluuius. Cuius metropolis appellatur Cæsaraugusta.

CAP. XXII.

De Babylonia.

BAbylonia Asiæ est prouincia in Chaldæa, cuius caput est vrbs Babylon, à qua regio est nuncupata, tam nobilis, vt Chaldæa & Assyria & Mesopotamia aliquando in eius nomen transierunt, *vt dicit Isidorus lib.* 15. Hanc præterfluunt flumina nobilissima, inter quæ præcipua sunt Tigris & Euphrates, quæ de Paradiso habent ortum. Est autem regio omnium frugum & fructuum fertilissima, vinifera, & aromaticis arboribus & herbis plena, gemmarum & metallorum copiis ditissima, camelis, equis, asinis & mulis, & aliis iumentis abundantissima. Feris, & mirabilibus bestiis ac monstrosis abundans, maxime in desertis. Cuius metropolis quondam est dicta Babylon, id est confusio, eo quod ibi lingua ædificantium turrim Babel est confusa, *vt dicitur Genes.*11. Cuius magnitudinem describit *Hieronymus super Esai.*11. Babylon, inquit, est metropolis Chaldæorum, cuius muri, 16. millia passuum erat per quadrum ab angulo in angulum, quod est simul 64. Vnde duabus Leucis, & duabus vnius Leucæ partibus muri tendebantur: ibique erat turris trium millium passuum in altitudine, id est duarum Leucarum, à lato in arctum coangustata. Cujus materia fuerũt lateres cocti ex bitumine indissolubili: vnde nec igne nec aqua dissolui potest. Et quia ibi confusum est labium, Hebraice dicta est Babel,

Græce

Græce autem βαβυλών à qua regio tota in circuitu Babylonia est vocata. Huic imperauit Rex potentissimus, scilic. Nabuchodonosor, qui inter cęteras mundi nationes, quas Chaldæorum subiecit imperio. Iudæam etiam captiuauit, propter quod Babylon sub Balthasar nepote suo per Cyrũ & Darium reges Persarum & Medorum penitus destructa fuit, nec vnquam iterato reparata, sed de eius reliquiis duæ ciuitates, scilicet Sophon & Therosophon fuerunt in Perside ædificatæ, *vt dicit Hieronym.* Locus autem vbi quondam fuit Babylon, est desertus, & nihil continet nisi bestias monstrosas *Quære infra de Chaldæa.*

Cap. XXIII.

De Bactria.

BActria est regio in Asia, cui fluuius nomine Bactrus nomen dedit, *vt dicit Isidorus lib.* 15 Huius partes quę sunt planæ pro parte iugis ambiuntur, quę autem aduersę sunt, Indi fluuii fontibus terminantur, reliqua includit Ochus fluuius. Mittit autem Bactria fortissimos camelos nunquã pedes atterentes, *vt dicit Isidorus.*

Cap. XXIV.

De Braciana.

BRaciana regio est in Affrica ex duobus oppidis nobilissimis est sortita vocabulum, ex quibus vnum Andrometus vocatur, alterum vocatur Bizantium Hæc fœcunda est glebis & oleis, cuius humus est ita pinguis vt iacta ibi semina in incrementa pene centesimæ fruges nascantur, *vt dicit Isid. li.* 15. De Bragmanis quære infra in fine istius libri.

Cap. XXV.

De Brabantia.

BRabantia Germaniæ finalis est prouincia, quæ Galliæ Belgicæ est contigua, habens Rhenum ab oriente, & Frisiam, Britannicum oceanum, & Flandricum sinum ab aquilone inferiorem Galliam, ab occidente vero superiorem Franciam à meridie, quam amnis Mosa præterfluit, & Scaldia fluuius intrans cum fluxu & refluxu maris, aliis

riuulis variis & fontib. irrigua terra in multa parte vinifera, nemorosa collib. pratis & hortis decora, arboribus fructiferis & syluestribus plena, abundans animalibus domesticis & syluestribus, ceruis, hinnulis, apris, leporibus & cuniculis, multa habens oppida famosa, terra fertilis frugib. & populosa, gens elegantis staturæ & venustæ formæ, bellicosa, animosa contra hostes, inter se autem placita & quieta, gens benefica, deuota & benigna.

Cap. XXVI.

De Belgica.

Belgica dicitur Galliæ prouincia in Europa à Belgis ciuitate sic dicta, *vt dicit Isidorus libr. 9.* Hæc ab oriente, *vt dicit Orosius*, habet Germaniam siue flumen Rheni: ab Euro habet alpes penninas: à meridie prouinciam Narbonensem, in qua ciuitas Arelatensis sita est: ab occasu prouinciam Lugdunensem: à Circio oceanũ Britannicum: à septentrione Britannicam Insulam siue Angliam. Hæc regio in frugibus & fructibus est fœcunda, & in multis locis vinifera, multum populosa, ciuitatibus & oppidis munita: gens eius ferox naturaliter, *vt dicit Isidorus 9.* & animosa amnibus & fluuiis irrigua, aruis & fœcundissimis nemoribus & pratis decora, iumentis & pecudibus plena, pauca habens monstrosa præter ranas & colubros, pauca generans venenosa. Terra siquidem solet esse generaliter pacifica & quieta, in plurimos populos lingua aliquantulum differentes est hæc Belgica subdiuisa.

Cap. XXVII.

De Bithynia.

Bithynia, *vt dicit Isidorus*, minoris Asiæ est prouincia in Ponti exordio ad partẽ Solis orientis auersa Thraciæ adiacet, multis antea nominibus nominata, nam prius Bericia est dicta. Deinde à Bithynio rege fuit mox bithynia nũcupata. Ipsa est maior Phrygia, cuius metropolis dicitur Nicomedia, vbi fugiens Hannibal princeps Carthaginis veneno animam expirauit, *vt dicit Isid. lib. 15.* Condita est autem primo Bithynia à Phœnice, quæ prius mira munda vocabatur, *vt dicit Isidorus*

CAP. XXVIII.

De Britannia.

BRitannia Oceani est Insula in Europa per lõgam inhę-rentiam extenditur, à meridie habet Gallias, *vt dicit Orosius*. Hęc insula habet in longum passuum millia octoginta, in latum millia ducenta, à tergo autem vnde oceano infinito patet Orcades insulas habet quarum 20. desertæ sunt, & 13. incoluntur: deinde occurrit insula Tyle nauigatione sex dierum, *vt dicit Plinius lib.* 4. *& Isidorus libr.* 15. à Britannia insula separata. *Secundum Orosium vero* versus Circium in medio oceano sita est, propter eius maximam distantiam paucis nota. Hæc Britannia, *vt dicit Plinius lib.* 4. *cap.* 17, inter septentrionem & occidentem iacet opposita Germaniæ, Galliæ & Hispaniæ maximo interuallo. Huic primo Albino nomen fuit, forsan propter albas rupes Insulam circumdantes. Deinde a Bruto Britannia est dicta, sed tandem à Germanicis ipsam obtinentibus Anglia est vocata, quære supra multa de Anglia de litera A. Est autem alia Britannia minor super oceanum Aquitanicum, sita in partibus Galliarum, quæ à Britonibus relinquentibus, Britanniam maiorem propter importunitatem Germanorum est vsque hodie populosa, vbi vsque ad hæc tempora genus Britonum & nomen perseuerat, & quamuis hæc Britannia in multis laudibus digna sit, non tamen potest filia matri minor Britannia maiori comparari, & ideo bene minor Britannia debet vocari, quæ sicut nec numero populi, sic merito soli potest maiori Britanniæ adæquari.

CAP. XXIX.

De Boetia.

BOetia prouincia Helladis est particula in Græcia, *vt dicit Isidorus lib.* 15. a boue, *vt dicitur*, primitus nominata. Et hoc hac de causa. Dum enim Cadmus Agenoris filius Europam sororem suam a Ioue raptam, ex præcepto patris quæreret nec reperiret, patris iram formidans, confirmato animo elegit exilium, & dum casu bouis sequeretur vestigia locum vbi ipsa recubuit, adinuenit, & ideo nomine bouis locum illum Boetiam nominauit, vbi & Thebas con-

construxit, vbi quondam ciuilia bella detonuerunt, & hic nati sunt Apollo & Hercules, maior ille Thebanus, eadem est Eunomia vocata a quodam fonte, qui ibi est quondam Apollini consecratus, *vt dicit Isidorus lib 15.* In hac terra est lacus quidam furialis, vt qui de eo biberit furore libidinis inardescit, *vt dicit idem lib.14. in cap. de aquis*, quære supra de fontibus.

Cap. XXX.

De Bohemia.

BOhemia pars est Misniæ ad plagam Orientalem, iuxta Germaniam posita in Europa, quæ à montibus maximis & syluis densissimis & altis vndique circumsepta, à Germania & Pannonia & nationibus aliis per montes, syluas & flumina est diuisa. Est autem regio montium altitudine in plurimis sui partibus valde firma, camporum & pratorum planicie conspicua, facie cœli saluberrima, gleba fertilissima in vineis abundans & annona, in auro, argento, stanno, & cæteris metallis ditissima, fontibus & fluuiis irrigua, nam terram irrigat Albis fluuius nobilissimus, in montibus oritur Bohemorum, similiter & Molda, qui præterfluit Pragam regiam ciuitatem, in eius montibus abundant pini & abietes, abundant & herbę innumerabiles non solummodo pascuales, verum etiam aromaticæ & medicinales, ibi diuersorum generum abundāt ferę innumerabiles, scil. vrsi, apri, cerui, capreolæ, tragelaphi, Bubali seu bisontes, & inter has feras est quædam habēs magnitudinem bouis, hæc bestia ferox est, sæua, & habet magna cornua & ampla, cum quibus se defendit. Sed habens sub mento amplum folliculum, in ipso aquas recolligit, & currendo, aquā miro modo in illo folliculo calefacit, quam super venatores seu canes sibi nimis appropinquantes proiicit, & quicquid terigerit depilat horribiliter & exurit, & hoc animal lingua Bohemica Loni nuncupatur. Hæc terra circuitur ex parte orientis Morauia & Pannonia: ex parte Euri aquilonaris Polonia: ex parte vero meridiei Austria, ex parte Occidentis Bauaria, Germanica, & Misnensi marchia circumdatur & ambitur.

CAP.

CAP. XXXI.

De Burgundia.

BVrgundia pars est Galliæ Zenonensis, quę vsque ad Alpes Apenninos se extēdit, & est Burgundia à Burgis dicta. *Isidor.9.* eo quod Ostregoti intraturi Italiam, ibi fecerunt Burgos plures, id est, oppida & munitiones. Terra enim est fortis & montosa, & pascuosa, & in locis pluribus nemorosa, aquis & fluminibus ac riuulis irrigua, in multis locis fertilis & fœcūda, & in multis sterilis, arida & inaquosa, iuxta alpes maxime frigida, propter frequentes imbrium & niuium inundationes, plures sunt incolæ iuxta alpes, qui ex frequenti vsu aquarum niualium efficiuntur, sub mente turgidi & strumosi, feris abundat, scil. vrsis, apris, ceruis, & multis aliis.

CAP. XXXII.

De Capadocia.

CApadocia est prouincia in maiori Asia, in capite Syriæ collocata, ab oriēte Armeniam tangit, ab occasu Asiam minorem, ab aquilone Consyrios campos, quos habuerunt quondam Amazones & mare Cimmericū, à meridie Taurum montum, cui subiacet Cilicia & Isauria, vsque ad Silicum sinum, qui spectat contra Insulam Cyprum albis amnis per eam fluit, qui quondam Lydiæ regna disiunxit a Persis, *vt dicit Isidor. lib.15. & Oro. lib.1.* Hi ortum habuerunt primo a Mosoch filio Iaphet, vnde & vrbs apud eos manet vsque hodie quæ Noreta dicitur, *vt dicit Isidor. libro 9.*

CAP. XXXIII.

De Chaldæa.

CHaldæa quasi Cassidæa a Caseph filio Nachor fratris Abrahæ fuit cognominata, *vt dicit Isidor.* vnde Chaldæi dicti sunt a Casseth quasi Cassidæi. Et est regio maxima, sita iuxta Euphraten, in qua est campus Duran, in quo conuenerunt gigantes post diluuium, & de consilio Nemroth ædificauerunt turrim Babel, à qua ciuitas ibi ædificata, vocata est Babylon, & tota regio Babylonia fuit in posterum nuncupata, *vt patet supra in litera b. quare ibi de Baby-*

Babylonia. Sed hic dicendũ, quid Oro. dicat de Babylone li. 2. Rex, *inquit*, primo apud Assyrios, qui eminere cæteris potuit Ninus fuit. Occiso autẽ Nino Semiramis vxor eius, totius Asiæ regina, Babyloniam vrbem, quam inceperat, Nemroth ampliauit & instaurauit, & vt esset caput regni Assyriorum instituit, durauitque & stetit regnum istud inconcussum 1164. annis, vsque ad Sardanapalum, quem interfecit Arbates præfectus Medorum, & tunc incepit perire regnum Assyriorum, sed ex toto periit, quando à Cyro & Dario Babylonia est ita destructa, quod vix credi poterat apud mortales, quod tam fortis ciuitas possit capi. Fuit enim castrorum more mœnibus paribus per quadrum disposita, & de murorum magnitudine & firmitate vix credi potest. Nam in latitudine habuerũt muri cubitos quinquaginta, quater tantum habuerunt in altitudine. Ambitus eius in circuitu fuit 400. stadiis, & 80. Murus de coctili latere fusus bitumine compactus. Fossa extrinsecus late patens, in quam amnis circumfluxit à fronte murorum. Centum erant portæ. In murorum circuitu erant defensorum habitacula æque disposita, miræ magnitudinis & fortitudinis. Et quamuis esset ita fortis, tamen cito victa & capta, subuersa est. Nam in 300. & 60. alueos flumen Cyrus diuisit, sicut & ante fecerat Gangem fluuium, quando iratus contra fluuium, eo quod vnum de suis militib. submersisset, eundem diuisit in 300. & 60. partes. Vnde subtracta aqua, quæ fluebat per ciuitatem, fuit facilius capta, *vt dicit idem Orosius.* Illo anno quo Babylonia ab Arbato incepit destrui, incepit Roma fundari. Vnde sub vna conuenientia temporum illa cecidit, ista surrexit, & quando præ senio defecit regnum primum Orientis, incepit pubescere regnum Occidentis.

CAP. XXXIV.

De Cedar.

CEdar nomen est regionis, in qua habitant Ismaelitæ, qui fuerunt filii Cedar primogeniti Ismaelis. Nam Ismael fuit filius Abrahæ ex Agar Ægyptia ancilla eius: vnde verius vocantur Agareni quam Saraceni, quamuis vsurpato nomine frustra se esse de Sara genitos, glorientur, *vt dicit Isidor. lib. 9.* Hi domos non ædificant, sed tanquam fe-

rales homines, per vastas solitudines euagantes, in tabernaculis habitant, de prædis & venationibus victum acquirentes, & ideo Onager fuit vocatus Ismael, *sicut dicit gloss. super Gen. 16. Hic erit homo ferus*, &c. Qui, *vt dicit*, omnem bestiarum rabiem supergredientur, & mansueti ab eis conterentur. Nam, *vt dicit Methodius*, futurum est, vt adhuc semel pariter congregati, exeant de desertis, & obtinebunt orbem terræ per 8. hebdomadas annorum, & vocabitur via illorum via angustiæ. Nam ciuitates & regna subuertent in locis sacratis, sacerdotes interficient. Ibidem cum mulieribus dormient, & de sacris vasis bibent, & ad sepulchra sanctorum iumenta ligabunt, pro nequitia Christianorum qui tunc erunt. Hæc & multa alia recitat, quæ habitatores Cedar, id est, Ismaelitæ in orbe sunt facturi.

CAP. XXXV.

De Cancia.

CAncia prouincia est Angliç, iuxta Britannicum Oceanum sita, cuius metropolis dicitur Cantuaria. Et est terra frugifera & nemorosa, fontibus & fluminibus irrigua, maris portubus insignis, diuitiis locuples, salubritate cœli præcipua.

CAP. XXXVI.

De Cantabria.

CAntabria prouincia est Hispaniæ vocabulo vrbis & amnis Iberi sic vocata. Cuius gentis animus est pertinax ad latrocinandum, & ad bellandum pronus, & ad patienda verbera semper est paratus, *vt dic. Isid. lib. 9.* Huic vicina est Celtiberia, ab Gallis Celticis & Iberis sic vocata.

CAP. XXXVII.

De Cananaa.

CAnanæa est regio in Syria, quæ à filiis Chanaan filii Cham post diluuium est possessa, & fuerunt ex eis 10. nationes, *vt dicit Isid. lib. 9.* Ex quibus fuerunt 7. nationes de semine Chanaan, in quibus maledictio Cham fuit quasi hereditario radicata, & ideo à filiis Israel diuino præcepto

pro fuerunt deleti, & earum termini ab eisdem occupati, *vt dicit Isid. lib. 9.*

CAP. XXXVIII.

De Campania.

CAmpania est Italiæ prouincia, inter Romanum territorium & Apuliam collocata, cuius metropolis quondam fuit Capua, à Syluio Rege Albanorum extructa. A capacitate sic dicta, eo quod eius terra omnem vitæ fructum capiat. Vnde & caput est vrbium Campaniæ, inter tres maximas ciuitates, Romam & Carthaginem nominata, ex qua aliquando prouincia Italiæ Campania fuerat nominata. Multæ sunt aliæ ciuitates famosæ locupletes & populosæ, ad prouinciam Campaniæ pertinentes, sicut Neapolis & Puteolis, vbi balnea Virgilii in honore habebantur. Est autem terra vinearum, frugum & olearum ferax, abundans fructibus generum diuersorum. Est autem alia Campania Cisalpina, Galliæ Senonensis prouincia, cuius caput ciuitas est Treueris, alias Tredentum.

CAP. XXXIX.

De Clauda.

CLauda vocatur quædam insula, in principio arcta, deinde paulatim dilatatur, cuius ingressus est difficilis & laboriosus, *vt patet Act. Apost. 27. cap.* Est autem hæc insula inter Syriam & Italiam, iuxta Cretam & Sardiniam.

CAP. XL.

De Cilicia.

CIlicia minoris Asiæ est prouincia, â quodam antiquiore Iouis filio, *vt asserunt*, nominata, *vt dicit Isidor. lib.* 15. Hæc ab occidente habet Liciam, à meridie mare Siculum: ab oriente & septentrione habet montis tauri iuga. Hanc cygnus amnis intersecat. Matrem habet vrbium Tharsimaniam, quæ & Tharsis dicitur. Fuit autem inde natus Paulus, & Chorysco oppidum eius est, vbi est crocus plurimus & optimus, in spiramine fragrantissimus, & colore plus quam aureus, *vt dicit Isid. lib.* 15.

CAP. XLI.

De Cypro.

Cyprus est insula a Cypro ciuitate, quæ in ea est, denominata, *vt dicit Isidor. lib.* 15. Ipsa est & Paphon, quæ quondam fuit Veneri consecrata. Multum autem quondam fuit famosa, & maxime de metallis æris. Ibi etiam æs primo dicitur fuisse repertum, & eius vsus, *vt dicit idem.* Terra est vinifera, & fortia sunt valde illius loci vina. Ciuitates modo habet multas & nobiles, inter quas caput & metropolis dicitur Nichosia. Terra est mari vndiq; clausa, sed interius syluis, campis, pratis, vineis & frugibus nimis plena, fontibus & amnibus irrigua, & multis diuitiis pariter & delitiis opulenta. Hæc insula vocatur sæpius Cethim in Scriptura, *vt dicit Isid. lib.* 9. Et dicta est sic a quodam filio Ionan, nepote Iaphet, *vt dicit Isido. De hac insula dicit Oros. lib.* 1. Insula Cyprus mari Cyrico cingitur, ab occidente mari Pamphylico: a septentrione Aulolone Cilicio, a meridie Syriæ & Phœnicis pelago circumdatur. Cuius spacium in longo tenet 175. millia passuum, in lato vero millia passuum 125.

CAP. XLII.

De Creta.

Creta Græciæ est insula, a quodam Rege indigena dicto Crete, nominata, inter ortum & occasum longissimo tractu porrecta, a septentrione æstibus, ab austro Ægyptiis vndis perfusa. Fuit quondam centum vrbibus nobilibus decorata, vnde & Centapolis dicta est. Primo autem fuit insula, quæ remis & armis claruit ac sagittis. Prima literis iura tradidit, equestres turmas prima docuit. studium musicum in ea primo repertum, ab Idęis, Dactylis mundo tradidit & exercendo ampliauit. Pecudes & capras habet copiosas. Ceruos autem & capreas valde paucas. Lupos & vulpes aliarumque ferarum noxia genera nunquam gignit. Serpens ibi nullus, nulla noctua, & si aliunde translata inueniatur, statim moritur. Terra est vitibus amica, arboribus consita, herbis medicinalibus referta, vt dictamno, & alno, & huiusmodi. Gemmas etiam gene-

generat preciosas. Gignit enim lapidem qui iothedactylus dicitur, *vt dicit Isid. lib.* 15. Et cum sit insula a maiorib. venenis notabiliter libera, tamen sphalangias, id est, quasdam araneas generat venenosas. *Hucusque Isid. lib.* 15. *Idem per omnia narrat Plin. lib.* 4. *De eadem etiam insula dicit Oro.* Creta ab oriente finitur mari Carpaceo, ab occasu & Septentrione mari Cretico, a meridie mari Libyco, quod Adriaticum vocăt, & habet in longo passuum millia centum & 87. In lato vero millia 50. *Quare de dispositione domus Dædali in Creta. Isid. lib.* 16. *cap.* 2. *de ciuitatibus.*

CAP. XLIII.

De Cycladibus.

CYclades insulæ, *vt dicit Isid. lib.* 15. quondam Græciæ fuerunt, quas inde cyclades autumant esse dictas, ꝙ licet spaciis longiorib. a Delo porrectæ, in orbem tamen circa Delum sitæ sunt. Nam orbem Græci cyclum vocent, quidam tamen dicunt sic eas vocatas, propter scopulos, qui in circuitu earum sunt. Hæ insulæ sunt in Hellesponto inter Ægeum mare & Malæum constitutæ. Circundantur enim pelago Indico, & sunt numero 54. tendentes a septentrione in meridiem, habent 50. millia passuum a septentrione in meridiem, & 50. millia ab oriente in occasum, *secundum Isid. Secundum Oro. vero millia* 200. Prima vero inter has insulas, *vt dicit Oro.* ab oriente est Rhodus, a septentrione Scenodo, a meridie Capados, ab occasu Cytheras. Ab oriente finiuntur littoribus Asiæ, ab occidente mari Icario, a septentrione mari Ægeo, a meridie mari Carpacio.

CAP. XLIV.

De Coa.

COa vel Coes est insula adiacens prouinciæ Atticæ, in qua Hippocrates medicus natus est. Et hæc insula primo lanificii arte claruit, *vt dicit idem.* Equos etiam dicitur nutrire laudabiles. In quibus Salomon antiquitus gloriari videbatur, *vt dicitur* 4. *Reg. vbi dicitur, de Coa adducebantur ei equi, &c.*

CAP. XLV.

De Corsica.

CORsica est insula multis prouinciis angulosa. Hæc habet ab oriente Tyrrhenicum mare & portum vrbis Romæ, a meridie Sardiniam, ab occasu Baleares, a septentrione Ligusticum sinum, & tenet in longum 161. millia passuum, in latum millia 26.

CAP. XLVI.

De Dalmacia.

DAlmacia Græciæ est prouincia, secundum antiquam terræ partitionem, a Delo eiusdem prouinciæ ciuitate maxima nominata. Hæc prouincia habet ab oriente Macedoniam, a septentrione Misiam, ab occasu Histriã, a meridie sinu Adriatico terminatur, *Vt dicit Isid. lib.15. Et Oro. dicit idem.* Gens illius terræ est fortis & robusta, prædis dedita & rapinis, piraticam enim vitam ex ipsis plurimi ducunt.

CAP. XLVII.

De Dacia.

DAcia est regio in Europa, a Danis Græcis, *Vt dicitur,* primitus occupata. In multis insulis & prouinciis subdiuisa cum Germania contigua. Cuius gens quondam fuit ferox & nimium bellicosa, propter quod Britannicis, Noricis, & multis aliarum regionum insulis dominabantur. *Isid. tamen dic. lib.9.* Daci Gothorum fuerunt soboles, & dictos putant Dacos quasi Dagos, de Gothorum scilic. genere procreatos. Vndecunque autem sit primitus procreatus populus, hoc certum est quod multum est populosa, elegantis staturæ, comæ pulchræ, decore faciei generaliter & formosæ. Gens etsi animo sæua contra hostes, tamen naturaliter pia est, & mente placida erga quoslibet innocentes.

CAP. XLVIII.

De Delo.

DElos insula Græciæ est in medio Cycladum constituta, sic dicta eo, quod post diluuium, cum nox, vt fertur,

tur multis mensibus obumbrasset, ante omnes terras illa insula radiis Solis prius est illustrata, & quia primo est manifestata, ideo nomen Delos insula est sortita, nam δῆλον græce manifestum dicitur. Ipsa est & Ortygia, eo quod ibi primo visæ sunt coturnices aues, scil. quas Græci ortygias vocant. In hac insula Latona enixa est Apollinem, *vt dicit Isidor. lib.* 15. & est Delos nomen insulæ & ciuitatis.

Cap. XLIX.

De Dedan.

Dedan regio est in Æthiopia in occidentali plaga, *vt dicit Isid. lib.* 9. abundans in elephantibus, & ebore, & lignis ebeninis, *vt dicit glo. super Ezech.* 17.

Cap. L.

De Europa.

Evropa tertia dicitur esse pars orbis ab Europa filia Agenoris, regis Libyæ est vocata, quam Iupiter rapiens de Affrica ad Cretam duxit, & maximam partem orbis terrarum eius nomine appellauit, *vt dicit Isidorus libr.* 15. *De Europa autem scribit Orosius: dicens*, Europæ regiones & gentes incipiunt â montibus Riphæis Mæotidisque paludibus, quæ sunt ad orientem descendentes, ad occasum per littus septentrionalis oceani vsque ad Galliam, Belgicam & flumen Rhenum, quod est ad oceanum, deinde ad Danubium quem Isterũ vocant, qui est à meridie & ad orientem directus, ponto accipitur. *Isidorus autem libr.* 15. *dicit*, quod incipit à flumine Tanai descendens ad occasum per septentrionalem oceanum, vsque ad fines Hispaniæ cuius pars orientalis & meridiana à Ponto consurgens, tota mari magno cõiungitur, & insulas Gades finitur. Prima ergo regio Europæ est Scythia inferior, quæ à Mæotidis paludibus incipiens, inter Danubium & oceanum septentrionalem, vsque ad Germaniam porrigitur, *vt dicit Isidor. lib.* 15. Et hæc terra propter barbaras gentes specialiter Barbaria nuncupatur, & sunt gentes in vniuerso, *vt dicit Orosius* 54. Inter quas prima est Alania, quæ ad Mæotides paludes pertingit, post Gothia, deinde Dacia, & post Germa-

nia, deinde Gallia & Britannica insula, & orcades & insulæ multæ. Tandem Hispania minor, in cuius finibus finitur Europa ex partibus occidentis. A parte autem superiori versus meridiem habet multas & maximas regiones, scilic. Pannoniam, Misiam, Thraciam, & Græciam cum finibus suis, Italiam cum insulis & terminis suis. Hæc mundi particula, etsi sit minor quam Asia, ei tamen par est in populorum numerosa generositate, populos enim, *vt dic. Plin.* alit corpore maiores, virib. fortiores, animo audaciores, forma & specie pulcriores, quam faciunt Asiæ vel Affricæ regiones. Nam solaris æstus adurens propter eius permanentiā super Affros, illos efficit cōsumendo humores corpore breuiores, facie nigriores, crine crispiores, & propter euaporationem spirituum per apertos poros animo defectiores. E contrario vero est apud Septentrionales. Nam ex frigiditate poros extrinsecus opilante generantur humores in corpore, & efficiuntur homines corpulentiores, & ex ipsa frigiditate, quæ mater est albedinis in exteriorib. in cute scilicet & facie albiores, & ex repercussione vaporum & spirituum ad interiora efficiuntur calidiores interius, & per consequens plus audaces. Homines vero Asiæ quorum regio prima est ab oriente, mediocriter in hoc se habent, *vt dicit Plin.*

Cap. LI.

De Euila.

EVila prouincia est in superiori India ab oriente incipiens, & longo terrarum tractu versus septentrionem se diffundens. Dicta est Euila à filio Heber patriarchę Hebræorum, *sicut dicit glossa super Gen.* 1. & 10. vbi dicitur, quod inter filios Heber pro Iectan Euila nominatur, hanc regionem perfluit Ganges fluuius, qui alio nomine Phison. *in lib. Genes.* nuncupatur, quem Plinius miris extollit laudibus *libro* 3. *capite* 20. *Vbi dicit*, quod Ganges Indicus fluuius multos vel quasi infinitos in se recipit amnes & nauigabiles, vt Hydaspem, Cantabriam, Isepum, & multos alios, nec est vnquam latior quinquaginta stadiis, nec profundior vel altior quindecim passibus. Hic fluuius circuit terram Euila, in qua abundant aurum & species aromaticæ, vt bdellium, & gemmæ preciosæ, vt Onyx & carbunculus,

lus & huiusmodi, *vt dicit idem & glossa super Gen.* In hac terra sunt multæ regiones particulares, in quibus potissime elephantorum dicitur abundare multitudo.

Cap. LII.

De Aethiopia.

AEthiopia à colore populi est primitus vocata, quos Solis vicinitas tenet, *vt dicit Isidorus* 15. Deniq; vim sideris prodit hominum color. Est enim iugis æstus. Nam quicquid est sub meridiano cardine, est circa occasum montosa, circa medium vero arenosa, ad orientalem vero eius plagā maxime deserta est. Cuius situs ab occasu montis Atlantis ad orientem vsque in fines Ægypti porrigitur, à meridie oceano, à septentrione Nilo flumine clauditur, plurimas habens gentes diuerso vultu & monstrosa facie horribiles, ferarum quoque & serpentum multitudine est referta. Illic quoq; Rhinocerota bestia, Chamæleon & basiliscus, dracones ingentes ex quorum cerebro gemmæ extrahuntur. Hyacinthus & Chrysoprasus, ac topasius, & aliæ gemmæ plurimæ in illis partibus reperiuntur, & cinnamomum ibi colligitur. Duæ autem sunt Æthiopiæ, vna circa ortum Solis: alia est in Mauritania circa occasum. Et illa Hispaniæ magis est vicina, deinde Numidia, tandem Carthaginensis prouincia, post est Gethulia, & vltimo contra cursum Solis in meridie est Æthiopia exusta, vltra quam dicunt fabulæ esse antipodes, *vt dicit Isid. lib.* 15. Cuius sunt verba superius de Æthiopia hic inserta. *Dicit etiam idem libro* 9. Æthiopes à Chus filio Cham sunt denominati, ex quo originem contraxerunt. Chus hebraica lingua Æthiops dicitur. Hi quondam à flumine Nili consurgentes, iuxta Ægyptum inter Nilum & oceanum in meridie, sub Solis vicinitate insederunt, quorum multi sunt populi, sicut Hesperi, ex parte occidentis Garamanti & Troglodytæ, & cæteri, de quib. narrat *Plinius lib.* 5. *c.* 10. Æthiopum gentes à quodam nigro flumine eiusdem sunt vocatæ, quod flumen eiusdem est naturæ cum Nilo, nam consimiles gignit calamos & papyros. Eodemque tempore augescit. In eius desertis monstrosi vigent homines, nam quidam Solem orientem & occidentem dira imprecatione, id

ne, id est maledictione, intuentur, quare continue maledicunt Soli propter eius ardorem eis valde grauem. Alii vt Troglodytæ specus excauant, & illos loco domorum inhabitant, serpentes comedunt, & omne quod mandi potest, quibus stridor potius est quam vox. Alii velut pecudes matrimonii sunt exortes, passim sine lege cum mulieribus habitantes, & tales dicuntur Garamantes. Alii incedunt nudi, & nullo exercitio occupantur, & illi dicuntur Graphasantes. Alii qui & Belennii, alias Lemmæ, dicuntur, traduntur caput non habere, sed os & oculos habent pectori insitos & infixos. Sunt & Satyri, qui figuram solum habentes humanam, quo ad mores sunt penitus inhumani. Sunt etiam in Æthiopia mira alia, *vt dic. idē lib. 6. c. 31.* Sunt, *inquit*, multi Æthiopes, apud quos omnes bestiæ quadrupedes nascuntur sine auribus, & etiā elephantes. Alii sunt qui canē pro rege habent, cuius motu augurantes faciunt ꝙ videtur. Sunt & alii qui ternos vel quaternos dicuntur habere in fronte oculos: non quod ita sit in natura, sed hoc fingitur, quia præcipua sagittarum contemplatione vtuntur, quidam ex eis pātheras & leones venantur, & eorum carnibus viuunt, quorum rex vnum solum oculum in fronte habet. Alia gens Æthiopum solis locustis viuit fumo & sale induratis, & hi 40. annum non excedunt.

Cap. LIII.

De Aegypto

Aegyptus quæ prius dicebatur Aerea ab Ægypto Danai fratre, postea ibi regnāte, nomen accepit, hæc ab oriente Syriæ rubro mari iuncta est: ab occasu Libyam habet: à Septentrione mare magnum: a meridie introrsus recedit protendens se vsque ad Æthiopes, *vt dicit Isidorus libro* 15. Est autem regio cœli imbribus insueta pluuiarum ignara. Nilus solus eam circumfluens irrigat, & sua inundatione fertilem efficit & fœcundat, vnde ferax frugibus, multam partem terrarum frumento alit, cæterorumque negociorum adeo est copiosa, vt necessariis mercibus impleat pene orbem. Finis Ægypti est Canopia a Canope Menelai gubernatore ibi sepulto sic dicta. *Hucusq; Isidorus lib.* 15. Hæc primitus Meppbayna a filio Cham nominata est,

est, *vt dicit Isidorus lib.9.* Hæc regio multas habet prouincias particulares, & valde famosas ciuitates, sicut est Memphis ab Ephaso Iouis filio ædificata, & Daphnus metropolis Ægypti, Heliopolis & Alexandria, & multæ aliæ, *vt dicit Isidorus li.16. Secundum Orosium* autē duplex est Ægyptus, scilicet superior & inferior. Superior quæ in oriente per longum extenditur, cui est a Septentrione sinus Arabicus, a meridie oceanus, nam ab occasu ex Ægypto inferiori incipit, quæ ad orientem rubro mari terminatur 24. continens nationes. Habet autem deserta multa Ægyptus superior, in quibus sunt multa monstra & animalia monstrosa, ibi pardi & tigrides, ibi satyri, basilisci, aspides horribiles, & serpentes. Nam in finibus Ægypti & Æthiopiæ iuxta fontem Tigris, vbi caput creditur esse Nili, qui Ægyptum præterfluit, nascitur quædam fera nomine cachocephas, quæ quidem corpore est modica, & membris iners atque pigra, caput habens valde graue, propter ꝙ semper defert illud ad terræ superficiem inclinatum, ꝙ a natura saluti mortalium est prouisum. Tantæ n. venenositatis est & perniciei, quod nullus eandem recte in facie videre posset, quin statim sine remedio expiraret, eadem enim vis est & serpenti, qui dicitur basiliscus, *vt dicit Plinius libr.8. capite 22.* In Ægypto enim maxime abundant crocodili Hippopotami, id est, fluuiales equi, & potissime circa fluēta Nili.

Cap. LIIII.

De Hellade.

Hellas helladis prouincia est Græciæ in Europa, à rege Heleno Deucalionis & Pyrrhæ filio vocata, à quo & primo Hellenes Græci sunt vocati, & in hac prouincia est Attica gens, vbi quondam fuit Athenarum ciuitas mater liberalium artium, philosophorum nutrix, qua quondam nihil habuit Græcia carius, nihilque nobilius, cui in proximo Achaia prouincia est vicina, *vt dicit Isidor. lib.15.* Huius Helladis duplex est prouincia, scilicet Boetia & Peloponnesum. De prima scilicet de Boetia supra dictum est. De alia post dicetur. Huic Helladi subiacet Hellespontus, vbi multa sunt valde mira, *vt dicit Plinius lib.6.cap.3.* Iuxta *(inquit)* Hellespontum *dixit Trages Pergamenus* esse ge-

nus hominum, quos ophiages vocat, quorum contactu sanantur ictus serpentum, & sola manu apposita, extrahunt quæ mortifera sunt venena. Dicit etiam Varro, ibi adhuc esse aliquos, quorū saliuę medentur contra ictus anguium & serpentum. Est autem Hellespontus maris mediterranei sinus, *Vt dicit Isidorus lib.* 14. in septentrione retorquens magnis anfractibus, iuxta Græciam & Illyricum, in angustas septem stadiorum constringitur, vbi Xerxes rex fecit pontem de nauibus, & sic in Græciam remeauit, dilatatur autem aqua & facit propontidem, qui mox in quinquaginta passibus coarctatur. Denominatur autem sinus ab Helle sorore Frixi, quæ fugiens nouercales insidias, decidit in mare & mortua est, cuius casus Hellesponti & mari & terræ in circuitu nomen dedit.

Cap. LV.

De Aeolia.

AEolia insula Siciliæ ab Æolo Hippotæ filio, quem Poetæ finxerunt Deum fuisse ventorum, est, vt dicitur, appellata. Hoc autem ideo dictum est, quia ipse fuit, *Vt dicit Varro*, rector illarum insularum, & quia earum nebulis & fumosis vaporibus futuros prædicebat ventos, ab imperitis visus est ventos retinuisse in sua potestate, *Vt dicit Isidorus lib.* 15. Sunt autem nouem insulæ Æolæ dictæ, ab eodem autem Vulcaniæ sunt dictæ, eo quod in eis ardeat ignis, sicut in monte Ætnæ, *Vt dicit idem*. Et sunt singulæ Insulæ propriis nominibus nuncupatæ, quorum prima dicitur Lipara, secunda Hiera, ab altissimis collibus sic vocata, tertia Strongile, quarta Didyme, & sic de aliis.

Cap. LVI.

De Franconia.

FRanconia Germaniæ est prouincia in Europa, à Francis illius regionis incolis nominata, cuius metropolis Herbipolis est vocata, sita super amnem mogum, ab oriente habet Turingiam saxonum: à meridie Danubium & Bauariam: ab occasu Sueuiam & Alsatiam: à septentrione Rhenensem prouinciam, cuius metropolis est Moguntia, sita super Rhenum, quem mogus ibi subintrat. Est autem

terra

terra optima, fœcunda frugibus & vinifera, ſyluis decora, oppidis & caſtris munita, & plurimum populoſa.

Cap. LVII.

De Francia.

FRancia quæ & Gallia à Francis Germanicis primitus, vt dicitur, nominata, vel à Franco carnifice, qui ſucceſſit Regi Pariſiis, de quo carnifices priuilegiati ſunt erga regem, & ab illo Franco eſt Francia nominata, ab oriente habet limitem fluminis Rheni & Germaniam, ab Euro habet alpes penninas, à Meridie habet prouinciam Narbonenſem, à Circio oceanum Britannicum, à ſeptentrione inſulam Britannicam, & hæc Francia quondam Gallia Belgica, a ciuitate quæ Belgis dicitur, eſt vocata, *Vt dicit Iſidorus lib.* 15. *& Oroſius.* Hæc Francia glebam habet vberem, arborum, vinearum, fructuum ac frugum fertilem, fluuiorum ac fontium affluentia inſignem, quam duo flumina nobiliſſima perfundunt in extremis eius ſcil. Rhodanus & Rhenus, *Vt dicit Iſidorus lib.* 15. Lapides & lapidicinas habet nobiles, & ad conſtruenda ædificia ſingulares, & potiſſime Pariſiorum ſolum, quia in gypſo ſiue vitro ab incolis vulgariter dicto plaſtro præexcellit. Nam terra eſt vitrea & perſpicua virtute minerali in lapidem tranſmutata, qui lapis exuſtus & cum aqua temperatus, conuertitur in cœmentum: Vnde fiunt parietes & ædificia, teſtudines & multiplicia pauimenta, & huiuſmodi. Cœmentum poſitum in opere & plaſmatum ſiue tritum, ad modum lapidis, iterum induratur, & cum multas habeat Francia nobiles & famoſas ciuitates, Pariſiæ inter omnes merito obtinent principatum. Nam ſicut quondam Athenarum ciuitas mater liberalium artium & literarum, philoſophorum nutrix, & fons omnium ſcientiarum Græciam decorauit, ſic Pariſiæ noſtris temporibus non ſolum Franciam, imo totius Europæ partem reſiduam in ſcientia & in moribus ſublimarunt. Nam velut ſapientiæ mater de omnib. mundi partibus aduenientes recolligunt, omnibus in neceſſariis ſubueniunt, pacifice omnes regunt, & tanquam veritatis cultrix debitricem ſapientibus & inſipientibus ſe oſtendunt, vrbs locuples diuitiis & opibus præpotentes

pace

pace gaudentes, aere & flumine philosophantib. congruentes, camporum, pratorum & montiũ pulcritudine fessorum in studio occulos recreantes & reficientes, vicorum & domorum aptitudine studentibus maxime competentes. Et nihilominus ad refectionem & receptionem omnium aliorũ ipsam frequentantium sunt sufficientes, vniuersas alias vrbes in his consimilibus præexcellentes.

Cap. LVIII.

De Flandria.

FLandria est prouincia Gallicæ Belgicæ, iuxta litus Oceani constituta habens Germaniam ab oriente, Insulam Britannicam à septentrione: ab occidente mare Gallicum: à meridie Galliam Senonensem & Burgundiam. Hæc prouincia quamuis situ terræ sit paruula, multis tamen bonis singularibus est referta. Est enim terra pascuis vberrima & armentis & pecudibus plena, nobilissimis oppidis & portubus maris inclyta, amnib. famosis scil. Scalde vndique irrigua & profusa. Gens eius elegans corpore & robusta, multiplex in sobole & in substantia, in omnium mercium diuitiis locuples, venusta facie, generaliter & decora, affectu pia, affatu blanda, gestu matura, habitu honesta, erga domesticos pacifica, erga extraneos valde fida, arte & ingenio in opere lanifico præclara, cuius industria magnæ parti orbis in lanificio subuenitur. Nam preciosam lanam quam sibi Anglia communicat in pannos nobiles subtili artificio transmutans, per mare & terrã multis regionibus administrat. Est autem terra plana & frugifera in multis locis, multas habens arbores, non tamen multas syluas, gaudet quibusdam locis palustribus in quibus effodiuntur glebę, quæ syluarum supplent defectum, quo ad ignium incrementum, nam ex his calidis & siccis solet ignis fieri magis efficax, quam ex lignis, sed inutilior & vilior quo ad cinerem, grauior quo ad redolentiam & odorem.

Cap. LIX.

De prouincia Phœnicis.

PHœnicis prouincia à Phœnice fratre Cathini est vocata, quia Phœnix de Thebis Ægyptiorum in Syriam profectus

fectus, apud Sydonem regnauit & ex suo nomine Phœniciam appellauit. Ipsa est vbi est Tyrus contra quam loquitur *Esai. Vt dicit Isidor. lib. 15. & 9.* Hæc habet ab oriente Arabiam: à meridie mare rubrum ab occidente mare mediterraneum: à Septentrione montem Libanum. Vnde terra optima est arboribus præcipua, in frugibus & fructibus terra fœcundissima lactis, olei & mellis. Terra est montosa, & campestris, irrigua fontibus & aquis, in cuius montibus metalla diuersi generis fodiuntur.

CAP. LX.

De Phrygia.

PHrygia minoris Asiæ est prouincia, sic dicta à Phrygia Europę filia, regio vicina Gallaciæ ex parte aquilonis. Lycaoniæ vero ex parte meridiei, Lydiæ vero ex parte adhærēt in oriente: ab aquilone vero mari Hellesponti terminatur, *Vt dic. Isid. lib. 15.* Sunt autem duę Phrygiæ: maior, qui habet Smyrnam: minor quæ habet Ilium. Lycaoniam autem diuidit fluuius Hernicis Phrygia, *Vt dicit idem.* Phrygia autem Dardanica est appellata, à Dardano, qui profectus, de Græcia, cum Dracio fratre suo Phrygiam obtinuit, & ibi regnans à suo nomine Phrygiam Dardanicam nominauit. Dracius autem Drachiam occupauit, *Vt dicit libro 9.*

CAP. LXI.

De Frisia.

FRisia est prouincia in inferioribus partibus Germaniæ super littus oceani tractu longissimo constituta, quæ à fine Rheni incipit, & mari Danico terminatur, cuius incolæ Frisones à germanicis nuncupantur. In habitu autem & in moribus plurimum differunt a Germanis. Nam viri fere omnes in coma circulariter sunt attonsi, qui quanto sunt nobiliores, tanto altius circumtonderi gloriosius arbitrantur. Est autem gens viribus fortis, proceri corporis, seueri animi & ferocis, corpore agilis, lanceis vtens ferreis pro sagittis. Terra plana, pascuosa, palustris & graminosa, lignis carens, pro igniū fomēto terræ bituminosis cespitibus, aut boum desiccatis stercoribus sæpe vtens. Gens quidem est libera extra gentem suam, alterius dominio non subie-

subiecta, morti se exponũt gratia libertatis, & potius mortem eligunt quam iugo opprimi seruitutis. Ideo militares dignitates abiiciũt, & aliquos inter se erigi in sublimi non permittunt sub militiæ titulo, subsunt tamen iudicibus, quos annuatim de seipsis eligunt, qui rempublicam inter ipsos ordinant & disponunt. Castitatem multum zelant, & omnẽ impudicitiam seuerius punientes, filios suos & filias vsq; ad completum fere adolescentiæ terminum castos seruant, ex quo contingit, quod tunc temporis datos nuptui ipsorum soboles prolem completam generant & robustam.

CAP. LXII.

De Insulis fortunatis.

FOrtunatæ Insulæ in oceano sunt sitæ, contra leuam Mauritaniæ occiduo proximæ, & inter se interiecto mari discretæ, *vt dicit Isidor. lib* 15. quæ ob omnium bonorum & præcipue messium & fructuum fœcunditatẽ fortunatæ insulæ sunt vocatæ, quas gentilium error & carmina Poetarum propter soli fœcunditate Paradisum esse putauerunt, *vt dicit Isidor. lib.* 15. *Idem dicit Plin. lib.* 5. *c.* 33. & dicit ibi crescere arbores vsque ad 140. pedum proceritatem. In eis copia est pomorum & auium multitudo, ibi mellis abundantia, pariter & lactis, maxime in Caprana insula a multitudine capratum & arietum sic nominata, ibi canum mirabilis fortitudo, & præcipue in Canaria insula, quæ est a multitudine canum ingentis fortitudinis & magnitudinis sic vocata.

CAP. LXIII.

De Galilæa.

GAlilæa regio est Palæstinæ sic vocata, eo quod gignit candidiores homines, quam Palęstina. Hæc autem duplex est, scil. superior & inferior, & sunt contiguæ ad inuicem & connexæ adhærentes Syriæ & Phœnici, vtriusque gleba ferax est & optima, frugibus, fructib. vineis & oliuis vberrima, & fœcunda, aquis est irrigua. Nam Iordane flumine perfunditur in aliqua sui parte. Lacus habet nobiles, maximos, vtiles & salubres, qui pro sui magnitudine & piscium multitudine, maria nuncupantur. Est autem *vt ait Isidor.*

Isidor. Lacus Tiberiadis sic vocatus, ab oppido Tiberiadis, & est lacus cunctis salubrior, ad sanitatem corporis efficacior habens stadia 10. *quære supra de lacu Tiberidis & de lacu Genesareth: in tractatu de aquis & stagnis.*

CAP. LXIV.

De Gallacia.

GAllacia est regio in Europa, a priscis Gallorum gentibus, ex quibus extitit, occupata, *vt dicit Isidor. libr. 9. & 15.* Nam Galli a rege Bithyniæ in auxilium euocati regnum cum eo obtenta victoria, diuiserunt sicque deinceps Græcis admixti, primo Gallogræci, nunc autem ex antiquo Gallorum nomine Galli dicuntur, & eorum regio Gallacia nuncupatur. Est autem regio latissima & fertilissima Europæ, continens magnam partem, quæ nunc Rhutenia a pluribus nominatur.

CAP. LXV.

De Gallicia.

GAllicia prouincia est in Hispania, a candore populi regionis sic nominata, præ cæteris enim partibus Hispanorum dicuntur esse albiores. Terra dicitur frugifera, oceano vicina, multis abundans bonis, hi Græcam originem sibi scribunt, vnde & naturali ingenio valent, *vt dicit Isidorus lib. 9.* Nam post finem Troiani belli plures ex Græcis ad Galliam sunt profecti, & ibi manent vsque ad tempus præsens.

CAP. LXVI.

De Gallia.

GAllia Europæ est prouincia, inter Pinneos montes & oceanum constituta, quæ etiam a candore populi sic est antiquitus nuncupata. Γάλα enim græce lac dicitur, & ideo Sibylla eos Gallos, id est, canditos vocat, dicens, tunc lactea colla auro innectuntur, secundum enim diuersitatem cœli & facies hominum & colores animorum diuersitates existunt & corporum qualitates. Inde Roma graues generat. Græcia leues. Affrica versipelles. Gallia natura feroces ingenioque acres, *vt dicit Isidorus lib. 9.* Hæc re-

gio ab oriente habet Germaniam, ab occidente Hispaniam, à meridie Italiam, ab aquilone vero oceano Britannico terminatur, *vt dicit Isidorus*. Hæc quondam fuit trifaria, scilic. Belgica, Celtica, & Togata, sed has prouincias Franci nunc inhabitant, à quibus Francia appellatur. *Quære supra de Francis & Francia.*

Cap. LXVII.

De Gade.

GAdis insula est in fine Hispaniæ sita, quæ diuisit Africam ab Europa, in qua Hercules posuit columnas mirabiles & insignes, & inde Thyrreni maris fontib. oceani æstus nutritur. Est autem à proxima terra 120. passibus separata, quam Tyri de rubro mari profecti occupantes. in lingua sua Gadis, id est, separatam nominauerunt, pro eo, quod mari sit vndique circumsepta. In qua crescit arbor palmæ similis, cuius gummi infectum vitrum ceraunìam gemmam reddit, *vt dicit Isidor. lib. 15.* Est autem insula fructibus & speciebus ditans multas partes orbis, & præcipue occidentis.

Cap. LXVIII.

De Gracia.

GRæcia à Græco Rege est vocata, qui ipsam regionem incoluit, & eam suo nomine nominauit, *vt dicit Isido. li. 15.* Sunt eius prouinciæ 7. ab occidente Dalmatia, deinde Epyrus, inde Hellades, inde Thessalia, post Macedonia, & postea Achaia, & duo in mari, scil. Creta & cyclades. Est autem regio latissima multis aliis nominibus nominata, terrarum & marium diuitiis opulenta, multorum regnorum domina, militiæ nutrix, philosophiæ mater, inuentrix omnium bonorum, artium magistra. Cuius gens fuit antiquitus bellicosissima, dono sapientiæ & scientiæ prædita, sermone disertissima, legibus subdita, pia circa extraneos, pacifica circa incolas, & domesticis quieta, contra hostium iniurias intolerabilis nimium & infesta, *sicut in libro de Græcorum laudibus narrat Varro.*

CAP.

CAP. LXIX.

De Getulia.

GEtulia Africæ est prouincia à Græcis, qui de Græcorum siue Gothorum processerũt reliquiis, *vt dicitur*, nominata, *vt dicit Isid. lib. 9.* qui ingenti agmine congregato nauigio vsque ad Libyę partes peruenerunt, & ibi sedes suas vsque hodie posuerunt. Et quia ex Græcis (alias Getis) venerunt, deriuato nomine Getuli nuncupati sunt. Et ideo est opinio apud Græcos, Mauros ex illa gente sibi esse consanguineos & propinquos, *vt dicit Isid. lib. 9.* Iuxta istos habitat Gaulonum gens à meridie vsq; ad Oceanum Hesperium peruagans in desertis & discurrens. His nomen Gaulon insula dedit, quæ est iuxta Æthiopiam, vbi nec serpens nascitur nec viuit, *vt dicit Isido.* Sunt etiam in fine Africæ populi quasi bestiales, qui Garamantes dicuntur, à Garamante Rege, Apollinis filio nominati, qui ibi ex suo nomine Garama oppidum condidit & construxit. De quibus *dicit Plin.* quod fere à consortio humanitatis sunt remoti.

CAP. LXX.

De Gorgonibus.

GOrgones sunt insulæ Oceani, obuersę promontorio, quod vocatur Hesperaserus, quas incoluerunt Gorgones fœminæ alitæ, id est, veloci pernicitate hirsuto & aspero corpore, & ex his fuerunt insulæ nominatæ, *vt dicit Plinius lib.* 15.

CAP. LXXI.

De Gothia.

GOthia Scythię inferioris est prouincia in Europa, quę *vt creditur*, à Magog filio Iaphet est vocata, *vt dicit Isidor. lib. 9.* Vnde dicit quod veteres illas nationes magis Getas quam Gothos nominauerunt, & fuit quondã gens fortissima, mole corporum ingens, armorum genere terribilissima, de quorum sobole maxima pars Europæ & Asiæ creditur populata. Nam eorum soboles sunt Daci, & multæ aliæ nationes ex parte occidentis. Getuli in Africa, Amazones in Asia, ex Gothorum prosapia processerunt,

vt dicit idem lib. 9. & 15. Est autem vſque hodie regio latiſſima, ab aquilone habens Norvvegiam ac Daciam, in aliis eius lateribus mari Oceano circumdatur. Huic regioni adiacet inſula quædam, nomine Gothlandia, Gothorum terra dicta, quia à Gothis fuit antiquitus habitata. Et eſt inſula frugifera, paſcuoſa plurimum, & piſcoſa, & multiplici genere mercium, maxime negocioſa. Nam pelles variæ & cerarum & cæterorum copiæ de regionibus diuerſis ad illam inſulam nauigio deferuntur, & inde in Galliam, in Germaniam, in Britanniam, & Hiſpaniam per Oceanum deducuntur.

CAP. LXXII.

De Gnido.

GNidum eſt regio in inſula contra Aſiam, inter Syriam & Italiam, reſpiciẽs verſus Pamphyliam & Ciliciam, ex oppoſito contra Cretam, *vt patet in gloſ. ſuper Act. 27.*

CAP. LXXIII.

De India.

INdia orientalis eſt regio in Aſia, dicta ſic ab Indo flumine, quo clauditur ex parte occidentis. Hæc à meridiano mari porrecta vſque ad ortum Solis, à ſeptentrione vſque ad montem Caucaſum peruenit, habens gentes multas & oppida. Inſula quoque Caphane vel Taprobane gemmis & elephantibus refertam. Habet etiam Griſam & Argeram, inſulas auro & argento refertas & fœcundas. Sunt etiam vites in arboribus, quibus folia nunquam cadunt. Habet etiam India fluuios nobiliſſimos Gangem & Indum, & Hypanem, regiones Indicas illuſtrantes. Eſt autem India Fauonio vento ſalubertima. In anno bis fruges nutrit. Gignit quoque tincti coloris homines, elephantes ingentes, monoceron beſtiam, pſittacum auem, hebenum etiam lignum cinnamomum, piper & calamum aromaticum. Mittit & ebur, lapides inſuper precioſos, beryllos, chryſoprasos, carbunculos, adamantes, margaritas & vniones, quib. nobilium ardet ambitio fœminarum. Ibi ſunt montes aurei, quos adiri propter dracones & gryphones, & diuerſorum hominum monſtra impoſſibile eſt, *vt dicit Iſido.*

Isido. cuius sunt hæc verba omnia supra dicta, vt patet lib.15.
Est autem India inter omnes regiones orbis maior, opulentior, potentior, & populosior. Vnde mira de Indorum multitudine & potentia recitat *Plinius in lib.6.cap.*19. Dicit enim quod sint multi Reges in India, quorum aliqui habent sub se 60,400.millia armatorum, aliqui habẽt sexcentos cuneos equitum, & nouem millia elephantorum, qui per omnes dies stipendiantur, vnde multarum opum est maxima coniectura: alii habent peditum sexaginta millia, & equitum mille, elephantorum septingentorum, & hi omnes ad procinctum bellorum sunt parati. Vnde patet quod terra est potens & opulenta, *vnde vt dicit idem.* Indorum quidam tellurem exercent, quidam militiam capessunt: alii merces suas euehunt: alii rempublicam peroptime temperant & regunt: alii Regibus assidẽt: alii iudicia reddunt: quidam potissime religioni vacant, & intendunt sapientiæ disciplinæ. Et cum inter omnes regiones sit vastior atque maior, præ omnibus est mirabilior. *Nam vt dicit Plin.lib.7.cap.*3. India, inquit, in longo protractu versus Aethiopiam in miraculis abundat. In India enim gignuntur maxima animalia, & canes cæteris grandiores. Arbores enim tantæ proceritatis ibi crescere dicuntur, vt sagittis superari nequeant. Hæc autem faciunt vbertas Soli, temperies cœli, & abundantia aquarum. Ficus arbor ibi tantum se protendit, vt sub vnius latitudine multæ turmæ militum possint discumbere. Arundines ibi etiam tantæ sunt proceritatis, vt singula internodia, alueo nauigabili ternos homines interdum ferant. Sunt autem ibi homines magnæ staturæ, altitudine quinque cubitorum excedentes, qui nec expuunt, nec dolore capitis: nec dentium, nec oculorum languoribus afficiuntur, nec ab immoderato calore Solis eorum corpora læduntur, sed potius indurantur. Philosophi etiam eorum, quos gymnosophistas vocant, ab ortu diei vsq; in occasum stando in calidissimis arenis, Solem immobilibus oculis intuentur. In quorum etiam montibus sunt homines, qui habent auersas plantas & digiti in pedibus sunt octoni. Sunt etiam ibi canina capita habentes, qui ferarum pellibus vestiuntur, tamen latrant vt canes, & aliter non loquuntur. Venatu & aucupio viuunt, vnguibus & dentibus sunt

armati, in magna sunt multitudine plus quam centum viginti millia, *Vt dicit idem.* Sunt etiam in quadam gente Indiæ fœminæ, quæ nunquam pariunt nisi semel, & geniti confestim canescunt. Ibi Satyri & cæteri homines monstrosi, *de quib. in tract. de animalib. monstrosis dictũ est.* Sunt & quidam homines in fine orientalis Indiæ circa hortum Ganges sine ore, vestiti frondium lanugine, qui solo odore viuunt, nec aliquid comedunt vel bibunt, sed solum odorem florum & syluestrium malorum naribus attrahunt, & inde viuunt. In malo odore cito moriuntur. Sunt & alii qui diutissime viuunt & nunquam senescunt, sed quasi in ætate media moriuntur. Sunt etiam qui in iuuentute canescunt, & in senio nigrescunt. *Hæc & multa alia recitat Plinius mirabilia.*

Cap. LXXII.

De Hyrcania.

HYrcania est regio in Asia sub iugis Caucasi montis cõstituta. Regio quidem est latissima, habens multas gentes, lingua & moribus differentes, *Vt dicit Isi. lib. 15. Dicit etiam Oros.* quod se extendit à monte Caucaso, vsque in Scythiam, habens gentes 44. quæ propter terræ infœcunditatem longe lateque euagantur. Ex quibus quædam agros incolunt, quædam de venationibus viuunt, quædam vero, vt crudeles & bestiales, portentosæ carnibus humanis viuunt, & ipsorum sanguinem bibunt, *Vt dicit Isid. lib. 15. Vbi subdit,* Hyrcania est dicta à sylua Hyrcana, quæ Scythiæ subiacet, habens ab oriente mare Caspium, à meridie Armeniam maiorem, à septentrione Albaniam, ab occasu sui Iberiam. Est autem syluis aspera, copiosa immanibus feris, pardis, tigridib. & pantheris. Gignit etiam aues quæ dicuntur Hyrcanæ, quarum pennæ nocte perlucent, & tales etiam aues in Germania inueniuntur. *Vt dicit Isid. ibid.* Istius Hyrcaniæ populos deuicit Iohannes Hyrcanus, filius Simonis summi sacerdotis, tempore Machabæorum, à quibus deuictis, Iohannes Hyrcanus nominatus est, *Vt dicit magister in histor. in principio historiæ Euangelicæ. Idem dicit Hieronymus.*

Cap. LXXV.

De Idumæa.

IDumæa regio est in Arabia, ab Edom, id est ab Esau filio Isaac nominata. Nam filii Esau, qui Edom cognominatus est, expulsis Amorrhæis terram illā inhabitauerunt, & eam terram Idumæam, id est, terram filiorum Edom, deinceps vocauerunt. Est autem Idumæa per quædam deserta a Palęstina separata, cuius fines vsq; ad mare Rubrum se extendunt. Est autem terra fortis & montosa, sub forti calore Solis constituta, & ideo incolæ terræ contra Solis ardorem faciunt sibi domos subterraneas & speluncas, *Vt dicit glossa super Abdiam.*

Cap. LXXVI.

De Iudæa.

IVdæa est regio in Palæstina, ex nomine Iudæ appellata ex cujus tribu reges habuit. Hæc prius Chanaan est dicta à filio Cham, siue à decem Chananæorum gentibus, quibus expulsis, Iudæi illam terram possederunt. Initium longitudinis eius à vico Arpha & vsque ad vicum Iuliacen porrigitur, in quo Iudæorum ac Tyriorum habitatio est communis. Latitudo autem eius à monte Libani, & vsq, ad lacus Tiberiadis se extendit. In medio autem Iudææ est ciuitas Hierosolymorum, quasi vmbilicus totius regionis. Terra, variarum opum diues, frugibus & fructibus valde fertilis, aquis illustris, opima balsamis, abundans in metallis, cedris, palmis, & cypressis, & aliis nobilissimis arboribus insignis. Plena vineis, malogranatis & oliuis, terra lactis & mellis. Vnde secundum gratiam elementorum, Iudæi eam patribus repromissam terram, fluentem lacte & melle putauerunt, cum hinc illis resurrectionis gloriam vel prærogatiuam polliceretur, *Vt dicit Isidorus libr.* 15. *De hac dicit Plinius* 5. *cap.* 14. Iudæa pars est Syriæ, quæ late longeque funditur, quæ Ægypto & Arabiæ proxima, asperis dispersa montibus, quam Iordanis amnis perfluit, & Galilæam à cæteris Iudæis diuidit & distinguit. In Iudæa autem est ciuitas Hierosolyma, ciuitas clarissima vrbium orientis. Habet autem Iudæa fontes calidos & salubres. Habet etiam in fine mare Mortuum, quod lac Asphaltides

dicitur, sic dictum, eo quod nihil gignit viuum nisi bitumen, in quo nihil viuit, sed si proiectū fuerit aliquid viuum supernatat. Ab hoc lacu Iordanis amnis imbibitur, & laudatas perdit aquas, pestilentibus intermixtas.

Cap. LXXVII.

De Iberia.

IBeria est regio in Asia, iuxta Pontum Armeniæ iuncta. In hac nascuntur herbæ, quæ vtiles sunt tincturæ, *Vt dicit Isidorus libro* 15.

Cap. LXXVIII.

Dr Italia.

ITalia regio est magna in Europa, à Græcis populis occupata olim, & ideo magna Græcia est appellata, *Vt dicit Isidorus lib.* 15. Deinde à rege Saturno Saturnia est vocata, eo quod ibi Saturnus à Ioue, de suis sedibus depulsus, latuit. Postremo ab Italo Siculorum rege ibi regnante, Italia est vocata. Cuius situs longitudine amplius quam latitudine à Circio in Eurum extenditur, à meridie Tyrrheno mari: ab aquilone Adriatico clauditur: ab occasu Alpium iugis finitur. Terra est in omnibus rebus pulcerrima, soli fertilitate, pabuli vbertate gratissima. Nobiles habet lacus sicut Vennacum, Auernum atque Lucernum, & multos alios fluuios nobiles, scilicet Eridanum siue Padum, Tiberim, Herianum & huiusmodi. Gignit gemmas, scilicet ligurium, gagatem, margaritas & corallum, Boam quoq; serpentem & lyncem feram, & multas alias auium species singulares. hęc regio dicitur Hesperia ab Hespero stella, sicut & Hispania, eo quod Græci nauigando in Italiam & in Hispaniam considerant stellam illam. Sed Hispania dicitur Hesperia vltima, quia in loco vltimo sub occasu est locata. *Hucusq; Isidorus lib.* 15. Inter omnes autem Europæ regiones occidentales Italia obtinet principatum. Insulas enim habet nobiles & portus maris insignes, prouincias cunctis diuitiis locupletes, ciuitates populosissimas, muris, fossatis & aliis apparatibus bellicis nimis fortes, Auri & argenti copiose abundantes. Duodecim *secundū Plinium lib.* 2. famosas & potentissimas particulares, præter insulas,

conti-

continet regiones, *de quibus idem diffusius tractat.* Est autem contra Orientem, Septentrionem & Occidentem altissimis alpibus & montium iugis vndique circumcincta, ex quibus oriuntur nobilia flumina, Rhenus scil. & Danubius, quę Germaniam perfluũt, & Rhodanus cum Sequana & multis aliis, quæ Galliam maxime Lugdunensem & Narbonensem & Belgicam in locis pluribus circumfundunt.

Cap. LXXIX.

De Hispania.

Hispania prius ab Ibero amne fuit Iberia nuncupata, post ab Hispalo fluuio (*vt dicitur*) Hispania est vocata. Ipsa vero Hesperia à stella Vespertina occidentali, sic fuit antiquitus nominata. Est autem sita inter Affricam & Europam, a septentrione Pyreneis montibus clausa, a reliquis partibus est vndique mari conclusa, salubritate cœli æqualis, omnium frugum fœcunda, gemmarum & metallorum copiis ditissima. Interfluunt autem eam flumina nobilissima, scilic. Bætis, Minius, Iberus & Tagus, & aurum trahens Epactulus. Sex habet prouincias, scil. Tarraconensem, Carthaginensem, Lusitaniam, Galliciã, Bęticam, & trans freta in regione Affricæ Tingitanã. Est autem duplex Hispania, scilicet citerior & interior. *Hucusq; Isidorus libro 9. Dicit autem Orosius*, Hispania vniuerso terrarum situ trigona est, & circumfusione Oceani Tyrrheniq; pelagi pene insula efficitur. Huius angulus est propior, qui spectat ad orientem, & a dextris est ei Aquitania prouintia: a sinistris Balearico mari coarctatur & Narbonensium finibus interseritur. Secundus eius angulus Circium intendit, vbi Beriginacia ciuitas Galliæ sita est, ad spectaculum Britanniæ se erigit. Tertius eius angulus est, quo Gades insulæ intentæ, ad Affricum Atlantem montem interiecto sinu Oceani prospiciunt. *Hucusq; Orosius.* Hispaniam etiam in multis commendat Plinius, & maxime de metallis. Dicit enim: quod fere tota abundat auro & argento, ære, ferro & stanno, & plumbo, tam albo quam nigro. Regiones habet plures, gente multas bellicosas & fortes, quorum quidam Græcorum dicuntur fuisse soboles, alii Vuisegothorum successores, *idem etiam dicit Isidorus.* Nam

multas habet prouincias partiales nobis notas, vt Gallíciam, quæ Græcam sibi vendicat originem, *Vt dicit Isidor. libro 9.* Asturiam sic dictam, eo quod montibus contra Asturium flumen sit vbique circumsepta. Habet etiam Celtiberiam, a Gallis Celticis super Iberum flumen residentibus sic vocatam.

Cap. LXXX.

De Hybernia.

Hybernia Oceani est insula, in Europa Britannicæ insulæ vicina, spacio terrarum angustior, sed situ est fœcundior. Hæc ab Affrico in Boream porrigitur. *Vt dicit Isidorus lib.* 15. Cuius partes priores in Hyberum, Cantabricum Oceanum tendunt, vnde etiam ab Hybero Oceano est Hybernia nominata. Est autem Insula frumentariis campis vberrima, fontibus & fluuiis irrigua, pratis & sylvis amœna, in metallis fæcunda & gemmifera. Nam ibi gignitur lapis hexagonus, scilicet iris, qui Soli oppositus, format in aere cœlestem arcum. Ibi etiam inuenitur lapis, qui Gagates dicitur. Ibi margarita candida inuenitur. Quantum ad salubritatem cœli est Hybernia regio valde temperata, modicus est enim ibi excessus vel nullus in frigore vel calore, lacus habet mirabiles & fontes. Nam ibi est lacus, in quo si per aliquod spacium longum palus ligneus infigatur, pars quæ est terrę infixa, conuertitur in ferrum, pars vero quæ est in aqua, in lapidem, sed quæ supra aquam est, manet lignum. Est & alius lacus, in quem si proiicias virgas coryli, conuertuntur in virgas fraxini, & ę conuerso si virgas fraxineas immiseris, in coryleas mutabuntur. Sunt ibi loca, in quibus cadauera mortuorum nunquam putrescunt, sed ibi semper permanent incorrupta. Est etiam in Hybernia quædam insula parua, in qua homines non moriuntur, sed quādo nimio senio afficiuntur vt moriantur, extra insulam deferuntur. In Hybernia nullus est serpens, nulla rana, nulla aranea venenosa, imo tota terra adeo est contraria venenosis, vt terra inde delata & sparsa, serpentes perimit & busones. Lana etiam Hybernica, & animalium coria, fugant venenosa, & si serpentes vel busones nauigio in Hyberniam deferantur, statim moriuntur. Multa alia sunt mirabilia in terra illa. De Hybernia

bernia *dicit Solinus*. Hybernia (*inquit*) est insula, quæ proximat Britanniæ in magnitudine, inhumana, incolarum ritu aspera, ibi anguis nullus, ibi auis rara. Gens inhospita & bellicosa, sanguine interemptorum hausto prius victores vultus suos oblinjunt, fas atque nefas ab eodem loco ducunt. Ibi nulla apis, & adiectum inde puluerem seu lapillos, si quis sparserit inter aluearia, examina fauos deserunt. Mare autem Hybernicum versus Britanniam vndosum & inquietũ, & toto anno vix est nauigabile nisi paucis diebus. Diffunditur autem per 130. millia passuum per latum, &c. *Hacusque Solinus de mirabilibus mundi*. Gens Hybernica est habitu singularis & inculta, victu parca, animo sæua, vultu ferox & torua, affatu aspera, ergà suos tamen liberalis & affabilis ac benigna, & maxime illa gens quæ nemorosa & paludes inhabitant ac montana, hæc carnibus, pomis & fructibus pro esu, & lacte pro potu est contenta, gens dedita ludis & venationi potius quàm labori.

CAP. LXXXI.

De Icaria.

ICaria est insula vna de Cycladibus ab Occidente, quæ Icario mari nomen dedit, & iacet inter Samum & Myconum pro saxis prominentibus inhospitalis est, & nullis finibus portuosa. Dicitur autem Icaria ab Icaro Cretensi, qui ibi submersus est, *Vt dicit Isid. lib.* 15.

CAP. LXXXII.

De Insula in Salo sita.

INsula autem est terra mari vel flumine vndique circumdata, quasi in Salo sita, *Vt dicit Isidorus lib.* 15. vndique aquarum fluctibus insula illiditur, attamen illisa sic non frangitur nec dissoluitur, quin potius per applicationem fluctuum ad insularum ripam per compactionem partium terrestrrum insula amplius solidatur. In extremis siquidem riparum partibus aquarum alluuione aliquantulum subcorroditur & consumitur, sed circa eius interiora, ex eius consumptione extrinseca fortius adunatur. Insulæ etiam quandoque fluctibus & aquarum iundationibus cooperiuntur, & per terræ & limi comparationem augmen-

gmentantur, ex aquæ vicinæ circumdatione, & humoris per poros attractione insulæ virescunt & fœcundantur.

Cap. LXXXIII.

De Carthagine.

CArthago nomen est ciuitatis, & prouinciæ Affricæ in Hispania, & est duplex, maior & minor, & vtramque condidit Nardido proficiscens de Phœnice in litore Affrico, duplicem vrbem condidit, & eam primo Carcadam lingua Phœnicea nominauit, quæ sermone verso Carthago vocata est, & ab hac ciuitate tota prouincia Carthago in posterum est vocata, ciuitatem autem hanc, cum fuerat nominatissima. & non inferior Roma, Scipio cum Romanorum exercitu destruxit penitus & deleuit, *vt dicit Isidor, libr. 16.* quæ autem nunc est, à Romanis postea condita est, *vt dic. idem.* Est autem alia Carthago in vera Affrica, in Bizantium & Numidiam sita, à septentriome mari Siculo iuncta, & à meridie vsque ad Getulorum regionem porrecta, cuius pars prima est valde frugifera, oleis & fructibus valde fœcunda, metallis plena. Pars vero vlterior circa Numidiam bestiis & serpentibus est peruia, atque onagris magnis in deserto vagantibus, *vt dicit Isidorus lib. 15.* Ibi etiam est elephantorum atque aliarum bestiarum multitudo, *vt dicit Plinius lib. 5. cap. 5.*

Cap. LXXXIV.

De Carinthia.

CArinthia prouincia est modica Germaniæ in Europa, habens Pannoniam ab oriente: ab occidente Italiam, Danubium à Septentrione, Dalmaciam & Sclauoniam à meridie, montibus in vna parte cingitur, & in alia mari Adriatico terminatur, & est terra fertilis in multis locis, abundans feris, pecudibus & iumentis, gens bellicosa & fortis, munita oppidis & castris. Est autem terra propter alpium vicinitatem frigida, niuibus & pluuiis frequens, vbi propter frigiditatem aquarum a niuibus solutarum, circa montana plurimum, vt dicitur, sunt strumosi. Ibi vrsi multi, bisontes & aliæ bestiæ mirabiles & syluestres, ibi etiam sunt glires comestibiles, qui quamuis videantur esse de ge-

de genere murium, comeduntur tamen, quia carnes habent ſapidas atq; pingues.

CAP. LXXXV.

De Corſica.

COrſica eſt inſula à quodam duce ſic nominata, diſtans à Sardinia 30. milliarium freto contracta vel cincta, contra aſpectum Italiæ. Et eſt inſula paſcuis fertiliſſima, cuius fertilitatem prodidit quidam taurus, qui pabuli gratia de partibus Liguriæ ad illam Inſulam ſæpius transnatauit, nam cum quædam mulier Corſa nomine illum taurum cum aliis iuxta littus maris regeret in armento, videns illum taurũ mare intrare, & quotidie melius refectũ redire ad armentum, cupiens ſcire incognita ſibi paſcua, taurum à cęteris egredientem eſt vſque ad Inſulam nauigio proſecuta, cuius regreſſu fertilitatem Inſulæ cognoſcentes Ligures, nauibus vel ratibus illuc profecti ſunt, eamque nomine mulieris autoris & Ducis Inſulam Corſicam deinceps vocauerunt. Eſt autem multis promontoriis anguloſa, gignens lætiſſima pabula, & lapidem nobilem, quem Græci Baccen vocant, *Vt dicit Iſidorus libro decimo quinto.*

CAP. LXXXVI.

De Lacedæmonia.

LAcedæmonia, quæ alio nomine dicitur Spartania, in finib. Græciæ iuxta Thraciam eſt prouincia in Europa, cuius habitatores dicuntur Lacedæmones, à quodam Lacedæmone Semeles filio. Hi Lacedæmones in bello contra Meſſenios timentes diuturnitate prælii ſpem prolis amittere præceperunt, vt eorum virgines cum iuuenibus domi relictis concumberent, ſic ex promiſcuo virginum concubitu iuuenes nati, ex nota materni pudoris Spartani vocati ſunt, *Vt dicit Iſidorus lib. 9.*

CAP. LXXXVII.

De Lectonia.

LEctonia Scythiæ eſt prouincia, cuius populi Lectuni ſunt vocati, homines robuſti & fortes, bellicoſi & feroces

roces. Est autem Lectonia regio, cuius gleba est fructifera, palustris in multis locis, & valde nemorosa, fluminibus & aquis irrigua, feris & pecudibus valde plena, nemoribus & paludibus est munita, paucas habens alias munitiones, præter flumina, nemora & paludes, & ideo in æstate vix potest illa regio expugnari, sed solum in Hyeme quando aquæ & flumina congelantur.

Cap. LXXXVIII.

De Liuonia.

Liuonia est eiusdem regionis & idiomatis prouincia specialis, quæ longo maris oceani interiectu à finibus Germaniæ est diuisa, cuius incolæ Liuones antiquitus vocabantur, quorum ritus fuit mirabilis, antequam à cultura dæmonum ad vnius Dei fidem & cultum per Germanicos cogerentur. Nam Deos plures adorabant prophanis & sacrilegis sacrificiis, responsa à dæmonibus exquirebant, auguriis & diuinationibus seruiebant, mortuorum cadauera tumulo non tradebant. Sed populus facto rogo maximo, vsque ad cineres comburebat, post mortem autẽ suos amicos nouis vestibus vestiebant, & eis pro viatico eorum oues & boues & alia animantia exhibebant, seruos etiam & ancillas cum rebus aliis ipsis assignantes, vna cum mortuo & rebus aliis incendebant, credentes sic incensos ad quandam viuorum regionem feliciter pertingere, & ibidem cum pecorum & seruorum, sic ob gratiam domini combustorum, multitudine felicitatis & vitæ temporalis patriam inuenire. Hæc patria tali errore Dæmonum antiquissimo tempore fascinata, modo in parte magis cum multis regionibus subditis vel annexis, diuina præcedente gratia, & cooperante Germanorum potentia, iam creditur à prædictis esse erroribus liberata.

Cap. LXXXIX.

De Lycia.

Lycia sinus est maris & portus, eius ciuitas maior Lystra dicitur, à qua de Syria iuxta Pamphyliã in Italiam nauigatur, *Vt patet Act.* 28. Hæc autẽ regio vero nomine dicitur Lycaonia, cuius ciuitates dicũtur fuisse Lystra & Derben,

ben, ad quas Paulus & Barnabas ab Iconio fugierunt, vbi sanato viro in Lystris Lycaoniæ Barnabam Iouem, & Paulum Mercurium vocauerunt, & eos adorare voluerunt, *vt dicitur Act.* 14.

CAP. XC.

De Lydia.

LYdia sedes est antiqua regnorum, quam fluuius Pactolus extulit diuitiis torrentibus aureis. Hæc aurea Mœnea dicebatur, quæ dum præ breuitate duos reges fratres, scil. Lydum & Thyrrenum ferre non possunt, hinc per sortem Thyrrenus cum ingenti multitudine profectus, loca Galliæ occupauit & Thyrreneam nominauit. Lydia autem à Lydo fratre rege, scil. qui remanserat in prouincia cognominata est, coniungitur ab occidente minori Phrygiæ, hadens Smirnam vrbem ab Oriente, quam Helles fluuius cingit, cuius campos Pactolus & Herinus circumfluunt, arenis aureis locupletes, *vt dicit Isidor. lib.* 15.

CAP. XCI.

De Lybia.

LYbia regio est maxima in Affrica, sic dicta eo quod Lybs, id est, ventus Affricus inde flat, *vt dicit Isid. lib.* 15. Alii dicunt Epaphum filium Iouis qui etiam Memphim in Aegypto condidit ex Casona vxore sua filiam nomine Lybiam procreasse, quæ postea in Affrica regnum possedit, ex cuius nomine illa terra fuit deinceps Lybia appellata. Est autem Lybia in principio Africæ posita, cui ab Oriente est Aegyptus, ab Occidente Syrios maiores & Trogloditas, a Septentrione mare Lybicum, a meridie Aethiopia, & barbarorum variæ nationes, & solitudines inaccessibiles, propter bestias feroces, serpentes, dracones, qui procreant Basiliscos. *Hucusque Isidor. lib.* 15. Est Lybia terra valde feruida, & perusta, multa generans in diuersis locis monstrosa & venenosa, & multa in diuersis partibus preciosa, vt puta gemmas preciosas, aurum & argentum, in magna copia, frumentum & vinum, & oleum, & varia aromatum genera. Primam autem originem contraxerunt habitatores Lybiæ a Phut filio Cham. Vnde fluuius currens per Lybiam

byam & maritimam Phut dicitur, & omnis regio Phutensis nominatur, *Vt dicit glos. super Gen.* 11.

Cap. XCII.

De Lotharingia.

LOtharingia Germaniæ est quasi vltima & finalis prouincia a rege Lothario nominata. Hæc ab oriente habet Rhætiam siue Brabanciam, à meridie Rhenum & Alsatiam: ab Occidente Galliam Senonensem: a Septentrione Galliam Bellicam. Hanc Mosa fluuius præterfluit, in hac ciuitas Metis consistit. Est autem regio in multis locis fructifera, vinifera, fontibus & amnib. irrigua, montosa, syluestris, nemorosa, feris, pecudibus & armentis fœcunda, gens est mixta ex Gallicis & Germanis. Fontes habet mirabiles & medicinales, ex quorum potu languores varii sanantur.

Cap. XCIII.

De Lusitania.

LVsitania Hispaniæ est prouincia Paasim flumen & Nagia oppidum habens. Et est regio metallis referta, habens aurum & argentum, ferrum & plumbum album atq; nigrum, *Vt dicit Plinius lib.* 7. *cap.* 72.

Cap. XCIV.

De Mauritania.

MAuritania a colore populorum est vocata, quasi nigrorum hominum patria. Græci enim nigrum μαύρον vocant, sicut enim Galli à candore populi sunt dicti, ita Mauri à nigro colore nomen sunt sortiti, cuius prima prouincia Stiphensis est, quæ Stiphi habuit oppidum, à quo etiam vocabulum traxisse regio perhibetur. Alia vero prouincia Mauritania Cæsariensis, quæ Colonia Cæsariæ ciuitatis fuit, & nomen prouinciæ dedit. Vtraque igitur prouincia, quæ sibi inuicem sunt coniunctæ ab Oriente Numidiam habent, a Septentrione mere Magnum: ab occasu flumen Maluam: a meridie montem Astrixim, qui discernit inter fœcundam terram, & arenas iacentes ad Oceanum.

num. Alia est Mauritania Tingitana, quæ sic a Tingi metropolitana ciuitate est vocata. Hæc vltima pars est Africæ, & exurgit à montibus septem, habens ab oriente flumen Maluam, à septentrione fretum Gaditanum, ab occasu Oceanum Atlanticum, a meridie Gaulonum gentes, vsque ad Oceanum Hesperum pererrantes. Et est regio gignens feras, simias, dracones, & struthiones & elephantes. *Hucusq; Isidorus lib.15. Plinius autem libro 5. capite 2.* in Mauritania *(inquit)* est Gaulonum gens, quæ inhabitat iuxta Atlantem montem versus Oceanum, in loco nemoroso, scatebris fontium irrigua, vbi sponte nascuntur omnia genera fructuum, ne vnquam sacietas desit voluptatibus incolarum. Est autem locus elatus super nubila, atq; in vicinia lunaris circuli. Et dicunt eundem locum noctib. micare crebris ignibus, & Ægypanum Satyrorumque lasciuia in tibiarum ac fistulæ cantu, timpanorum quoq; & cymbalorum sonitum perstrepere: *sicut celebrati autores prodiderunt.* Crescunt autem ibi arbores miræ proceritatis, quarum quædam sunt odoriferæ & sunt similes cypresso, quæ tenui lanugine sunt obductæ, de qua vestes conficiuntur addita arte, sicut de Bombyce. Ibiq; crescit herba quæ dicitur Euphorbium a suo inuentore sic appellata, cuius lacteum succum miris laudibus extollit in claritate visus, & contra serpentum ictus & venena, *Vt dicit idem ibidem.*

Cap. XCV.

De Macedonia

Macedonia in exordio ab Emathio rege Emathia fuit dicta. Sed Macedo Deucalionis nepos, postquam ibi habuit principatũ, mutauit vocabulũ, & eam Macedoniã à suo nomine nuncupauit, *Vt dic. Isi. li.*15. Est autẽ confinis ab oriente Ægeo mari, à meridie Achaiæ, ab occasu Dalmaciæ, à septentrione Mœsiæ, *Vt dicit idem.* Fuit autem patria Alexandri Magni, & regio in aureis venis & argento optima. Lapidem quem Pęoniten vocant, gignit. In eadem prouincia est mons Olympus, qui excellenti vertice tantum extollitur, vt in eius cacumine nec nubes, nec venti, nec pluuiæ sentiantur, *Vt dicit idem. De Macedonia autem dicit Plin. lib.4. cap.*21. Macedonia antea Emathia

est dicta, terrarum imperio est potita. Hæc Asiam, Armeniam, Hyberniam, Albaniam, Cappadociam, Syriã, Ægyptum, Taurum, Caucasum est transgressa. Hæc in Bactris, Medis, Persis dominata est, & possedit totaliter Orientẽ. Hæc scilicet Indiæ victrix per vestigia Liberi patris & Herculis euagata est. Hæc est illa Macedonia, cuius vno die Paulus Æmilius imperator 70. vrbes directas vendidit, *vt dicit idem.*

CAP. XCVI.

De Magnesia.

MAgnesia Græciæ est prouincia, inter Thessaliam & Macedoniam intermedia. Multas continens gentes, oppida & ciuitates, *vt dic. Plin. lib.4.c.*10.

CAP. XCVII.

De Mesia.

MEsia à Messium prouentu est vocata, & est prima prouincia, quam Danubius vsque ad mediterraneum mare recludit, *vt dicit Isid. lib.*15. Hæc ab oriente ostiis Danubii iungitur, ab Euro autem Thraciæ, à meridie Macedoniæ, ab occasu Hystriæ copulatur, *vt dicit idem.* Est autem regio continens plures gentes, oppida & ciuitates, frugibus ferax, abundans in venis mineralibus & lapidibus & metallis.

CAP. XCVIII.

De Mesopotamia.

MEsopotamia Græcam etymologiã possidet, eo quod duobus fluuiis ambiatur. Nam ab oriente Tigrim habet, ab occidente Euphratem. Incipit autem a septentrione inter montem Taurum & Caucasum, cui a meridie sequitur Babylonia & Chaldæa, *vt dicit Isid. lib.*15. Est autem regio in Asia, multum ampla, tam in latura, quam in longum, abundans in frugibus, pascuis, pecudibus & armentis, locuples in diuitiis & metallis.

CAP.

CAP. XCIX.

De Media.

MEdia a Mego Rege est dicta, qui prouinciam illam primitus est aggressus. Habet autem Media ab occasu Parthia regna, a septentrione Armenia circundatur, ab ortu Caspios videt montes, a meridie habet Persidam. Hæc regio sola medicam arborem parturit, quam alia regio nusquam gignit, *Vt dicit Isid.lib.*15. Est autem regio valde opulenta, multis fluminibus irrigua, ciuitatibus & oppidis præclara, multorum populorum domina, cuius Reges magnam Babyloniam ac Chaldæorum imperium antiquitus deuicerunt. Istius autem regionis incolæ vna cum Persis nauigio in Africam transuecti, cum Libiis se miscuerunt, quos Libii corrupta lingua & barbara Mauros vocauerunt, quamuis Mauri a nigro colore sint Græco idiomate sic vocati, *Vt dic. Isid. lib.* 9.

CAP. C.

De Melos.

MElos est insula vna ex Cycladibus, quæ omniū insularum est rotundissima, & ideo Melos, id est, rotunda est vocata, *Vt dicit Isid.lib.*15. Est autem insula multis bonis referta, *Vt dicit Plin.* & spacii breuioris, quantitatem Soli fertilitas recompensat.

CAP. CI.

De Midia.

MIdia est insula in Hyberniæ prouincia, quæ in punctuali medio est, *prout dicitur*, collocata, sic dicta a quodam Rege, qui inter quinque filios totam insulam in quinq; partes æquales diuidens, illam partem insulæ quasi patriæ Meditullium, ad vsus proprios deputauit, propter quod illa Hybernicæ prouinciæ insula portio Midia, quasi aliarum terrarum in circuitu media, hodie nuncupatur. Est autem illa patria quo ad glebam, fertilis in frumentis, pascuis & armentis, abundans in piscibus, carnibus, & aliis victualibus, butyri & casei atque lactis. Fluminibus est irrigua, fontibus atque lacubus multiplices effe-

ctus, *vt dicitur*, & virtutis situm dicitur habere, aspectu delectabilem, aerem salubrem; quo ad syluas & paludes, in eius extremitatibus habet aditum valde fortem. Et ideo propter populi multitudinem, castrorum & oppidorum fortitudinem, camera vocatur Hyberniæ vulgariter propter pacem.

Cap. CII.

De Misnia.

MIsnia Germaniæ est prouincia, ab vrbe quæ Misena dicitur sic vocata. Cum Bohemia coniuncta & Polonia in Solis ortu, cum Bauaria in meridie, cum Saxonibus & Thuringis in occidente, cum Rhætia & terminis Rheni a septentrione. Et est terra ampla & spaciosa, nunc plana nunc montosa, fertilis multum & pascuosa, aquis optimis irrigua. Nam nobili fluuio Albi pro maiori sui parte per eius longitudinem est profusa. Ciuitates habet fortes, & oppida & castra fortia & munita. Cuius gens locuples est generaliter in diuitiis, frugibus scil. pecudibus & metallis. Et cum sit populus magnæ fortitudinis & pulcritudinis, & elegantis proceritatis, est tamen gens benigna & pacifica, ex natura minus Germanicis habens in omnibus feritatis.

Cap. CIII.

De Mitylene.

MItylene est insula in mari Adriatico, per quam de Syria & Cypro in Italiam nauigatur, ad quam difficilis est accessus propter Bythalassum, id est, littus in mare protensum. Terræ n. vel arenæ interiectu diuiditur mare, & fit quasi duplex. Vnde naues impingentes ad arenas, de facili confringuntur, *vt patet in Actis Apostol. cap.*28. *tam in textu quam in glos.* Et quamuis incolæ illius insulæ sunt barbari, circa tamē periclitātes & ibidem naufragium patientes, sunt humani, *vt patet ibid.* Ad hanc insulam peruenit Paulus, quando nauigauit contra Romam, vbi venenum viperę, quæ manui eius adhæserat, in Sarmenta euasit, excussa bestia in ignem. In eadem etiam insula multa miracula perpetrauit. *Vt dic. Acto,* 28.

CAP.

Cap. CIV.

De Nabathæa.

NAbathæa Arabiæ est prouincia, a Naboth filiæ Ismaelis dicta, & est inter Arabiam & Iudæam intermedia. Surgit autem ab Euphrate, & porrigitur vsque ad mare rubrum, *vt dicit Isido. lib.*15. Est autem terra præpinguis, fertilis in frugibus, fructibus, pecudibus, preciosis lapidibus & metallis. *De hac dic. Plin. lib.6. cap.*29. Nabathæi, inquit, oppidum incolunt Petram nomine in conualle, habens fere duo millia passuum in latitudine, circumdatur montibus inaccessis, amne interfluente, & distat ab oppido Gaza 600. passuum, a sinu Persico 132.

Cap. CV.

De Noruegia.

NOruegia latissima est Europæ prouincia, mari fere vndiq; circumcincta: sub aquilone distenta: Gothorum regionibus contermina: nam à parte meridiana & orientali per quēdam fluuium, qui Albis dicitur, a Gothia est diuisa. Est autem regio asperrima & frigidissima, syluestris & nemorosa, cuius incolæ plus de piscatura & venatione viuunt quam de pane, nam rara est ibi annona propter frigoris multitudinem, ibi feræ multæ, vt albi vrsi, ibi etiam sunt fibri qui & castores dicūtur, mira sunt ibi multa & monstrosa. Fontes enim sunt ibi, quibus omne impositum corium siue lignum, statim in lapidem commutatur. In eius aquilonari parte non videtur Sol occumbere in æstiuali solstitio per plures dies, nec etiam videtur Sol ibidem per totidem dies in solstitio hyemali: vnde tunc temporis oportet incolas terræ operari cum candelis. Frumenti, vini & olei expers est, nisi aliunde deferantur. Gens autem ingentis corporis est, & staturæ & pulcræ formæ & magnæ fortitudinis ac robustæ, validi sunt piratæ, & animositatis magnæ. Ab oriente habet Galaciam, à septentrione Selandiam, vbi mare perpetuo congelatur, ab occidente Hybernicum oceanum & britannicum, à meridie Daciæ & Gothiæ finibus terminatur.

Cap. CVI.

De Nortmannia.

NOrtmannia quæ & Neustria a Noricis populis est dicta, qui nauigio venientes de Nortuegia litus oceani Gallici obtinuerunt, qui tandem prouinciam in circuitu inhabitantes, eam Nortmanniam vocauerunt. Habet autem oceanum Britannicum ad Eurum, sinum Aquitanicum ad occidentem, Galliam ad meridiem, & oceanum ad Aquilonem. Est autem gleba eius frugifera & pinguis, campis, nemoribus & pratis insignis, portubus maris nobilis, feris & pecudibus fertilis, nobilissimis ciuitatibus & oppidis valde fortis, cuius metropolis dicitur Rhotomagum, ciuitas nobilis, sita super fluuium qui Sequana ab incolis nominatur, cuius gens populosa est, fortis & bellicosa, vrbana in habitu, modesta in apparatu, pia affatu, pacifica in conuictu.

Cap. CVII.

De Numidia.

NVmidia est regio in Africa, Carthagini contigua & conuicina. Incipit autem a flumine Arnifiga seu Aringa, & desinit in limite Cogitanorum, habens ab ortu Syrtes minores, a septentrione in mare tendit in Sardiniã, respicit ab occasu Mauritaniam Tingitanam, a meridie Æthiopum gentes. Et est regio campi pinguis in multis locis, vbi autem syluestris est, feras generat, vbi autem iugis est ardua, equos & onagros procreat, cuius vlteriora serpentibus & bestiis sunt plena. Marmor generat eximium, quod Numidium dicitur, *Vt dicit Isid. lib.* 15.

Cap. CVIII.

De Narbonensi prouincia.

NArbonensis est prouincia, *Vt dicit Plinius lib.* 3. *cap.* 5. & appellatur pars Galliarum, quæ Mediterraneo mari alluitur, quæ modo Gallia Brachata dicta est, quæ amne Narbo ab Italia est discreta, & alpium iugis nulla est ei prouinciarum præferenda in cultu virorum, in dignatione morum, in plenitudine opum, breuiter Italia potius quam

prouin-

prouincia est dicenda. Flumina habet nobilissima, inter quæ Rhodanus Galliarum fluuius fertilissimus, de alpibus se rapiens, præterfluit prouinciam Narbonensem. Stagna habet multa, & portus plures, & promontoria multa, inter quæ Marsilia obtinet principatum. Totius autem prouinciæ Narbonensis longitudo continet trecenta & septuaginta millia passuum, latitudo autẽ 368. millia passuum, vt tradit Agrippa. *Hucusq; Plinius.*

CAP. CIX.

De Ophir.

OPhir nomen est prouinciæ in India, ab Ophir viro de posteris nominatæ, quæ & terra aurea antiquitus appellabatur, eo quod montes aureos habeat, quæ à leonibus & sæuissimis bestiis incoluntur. Ad quos nullus aliter accedere audet, nisi naui stante iuxta litus, qui, cum terra, quam vnguibus leonum cæterarumque bestiarum effossam inuenerint, in suam nauem recipiunt, vt si bestiæ eos senserint facile in mare recipiantur, *Vt dicit Rabanus super locum illum. Cum venissent naues Salomonis in Ophir sumpserunt inde aurum, &c. 3. Reg. 9. Idem fere dicit Plin.* Mittit autem olim hæc prouincia aurum, lapides preciosos, chrysoprasos & adamantes, lignũ thynum & ebenum, & aues psittacos, & pauones, dentes eburneos, simias & bestias monstrosas, *Vt dicit Plinius & Isidorus.* Ad hanc autem regionem de Iudæa per longos maris rubri circuitus prouenitur, & per insulam Asiongaber, quam postea Alexander Magnus terræ adæquauit, in Ophir pertransitur. Incolæ autem terræ Ophir venientes de stirpe Heber, à fluuio Capuæ vsque ad regionem Indiæ quæ nunc Rhætia nuncupatur, habitauerunt, *Vt refert Iosephus,* & ab Ophir nepote Heber Ophir totam prouinciam vocauerunt, *Vt dicit Rabanus super 2. lib. Paralipomen. c. 8.* Fuit autem iste Ophir filius Iectan, filii Heber, *Vt patet Genesis 10.* Est autem ista regio vicina terræ Euila, quam Gyon circuit, *Vt dicitur Genes. 2.* & ei in montibus aureis & speciebus aromaticis est similis, & in gemmis, *Vt dicit Plinius.*

CAP. CX.

De Hollandia.

HOllandia est quædam prouincia modica, sita iuxta ostia Rheni, vbi intrat mare, Brabanciæ contigua à meridie, vicina Frisiæ ab oriente, ab occasu insulæ Britannicæ coniuncta, ab aquilone inferiori Galliæ Belgicæ est contigua, atque Flandriæ ab occidente. Est autem terra palustris & aquosa, fere ad modum insulæ vndique maris brachiis atque Rheni fluminis circumfusa, habens lacus & stagna multa, & pascua valde bona, & ideo armentis, pecudibus & iumentis est referta, eius gleba in locis pluribus valde frugifera, & in pluribus etiam nemorosa, plures & vtiles habens venationes, in pluribus etiam est bituminosa, ex qua formatur materia apta ad ignium nutrimenta. Et est terra diuitiis, quæ transeunt per mare & per flumina plurimum opulenta, cuius ciuitas capitalis Traiectum inferius nuncupatur in latino, Vtrecht vero dicitur in idiomate Germanorum, nam ad Germaniam pertinet, quoad situm, quoad mores, & quoad dominium, & etiam quoad linguam, cuius gens elegans est corpore, robusta viribus, audax animo, venusta facie, honesta in moribus, deuota Deo, fida hominibus & pacifica, minus prædis intendens & raptibus, quam aliæ germanicæ nationes

CAP. CXI.

De Orcada.

ORcada oceani est insula, iuxta mare Britannicum in Europa, à qua & cæteræ insulæ multæ eidem conterminatæ & vicinæ, orcades Insulæ nominantur, & sunt in numero 32. quarum 20. desertæ sunt, 12. vero incoluntur, *vt dicit Isidorus lib.* 15. *de Insulis.*

CAP. CXII.

De Paradiso.

PAradisus est locus in partibus orientis constitutus, cuius vocabulum à Græco in latinum vertitur hortus, Porro in hebraico Eden dicitur, quod apud nos delitiæ interpretatur, *vt dicit Isidor. lib.* 15. *ca.* 2. Est enim hortus deliciarum,

ciarum, *Vt dicit idem*, quia ex omni genere ligni & pomiferarum arborum est consitus, habens in se lignum vitæ, non ibi frigus, non ibi æstus, sed perpetua aeris temperies, ex cuius medio fons prorumpens, totum nemus irrigat, diuiditur in quatuor nascentia flumina, cuius aditus post peccatum primi hominis humano genere interclusus fuit, quia vndique flammea romphæa, id est, muro igneo vndique circumcincta, ita vt eius pene cum cœlo incendium coniungatur. Præsidiumque angelorum arcendis spiritibus malis, super romphææ flagrantiam, est à Domino ordinatum, vt homines flammæ, angelos vero malos boni angeli submoueant, ne alicui spiritui vel carni peccatrici aditus pateat paradisi, *hucusq; Isidorus lib. 15. capit. 3. Vbi tractat de regionibus. Secundum autem magistrum in historia capit. 2. super Genes. sic dicitur.* Plantauit (*inquit*) Deus à principio creationis herbis & arboribus, locũ deliciarum aptauit, & hoc in principio ipsius mundi, scil. in oriente, & ille locus est amœnissimus longo terræ & maris tractu à nostro habitabili segregatus, adeo editus, id est altus, vt vsque ad lunarem globum attingat, vbi etiam propter situs altitudinem aquę diluuii non peruenerunt, *Vt dicit idem.* De paradiso autem *dicit Iohannes Damascenus*, quia vero & visibli & inuisibili creatura conditurus erat Deus hominem secundum suam propriam imaginem & similitudinem, sicut quendam regem & principem omnis terræ & omnium quæ sunt in ipsa, construxit ante quasi quandam regionem, in qua conuersatus, beatam duceret vitam. Et iste locus diuinus est paradisus, Dei manibus in Eden, id est, in deliciis & voluptate plantatus. In oriente quidem omni terra celsior penitus temperato & tenuissimo aere circumfulgens, plantis semper floridis comatus, & bono odore plenus, lumine repletus, pulcritudinis vniuersæ, gaudii & exultationis promptuarium, creaturæ sensibilis excedens intelligentiam, diuina regio & digna eo, qui secundum imaginem erat in quo nil irrationabilium habitabat, sed solus homo diuinarum manuum plasma. *Item Strabo & Beda dicunt*: quod Paradisus est locus in oriente positus, interiecto Oceano, & montibus oppositis à regionibus, quas incolunt homines, secretus remotissimus est pertingensque altitudine vsque ad circu-

lum ipsius Lunæ. Fuit locus summe conueniens homini innocenti, propter eius summam temperiem, quia non frigus ibi nec æstus, sed perpetua temperies, *vt dicit Isidor.* Item propter omnium bonorum abundantiam, *quia vt dicit Augustinus de Ciuita. Dei 14. cap. 10. Quid timere aut dolere poterant homines, in tantorum tanta affluentia bonorum, vbi non aberat quicquam, quo bona voluntas afficeretur, nec inerat, quod carnem & animam hominis feliciter viuentis offenderet, vel in aliquo molestaret.* Item propter summam amœnitatem. Nam vniuersæ pulcritudinis erat promptuarium, *vt dicit Damas.* quod attestatur tam arborum quam frondium & florum immarcessibilis pulcritudo. Nam arbores comam non perdunt, flores non marcescunt. Item propter summam iucunditatem, quod attestatur fructuum dulcedo, quia ibi est omne lignum pulcrum visu, & suauissimum ad vescendum, *Genes.* 2. Idem etiam attestatur lucis pulcritudo. Nam puritati aeris claritas lucis proportionatur, *vt dicit Beda.* Item propter soli fœcunditatem, quod attestatur fontium irrigantium multitudo. *Dicitur etiam Genes. 2. Fons ascendebat & irrigabat paradisum, qui in quatuor flumina est diuisus, Genes. 2.* Item propter loci securitatem, quod attestatur situationis eius altitudo. Nam lunarem tangit circulum, *vt dicit Beda & Isidorus*, id est pertingit ad aerem quietum, post istum aerem turbulẽtum, vbi finis est & terminus exhalationum & vaporum humidorum, quorũ fluxus & progressus lunari corpori assimilatur, *sicut exponit Alexander.* Quia non secundum veritatem attingit in altitudine orbem Lunæ, sed circulum lunarem dicitur attingere hyperbolice, vt eius maxima altitudo & incomparabilis respectu terræ inferioris insinuaretur. Itẽ propter eius incorruptibilitatem, quod attestatur ibi existentium vitæ longitudo. Nam ibi sunt Helias & Enoch viui vsque hodie & incorrupti, *sicut dicit magister in historia.* Nihil enim potest ibi mori quod est viuum, nec hoc mirandum est de paradiso, cum in Hybernia sciamus esse Insulam, in qua mortuorũ corpora non putrescunt, & alia, in qua homines nõ mori possunt, sed oportet vt vltimo senio extra insulam deferantur. *Quære supra de Hybernia in litera I.* De Paradiso autem & eius situ fuit opinio apud gentiles, *vt dicit Plinius, vbi loquitur*

quitur de insulis fortunatis, de quibus etiam loquitur Isidor. libro 15. inter quas est vna, quæ omnia fere parturit bona, vbi humus sponte procreat omnes fructus, vbi in iugis collium arbores, virore frondium & dulcore fructuum, semper vestiuntur, vbi ad herbarum vicem messis & olus crescit: Vnde & gentilium error & secularium carmina poetarum, propter soli fœcunditatem easdem Insulas paradisum esse putauerunt. Quod quidem ponere est erroneum, cum prædictæ insulæ fortunatæ sint in Occidente contra leuam Mauritaniæ in Oceano collocatæ, *vt dicit Isidorus lib.*15. Paradisus autem in oriente, in altissimo monte, de cuius cacumine cadentes aquæ, maximum faciunt lacum. In suo casu tantum faciunt strepitum & fragorem, quod omnes incolæ, iuxta prædictum lacum nascuntur surdi, ex immoderato sonitu seu fragore, sensum auditus in paruulis corrumpente, *vt dicit Basilius in hexameron. Similiter & Ambros.* Ex illo lacu velut ex vno fonte, procedunt illa flumina quatuor, Phison qui & Ganges, Gyon qui & Nilus dicitur, & Tigris ac Euphrates, *de quibus in libro Geneseos fit mentio specialis. Quære supra in tractatu de fluminibus.*

Cap. CXIIII.

De Parthia.

PArthia regio maxima est in Asia, quæ ab Indiæ finibus vsque ad Mesopotamiæ fines est porrecta. Propter inuictam enim Parthorum virtutem, Assyria & cæteræ regiones nomen eius traxerunt. Sunt autem in ea prouinciæ particulares, scilicet Arachosia, Parthia, Assyria, Media & Persia, quæ regiones sibi inuicem coniunctæ, inium ab Indo flumine sumunt, & Tigri fluuio clauduntur. Loca autem sunt nemorosa, montosa, & aspera, & flumina multa. Sunt autem prouinciæ finibus suis discretæ, nomina à propriis autoribus trahentes ita. Nam Arachosia ab oppido suo nuncupata est. Parthiam autem à Scythia venientes occupauerunt, eamque ex suo nomine vocauerunt. Huic à meridie est Rubrum mare: à septentrione Hyrcanicum solum: ab occidente Media. Regna in ea 18. porrecta à Caspio mari, vsque ad gentem Scytharum est Parthia, multis rebus prodigiosis & monstrosis miranda, *vt dicit Plinius*

lib.

lib.5. Nam bestiæ sunt feroces, pardi, tigrides atque lynces, & aspides ibi & serpentes natura sæuissimi & feroces. Gens etiam dura est & crudelis, victu parca, pro omni pulmento & condimento contenta, sale & cardamonio, *Vt dicit idem. Et dicit idem in glossa super Daniel. de Persarum regione & Parthorum capite* 7. de bestia, quæ similis vrso erat.

Cap. CXIV.

De Palæstina.

PAlæstina Syriæ est prouincia, dicta quondam Philistęa, cuius ciuitas metropolis, quæ nunc Ascalon dicitur, antiquitus Philistiim vocabatur, ex qua ciuitate tota regio Palæstina vel Philistæa priscis temporibus vocabatur, *Vt dicit Isidorus lib.* 15. *Idem etiam dicit lib.9. cap. de Vocabulis gentium.* Philistæi *(inquit)* ipsi sunt, qui & Palæstini dicuntur. P literam sermo Hebræus non habet, sed pro eo Græco vtitur, scilicet Φ inde Philistæi pro Palæstinis. Dicuntur itaque Philistæi à sua ciuitate. Primo autem dicebantur Ἀλλόφυλοι, id est, alienigenæ, eo quod semper fuerunt filiis Israel alieni, & longe ab eorum societate & genere separati, *Vt dicit idem ibidem.* Hæc regio, *Vt dicit Isido. lib.* 15. ab oriente habet mare Rubrum: à meridiano latere Iudæa excipitur, à septentrionali plaga Tyriorum finibus clauditur: ab occasu vero Ægyptio limite terminatur, *Vt dicitur ibidem.* Originem autem primam contraxerunt Philistæi à filio Chanaā nomine Celluim [aliis Phetrusim] à quo primitus sunt egressi Philistæi & Capturim, *Vt dicitur Genes.*10. Gens, *Vt narrat Herodotus*, astuta & callida, molesta semper regno Israelitico & infesta, tum quia prosperitati Iudæorum inuidebat, tum etiam, qui de soli sui felicitate & de Marinatum insularum suo dominio subditarum fortitudine & potestate nimium præsumebat: *Vt dicit idem.*

Cap. CXV.

De Pamphylia.

PAmphylia quę & Isauria dicitur, eo quod omnium flatui auræ est exposita, *Vt dicit Isidorus lib.* 15. Prouincia est

est in minori Asia, habet metropolim vrbem, quæ Seleucia nuncupatur, *vt dicit idem*, quam Seleucus Antiochus, qui Antiochiam condidit, fundauit, *vt dicit Isidorus libro decimoquinto*. Est autem regio maritima, inter Ciliciam & Bithyniam, à qua nauigatur in Italiam, per Cyprum insulam, *vt patet Actorum decimoseptimo*.

Cap. CXVI.

De Pannonia quæ etiam Vngaria appellatur.

PAnnonia Europæ est prouincia, quæ ab Hunnis quondam occupata, ab eodem populo Vngaria vulgariter est vocata, quæ duplex est *secundum Orosium*, maior scilic. & minor. Maior quidem est in vlteriori Scythia, vltra Mæotides paludes constituta, a qua Hunni venationis gratia, primitus exeuntes, & per longissima paludum & terrarum spacia & ceruorum & bestiarum vestigia insequentes, tandem solum Pannoniæ inuenerunt, qui reuersi ad propria, collecto agmine in Pannoniam redierunt, & expulsis incolis a primæua sua origine nomen genti & patriæ indiderunt, *vt narrat Herodotus*. Est autem hæc prouincia pars Mœsiæ, quam Danubius præterfluit & perfundit, *vt dicit Isidorus lib*. 15. *&* 16. Habet autem Gallaciam ab oriente: Græciam a meridie: Dalmaciam & Italiam ab occidente, & Germaniam a septentrione, *vt dicit idem*. Est autem terra spaciosissima & fertilissima, montibus & syluis munitissima, multis fluminib. & aquis irrigua, venis aureis, & aliis metallis ditissima, habens montes maximos, in quibus diuersa marmorum genera inueniuntur. Sal etiam optimum, in quibusdam montibus effoditur, feris & pecudibus, propter pascua vberrima, adimpletur, frugifera etiā est gleba eius valde & vinifera in multis locis, & intra se plures cōtinet gentes, non solum lingua verum etiā moribus & vita in pluribus differentes. *sicut idem dicit Herodot. Dicit autem Isidorus lib* 15. Pannonia a Penninis alpibus est vocata, quibus ab Italia secernitur, regio fortis est, & solo læta. A tribus fluuiis, Danubio scilicet & Sauo ac Tycia est vallata. Habet autem ab oriente Mœsiam: ab Europa Histriam: ab Affrico autem Penninos habet Alpes: ab occasu Galliam

Galliam Belgicam: a ſeptentrione Danubium limitẽ, qui Germaniam præterfluit. Hic Hiſter dicitur, & Hiſtriam vocant terram, quam iuxta Pannoniam circumfundit.

CAP. CXVII.

De Paro.

PAros inſula eſt à Paranto Planti filio nominata, qui de nomine ſuo Paron oppidum & inſulam nominauit, *vt dicit Iſidor. lib.* 15. gignit autem marmor candidiſſimum, quod Parium dicunt, nutrit etiam & Sardium lapidem marmoribus quidem præſtantiorem, & inter gemmas vtiliſſimum, *vt dicit Iſidor.*

CAP. CXVIII.

De Pentapoli.

PEntapolis regio eſt in confinio Arabiæ & Palæſtinę, dicta à quinque ciuitatibus hominum impiorum, quæ cœleſti igne ſunt conſumptæ, terra enim vberrima magis quam nunc Hieroſolyma, nunc deſerta eſt & exuſta, nam pro ſcelere incolarum de cœlo deſcendit ignis, qui regionem in cineres æternos diſſoluit, cuius vmbra & ſpecies quædam in fauillis & arboribus adhuc videtur. Naſcuntur autem ibi poma virentia ſub tanta ſpecie maturitatis, vt edendi deſiderium gignant, quæ ſi carpas, fatiſcant ac reſoluuntur in cinerem, fumumque exhalant quaſi adhuc ardeant, *hucuſque Iſidor. lib.* 15. Hæc prouincia ante eius conſumptionem ita fuit locuples, quod inter eius lapides ſapphiri & aliæ gemmæ precioſæ inueniebantur, & inter eius glebas aurum, *ſicut Iob tangit dicens locus: ſapphiri lapides eius & glebæ eius aurum Iob* 28. Sed poſtea tota illa regio in mare mortuum eſt conuerſa, ſic vocatum eſt, quod nec gignit viuum, nec in ſe accipit ex genere viuentium, nam neque piſces habet, neque aues, neque nauigia patitur, quia omnia vita carentia in eo ad fundum merguntur, lucerna ſi fuerit accenſa ſupernatat, extincto vero lumine, demergitur, *vt dicit Iſid. lib.* 14. *Quære ſupra de mari mortuo in tractatu marium & aquarum.* In iſtius maris ripa circa vicinia Sodomæ creſcunt poma ſupra dicta, aſpectu quidem pulcra, ſed guſtu fœtida & amara, *vt dicit glo. ſuper ſecundam*

cundam epistolam Pet.cap.2. Est autem alia Pentapolis Africæ in prouincia Libyæ, à quinq; ciuitatibus sic nominata, i. Berenice, Ceutria, Appollonia, Poro, & Ptolomais, ex quibus Ptolomais & Berenices à regibus sunt vocatæ. Est autem hæc pentapolis Libyæ Grenensis adiuncta, & eius finibus deputata, *vt dicit Isidor. lib.* 15.

Cap. CXIX.

De Persida.

PErsida siue Persia est regio in Asia, inter Parthorum regna deputata, descendens ab ortu ad Indos, ab occasu rubrum mare habet: ab aquilone vero Mediam tangit: ab austro Gennaniam alias Germaniam, quæ Persidæ annectitur, quibus est incussa oppidum nobilissimum. In Perside autem primo orta est ars magica, ad quam Nemroth gigas post confusionem linguarum abiit, ibique Persas ignem colere docuit, nam homines in partibus illis Solem colunt, qui ipsorum lingua Hel dicitur, *vt dicit Isidor. libr.* 15. Est dicta Persia à Perseo rege, qui de Græcia in Asiam transiens ibi barbaras gentes graui ac diuturno bello edomuit. Nouissime autem victor existens, nomen genti subiectæ dedit, *vt dicit Isido. lib.* 19. *in cap. de vocabulis gentium*, nam Persæ per multa tempora ignobiles reputabantur, & quasi nullius momēti in gentibus habebantur. Medi semper potentissimi fuerunt, *vt dicit idem.* Est autem Persida latissima & valde populosa, in qua ciuitas nobilis nomine Elam, sic dicta ab Elam filio Sem, à quo primo processit gens Persarum, *vt dicit Isidor.* Et ab Elam Persæ primitus Elamitæ sunt vocati. Est autem in Perside ciuitas nobilissima Elimaida nomine, quæ nunc Persipolis nuncupatur, *de qua dicitur* 1. *Machab.* 6. & 2. *Machab.* 9. Erat autem in Perside ciuitas nobilissima, ac copiosissima, in auro & argento, templum in ea locuples valde, & illic velamina aurea & loricæ ac scuta, quæ reliquit Alexander rex Macedo. &c.

Cap. CXX.

De Pyrenea.

PYrenea est prouincia in Europa, terra alta & montosa, cuius montes Pyrenei dicuntur, & protenduntur à meridie

ridie versus occidētem diuidentes ab inuicem maximas regiones, nam alpes Pyrenei diuidunt inter Hispaniam & Galliam, tam Narbonensem, quam etiam Lugdunensem. Habent autem ab oriente Germaniam: à meridie Italiam: ab occidente Hispaniam: ab aquilone Galliam. Dicitur autem Pyrenea à crebris fulminum ictibus, πῦρ enim Græce, ignis est Latine. Crebris enim fulminibus montes Pyrenei quatiuntur, *vt dicit Isidor. lib. 15. cap. de montibus.* Est Pyrenea multorum magnorum fluuiorum origo, & principium, mater nemorum maximorum, nutrix ferarum & iumentorum multorum, venas continens metallorum, fortes habens munitiones ciuitatum & castrorum, multas & diuersas nutriens tam in lingua quam in moribus nationes populorum, *vt narrat Herodotus.*

Cap. CXXI.

De Pygmæa.

Pygmæa est regio in India, versus orientem in montanis contra oceanum sita, in qua habitant Pygmei homines parui corpore, vix bicubitales, *vt dicit Plin. & Isidor.* qui in quarto anno generāt, & in septimo senescunt, hi collecto exercitu equitant super arietes, & pugnant contra grues, nidos eorum & oua confringentes, ne contra eos hostes multiplicentur, *vt dicit idem Plin. lib. 5. cap. de hominibus.* Indiæ monstrosis, quære supra.

Cap. CXXII.

De Pictauia.

Pictauia Galliæ Narbonensis est prouincia, quam Picti Angli & Scoti nauigio impetentes, antiquitus inhabitauerunt, & tandem regioni & genti ex sua antiqua prosapia nomen imposterum reliquerunt, *vt narrat Herodotus*, quæ de Britannicis finibus classem facientes, oram oceani sinus Aquitanici inuaserunt, & tandem contra incolas nō sine bellorum discrimine locum in patria obtinentes. Pictauum oppidum à Pictis nominatum, *vt ab eodem Herodoto dicitur*, construxerunt & longa patriæ confinia Pictauiam vocauerunt. Hæc prouincia per longum maris oceani porrecta Turoniam, quam præterfluit Ligeris, habet ab

bet ab oriente Hispanos à meridie, oceanum Britannicum ab aquilone, & minorem Britanniam in sinu Aquitanico ab occidente, hoc patriæ prouinciola est præclara in multis, *vt narrat idem*, nam glebam dicitur habere multum fertilem, omnium fere frugum feracem, & fructuum multiplicium altricẽ, vinifera est & frugifera, & in bonis, quæ gignit humus multum opulenta, maris portubus insignis est, ciuitatibus & oppidis inclyta, amnibus & fontibus irrigua, campis, pratis & nemoribus est amœnissima, & circa partes maritimas saxis & rupibus est munita, vt patet in oppido Rupellensi siue castro, ad quod accessus propter situm loci & freti angustias vix habetur, *vt dicit idem*, cuius gens, lingua & moribus Galliarum prouinciis est permixta, & ideo quamuis a primis Pictis hoc habeant illius gentis nationes, vt sint natura fortes, corpore elegantes, hoc a Gallicis tamen quibus mixti sunt, contraxerunt, vt animo sint feroces, & ingenio præ aliis vicinis gentibus acriores, nec mirum, nam *vt dicit Isidor. lib.* 19. secundum diuersitatem cœli facies hominum & colores, corporum quantitates, & animorum diuersitates existunt. In Romanos graues, Græcos leues, Afros versipelles. Gallos natura feroces, & ingenio acriores peruidemus, quod vtique natura climatum facit, *vt dicitur ibidem*. Et ideo gens Pictauica robusta corpore, facie venusta, audax animo est, *vt dicitur*, callida ingenio & astuta, *vt recitat Herodotus*.

Cap. CXXIII.

De Picardia.

Picardia Galliæ Belgicæ est prouincia, a quodam oppido siue castro Ponticon sic vocata, *vt dicit idem de regionum descriptione videlicet Herodotus*, nam oppidum quod nunc Pichen dicitur, in illo terræ confinio vsque ad oceanum Britannicum antiquitus obtinuisse, dominium perhibetur, a quo totus populus illius patriæ fuisse creditur in posterum nominatus. Est autẽ eorum terra frugum & fructuum valde ferax, irrigua fontibus & fluminibus, abundans populis, munita nobilibus ciuitatibus & castris, oppidis fortissimis & famosis, vt Belgis est, seu Beluacum, & Ambianis Attrebatum, Morium & Tornacum, *vt dicit*

 idem.

idem. Habet autem prouincia iam dicta Rhenum fluuium Germanicum ab oriente, Galliam superiorem a meridie: oceanum Gallicum ab occidente, Britanniam maiorem siue Angliam ab aquilone. Est autem duplex Picardia, scil. superior, quæ Galliæ vtique magis est propinqua, alia inferior quæ Flandriæ & Rhætiæ finibus seu Brabanciæ propinquius est coniuncta, & est Hannonia nuncupata, vtriusque patriæ gens est elegantis staturæ, faciei decentis ac venustæ, audacis animi, leuis & docilis ingenii, intellectus clari, affectus pii, idiomatis grossi magis aliarum Galliæ nationum.

Cap. CXXIIII.

De Ramathaa.

Ramathęa quæ & Ramasota regio iuxta Decapolim sita, a Ramata ciuitate est appellata, in qua natus est Samuel Propheta, & alio nomine Arimathia est vocata, de qua fuit Ioseph vir iustus, qui cum Nicodemo corpus dominicum inunxit, ac honorifice sepeliuit, *Vt dicit glossa super Luc. cap.* 24. Est autem in tribu Ephraim in Iudæa sita, & in altissimis montibus collocata, propter quod & Ramathæa, id est, excelsa est vocata, nam Rama excelsum sonat, *Vt dicit Hieronymus.* Est autem terra quamuis montosa, fertilis in fructibus, & in frugibus, in vineis & oliuis, fontibus irrigua, puritate aeris saluberrima, situs altitudine valde firma, *Vt dicit Hieronymus*, & ad remotissime speculandum valde apta.

Cap. CXXV.

De Rhatia.

Rhætia Rhenensis est prouincia regio scili. quam Rhenus circumfluit ac perfundit, sic dicta, eo quod sit iuxta Rhenum, *Vt dicit Isidorus lib.* 15. Et est terra habens multas ciuitates, & oppida valde firma, cuius gleba est frugifera & vinifera in multis locis, gens fortis & animosa in vita & in moribus, conuenientiam habens cum Germanis.

CAP

Cap. CXXVI.

De Riualia.

Riualia est prouinciola quondam barbara, distans multum a Dacia, cuius pars Vironia est vocata, multam habens audaciam, nunc autem sub fide Christi regno Daciæ est subiecta, a virore sic dicta, eo quod sit graminosa & pascuosa, in locis pluribus nemorosa, cuius gleba est mediocriter frugifera, aquis & stagnis irrigua, piscibus marinis & lacualibus est fœcunda, plures habens greges pecudum & armenta. Scythiæ vero partibus coniuncta, solo fluuio qui Narua dicitur, à Noricorum & Megardorum regionibus est discreta, *vt dicit Herod.*

Cap. CXXVII.

De Rinchouia.

Rinchouia quædã est terra modica à ciuitate Moguntina sita, super ripam Rheni inter montes protensa, vsque ad oppidum quod Pinguia dicitur, vnde & à Rheno qui per eius medium refluit, Rinchouia est vocata. Et est terra quamuis modica, in vtroque Rheni littore vsque ad montium cacumina amœna, mirabiliter & fœcunda, tantæ enim pulcritudinis est & tam incredibilis fertilitatis, quod tam inhabitantes, quam & per ripam transitum facientes delectat & reficit, quasi hortus inæstimabilis voluptatis, tam dulce enim habet glebam & tam pinguem, quod fructus & fruges mira fœcũditate pariter, & celeritate procreat ac producit. In eodem agro arbores pomiferas diuersi generis parturit, & nuces gignit, & tamen propter tantam fructuum multiformitatem fruges parere nõ omittit. Arborum etiam diuersitas vinea non impedit, imo vnus & idem agellus parit fruges & vina, nuces & poma, corbas & pyra, & multa alia fructuum genera producere consueuit. Fontes calidi & medicinæ corporum necessarii, ibi de terrę visceribus oriuntur. Multa alia habet commoda vitæ mortalium necessaria, quæ recitare per singula esset longum.

Cap. CXXVIII.

De Prouincia Romana.

ROmanorum prouincia, *vt ait Varro*, est fere totius orbis continentia, vbicunque habitabiles possidet regiones, nam singulas partes orbis Romanorum potentia edomuit, nec fuit aliquis orbis angulus, qui Romani exercitus non persenserit gladium, *vt dicit idem*. Fuit tamen quondam pars Italiæ Romulea antiquitus nominata, a nomine Romuli sic dicta, qui vrbem Romam condidit, ciuitatique & populo nomen dedit, *vt dicit Isidor. lib. 9.* vbi subditur, hæc primo Saturnia à Saturno Rege fuit dicta, qui incolas terram colere primitus informauit, & ipsum propter Saturnitatem inopinatam Saturnum vocauerunt, & tandem ipsam tanquam Deum in stellarum numero coluerunt. A Latino autem Rege postea Latini sunt vocati, qui post hæc Romani à Romulo vrbē ampliante & muniente, Romani dicti sunt, & Quirites postea sunt dicti, eo quod Quiritus Romulus est vocatus, qui semper hasta vtebatur, quæ Sabinorum lingua Quiris dicitur, *vt dicit Isid. in lib. 9. de gentium nominatione*. Istius autem regni & regum laudes ad plenum calamus describere non sufficit, nec codex aliquis magnifica eorum Romanorum opera plenarie comprehendit. Romanorum actuum probitates, si quem imitationis gratia legere delectat, legat *in* 1. *Mach.* 8. *cap.* vbi mira de eorum virtutibus breuiter recitantur.

Cap. CXXIX.

De Romania.

ROmania dicitur Romanorum gens noua. Nέn enim Græce, noua vel nouum dicitur Latine. Ab eo enim tempore quo Constantinus sedem Romani imperii in Constantinopolim Thraciæ vrbem de Roma transtulit, omnis Græcorum regio Romania, id est, noua Roma vocata fuit, *vt dicit Rabanus*. Ideo vsque hodie Græci non se vocant vulgariter Græcos, sed potius Romanos

Quære supra de Græcia in litera G, vbi de Græcis multa reperies.

CAP.

Cap. CXXX.

De Rhodo.

RHodus insula est Cycladum insularum prima ab oriente, vbi Rhodose capitolium dicitur esse inuentum, dum ibi ciuitas primitus conderetur. In hac vrbē solus fuit Colossus æreus, 70. cubitorum altitudinis. Alii fuerunt, scil. minores Colossi in insula eadem, *vt dicit Isidor. lib.*15. Est autem Rhodus insula eadem quæ & Cyprus, *vt dicit Isid lib.15. cap. de nominibus ciuitatum.*

Cap. CXXXI.

De Ruthia.

RVthia siue Ruthena, quæ & Mæsiæ est ꝓuincia, in minoris Asiæ confinio constituta. Romanorum terminos est habens ab oriente, Gothiam a septentrione, Pannoniam ab occidente, Græciam vero a meridie. Terra quidem est maxima, concordans cum Bohemis & Sclauis in idiomate & lingua. Hæc autem quadam parte sui Galacia est vocata, & eius incolę quondam Galatę vocabantur, quibus dicitur Paulus Apostolus direxisse epistolam. *Quære supra de Galatia.*

Cap. CXXXII.

De Sabæa.

SAbæa regio est Arabia, a filio Chus, qui Saba dictus, est cognominata. Hæc angusto terræ tractu ad orientem versus Persicum sinum extenditur, a septentrione Chaldæę appropinquat, ab occasu sinu Arabico terminatur, a meridie vero Æthiopiæ est vicina. Est autem regio thurifera, odores dans, nam in eius saltibus myrrha, cinnamomū, thus & cætera aromatica generantur, *vt dic. Isid. lib* 15. regio, siquidem locuples est, in speciebus aromaticis, in preciosis lapidibus & metallis. Ibi phœnix auis & alia mirabilia, quæ in regione Arabiæ ad Autoribus referuntur. *de quibus supra de Arabia.* Istius prouinciæ domina & regina specialiter fuit regina Saba, quæ totius tamen Africæ suis temporibus obtinuit principatum, *vt dicit Herod.* Nam regina Æthiopiæ ac Ægypti, *vt dic. glos. super lib.* 3.

Reg. 10. & per consequens creditur, quod ipsa alia regna tunc temporis obtinuerit occidentis.

Cap. CXXXIII.

De Samaria.

SAmaria, *vt dicit Isidor. lib.* 15. regio est Palæstinæ à metropoli ciuitate vel oppido sic antiquitus vocata, nam Samaria quondam fuit regalis ciuitas in Israel, quæ nunc ab Augusto Sebaste nominatur. Hæc regio media inter Iudæam & Galilæam iacet, incipiens à vico, cui nomen est Eleis, cuius situs natura consimilis est Iudææ, ab ea non differens in virtute, *vt dicit Isid.* à quodam monte nomine Somer primitus nomen sumpsit, *vt patet in* 4. *Reg.* ab ista tamen patria Samaritanorum gens in posterum est exorta, quæ transmigrata de Assyriis, habitauit in Samaria, quę deinceps dicta est Samaria, id est, custodia, eo quod captiuato populo Israel, ipsi fuerunt in eadem patria pro custodia, ab Assyriorum Regibus derelicti, *vt dicit Isid. lib.* 9. *in cap. de vocabulis regionum, quare sup. in eodem de Samaria monte in litera S.*

Cap. CXXXIV.

De Sambia.

SAmbia Mœsiæ est prouincia, in Europa inferiori Scythia collocata, quasi media inter Prutenos, Istenes, Osilianes, Liuones & Turones, qui omnes antiquitus Gothorum erant subditi potestati, *vt narrat Varro, similiter & Herodot.* Inhabitant litora Oceani, facientes promontoria & sinus contra latera Aquilonis, *vt dicit idem.* Est autem Sambia terra fertilis gleba & frugum ferax, terra palustris & nemorosa, multis fluminibus & lacubus circumuallata, gens inter cæteras barbaras corpore elegans, mente audax, ingenio, arte & artificio alias nationes in circuitu percellens.

Cap. CXXXV.

De Sabaudia.

SAbaudia dicitur, *secundum antiquos*, quasi salua & audax via, eo quod ab antiquis temporibus illa via boni-

tate-

tate præcipua â Gallicanis partibus ab Italia per illius patriæ deserta & montes fuit semper tuta, nam semper ibi fuit summa iustitia. Et ideo prout clamat fama publica, semper fuerunt ibi transeuntes in strata communi securi, ab omni spolio & rapina. Est autem pars Pyrene, cuius montibus Italia à Gallia separatur. *Quare sup. de Pyreneis montibus in litera P.* & alio nomine prouincia prouinciæ nominatur.

Cap. CXXXVI.

De Sardinia.

SArdinia est insula in mari mediterraneo iuxta Siciliam, a quodam Sardo Hercule procreato, nominata, quæ cum magna multitudine de Libya profectus, Sardiniã occupauit, & ex suo vocabulo insulæ nomen dedit. Hæc in Affrico mari ad similitudinem humani vestigii, tam in oriente quam in occidente latior prominet, ferme paribus lateribus quæ in meridiem & in septentrionem virtutis, & ideo prius a nauigantibus Græcorum Ichos vocabatur. Patet autem terra in longitudine 140. in latitudine 40. In ea neque serpens gignitur neque lupus, sed solifuga tantum, animal est exiguum hominibus perniciosum, venenum quoq; ibi non nascitur, sed herba quæ dicitur apium risus, quę hominibus rictus contrahit, & quasi ridentes interimit. Fontes habet calidos infirmis præbentes sanitatem siue medelam, furibus cæcitatem, si sacramento dato oculos tetigerint, *Vt dicit Isidorus lib.*14.

Cap. CXXXVII.

De Sarmatia.

SArmatia Barbarorum est terra, qui Sarmatę sunt dicti, à studio armorum. Nam patentibus campis armati incedebant, & multas prouincias spoliabant, priusquam eos Lentulus Danubio prohiberet, *Vt dicit Isidorus lib.9.* Hi de Gothis, sicut & Gipides orti sunt. Et hi tam pedestri pręlio quam equestri sunt vsi, & ideo sic sunt dicti, *Vt dicit Isidor. ibidem.*

Cap. CXXXVIII.

De Samo.

SAmos Insula est in Ægęo mari, vbi nata est Iuno: ex qua fuit Sibylla Samia & Pythagoras Samius, à quo philosophiæ nomen primitus est inuentum, *vt dicit Isid. libr.* 15. In hac insula tradunt prius vasa fictilia fuisse reperta: vnde & vasa Samia appellata sunt. Ex quo patet, quod gleba illius insulæ est tenax & glutinosa, & ideo ad talia vasa magis dicitur apta, *vt dicit Isidorus.*

Cap. CXXXIX.

De Saxonia

SAxonia prouincia in Germania, cuius incolæ à Græcis dicuntur contraxisse originem, & ad partes, vbi nunc habitant, nauigio aduenisse, & expulsis Thuringis, qui tunc vsq; ad littus Oceanum habitabant, multis præliis sedes obtinuisse, & in eadē prouincia vsque hodie permansisse. Gens enim semper fuit bellicosissima, elegantis formæ, proceræ staturæ, robusta corpore, audax mente. Est autem Saxonia terra, quoad glebam, fertilissima, frugum omnium & fructuum valde ferax, in montosis, nemorosis & in campestribus frugifera & pascuosa, fœcunda in gregibus & armentis, opulenta in argento, cupro & aliis mineris ac metallis. Montes enim habet insignes, de quibus effodiuntur lapides, qui igne fortissime resoluti in æris substantiam conuertuntur, & flumina habet nobilissima & famosa, scilicet Visurgis, Linnam, Albim, Salam atque Oderam, & multa alia quæ terram præterfluunt, transalpinam. Fontes habet salsos in multis locis, ex quibus sal albissimum & optimum decoquitur ac paratur. Ciuitates plurimas habet fortissimas & munitas, fortia oppida & castra fortissima, tam in campestribus quam montanis. Iuxta montem autem vbi cuprum foditur, inuenitur mōs magnus, cuius lapides redolent sicut violæ. In aliquibus etiam montibus inuenitur marmor valde pulcrum, & hoc potissime iuxta cœnobium quod Lapis Sancti Michaelis nuncupatur. In illis montanis maximus est concursus ferarum & bestiarum, aprorum & vrsorum, ceruorum, damularum, & ideo in illis montibus nemorosis multa venationum

tionum genera exercentur, hæc & multa alia laude digna in Saxonum regionibus inueniuntur, *quare supra de Germania in litera G. & in litera A. de Alemannia.* Habet etiam Saxonia Bohemiam & Poloniam ab oriente, Vuestualiam ab occidente, Frisconicum latus ad Oceanum: à septentrione vero Thuringorum gentem, & Francorum à meridie. Cuius gens fortis, inclyta & inuicta vsq; hodie perseuerat, *vt dicit Herodotus.*

Cap. CXL.

De Sclauia.

SClauia est pars Mesiæ, multas continens regiones. Nam Sclaui sunt Bohemi, Poloni, Metani, Vandali, Rutheni, Dalmatæ, & Charinti, qui omnes mutuo se intelligunt, & in multis sunt similes quoad linguam, & quoad mores. Dispares tamen quoad ritum. Nam quidam adhuc cultum Paganorum tenent, quidam vero retinent ritum Græcorum: quidam autem Latinorum. Omnes autem istæ regiones sunt glebæ optimæ & messiferæ & viniferæ in multis locis. Omnes etiam isti pro maiori parte in coma sunt attonsi, exceptis Ruthenis, & illi, qui mixti sunt cum Teutonicis & Latinis. Et est duplex Sclauia, maior quæ & Sclauonia dicitur, quæ Dalmaciam, Seruiam, Carinthiam continet & alias multas regiones. Istius incolæ quidam maritima occupant: quidam iuga montium, & condensa nemorum inhabitant: quidam campestria excolunt & exarant. Gens seuera & aspera, & inculta, circa diuinum cultum minus pia, piraticam ducens vitam, exercens prædam per mare & per terrã, maxime illi, qui habitant iuxta mare. Alia Sclauia minor, quæ à finibus Saxoniæ protenditur ad Prutenos, Vandalos, linguę suæ plures habens conterminos & Bohemos. Hæc Sclauia dicitur Bohemitania, quæ à Prutenia diuersis amnibus secluditur, & à Gothis atque Danis quodam maris Oceani promontorio, Quod mare Paletum cum diuiditur, ad eius littus terminatur minor Sclauia & finitur. Est autem hæc regio valde frugifera & fructifera, fluminibus & stagnis irrigua, nemorosa & pascuosa, melle abundans atque lacte. Gens fortis corpore, agriculturæ dedita & piscaturæ, magis pia ad

Deum, & pacifica quoad proximum, quam illi, qui habitant in maiori Sclauia, & hoc est propter mixtionem & societatem, quam quotidie contrahunt cum Germanis, *vt dicit Herodotus.*

CAP. CXLI.

De Spartiata,

SPartiata est regio iuxta Græciam, quæ alio nomine Lacedæmonia nuncupatur, à Lacedæmone filio Semeles, sic vocata. *Quare de Lacedamonia in litera L.* Eosdem enim dicunt antiqui Lacedæmones & Spartianos, *vt dicit Isido. libro 9.*

CAP. CXLII.

De Sere.

SEres est prouincia in oriente, nomen sortita est à quodam oppido quod Seres etiam nominatur. Ibi de arboribus lana colligitur, & inde sericum præparatur. Vnde de eius incolis dicit Poeta:

Ignoti facie sed noti vellere Seres.

CAP. CXLIII.

De Selandia.

SElandia est prouincia, terra maritima, ad modum insulæ, flumine & maris brachiis circumdata. Habet autem Hollandiam ad orientem. Flandriam ad meridiem: Oceanum ad occidentem: Britanniam ad septentrionem: Sunt autem ibi plures insulæ paruæ & magnæ brachiis maris separatæ ab inuicem & distinctæ. Et sunt illæ insulæ fortissimis aggeribus cinctæ in circuitu contra maris impetum & munitæ, quorum gleba est valde ferax quoad segetes, sed quoad arbores est quasi nuda. Non enim possunt arbores propter maris salsuginem profundare suas radices & ideo post plantationem cito deficiunt & arescunt. Est autem Selandia valde populosa, diuitiis opulenta variis. Gens magnæ staturæ, fortis corpore & audax mente, circa cultum Dei deuota, inter se pacifica & quieta, multis benefica, nullis molesta, nisi quando hostium insolentiæ resistere est coacta.

CAP.

CAP. CXLIV.

De Semigallia.

SEmigallia est prouincia modica vltra mare Balthicum constituta, iuxta Osiliam & Liuoniam sita in Asia inferiori, sic vocata, quia a Galatis ipsam occupantibus cum incolis terræ mixtis, est inhabitata. Vnde Semigalli sunt dicti qui ex Gallis siue Galatis & illis populis processerunt. Terra bona & fertilis in annona, in pascuis & in pratis, sed gens barbara & inculta, aspera & seuera.

CAP. CXLV.

De Senonensi.

SEnonensis Gallia Francorum est prouincia, habens ab oriente Germaniam Rhenensem: a meridie Burgundiam superiorem, & Penninos montes: ab occidente Galliam Lugdunensem: a septentrione Galliam Belgicã. Terra frugum & vinearũ, & fructuũ diuersorũ, fontium & fluminum & riuorum. Galli aũt Xenonenses quondã Xenones dicebantur, eo ꝙ Liberum hospitio recepissent, postea X in S literam est mutata, *vt dicit Isidorus libr.9.* A Senonensi ciuitate, quæ ciuitas est eorum capitalis. Est autem terra populosa, habens ciuitates multas & oppida multa, fortia & munita, quæ præterfluit amnis, qui Sequana appellatur.

CAP. CXLVI.

De Syria.

SYriam Syrus quidam nepos, *vt dicitur*, Abrahæ ex Cethura, perhibetur a suo vocabulo nuncupasse, *vt dicit Isidorus lib.9. & 15.* Hæc ab oriente fluuio Euphrate ab occasu vero mari Magno & Ægyptiaco terminatur, attingens a septentrione Armeniam & Cappadociam, a meridie vero sinum Arabicum, *vt dicit idem.* Situs autem eius porrectus est in immensam longitudinem: In lato autem angustior est. Habet autem intra se multas prouincias, scil. Comagenam, Phœniciam. Cuius pars est Iudæa, absq; Saracenis & Nabatheis. Est autẽ regio populosissima, fertilissima in frugibus & fructibus, armentis & pecudibus, equis, asinis & camelis, ditissima in cetis, in speciebus aromati-

cis &

cis & metallis, munitissima ciuitatibus & castris. Irrigua nobilissimis fluminibus & lacubus & stagnis. Habens nobiles portus maris, & hoc præcipue in Palæstinis, maritimis & Phœnicis. Gens sæua & belligera, & in multis partibus diuersis mercimoniis occupata. Multas etiam habet gentes sicut faciebus sic lingua, animo & moribus differentes, quarum quædam habitant in desertis, vt Nabathæi & Saraceni, quædam in montanis, & quædam in nemoribus & in syluis, quibus abundant illarum nationes regionum, *Vt narrat Herodotus.*

CAP. CXLVII.

De Sichima.

Sichima est modica terra in Samaria, media autem inter Iudæam & Galilæã, à Sichem filio Hemor, qui eam ædificauit, sic vocata. Nam Sichem dicta est vrbs, quę nunc Neapolis nuncupatur, cuius confinium in circuitu Sichima appellatur, *Vt dicit Isidorus lib.* 16. Hæc, *Vt ait Hierony. super* 18. *cap. Genes.* fuit portio terræ, quam dedit Iacob filio suo supra sortem, scilicit Ioseph, vnde & illa terra fuit in tribu Ephraim & ibidẽ sepultus est Ioseph & eius mansolum ibi ostenditur vsque hodie, *Vt dicit Hier.* quam terram pecunia, graui labore acquisita Iacob comparauit. Emit enim centum agnis, *Vt patet Genes.* 33. & pro illo labore, *dicit Hier.* Iacob dixisse, quod eam arcu & gladio de Amorrhæi manibus abstulisset. Ibi erat prope terebinthus sub qua Iacob abscondit idola filiorum suorum, & tunc de Sichima ascendit ad Luzam cognomine Bethel, *Vt dicitur Genes.* 25. In hoc loco pauerunt fratres Ioseph greges, sed aliquando requisiti à Ioseph non in Sichimis sed in Dotaim sunt inuenti, vbi ipsum spoliãtes, Ægyptiis vendiderunt. Sichima autem post destruxit Abimelech, filius Ierobaal & interfectis habitatoribus sal in eius confinio seminauit, *Vt dicitur Iudicum* 9. In hoc territorio fuit fons Iacob, iuxta quem Dominus fessus ex itinere, requieuit, & vt mulier sibi de illius putei aqua daret ad bibendum postulauit, *Vt dicitur Iohann.* 4. Est autem locus magnæ fertilitatis, miræ amœnitatis & maximæ firmitatis.

Cap. CXLVIII.

De Scythia.

SCythia regio est maxima, cuius pars superior est in Asia: inferior vero prior est in Europa. Et hæc inferior à Mæotidis paludibus incipiens, inter Danubium & Oceanum septentrionalem vsque ad Germaniam protelatur, *vt dicit Isidorus lib. 14.* Huius prima pars est Alania; deinde Mœotides paludes, deinde Gothia, Dacia, Rhætia, deinde Germania, vbi plurimam partem Sueui incoluerunt, *vt dicit idem.* Habet itaque Scythia plures regiones, quarum quædam sunt locupletes, & quædam inhabitabiles. Nam in plerisque locis, auro & gemmis affluunt, sed gryphonum immanitate, rarus hominum est accessus. Smaragdus ibi optimus est, & crystallus purissimus Scythiæ, *vt dicit ibidem.* Monstrosos in multis continet homines & feras immanes, vt lynces, tigrides, vrsos sæuissimos & leones, & maxime in desertis & regionibus Hyrcanorum, *quære supra de Hyrcania.*

Cap. CXLIX.

De Sicyonia.

SIcyonia à Sicyone rege antiquitus est vocata, à quo & regnum Sicyoniorum dictum est, quod regnum Arcas Iouis & Callistus filius Pelasgis in deditionem redactis, ex suo nomine Arcadiam nuncupauit. Est autem Arcadia quæ & Sicyonia, sinus Achaiæ, vt platani folium inter Ionium & Ægæum mare exposita. Habens flumen magnum, scilicet Erimantum. Gignit quoque asbeston lapidem, qui semel accensus, nunquam extinguitur. Ibi candidissimæ merulæ generantur, *vt dicit Isidorus libro decimo quarto.*

Cap. CL.

De Sicilia.

SIcilia à Sicano rege primo Sicania fuit nominata, deinde à Siculo Itali fratre Sicilia est dicta, quæ antiquitus Trinacria dicebatur, propter tria acria, id est, promontoria, scilicet Pelorum, Pachynum & Lilybæum. Trinacria enim Græcum est, quod latine Triquetra dicitur, quia in

tres

tres quartas est diuisa. Hæc ab Italia freto modico est discreta, Affricum mare prospectans, terris frugifera, auro abundans, cauernis & fistulis penetrabilis, ventis & sulphure plena. Vnde & ibi Ætnæ montis æstuant incendia. In cuius freto Scylla est & Charybdis, quibus aut nauigia absorbentur, aut colliduntur. Fuit autem quondam patria Cyclopum, & postea nutrix tyrannorum. Frugum fertilis, prius omnibus terris pro committendis seminibus aratro est proscissa. Principalem vrbem habet Syracusam, & fontem Arethusam & Albeum fluuium genitorem equorum. In ea primo est inuēta insula Comedia. Achatem lapidem ex Achate flumine Sicilia primo dedit, & mare Siculum corallum album gignit & sales Agrigentinos, qui igne sunt solubiles, in aquis autem crepitantes. Omnis autem ambitus eius clauditur spacio trium millium stadiorum. *Dicit autem Salustius.* Italiæ fuisse coniunctam Siciliam, sed medium spacium diuisum fuisse per maris impetum atq; scissum, *Hucusq; Isidorus lib.* 14. *cap. de insulis, vbi recitantur omnia supra dicta, & eadem narrat Plinius.*

Cap. CLI.

De Syrtibus.

Syrtes, *dicit Isidorus libr.* 14. sunt arenosa in mari loca, à tractu sic vocata, *vt dicit Salust.* eo quod omnia ad se trahant. Cumulos enim arenarum ad se trahunt. Syren enim græce dicitur tractus latine, & talis attractio facit mare inæquale, vt vno loco sit profundum, in alio loco sit vadosum, & ideo periculosum est illac ire. Et dicitur hæc Syrtis. Sunt autē tales Syrtes periculum inducentes iuxta mare Ægyptium, & ei in pluribus locis admiscentur, *vt dicit Isid. ibidem.*

Cap. CLII.

De Scotia.

Scotia à Scotorum gentibus, à quibus incolitur, appellatur, & est promontorium in insula Britannica, vnde & fluminibus & maris brachiis ab Anglia aquilonari separatur. Ex parte vero opposita vndique septa mari Oceano, quo ab Hybernia Scotia est diuisa. Eadem gens ab initio

quæ

quæ quondam in Hybernia, ei super omnia similis in lingua & in moribus & in natura. Nam gens est leuis, animo ferox, sæuiens in hostes, inuida, superstitiosa, nullius virtutis vel probitatis aliquem reputans siue audaciæ, præter semetipsos. Tantum fere mortem diligens, quantum seruitutem, in lecto mori reputans segniciem. In campo autem contra hostem interfici, vt interficiantur, gloriā arbitrans & virtutem. Gens parci victus, famem diutius sustinens, & raro ante Occasum super cibum se effundēs, carnibus, lacticiniis, piscibus & frugibus magis vtens. Panis vsus Britannicis minus habens, minui de frumento, nisi aliunde allato, sed raro de auena. Et cum populus sit satis elegantis figuræ & faciei pulcræ generaliter a natura, multum tamen eos deformat proprius habitus siue Scotica vestitura. Dicū tur autem Scoti propria lingua a picto corpore quasi scissi, eo quod aculeis ferreis cum atramento figurarum stigmate antiquitus annotabantur, *vt dicit Isid. lib. 9. cap. 2. de vocabulis gentium.* Mores autem primæuæ gentis multi ex eis ex admixtione cum Anglis in maxima parte his temporibus in melius mutauerunt, atque Anglorum idiomate informantur: vnde quicquid decens & honestius in illis inuenitur, hoc ab Anglicis est contractum. Syluestres tamē Scoti sicut & Hybernici, in habitu, in lingua & in victu, & in aliis moribus paterna sequi vestigia, gloriam arbitrantur. Imo aliorū consuetudines respectu suarum quodammodo aspernātur: vnde quilibet superesse laborat, etiam omnes detrahunt & viciis semper inuident. Cunctos derident, & mores alienos reprehendunt. Mentiri non verentur, nec quemquam ex quacunque natione exortum, siue progenie alicuius virtutis reputant vel audacię, præter se ipsos. In propriis gaudent, pacem non diligunt. Eorum regio quo ad humi fertilitatem, nemorum amœnitatem, fluuiorum & fontium irriguitatem, gregum & iumentorum multiplicitatem, vbi littus gaudet cultoribus pro sua quantitate, nec etiam ipsi Britannico solo impar est, *vt dicit Herodotus*, situs orbis terrarum sagacissimus explorator, *prout recitat Plinius, quare sup. de Hybernia in litera. I. Infra quasi eadem de Scotia dicit Isidor.* quæ ibi de Hybernia in pluribus referuntur.

CAP.

Cap. CLIII.

De Suecia.

SVecia regio est inferioris Scythiæ in Europa, a qua tota Gothia, quæ inter Danorum & Noricorum aquilonarium regna maxima est regio hodie nominata, habens mare Balticum ab Oriente. Oceanum Britannicum ab Occidente. Noricorum prærupta & populos a septentrione: a Meridie vero Dacorum confiniis imminatur. Est autem Suecia quæ & Gothia est vocata, quo ad solũ frugifera, vinearum tamen expers, sed in pascuis vberrimis, alios defectus recuperat & metallis. Nam præter diuitias quas ex mari illa regio multipliciter contrahit, in feris, pecudibus & iumentis, in argentifodinis & aliis lucris innumeris, multas regiones alias præexcellit. Gens valde robusta, cuius militaris potentia quondam totius fere Asiæ & Europę partem maximam multis temporibus edomuit, quos aggredi tempore Alexandri Magni Græcorum audacia extimuit. Iulii etiam Cæsaris inuicta potentia superatis Gallicis, Alemanicis & Britannis cum Danis & Gothis, Noricis & Aquilonaribus populis aliis congredi formidauit, secundum quod tradunt scriptores historiæ tam Græcorum quam Romanorum, quorum dictis potest & debet merito fides adhiberi, in quibus nec religioni fidei, nec etiam rationi poterit in aliquo obuiari, *Vt dicit Hieron. Illorum,* inquit, *Poetarum & Scriptorum scriptis & dictis fidem adhibere conuenit, quorum relatio fidei, moribus non præiudicat, nec veritati agnitæ contradicit.* Ex istorum prosapia Amazones processerunt, *Vt dicunt Orosius & Isid. lib.* 14.

Cap. CLIIII.

De Sueuia.

SVeuia Germaniæ Rhenensis est prouincia in Europa, cuius gens habere dominium maximum in Germania consueuit, *Vt dicit Isidor. lib.* 9. *Dicit autem idem in cap. de vocabulis gentium lib.* 9. Sueui, *inquit,* sunt pars Germanorum, in fine septentrionis, *de quibus etiam dicit Lucanus:*

Fundit ab extremo flauos, aquilone Sueuos.

Quorum fuisse centum pagos & populos multi crediderunt,

derunt. Dicti autem Sueui putantur à Sueuo monte, qui ab ortu Germaniæ ortum habet, & illius montis loca & confinia primitus coluerunt, *vt dicit Isidor. ibi. Item vt dicit idem*, ab ortu habet Danubium cum Bauaria, ab occasu habet Rhenum cum Alsatia, à meridie habet iuga alpium cum Italia: à septentrione habet Franconiam, cum inferiori Germania. Et est duplex Sueuia, inferior protenditur contra Rhenum, superior cõtra Alpes & Danubium. Vtraque est terra optima & frugifera & vinifera in multis locis, habens ciuitates munitissimas, oppida & castella circa campestria & montana, amnes & flumina, nemora multa, gramina & pascua, ouium greges & armẽta circa montana, etiam ferrum habet, & argentum procreat ac metalla. Gens populosa, nimis fortis, audax & bellicosa, procero corpore, & flaua crine, venusta facie & decora,

CAP. CLV.

De Thanatos.

THanatos insula est Oceani paruula, modico freti interiectu à Britannia separata, habẽs campos frumentarios, & glebam vberem, dicta est Thanatos à morte serpentum, quos dum ipsa nesciat, asportata inde terra, quoquo gentium vecta fuerit, angues ilico perimit, *vt dicit Isidor. lib.* 14.

CAP. CLVI.

De Taprobane.

TAprobane est insula Indiæ, iacens ad Austrum, ex quo Oceanus Indicus incipit, patens in longitudine octingentis 70. millibus & quinquaginta passuum. In latitudine vero 75. millia stadiorum. Scinditur autem amnis interfluuio, tota repleta margaritis & gemmis. Pars eius bestiis & elephantibus est repleta, partẽ vero homines tenent. In hac dicunt in anno duos esse æstates & duos hyemes, & bis vernare floribus locum. Vtilissima insula est Indiæ virens omni tempore, & folia eius semper sunt virentia & nunquam cadunt, *vt dicit Isid. lib.* 14.

Cap. CLVII.

De Thracia.

THracia est prouincia in Græcia, ad quam veniens Tyras filius Iaphet à suo nomine, *vt dicitur*, ipsam Thraciam nominauit, *vt dicit Isidor. lib.* 14. Alii à sæuitia incolarum Thraciam appellatam dixerunt. Huic ab Oriente Propontidis & vrbs Constantinopolis opposita est, à septentrione vero Ister obtēditur, à meridie vero Ægæo mari adhæret, ab occasu vero Macedonia illi subiacet. Cuius regionem olim diuersi populi, scil. Massagetæ, Sarmatæ & Scythæ & aliæ plurimæ nationes incoluerunt, ampla est enim, & multas nationes potuit continere. Hebrum fluuium Thracia fundit, qui etiam gentes barbaras multas tangit, *vt dicit Isidorus lib.* 14.

Cap. CLVIII.

De Trachonitide.

TRachonitis regio est in Iudæa, cui præfuit Philippus frater Herodis. Nam totum regnum Hebræorum fuit diuisum in quatuor Tetrarchias, quorum prima fuit Galilæa cuius Tetrarcha fuit Herodes. Secunda & tertia Ituræa, & Trachonitis regio, cui præfuit Philippus vtriusq; regionis existens Tetrarcha. Quarta fuit Abelina regio, cui præfuit Lisanias frater Herodis & Philippi. In tot enim principatus particulares fuit diuisa Iudæa à Romanis ad domandā superbiam Iudæorum, *vt dicit glos. super Luc. super locum illum, Tetrarcha autem Philippo Ituraa & Traconitidis regionis, &c.*

Cap. CLIX.

De Thessalia.

THessalia, *vt dicit Isidorus lib.* 5. Græciæ est prouincia à Thessalo rege cognominata, quæ ad meridianam plagam Macedoniæ coniuncta est. Multa in Thessalia flumina sunt & oppida, quorum caput Thessalonica est vocatum, ibi etiam mons Parnassus quondam Apollini consecratus. Fuit autem Thessalia patria Achillis & origo extitit Iaphitarum, de quibus fertur, quod hi primo equos frenis

frenis domuerunt. Super dorsa eorum insidentes vnum corpus esse videbantur, propter quod milites Thessalorum Centauri ficti sunt, *vt dicit Isidor. lib.11. in cap. de portentis.* In Thessalia autem primo solidi aurei inuenti sunt, domandorumque equorum vsus primitus est repertus, *vt dicit Isid. lib.15. Adhuc dicit Isido. lib.4.* quod Moysis temporibus in Thessalia accidit quoddam diluuium, in quo aquarum ingluuies maiorem partem populorum Thessaliç absumpsit, paucis per refugia montium liberatis, & maxime in monte Parnasso, in cuius circuitu Deucalion tunc temporis regno potiebatur, qui tunc ratibus ad se confugientes suscepit, & sic Parnassi iugo eos abluit atque fouit, propter quod dicunt Græcorum fabulæ, Deucalionem hominum genus de lapidibus reparasse, *vt dic. idem ibid.*

Cap. CLX.

De Tenedos.

TEnedos est insula Græciæ vna de Cycladibus, sita ad septentrionem, in qua ciuitas Tene olim condita est, à qua & insula est vocata. Fuit autem Tenes quidam iuuenis infamatus, quod suam nouercam cognouisset, qui fugiens insulam vacuam cultoribus obtinuit, qui ex nomine suo ciuitati, quam ibi condidit, & insulæ nomen dedit.

Cap. CLXI.

De Thile.

THile vltima est insula Oceani, inter plagam septentrionalem & australem vltra Britanniam sita, nauigatione sex dierum. A Sole nomen habens, qui in ea Sol æstiuum solsticiũ facit, & nullus vltra eam dies est, & ideo eius mare tardum est & congelatum, *vt dicit Isidor. lib.14. Secun. Plin.* autẽ locus inhabitabilis est, quia in æstate nihil potest ibi crescere propter nimiũ calorem exurentem: in hyeme etiam nihil propter frigiditatẽ congelantẽ. Nam ab æquinoctio vernali, quando Sol est in Ariete, vsque ad æquinoctium autumnale, quando est in Libra, Sol illi insulæ nunquã occidit, & ab illo tempore vsque ad æquinoctium vernale iterum ad insulã nõ accedit. Vnde per dimidium annum habet diem, & per dimidiũ noctem, *vt dicit*

idem in cap. de insulis lib.14. & de solstitio lib.2. Idem etiam dicit Beda in lib. de naturis rer. Similiter & Solinus.

Cap. CLXII.

De Tripolitana.

TRipolitana regio est duplex: vna est in Phœnice dicta à Tripoli ciuitate famosissima, quæ totius patriæ in circuitu, propter nimiam sui fortitudinem est defensio & munimen. Alia vero est Tripolitana in Africa, inter Pentapolim & Bizantium sita, à tribus magnis vrbibus vocata est, scil. Ozea, Sabine vel Tabrace, & Leptis magna. Hæc habet ab oriente Syrtes maiores & Tragoditas, à septentrione mare Adriaticum, ab occasu Bizantium, à meridie Getulos & Garamantes, vsque ad Oceanum Æthiopicum protendentes, *vt dicit Isidor. lib.15.*

Cap. CLXIII.

De Troglodytice.

TRoglodytice est regio in Æthiopia, cuius incolæ dicũtur Troglodytę sic vocati, quia tanta celeritate pollet, vt feras pedum cursu assequantur. Habet autem hæc regio quandam insulam, vbi crescit optima myrrhæ species & purissima. Eius gutta ibi inuenitur & dicitur myrrha Troglodytes ab insula, in qua crescit, *vt dicit Isid. lib.* 17. Cum sit hæc prouincia in Æthiopia, tangit tamen fines Arabiæ, vnde aliquando dicitur esse in Arabia, *vt li.17.* Aliquando in Æthiopia, *vt patet lib.9.*

Cap. CLXIV.

De Troia.

TRoia prouincia in Phrygia primitus fuit Dardania à Dardano rege nominata. Nam Dardanus de Græcia profectus peruenit ad Phrygiam, ibidẽ primitus regnauit, post quem filius eius Erichthonius, deinde nepos eius Tros, à quo ciuitas Troia patria in circuitu est vocata, *vt dicit Isidor. lib.9.* Multi autem de Troianis post Troię exitum facta classe per diuersas mundi partes sibi sedes quæsierunt, & multas nationes expellentes, per eis habitauerunt, & ex eorum progenie prodierunt in posterum potentis-

tentissime seculi nationes, *sicut diuersarum regionum veris̃sima historia attestantur.*

CAP. CLXV.

De Thuscia.

THuscia Italiæ est prouincia, inter Ligures & Romanorum territorium collocata, quæ difficilibus montium iugis & accessibus locorum valde altis & arctis fortissime est munita. Thuscia autem *vt dicit Isidor. lib.* 15. à sacrorum & Thuris frequentia est vocata, nam in illis partibus in mortuorum exequiis antiqui thura cremare & offerre religionis & deuotionis gratia, consueti erant maxime, & suos mortuos affectu lacrymabili deplangebant. Thura etiam in aris Deo potissime incendebant, quia *vt dicitur*, in Thuscia ars aruspicia primitus est reperta, *vt dicit Isid.* Hæc Zemilia fuit antiquitus nominata, plures habens inclytas & nobiles ciuitates, ab occidente contra Liguriam habet Pisanam ciuitatem, Senas, Lucam, Florentiam contra septentrionem vrbem veterem, contra orientem Arecium, contra meridiem Thurthonam, Parusium, & Assisium, quæ valli Spoletanæ contiguæ sunt & vicinæ. Ab oriente habens mare Adriaticum & Marchiam Anconitanam, a meridie Tyberim ripam & Romam, ab occidente Mediolanensem Liguriam, a septentrione Romaniolam, & prouinciam Paduanam. Et hæc regio est multum protensa in longum, ab ortu versus occasum minus habens latitudinis ab aquilonari termino ad australem. Est autem terra montosa satis, & fortissima quoad situm, fertilissima quo ad solum, saluberrima quo ad cœlum, quam mare in duabus partibus locupletat, quam etiam fontium & lacuum multitudo irrigat & fœcundat. Arnus fluuius illam preterfluit & decorat, croci aromatici ibi crescentis abundantia ipsam singulariter nobilitat atque ditat. Fontium etiam calidorum in ea scaturientium affluentia ipsam gratificat & sublimat.

Cap. CLXVI.

De Thuringia.

THuringia Germaniæ est prouincia, media inter gentem Saxonum & Francorum & VVestphalorum. Habent enim Bohemos & Saxones ab oriente, Francones & Bauaros à meridie, Sueuos & Alsatos ab occidente, Rhenenses & VVestphalos ab aquilone. Gens quidem secundum nomen patriæ Thuringia, id est, dura contra hostes, maxime & seuera. Est enim populus numerosus, elegantis staturæ, fortis corpore, durus & constans mente, habens terram montibus fere vndique circumdatam & munitam, interius vero planam, valde frugiferam & fructiferam, a vineis etiam non expertem, oppida multa, castra fortia, non solum in montanis, verum etiam per plana, amnibus & stagnis & lacubus irrigua, aere saluberrima, pabuli vbertate gratissima, armentis & gregibus valde plena. In eius montibus diuersa inueniuntur mineralia & metalla, *vt dicit Herodot.* qui nullatenus permisit secreta in Germaniæ confinio inscrutata.

Cap. CLXVII.

De Thuronia.

THuronia Galliæ superioris est prouincia, pars Aquitaniæ antiquitus computata, a Thuronum ciuitate inclyta sic vocata. In qua gemma sacerdotum Martinus sanctissimus requieuit. Est autem sita super amnem Ligerim, qui eam præterfluit & irrigat, & multipliciter locupletat. Terra frugifera, fructuosa, vinifera & pascuosa, aere saluberrima, nemorosa, gens robusta corpore, elegantis formæ, audax mente, benefica & efficax in opere, modesta in sermone.

Cap. CLXVIII.

De Vasconia.

VAsconia est prouincia ab Aquitania antiquitus comprehensa, sita iuxta Pyreneum, a Vascea oppido nuncupata, *vt dicit Isid. lib.9.* habens montes Pyreneos in vno solo latere, & in alio Oceanum mare, in alia vero planiciem

ciem prouinciæ Tholoſanæ, in alia vero Pictauorum gentibus appropinquat. Terra ſylueſtris & nemoroſa, ſaltuoſa & montoſa, in multis ſuis partibus vinearum ferax in tantum, quod vicinis prouinciis & multis inſulis maris vini copiam adminiſtrat. Gethona fluuius a Tholoſana prouincia hanc ſeperat, qui Vaſconiam præterfluēs, iuxta Burdigalem metropolim vrbem Vaſconum, Oceanum mare intrat, *vt dicit Iſid. lib. 9. in cap. de vocabulis gentium.* VVattei a VVattea oppido cognominati, per amplam iugis Pyrenei montis ſolitudinem inhabitant, qui & Vaſcones quaſi VVaccones dicuntur, C in S literam commutata, quos Pompeius edomita Hiſpania ad triumphum venire feſtinans, de Pyrenei iugis depoſuit, & in vnum oppidum congregauit, vnde Conuenarum nomen vrbs accepit, *vt dicit idem Iſid. Plin. & Herodotus*, qui recitat gentem Vaſconum fore corpore leuem & agilem, animo audacem, ad bella præcipitem & ferocem.

Cap. CLXIX.

De Venetia.

VEnetia Venetorum ab antiquo dicebatur prouincia, quæ à litore maris Adriatici, in cuius ſinu vrbs Venetia nunc eſt ſita, vſque ad Padum fluuium, qui diuidit inter ciuitates & fines ſuperiorum Ligurum & inferiorum, videlicet inter Pergamenſes & Mediolanenſis primitus extendebatur, *vt narrat Longobardorum ac Ligurum hiſtoria veriſsimus recitator*, multas ſiquidem nobiles nunc obtinuit ciuitates, *nam vt dicit Iſidorus lib.* 15. Mantua quæ à Manto vel Mancuo Tireſiæ filia, quæ poſt interitum Thebanorum venit in Italiam, condita, ſita eſt in Venetia, quæ Gallia ciſalpina eſt vocata. Venetia itaque Italiæ eſt prouincia, quæ multarum terrarum & ciuitatum dominium habuit, ab antiquo in mari & in terra, cuius poteſtas hodie per longiſſimos maris tractus, & vſque in Græciam ſe extendit. Germanorum fines vſque ad Aquilegiam tangit. Dalmatum & Sclauorum piratarum prædam Tyrannicam reprimit & compeſcit. Inſulas & portus, promontoria maris & ſinus ſub eius dominio exiſtentes iuſtiſſime regit, ſubditos protegit ab hoſtibus potentiſſime ac defendit, rem-

publicam & ciuilem iustis legibus subiicit, nullã sectam diuinis contrariã institutis, infra suos terminos manere dissimulat aut permittit. Huius gentis referre singulas ꝓbitates æstimo superfluum, cum de gentis Venetorũ, virtute & potentia circumspectione & prouidentia, vnitate & ciuium concordia, amore totius iustitiæ cum clementia omnibus fere nationibus iam sit notum, *Vt dicit idem regius scriptor historiæ Lombardorum.*

CAP. CLXX.

De Vuestphalia.

VVestphalia Germaniæ inferioris est prouincia, habens Saxoniam ad orientẽ: Thuringiam & Hassiam ad meridiem: Rhenum & Coloniam ad occidẽtem: Oceanum & Frisiam ad aquilonem: nobilissimis fluminibus duobus in eius extremitatibus cingitur, scilicet Vuesera atque Rheno, nam Rhenum tangit versus occidentem & septentrionem, Vueseram vero versus orientem. Hæc in quibusdam libris dicitur antiqua Saxonia, ab omni specie fornicationis se mundam præseruans, & stupra districtissime puniens, ac honesta connubia summe colens, licet pagana superstitione vsque ad septingẽtesimum annum Domini teneretur implicita, *Vt scribit Bonifacius in epistola ad regem Angliæ.* Est enim terra multum nemorosa, pascuosa, plus alendis gregibus quam ferendis frugibus apta, multis fontibus & amnibus est irrigua. Emosa, scilicet Lippia atque Rura, & multis aliis, fontes habet salis, & montes fertiles in metallis, abundat fructibus, glandibus, nucibus atque pomis, etiam feris, porcis, pecudibus & iumentis, populus communiter elegantis staturæ est & proceræ, venustæ formæ & fortis corpore, & audax mente, militiam habet copiosam ac mirabiliter animosam, promptam ad arma continue & paratam, ciuitates habet fortes & munitas, castra fortissima & oppida tam in montibus quam in planis.

CAP. CLXXI.

De Vironia.

VIronia est prouincia paruula vltra Daciam versus orientem, à virore dicta, eo quod sit graminosa & nemo-

nemorosa multis aquis & fontibus profusa, cuius gleba est frugum ferax, gens quondam barbara, sæua, incomposita atque inculta, nunc vero Danorum regibus pariter & legibus est subiecta. Terra vero tota est à Germanis & Danis pariter habitata, *quare supra in litera R. de Riualia*. Hęc terra Anogardorum gente & Ruthenorum per fluuium maximum qui Narua dicitur, est separata.

Cap. CLXXII.

De Vuinlandia.

VVinlandia est patria, iuxta montana Noruegiæ versus orientem sita, super litus oceani protensa, non multum fertilis nisi in graminibus & syluis. Gens eius est barbara, agrestis & sæua, magicis artibus occupata: vnde & nauigantibus per eorum litora vel apud eos propter venti defectum moram contrahentibus, ventum venalem offerunt atque vendunt, globum enim de filo faciunt & diuersos nodos in eo connectentes, vsque ad tres nodos vel plures de globo extrahi præcipiunt, secundum quod voluerint ventum habere fortiorem, quibus propter incredulitatem illudentes dæmones aerem concitant, & ventum maiorem vel minorem excitant, secundum quod plures nodos de filo extrahunt vel pauciores, & quandoq; in tantum commouent ventum, quod miseri talibus fidem adhibentes, iusto iudicio submerguntur.

Cap. CLXXIII.

De Vitria.

VItria est insula modica, in mari Britannico sita, distans à Britannia maiori paruo freto interposito separata, cuius gleba ad frumēta est optima, multas habens syluas & nemora, multas feras, pecora & iumenta, fontes & amnes, insulam irrigantes, quoad temperiem est saluberrima, & in fructibus vberrima dicitur esse, hæc ab Anglis hodie inhabitatur.

Cap. CLXXIV.

De Islandia.

ISlandia est regio vltima in Europa, à septentrione vltra Noruegiam sita, perpetuo glacie in remotioribus eius

finibus condemnata, protenditur autem ſuper litus oceani maris verſus ſeptentrionem, vbi mare præ nimio frigore congelatur. Ab oriente habens Scythiam ſuperiorem: ab auſtro Noruegiam: ab occidente oceanum Hybernicum: ab aquilone mare congelatum. Et eſt dicta Iſelandia quaſi terra glaciei, eo quod ibi dicuntur eſſe montes niuei in glaciei duritiem congelati. Ibi cryſtalli inueniuntur, in illa etiam regione ſunt albi vrſi, maximi & ferociſſimi, qui vnguibus glaciem rumpunt, & foramina multa, per quæ in mare ſe immergunt & ſub glacie piſes capientes, eos extrahunt per foramina prædicta, & ad littus deferentes inde viuunt, terra eſt ſterilis, quoad fruges, exceptis paucis locis, in quorum vallibus vix creſcit auena, gramina tantummodo & arbores in locis vbi habitant homines, parturit & producit, & in illis partibus feras gignit & iumenta nutrit. Vnde de piſcibus & venationibus & carnibus pro maiori parte populus terræ viuit, oues præ frigore ibi viuere non poſſunt, & ideo incolæ de ferarum & vrſorum pellibus, quos venatu capiunt, contra frigus ſe muniunt & corpora ſua tegunt, alia veſtimenta habere non poſſunt niſi aliunde deferantur. Gens multum corpulenta, robuſta & valde alba, piſcationi dedita & venationi.

CAP. CLXXV.

De Zeugia.

ZEugia ſiue Zeugis eſt prouincia, vbi eſt maior Carthago vel minor Affrica, inter Biſantium & Numediam ſita, *vt dicit Iſidorus lib.* 14. Hæc à ſeptentrione mari Siculo eſt iuncta, *vt dicit idem*, & à meridie vſque ad regionem Getulorum porrecta, cuius proxima ſunt frugifera, vlteriora vero beſtiis & ſerpentibus plena. Ibi onagri & feræ ſylueſtres, ibi mira & monſtroſa inueniuntur, *vt dicit idem.*

BARTHOLOMÆI ANGLICI de proprietatibus Gemmarum, Liber decimus sextus.

DEscriptis proprietatibus terræ & partium eius in generali, restat, adiuuante Domino, aliqua hic inserere de eius ornatu in speciali. Eorum autem quæ ornant terram, quædam sunt simpliciter inanimata & insensibilia, vt omnia meteorica, quæ in venis terræ generantur, qualia sunt lapides, colores & metalla, & de illis primo per ordinem est agendum. Quædam vero vegetabilia, vt radices, herbæ & arbusta. Quædam autem sensibilia, vt homines & iumenta, de quibus vltimo est tractandum. Primo ergo ab his, quæ generantur in terra & in venis eius, per ordinem alphabeti hic dicendum est.

CAP. I.

De Arena.

ARena ab ariditate est dicta, quæ si manu pressa fuerit, præ siccitate & duritia stridorem facit, quæ si in veste candida & aspersa fuerit, nihil sordis post se relinquit, *vt dicit Isidorus lib. 16. cap. 4.* Arena siquidem in aquis marinis ab omni limositate & lutea viscositate abluitur, *vt dicit Aristoteles in libro de proprietatibus elementorum.* Et ideo propter vincentem in ea siccitatem, coagulari in lapidem perfecte non permittitur. Terra enim pura, *vt dicit idem lib. meteoror.* 4. lapis non fit, quia continuationem non facit, sed commutationem, & ideo siccitas vincens omnem humiditatem non permittit eam totaliter in lapidem consolidari. Inde est quod arena terra communi est substantialiter durior, sed lapide mollior, & in partes innumerabiles diuisibilior. Vnde arena frigida est & sicca, minuta, compressa, grauissima in pondere, quamuis sit minuta & sterilis ex se propter caloris & humoris defectum & dominium frigidæ siccitatis. Imbre superueniente non dissoluitur, sed potius diluta aut consumpta lutea, in puritate

tate magis comprimitur & parte parti fortius adhærente amplius solidatur. Arenarum etiam multitudine maris impetus sistitur, & ad eius cumulos se constringens, ne vltra sibi assignatos à Deo terminos effluat, impeditur, *vt dicit Hieron. super Ierem. capit. 5. Posuit arenam terminum mari, &c.* Habet etiam vniuersaliter naturam colatiuam: vnde aqua per arenas colata, dulcior & purior inuenitur. *Vt dicit Constantin.* Item virtutem habet metallorum purgatiuam, & sua confricatione rubiginis consumptiuam: aurum enim æs & ferrum arenæ confricatione clarificantur. Item virtutem habet infrigitatiuam, repercussiuam, opilatiuam, tumoris seductiuam, vt patet in thimolia, id est, arena ex lapide fabrili resoluta, quæ valet ad omnia supra dicta, *vt plane dicit Constantin.* Item virtutem habet mineralem vel saltem ei similem vel affinem, vnde & inter arenulas tam fluuiales, quam marinas aureæ arenæ sępius inueniuntur. Lapides etiam politi & gemmæ preciosæ in marino littore inueniuntur inter arenulas. Item arenæ tam fluuiales quam marinæ ex ventis contrariis ipsas arenularum particulas eleuantibus sæpius in maris ostiis & littoribus coaceruantur, & ex arenis sic accumulatis aquæ fluuiales, ne mare subintrent aliquoties retardantur, *vt dicit Hieronymus super Amos 8. Ibi defluet sicut riuus Aegypti, &c. Vbi expresse dicitur*, quod aquam Nili propter obstantes arenarum cumulos contingit impediri, nam circa fluminis descensum pariter aggregata arena aquam Nili in mare descendere non permittit, sed potius refluere per plana Ægypti manifestissime coarctatur, sed quanto illis cumulis arenosis aqua redire compellitur, tanto eisdem dissipatis cum maiori impetu in mare descendere profundius perhibetur, *vt dicit Hieronymus ibidem*. Item arenarum obstaculis in mari sub aquæ superficie occultatis occurrere vel resistere maxime est difficile, & periculosum, *vt patet supra vbi de maris periculis pertractatur.*

CAP. II.

De Argilla.

ARgilla est terra tenax, glutinosa & viscosa, ad varia figulorum opera disposita atque apta. Et est *secundum*

Isido.

*Isidorum lib.16.cap.*1.ab Argis sic vocata, apud quos primo, ex tali materia vasa fictilia sunt effecta, & *vt ibidem dicitur*, talis terra per actionem caloris liquidioris partes consumentis & terrestriores consolidantis in laterem commutatur, sæpe enim contingit quod talis terra lutea, vnctuosa frigiditate aquam congelantem in lapidem commutatur. Sæpe enim accidit talis transmutatio scil. luti vnctuosi in lapidem ex calore coagulante. *Sicut enim dicitur libr.4. meteororum.* Lutum vnctuosum aptum est huic transmutationi, scilicet in lapidem per calidi coagulationem, quare vnctuosum est medium inter viscosum & vaporatiuum, habens humidum viscosum: vnde gratia vaporatiui potest à calido coagulari, gratia viscosi non potest ex toto educi sed amplius comprimi & consolidari, & sic in lapidem transmutari, *vt ibi dicit commentator*, Argilla est frigiditate sua sanguinis restrictiua, *vt dicit Constantinus.* Argilla si cum forti aceto fuerit distemperata, apposita fronti & temporibus, prohibet sanguinem de naribus fluentem.

CAP. III.
De Alabastrite.

ALabastrites, *vt dicit Isidor. lib.16. cap.5.* est lapis candidus, intertinctus variis coloribus, ex quo Euangelici illius vnguēti vasculum factū fuit, ex hoc enim cauantur vasa vnguētaria, quia vnguenta custodit peroptime incorrupta. Nascitur autem circa Thebas Ægyptias & Damascum cæteris candidior, sed probatissimus de India transportatur. Hic lapis Dioscoride Nicomar dicitur, & dicit valere hunc lapidem ad victoriam obtinendam, *& dicit etiam* quod generat & conseruat amicitiam.

CAP. IIII.
De Auro.

AVrum ab aura est dictum, *vt dicit Isid. lib.16.* eo quod repercusso aere plus refulget. Naturale enim est, vt metallorum splendor plus fulgeat luce aliqua repercussus. Hinc & *Aurarii* sunt dicti quorum fulgor splendidos reddit. Aurum autem radians & fulgens, dicitur obrisum, eo quod splendore obradiet ac fulgore. Est enim coloris optimi quod Hebræi opham, Græci vero dicunt χρύσον,
lamin

lamina vero tenuissima, ex qua inciduntur fila, aurea bractea nuncupatur. *Hucusque Isid.cap.de metallis. Secundum Arist.autem lib. meteoror. parum ante finem dicitur*, quod aurum, sicut & cætera metalla, materialiter procreatur ex sulphure subtili rubeo, & de viuo argento subtili & albo, plus autem concurrit in eius compositione de soliditate sulphurea, quam de aereo, aquoso viui argenti, & ideo aurum solidius est & ponderosius quam argentum, in cuius compositione plus de argẽto viuo quam de sulphure albo concurrere cõsueuit, *sicut idem dicit.* Auro ergo inter metalla quo ad substãtiam, nihil solidius est aut compactius, & ideo in igne positum, non euaporat, nec etiam in pondere minoratur: vnde in igne non consumitur, sed solum quando vi caloris liquescit si quid tunc habet annexæ impuritatis & scoriæ deponitur, propter quod & amplius depuratur & fulgidius inuenitur. Nihil enim inter metalla est ductilius, quia tantæ est ductilitatis, quod inter incudem & malleum sine ruptione siue dissolutione partium in bracteas, id est, tenuissimas laminas dilatatur. Hoc etiam inter metalla quod ad formam & speciem est pulcrius, & ideo inter omnes picturabiles formas siue species primum & præcipuum locum auri obtinet pulcritudo: vnde forma est & decor tam colorum quam metallorum. Item nihil inter metalla quo ad virtutem inuenitur efficacius, *cuius virtutem describit Plat.dicens.* Aurum, *inquit*, temperatius est omni metallo & purius, & ideo virtutem habet confortatiuam & superfluitatum coadunatarum in corpore extersiuam, & ideo valet contra lepram & elephãtiæ passionem vtiliter emendandam. Limatura autem auri in cibo aut in potu siue in medicina ad præseruationem à lepra vel saltem ad eius occultationem valet, quia eius frequens vsus ab ea præseruat & occultat, *vt dicit Auicen.* Item eadem limatura cum succo boraginis & osse de corde cerui valet contra syncopim & cardiacam passionem. Item laminæ aureæ candẽtes in vino extinctæ, vinum faciunt vtile contra vitia splenis & alias passiones multas vel melancholicas. Item vstura facta cum instrumento aureo, melior est quam ex alia materia vel metallo, locum enim adustionis custodit immunem à fœtore. Item puluis cadmiæ aureæ oculis impositus, maculas oculorum corrodit. Confortat

aurum

aurum membra quamuis eis non incorporetur nec ea nutriat, valet autem depurando & asperitate sua superfluitates, quæ membra lædebant extergendo, *sicut idem dicit Plat.* Item aurum calefactum tollit pilos a membro quod inter exustum fuerit aut fricatum, & iterum crescere non permittit, *vt dicit Constan.* Item aurum percussum non resonat, sicut æs vel argentum nec crepat nec finditur, sed potius extenditur, & æqualiter dilatatur, nisi ei fuerit aliud metallum adulterinum modo aliquo incorporatum: nam quamdiu æs vel aurichalcum cum auri substantia est permixtum, semper sub malleo scinditur, & semper ad susceptionem debitæ formæ sub mallei ictu inobediens inuenitur, & ideo necesse est, vt omne superfluum ab eo per excoctionem auferatur vt efficiatur ductile, & aliquod vas cum optata forma exinde ꝑducatur, *vt dicit Greg.* Quando autem lamina vel bractea aurea cum argentea subducta debet malleando incorporari, necesse est a tribus maxime præcaueri, scil. à puluere, vento & humore, quia si aliquid horum inter aurum & argentum se permiscuerit, nequaquam vnum cum altero se tenebit, & ideo oportet vt in loco valde mundo & quieto hoc duo metalla adinuicem vniantur, quando autem modo debito sic vniuntur, inseparabilis fit vnio, ita quod ab inuicem non possunt vlterius separari,

CAP. V.

De Aurichalco.

AVrichalcum, *vt dicit Isidor.* est dictum, eo quod cum sit æs siue cuprum resplendet superficialiter sicut aurum, æs enim Græco sermone chalcum vocatur. Aurichalcum itaque habet & duriciem æris siue cupri, ex mixtione autem æris, stanni & auripigmenti, & quibusdam aliis medicaminibus producitur in igne ad colorem auri, *vt dicit Isidor.* Colorem itaque habet auri & similitudinem, sed non valorem, vasa etiam diuersi generis artificialia & pulcra, in sui nouitate auri speciem prætēdentia, ex aurichalco præparantur, sed paulatim à fulgore primo hebetantur & quasi rubiginantur, & sic tam colore quam odore cupreo suam materialem originem protestatur. In istis vasis cibaria & vina diutius reseruata, saporem horribilem contra-

trahunt ex æris vicio & odore, collyria tamen quæ oculorum ſunt medicamina in eis vtiliter reſeruant, & ex æris fortitudine acuuntur, *Vt dicit Plato.*

Cap. VI.

De Auripigmento.

AVripigmentum eſt vena terræ, ſiue genus lapidis ſciſſilis & fragilis, auri ſpeciem prætendens in colore, & vocatur alio nomine lapis Arſenicus. Et eſt duplex, ſcilic. rubeus & citrinius, *& habet ſecundum Diaſ.* naturam ſulphuris calefaciendi & deſiccandi, qui ſi apponatur æri, ipſum in album tranſmutat, & omnia corpora metallina præter aurum, exurit & deuaſtat, *Vt dicit Dyaſ. ſecundum Plat.* autem auripigmētum calidum eſt & ſiccum in quarto gradu, & eſt vena terræ, & duplex ſpecies, rubeum, ſcil. & citrinum, citrinum autem competit medicinæ, habet autem virtutem diſſoluendi, attrahendi & mundificandi. Vnde valet aſthmaticis & malum anhelitum habētibus, ex humidicate, ſi inclinato capite fumus eius recipiatur. Ex auripigmento fit pſilocracium, id eſt vnguētum depilatorium, vt pili faciliter amoueantur, quando coquitur cum calce viua. Valet etiam contra ſerpiginem & impetiginem, ſi locus cum ſapone & auripigmento leniter inungatur, ſed ſtatim locus inunctus abluatur, quia ſi vnguētum tale ibi diu maneret, bonam carnem ſicut & malam corroderet & excoriaret, naturam enim habet inciſiuam & corroſiuam, vngues etiam deturpatos & deformes facit cadere, vt creſcant meliores, *Vt dicit Plat.*

Cap. VII.

De Argento.

ARgentum à Græca appellatione, *Vt dicit Iſidor.* eſt dictum, nam ἄργυρον argentum vocant, cui mirum in modum accidit, quod cum ſit candidum, impreſſum corpori lineas nigras, *Vt dicit Iſidor.* reddit. In eius compoſitione ſunt viuum argentum & ſulphur album. Plus autem eſt ibi de aereo & aqueo & argento viuo quam ſulphuris, & ideo non eſt tanti ponderis ſicut aurum, *Vt dicit Richardus Rufus.* Eſt autem argentum duplex, ſcil. ſimplex & compo-

ſitum,

ſitum, ſimplex autem eſt liquidum & vocatur argentum viuum: compoſitum autem argẽtum ſolidum, compoſitum ex argento viuo puro, & ſulphure albo non vrente, *Vt dicit Ariſtot.*

Cap. VIII.

De Argento Viuo.

ARgentum autem viuum eſt ſubſtantia aquea, mixta cum ſubtili terreno forti admixtione & indiſſolubili, & habet hoc ex magna ſiccitate terrea, quæ non liqueſcit in ſuperficie plana, & ideò non adhæret, ſicut id quod eſt aquoſum. Eſt autem eius ſubſtantia alba, ex claritate aquæ ſubtilis, & ex albedine terræ bene ſubtiliatæ & digeſtæ, habet etiam albedinem ex admixtione æris cum prædictis. Habet autem argentum viuum hoc ſibi naturaliter proprium, quod non coagulatur per ſe ſine ſulphure, ſed cum ſulphure & cum plumbi ſubſtantia congelatur. *Ideò dicitur ibidem* quod argentum viuum & ſulphur ſunt elementum, id eſt materia & principium omnium liquabilium, ſcilicet metallorum. Hæc omnia dicuntur *in lib. meteoror.* expreſſe *& etiam Arich. ſic exponitur.* Argentum itaque viuum omnium metallorum dicitur eſſe principium, & ideo reſpectu eorum eſt ſimplex elementum. De ſua autem virtute & natura diuerſi diuerſa poſuerunt, quid autem de hoc ſentiant medici, patere poteſt per hæc verba, argentum *(inquit Plato)* viuum, calidum dicitur eſſe & humidum in gradu quarto, quamuis à quibuſdam iudicetur frigidum & in eodem gradu, & quod ſit calidum oſtenditur per effectum, eo quod diſſoluit, penetrat & incidit, ſed quia actualiter ſentitur multum frigidum abuſiue frigidum iudicatur. Quod autem aliqui dicunt argentum viuum ex quadam vena terræ per excoctionem fieri, falſum eſſe patet, eo quod per calorem ignis facillimè in fumum extenuatur, ſed à terra gignitur, & quaſi aqua perfluens procreatur, diutiſſime etiam in vaſe frigido & ſolido conſeruatur, tanta autem ipſius eſt cohærentia & fortitudo, quod nulli rei poteſt admiſceri, niſi primitus extinguatur. Extinguitur autem cum ſaliua, quando cum ea fricatur, & maxime, quando cinis ſaliuæ additur, & maxime, quando puluis oſſis ſepiæ ſociatur, eſt autem argentum

viuum de facili in fumum euaporatiuum & resolutiuum, cuius fumus maxime obest astantib. inducit enim paralysim & tremorem, relaxando neruos & remolliendo. Ore acceptum vel auri immissum occidit membra perfodiendo, circa quod periculum maxime valet lac caprinum, in quantitate maxime epotatum cum continuo motu patientis. Ad idem specialiter valet decoctio vini cum absynthio & Isopo, *hucusq; Plato*. Dicitur autem argentũ viuum eo quod incidat materias in quas mittitur, *Vt dicit Isidorus libr*.16. vbi etiam hoc subiungit, hoc *(inquit)* est liquidum, quia percurrit. Inuenitur autem specialiter in fornacibus argentariis guttarum concretione, terris vel tectis inhærens, sæpe enim in vetustissimo stercore cloacarum vel puteorum limo inuenitur, fit enim ex minio imposito conchulæ ferreæ patena testea supposita, debet autem vasculum circumlitum circumdari carbonibus, & tunc argentum viuum distillabit, sine enim hoc argento neq; aurum neque æs inaurari potest. Tantæ autem virtutis est, vt si super sextarium argenti viui centenarium saxum supponas, oneri statim resistit, si vero auri scrupulum supposueris, leuitatem eius in se statim rapit. Ex quo patet non pondus esse, sed naturam cui cedit. Potui datum interficit ponderis causa. Seruatur autem melius in vasis vitreis, nam cæteras materias perforat & corrodit. *Hucusque Isid. lib*. 16. *cap. de metal*. Argentum ergo est album, clarum, sonorum, purum, ductilitatis habens multum, minus tamen quam aurum. Balsami potissime conseruatiuum, virtutis in Iaspide iuuatiuum. Maiorem enim virtutem habet Iaspis in argento quam in auro, vt dicitur in lapidar. liquabile & in igne resolutiuum & liquefactiuum, colorem habet igneum, rubeum, infrigidatum vero iterum efficitur solidum atque durum, & quamuis grossum sit & materiale respectu auri, tamen post aurum in valore & precio obtinet inter metalla principatum. Est enim medicinale & multarum ægritudinum curatiuum: nam eius scoria siue spuma vulnera sanat atque replet, & carnes superfluas in eis crescere non permittit, cicatricem inducit, sordes corporis mundificat, cauterium à fœtore custodit, conforrat fluxibilia membra & constringit. ex contactu terræ rubiginem

nem contrahit, ſed ex arenæ & ſalis confricatione colorem priſtinum recipit & reſumit.

CAP. IX.

De Adamante.

ADamas eſt lapis Indicus, paruus & indecorus ferrugineum habens colorem, & ſplendorem cryſtallinum, nunquam tamen vltra magnitudinem nuclei auellanæ eſt repertus. Hic nulli cedit materiæ, nec ferro quidem, nec igni, nec vnquam incaleſcit, vnde à Græcis vis indomita appellatur, ſed cum ſit inuictus ferro, ignis contemptor, rumpitur ſanguine hircino calido & recenti, cuius fragmentis ſculptores in ſignandis gemmis & perforandis vtuntur. Hic diſſidet in hoc à magnete, quia poſitus adamas iuxta ferrum, non patitur illud attrahi a magnete, imo retrahit per quandam violentiam ferrum a magnete lapide ſic attractum. Dicitur hic lapis more electri venena deprehendere, metus varios expellere, & maleficis artibus obuiare. *Hucuſque Iſid. lib. 16. cap. de cryſtallis.* Hic lapis *ſecundum Diaſ.* gemma reconciliationis dicitur & amoris, quia ſi mulier a viro ſuo fuerit digreſſa, per virtutem adamantis in viri gratiam facilius reuocatur. *Adhuc dicitur idem*, quod ſi verus adamas capiti dormientis mulieris ſupponatur cautius, ſcire poterit maritus eius an ſit caſta, nam ſi fuit caſta, dormiendo amplecti cogitur vi lapidis maritum ſuum, ſi vero fuerit infidelis, ab eo ſubito reſilit, & velut lapidis potentia iam indigna, ſubito de lecto cadit. Virtus etiam huius lapidis eſt, *Vt dicit Dyaſ.* quod cum in lacerto ſiniſtro geſtatur, valet contra hoſtes, contra inſaniam, rixas & iurgia, contra incubos & phantaſmata, contra varia ſomnia & venena.

CAP. X.

De Amethyſto.

AMethyſtus lapis eſt Indicus, qui inter gemmas purpureas obtinet principatum, *Vt dicit Iſid.* Eſt autem amethyſtus colore purpureo & violacto permixtus, quaſi roſa nitens, & leuiter fundens quaſdã flammulas & emittens, *Iſid.* Alterum eius genus deſcendit ad hyacinthum,

non ex toto igneum, ſed vini colorem habens. Et ſunt ſpecies eius quinque, *Iſid.* Sed, *vt dicit Diaſ.* purpureus nobilior eſt, & aliis vtilior, nam virtus eius contra ebrietatem eſt, & facit vigilem, & malam repellit cogitationem, & bonum confert intellectum, & ineſt ei mollicies ad ſculpendum.

Cap. XI.

De Achate.

Achates eſt gemma nigra, habens albas venas, & dicitur achates a flumine eiuſdem nominis exiſtentis in Sicilia iuxta, quod eſt gemma primitus inuenta, *vt dicit Iſidor.* modo autem in pluribus regionibus inuenitur. Eſt autem quoddam genus creticum, *vt dicit Diaſ.* cum venis ſancæruleis. Aliud genus eſt Indicum, varium cum guttis ſanguineis, primum enim genus *vt Iſid. dicit*, creditur valere magicis artibus, nam ipſa tempeſtates conuertunt, ſiſtunt flumina ſicut dicunt. Idem etiam genus vtile eſt, *ſecund. Diaſ.* ad regum formas, & ſimulacra monſtranda ſomniorum. Creticum autem genus mutat pericula, gratum facit & placentem, & perſuaſorem facundum, & vires confert, tertium genus ſcilicet Indicum viſum fouet, contra ſitim prodeſt, contra venenum valet, & accenſio eius odorifera eſt, *vt dicit Diaſ.*

Cap. XII.

De Asbeſto.

Asbeſtos Arcadiæ eſt lapis, ferrei coloris, ab igne nomen ſortitus, eo quod ſemel accenſus nunquam extinguatur, de quo fabricatum eſt illud mechanicum, de quo gentiles capti ſacrilegio mirabantur. In quodam enim templo Veneris erat factũ candelabrum, in quo erat lucerna ſic ardens, vt nulla tempeſtate & nullo imbre extingui poſſet, *vt dicit Iſid. lib. 16. in cap. de gemmis.*

Cap. XIII.

De Aſycto.

Asyctos eſt gemma nigra, ponderoſa, diſtincta venis rubentibus: hæc calefacta igni, ſeptem diebus calorem tenet, *vt dic. Iſid. cap. de nigris gemmis.*

CAP.

CAP. XIV.

De Alabandina.

ALabandina est gemma, dicta ab Alabanda regione Asiæ, cuius color similis est chalcedonio, sed rarior, *vt dicit Isid. cap. de crystallis. Secundum Dias.* autem alabandina est gemma clara & subrufa, vt sardius, cuius virtus est sanguinem prouocare & augmentare.

CAP. XV.

De Argirite.

ARgirites est gemma argento similis, habens stigmata aurea, cui similis est in colore andromaia. Est enim lapis cuius color argenteus est, *vt dicit Isidor.* cui est forma quadrangula sicut tesseræ, & fortitudo sicut adamantis. Huic putant magi nomen impositum ab eo, quod animorum impetus vel iracundias creditur refrenare, *vt dicit Isid. cap. de gemmis aureis.*

CAP. XVI.

De Astrione.

AStrion est gemma Indica crystallo propinqua, in cuius centro lucet stella fulgore Lunæ plenæ, sic autem dicitur ab astris, eò quod eis opposita fulgorem rapit *Isid. cap. de crystallis.*

CAP. XVII.

De Alectoria.

ALectoria siue Alectorius est lapis, qui inuenitur in ventriculis gallinaceis, crystallo obscuro similis, cuius vltima magnitudo est ad fabæ quantitatem. Hic in certamine secundum magos creditur reddere homines insuperabiles & inuictos, *vt dicitur in lapida. De hac gemma dicit Dias.* Alectorius lapis excitat Venerem, gratum facit & constantem, ac victorem discretum & oratorem, amicos reformat & reprimit in ore sitim.

CAP. XVIII.

De Asteria.

ASteria est gemma candida, inclusam continens lucem sicut stella, intus ambulantem, redditq; Solis radios candicantes.

CAP. XIX.

De Amatide.

AMatides est lapis vel gemma, à qua si vestis fuerit contacta, contra ignem resistit, & si igni imponatur, non ardebit, sed splendore accepto nitidior apparebit, & est similis alumini scissili, omnibus magorum maleficiis obuians & resistens, *vt dicit Isid. lib.7. cap.*10.

CAP. XX.

De Bitumine.

BItumen est terra à gleba limosa & viscosa, in locis precipue palustribus genera. Est autem *secundum Isidorum lib.*16. *capit.* 2. quædam terra glutinosa, quæ iuxta lacum Asphaltidem in Iudæa reperitur, cuius natura est ardens & igni cognata, & est tantæ tenacitatis, quod nec aqua nec ferro rumpitur, sed solum sanguine menstruali. Est autem vtilis ad nauium compaginationem. De hoc bitumine *dicitur in Platone,* asphalti, id est, bitumen Iudaicum calidum & siccum in tertio gradu, & est terra nigri coloris, & ponderosa & fœtida, & est terra, *vt dicunt aliqui* de spuma maris mortui generata, & ad modum terræ indurata, habet autem virtutem attrahendi, consolidandi & consumendi, & multum valet ad vulnera & vlcera consolidanda, si pulueriſetur, & sic vulneri superponatur, & si vulnus fuerit multum, longum, & latum. Valet etiam ad passiones matricis spiritualia comprimentis, si ponatur super carbones, & fumus eius qui est fœtidus super os & nares contrahatur. Valet insuper phlegmaticis, somnolentis, lethargicis, quia phlegma de capite multum purgat, *vt dicit Plato.*

CAP.

CAP. XXI.

De Beryllo.

BEryllus est lapis Indicus, in viriditate similis smaragdo sed cum pallore. Politur ab Indis in sexangulas formas, vt coloris hebetudo repercussu angulorum excitetur, aliter autem politus non habet fulgorem. Genera autem eius sunt decem, *vt dicit Isidorus capite de viridibus gemmis*, vbi etiam statim subditur. Chrysoberyllus species scil. est Berylli, cuius pallida viriditas in aureum colorem resplendet, & hunc etiam India mittit nobis. Berylli virtutes *describit Dioscor. dicens*. Inter beryllos qui magis pallet, melior est, virtus eius contra pericula hostium & contra lites, inuictum reddit & mitem, ingenium bonum adhibet, valet contra vitia epatis, & contra suspiria & eructationes, humidos oculos sanat, manum gestantis exurit, si Solis radio opponatur, hominem magnificat, & amorem coniungit coniugalem.

CAP. XXII.

De Calculo.

CAlculus est lapillus terræ admixtus, rotundus atq; durissimus purus, & ex omni parte lenissimus atq; planus, dictus autem est calculus, eo quod sine molestia sui breuitate & planitie à pedibus conculcetur, cui contrarius est scrupulus, lapillus scilicet asperrimus, & minutus qui si inter pedem & calceum inciderit, valde nocet, hic & saxa dicuntur scrupea, id est aspera atque dura, *vt dicit Isidorus lib. 15. cap. 3.* sæpe autem lapillus in corpore animalis ex calidis & viscosis humoribus, nunc in vesica nunc in renibus generatur, *vt dicit Constantinus, quære supra libr. 7. de passionibus renum, cap. de calculo.*

CAP. XXIII.

De Cote.

COs est lapis sic dictus, eo quod ferrum ad incidendum acuat. Διακοπὴ enim Græco sermone incisio dicitur, *vt dicit Isidorus*. Et ex his aliæ aquariæ sunt, aliæ oleo indigent in acuendo, sed oleum lenem, aqua vero aciem acerrimam reddit, *vt dicit Isidorus libro eodem ca.* 3. hoc autem

cotis proprium habet, quod in hoc, quod acuendo alteri seruit, paulatim se consumit, *Vt dicit Gregorius*, puluis vero eius ab ipsius substantia resolutus, congruit medicinæ, virtutem habet desiccatiuam, repercussiuam, & sanguinis restrictiuam, *Vt dicit Constantinus.*

CAP. XXIIII.

De Calce.

CAlx est lapis adustus, ex cuius admixtione cum arena & aqua fit cæmentum. Est autem calx dicta viua, *Vt dicit Isidorus*, quia dum sit tactu frigida, intus tamen in occulto feruentem habet naturam vel continet ignem. Vnde & perfusa aqua statim ignis erumpit latens. Cuius natura aliquod mirum habet, postquam non arserit, aquis incenditur, quibus solet ignis extingui, oleo vero extinguitur quo solet ignis accendi. Vsus est fabricæ necessarius, nam lapis lapidi non potest hærere fortius, nisi calce sit coniunctus. Calcis autem quæ fit ex lapide albo & duro, melior est structuris. Ex molli vero vtilior est in tectis. *Hucusque Isidor. lib. 16. cap.* 3. Calx autem *secundum Platonem* calida est & sicca in quarto gradu, quæ mixta cum oleo pustulas & vulnera putrida iuuat, & incisiones bene consolidat, carnem superfluam corrodit, nec in vulnere crescere permittit. Calx viua cum auripigmento & aqua ad modum pultis decocta, pilos cadere facit, quia suo acumine poros aperit, *Vt dicit Constantinus & Plato.*

CAP. XXV.

De Camento.

CAementum est calcis & arenæ cum aqua temperatæ coniunctio & mixtura, quæ ad lapides coniungendos & parietes liniendos & dealbandos summe est necessaria. In picturis & coloribus parietum primum stramentum & præcipuum est cæmentum. Melius autem adhæret parieti humefacto, & maxime si fuerit de plastro siue gypso. Nam *Vt dicit Isidorus*, gypsum calcis est cognatum. Optimum autem omnium lapidum est de lapide speculari factum cæmentum, qui lapis translucet sicut vitrum, & multum scissibilis in tenues crustas, *Vt dicit Isidorus.* Et est idem quod

quod plastrum, quod in Græco dicitur gypsum, sed in Teutonico speretalonum nuncupatur.

CAP. XXVI.

De Carbunculo.

CArbunculus lapis est preciosissimus, sic dictus, quia vt carbo est ignitus, cuius fulgor nec nocte vincitur, lucet enim in tenebris adeo, vt flammas ad oculos vibret. Genera eius sunt duodecim, sed præstantiores sunt, qui fulgent & emittunt radios sicut ignis, *vt dicit Isidorus libr. 16. cap. 13. Ibidem subditur.* Carbunculus græce ἄνθραξ dicitur gignitur in Libya apud Troglodytas. Inter has duodecim species præcellit Anthracites, qui ignei est coloris, sed candida vena præcinctus, cuius est proprium quod proiectus in ignem velut inter mortuos carbones extinguitur, sed aqua perfusus exardescit. Alia est species carbunculi nomine Sandareson, à loco Indiæ, vbi inuenitur, sic dictus, in cuius specie velut intra lucidos ignes apparent quædam guttæ quasi aureæ, & hæc gemma est precii incomparabilis respectu aliarum. Alia est species quæ Lychnites appellatur, à lucernarum fragrantia sic dicta, & hanc gemmam remissum carbunculum dicunt. Et est duplex, vna quæ vt purpura radiat; altera velut coccinei coloris seu ruboris. Hæc à sole vel tactu digitorum calefacta, paleas & chartarum folia ad se rapere dicitur, sculpturis resistit: si vero aliquando sculpta fuerit, dum signa in cera imprimit quasi quodam animalis morsu partem ceræ secum tollit, *vt dicit Isidorus ibidem.* Ad speciem carbunculi reducitur *Balagius*, qui rubeus est & perlucidus, *vt dicit Dioscori.* Et dicitur quod hæc species carbũculi in vena sapphiri inuenitur, & ideo ex vicinitate sapphiri quandam nebulam, ad modum fauillæ, circa ignem balagius contrahit, quæ circa eius superficiem se diffundit, & hoc patet sensibiliter, si diligentius contempletur.

CAP. XXVII.

De Chrysopraso.

CHrysoprasus est lapis Æthiopicus, quem lux celat, & prodit obscuritas. De nocte enim est igneus, de die

vero aureus, *vt dicit Isidorus ibidem*. In die enim quasi euanescens & fulgorem emittens, quasi aurum expallescit. Est autem alia species Chrysoprasi quam India nutrit. Hic Chrysoprasus similis est Prasio in colore siue porro, & respergitur quibusdam guttis aureis, *vt dicitur in Lapidario*.

CAP. XXVIII.

De Chalcedonio.

CHalcedonius est lapis pallidus, hebetem prætendens colorem, quasi medium inter Beryllũ & Hyacinthum, *vt dicitur in Lapidario*. Nascitur autem apud Nasamos, *vt ferunt*, diuino imbre, & inuenitur ad repercussum Lunę plenæ, *vt dicit Isidorus libro 16.* Non inuenitur nisi tricolor, *vt dicit Lapid.* Omnia eius genera sculpturę resistunt, calefactus paleam attrahit, Isidor. Hic lapis perforatus & portatus, facit vincere causas, & valet contra illusiones dæmonum & virtutes conseruat, *vt dicit Dios.*

CAP. XXIX.

De Chrysolitho.

CHrysolithus est lapis & Æthiopicus, vt aurum lucens, & vt ignis scintillans, mari in colore est similis, declinans ad virorem, in auro positus, & in sinistro lacerto gestatus, dicitur terrere dæmones & fugare. Iuuat contra timores nocturnos, & melancholiam minuit, aut depellit, & confortat intellectũ, *vt dicit Dias.* Chrysolithi quædã species est Chrysolãpis, cuius color de die aureus, de nocte vero igneus iudicatur. Est & alia species Chrysolithi, quæ dicitur Chrysolentus, colore aureus, eius aspectus de mane pulcrior est. Deinde hebetatur eius color, & est ignis capacissimus, qui si iuxta ignem fuerit, citius inflammatur, *vt dicit Isidorus lib.15.cap.de gemmis aureis.*

CAP. XXX.

De Chelidonia.

CHelidonia lapis est modicus, tamen preciosus. Huius duæ sunt species, scilicet niger & rufus. De ventre hirundinis extrahuntur, parui quidem sunt & deformes, sed in virtutibus non sunt maioribus impares, imo multis

aliis

aliis sunt maiores. Valet enim rufus contra Lunaticam passionem, & contra insaniam & antiquum languorem, facundum facit & gratum & placentem. Niger vero valet contra noxios humores & febres & iras, & lotus aqua, sanat oculos. *Hæc omnia dicuntur in Lapidario.*

Cap. XXXI.

De Crystallo.

CRystallus lapis est relucens, clarus, & colore aquosus, crediturque quod sit nix vel glacies, per multorũ annorum spacia indurata: vnde & nomen ei Græci dederunt. Gignitur in Asia & Cypro, maxime in septentrionalibus alpibus, vbi in æstate Sol feruentissimus inuenitur, & ideo quia annosa & diuturna est ibi glacies, ideo speciem reddit hanc, quæ crystallus nominatur. Hic si fuerit oppositus Solis radiis, adeo capit flammam, vt aridis fungis ignem præbeat. Vsus eius ad pocula destinatur, nihil aliud operatur quam frigidum facere potest. *Hucusq; Isidor lib. 16. ca. 13 De Crystallo autem dicit Dios.* Crystallus non vi frigoris tantùm, sed vi magis terrestreitatis in lapidem induratur. Color autem illius glaciei est similis. Huius virtus est contra sitim & ardorem, qui tritus melle & potatus lacte, replet vbera, si ex causa calida lac prius sit amissum. Et etiam sumptus in potu, valet contra colicam passionem & viscerum, si non adsit constipatio. Lapis est luci peruius, vnde literas & alia, quæ in eo ponuntur, manifestat. Quod autem ex aqua materialiter fiat crystallus, *dicit Gregorius super primum Ezechielis*, habet (*inquit*) aqua ex se fluiditatem, sed per frigoris vehementiam in crystalli conuertitur firmitatem, *Vnde in Ecclesiast. scribitur. Flauit Ventus aquilo & congelauit crystallum, &c.* Et huius assignat *Aristoteles rationem in libro meteoror. ibi*: lapidea de substantiis mineralibus materialiter sunt aqua, *Vt dicit Richardus Rufus.* Lapides mineralium sunt de aqua, sed tamen quia habent de terra siccitate plus quam liquabilia, ideo non congelantur solo frigore aquoso, sed etiam terrea siccitate quæ permutat aquosum terreum in vitreum, quando super aquam dominatur & vincit frigiditas superducta. Ex quo patet quod vera est ratio *Greg. & Eccl.* qui dicunt quod ex aqua potest crystallus generari.

CAP.

CAP. XXXII.

De Ceraunia.

CEraunia est lapis crystallo similis, cæruleo colore infectus, & est apud Germaniam. Alter est Hispanicus, rutilans vt flamma. Hi cadunt de locis tonitrui & dicuntur contra vim fulgurum opitulari, *vt dicit Isidor. ibidem. Idem in Lapidario vbi dicitur.*

Cum tonat horrendum, cum fulminat igneus æther.
Nubibus illisus cœlo cadit iste lapillus.
Qui caste gerit hunc, à fulmine non ferietur.
Nec domus nec villæ quibus adfuerit lapis ille.

Virtus vtriusq; est ad prælia & causas vincendas, & valent ad dulces somnos, *vt dicitur ibidem.*

CAP. XXXIII.

De Coralio.

COralium nascitur in mari rubro, & quamdiu tegitur aquis, lignum est, sed statim quando extrahitur & tangitur aere, in lapidem induratur. Sunt autem rami eius sub aqua candidi & molles, extracti cum retibus rubescunt & lapidificantur, *vt dicit Isidorus capit. de rubris gemmis. Et sequitur ibidem*, quantum apud nos preciosa est Indica margarita, tanto preciosior est coralium apud Indos. Hoc magi dicunt resistere contra fulmen. *Isidorus. Idem dicitur in lapidario.* Ipsius est, *vt ait Zoroastes*, mira potestas.

Fulmina, riphones, tempestatesq; repellit.
-- A quocunq; geratur.

Est autẽ duplex, albus & rufus, & nunquam vltra semipedẽ longior inuenitur. Rufus maxime valet contra omnem fluxum sanguinis, contra epilepsiam & contra diabolica & varia monstra, multiplicat fructus & expedit fines & principia negociorum.

CAP. XXXIV.

De Corneolo.

COrneolus lapis est rufus & obscurus, vtilis tamen est & preciosus, qui in collo suspensus, vel in digito portatus.

In disceptando surgentes mitigat iras.
Sanguinis ex membro sistit quemcunque fluorem.
Præcipue talem patitur si fœmina fluxum.
Vt dicitur in Lapidario.

CAP. XXXV.

De Dionysia.

Dionysias lapis est niger vel fuscus, rubentibus venis sparsus, vocatur autem ita quod si aqua mixtus conteratur, vinum alias nimium flagrat, & tamen quod in illo mirum est, ebrietati resistit, *Vt dicit Isid. lib.* 16.

CAP. XXXVI.

De Diadocho.

Diadochus lapis est pallidus, lucens vt beryllus, & est aptus ad responsa à dæmonibus obtinenda, excitat enim dæmones & phantasmata, & si defuncto quis forsan applicet illum, protinus asseritur solitas amittere vires.
Nam sacer hic lapis est, & quæ mors sternit, abhorret.
Sicut dicitur in lapidario.

CAP. XXXVII.

De Aere.

Æs à splendore aeris est vocatum, *Vt dicit Isidor.* Apud antiquos enim antequam ferri cognitus fuit vsus, ære primi perscindebant terram & belli certamina peragebant, tunc aurum & argentum reiiciebant, nunc vero aurum in summo honore est.
Sic voluenda ætas commutat tempora rerum.
Verba sunt Isidor. lib. 16. Idem autem æs est & cuprum, quia vtrumque ex eodem lapide per decoctionem ignis resoluitur. Lapis enim calore ignis resolutus in æs conuertitur, Iob 28. Componitur autem æs siue cuprum, sicut & alia metalla, ex sulphure & argento viuo. Sed hoc accidit quando plus est de sulphure quam de argento viuo, & sulphur est terreum & non purum, rubeum habens colorem adurentem. Argentum vero viuum, mediocre, nec nimis grossum, nec nimis subtile. Et ex tali commixtione æs generatur, *sicut Arist, Sicut autem dicit Isid. cap. de are:* Æs si fue-

rit admixtum cum aliis metallis, colorem mutat pariter & virtutem, vt patet in aurichalco & in ære corinthio, quia cum diuersis metallis est coniunctum. Vnde quoddam est album ad nitorem argenti accedens, aliud fuscum, speciem auri exprimens: tertiam in quo cunctorum est temperies. Est & aliud genus æris quod dicitur coronarium, quod scilicet ex ductili ære in laminas attenuatur, & felle tauri tingitur, speciem auri prætendit in coronis histrionum, vnde & coronarium est vocatum. Est autem quod ductile est & malleo producitur, regulare appellatur, econtra fusile quod tantum funditur, sed quod fusile est sub malleo, fragile est. Quando autem æs bene purgatur & ab omnibus viciis excoquitur, ductile efficitur & regulare. Omne autem æs in frigore magno melius funditur. Aes celerius rubiginem contrahit, nisi oleo perungatur. Item inter omnia metalla est vocalissimum, & maximæ potestatis. *Hucusque Isidor. lib.* 15. maxime conuenit vsui tubarum & campanarum, propter suam sonoritatem & durabilitatem, lapis vnde excoquitur, est maximæ duriciei & compactionis, vnde non facile frangitur, nisi prius in rupe igne fortissimo exuratur. Octies autem vel nonies comburitur, antequam extrahatur perfecte de lapide & purgetur, sicut mihi sæpius certissime asseruerunt in loco, vbi foditur, æris purgatores. Vasa ænea rubiginosa sunt & eruginosa, nisi sæpius arena aspera confricentur. Olfactu etiam & gustu sunt abominabilia, nisi cum stanno sint linita. Aes etiam si sine stanno fuerit, de facili vritur & crematur, *vt dicit Isidor. cap. de stanno.* Aes vero exustum & puluerisatum, *vt dicitur in Plat.* habet virtutem dissoluendi, & consumendi & extenuandi, & humores noxios expurgandi, vulnera sanat, caliginem oculorum purgat, carnes superfluas corrodit & vlterius crescere non permittit, *vt dicit Plat. & etiam Dyas.*

CAP. XXXVIII.

De Electro. Amber

ELectrum est vocatum, eo quod ad solis radium auro clarius luceat & argento, nam Sol à Poetis electron dicitur. Efficacius autem est hoc metallum omnibus metallis & nobilius. Huius tria sunt genera: vnum quod ex pino ae-

y in accinu ... y,nturium

no arbore fluit quod ſuccinum dicitur, quando enim primo fluit de arbore, eſt liquidum gummi, ſed poſt induratur calore vel frigore in duriciem lapidis perſpicui, vt cryſtalli. Alterum genus metallum dicitur, quod naturaliter inuenitur & in precio habetur. Tertium fit de tribus peciis auri & vna argenti. Electrum vero quod naturale eſt, illius eſt naturæ, vt in conuiuio ad lumina clarius cunctis metallis fulgeat, & venenum prodat, nam ſi eo infundas, ſtridorem edit, & in colores varios in modum arcus cœleſtis ſe mutare ſubito conſueuit. *Hucuſq; Iſidor. lib. 15. de metallis Vlt.* De electro autem artificiali *dicitur ſupra Ezech.* dum aurum, *inquit Greg.* miſcetur cum argento, argentum ad claritatem creſcit, aurum autem cum claritate argenti temperatum, virtutem ſuam non perdit, ſed tantummodo quo ad decorem coadmixti argenti aliquantulum expalleſcit. Electrum etiam verum à quibuſdam harpago dicitur, eo quod attritu digitorum accepta caloris gratia, omnia folia, paleas & veſtimentorum fimbrias rapiat & attrahat, ſicut magnes ferrum, *Vt dicit Iſid. lib. 16. cap. de rubeis gemmis.* De facili autem quocunque modo homo voluerit, recipit colorem & tincturam. Vnde de radice Auenſe & conchilio defacili inficitur, *Vt dicit idem ibidem.*

Harpa vel Harpa

CAP. XXXIX.

De Ætite.

ÆTites lapis eſt Indicus & Perſicus, qui in litoribus Oceani in ſinu tam Indici maris quam Perſici inuenitur. Eſt autem lapis colore puniceo, ſicut dicitur in lapidario, & eſt duplex, *Vt dicit Iſidor.* ſcil. maſculus & fœmina; Vnde & bini ſemper in nidis aquilarum inueniuntur, nec ſine his parere poteſt aquila, & ideo aquila iſtos ſeruat in nido ſuo. Horum maſculus durus eſt & ſimilis gallæ, & ſubrutilans, fœmineus vero mollis eſt, & hi lapilli alligati parienti, faciunt partus celeritatem, & etiam faciunt aliquando abortiri, ſi nimis diu ibi dimittuntur, & aliquid excidit uuluę, niſi cito à parturientibus auferantur, *Vt dicit Iſidor lib. 16. cap. 4.* Hic etiam lapis more prægnantis alium lapidem in ſe tenet clauſum, *Vt dicit Dyaſ. & in lapidario dicitur.* Continet hic alium prægnantis more lapillum.

Eius

Eius virtus est conferre sobrietatem, diuitias auget & amorem, & facit victorem & fauorabilem, & caducorum prohibet casum, si de veneni fraude quis suspectus fuerit, si reus fuerit, hic lapis sub cibo eius positus, cibum deglutire non permittit, quod si lapis subtractus fuerit, cibum deglutire non tardabit.

Cap. XL.

De Hæmatite.

HÆmatites lapis est rufus, ferrugineus, Affricus & Indicus ac Arabicus, sic dictus, eo quod cruore resolutus, in colorem sanguineum mox erumpit, *vt dicit Isidor.* valet contra vesicæ fluxum & oculorum dolores, contra venenum & serpentis morsum, & ventris fluxum omnem sanguinem stringit, & maxime muliebrē, & gingiuarum, *vt dicit Dias. in Plat. autem dicitur* frigidæ & siccæ esse complexionis, & habet virtutem constringēdi fluxum sanguinis, dicitur autem ab αἷμα quod est sanguis, & τίθημι, quod est sisto, vnde valet hæmoptoicis, id est, sanguinem vomentibus & dysentericis singulare præsidium est.

Cap. XLI.

De Heliotropio.

HEliotropiū gemma est viridis cum guttis puniceis, venis sanguineis superspersa. Et est sic dicta ab effectu, quia si ponitur in aqua radiis Solis opposita, ebullire facit, & aquam in vase positam resoluit in nebulam, & post paululum resoluitur in guttulas pluuiales. Hæc eadem etiam gemma videtur posse facere mira, nam posita in pelui in aqua clara radios Solis mutat, & ex aeris repercussione obumbrare videtur radiorum solariorum claritatem, & quandam inducere in colore sanguineum colorem, ac si Sol ex interpositione corporis lunaris ad Solem eclipticas pati tenebras videatur. Et ideo, quia illa videtur Solis posse mutare claritatem, heliotropium, id est, Solis auersio nuncupatur, *& hoc expresse dicit Isid. Et Dias. In lapidario dicitur*:

Ex re nomen habens est heliotropia gemma,
Quæ Solis radiis in aqua subiecto vacillo.

Sanguineum reddit mutato lumine Solem,
Eclipsimque nouam terris effundere cogit, &c.

Et dicit Isidor. quod ita manifestat incantatorum stultitiã & magorum, qui in suis prodigiis gloriantur. Illudunt enim hominum aspectibus in his, quæ operantur, sicut facit gemma supradicta, de qua exemplificando dicit, quod herba eiusdem nominis cum quibusdam incantationibus additis, fallendo visum intuentium, facit portantem hominem non videri. In multis aliis est gemma hæc commendabilis, quia sanguinem stringit, venena tollit, nec falli poterit qui eam gesserit, &c.

CAP. XLII.

De Enhydro.

ENhydros paruus lapis est & modicus, perpetuis distillat guttis, nec tamen liquefit omnino, nec efficitur aliquo modo minor. Vnde dicitur in lapida.

Perpetui fletus lacrymis distillat enhydros,
Qui velut ex pleni fontis scaturigine manat.

Et dicitur ibid. quod difficile est huiusmodi reddere rationem, quia si gutta defluit de lapidis substantia, quare non minor efficitur, vel omnino liquescit, si vero ros vel aliud ipsum ingreditur, quid est quod ingrediens non repellit egredientem? Potest tamen esse, *vt mihi videtur,* quod virtus lapidis condensat in aquam, aerem sibi viciniùs propinquantem, vt iam videatur exire de substantia lapidis, quod egreditur de substantia aeris circumstantis.

CAP. XLIII.

De Epistide.

EPistides est lapillus rutilans & rubicundus, qui ex parte cordis gestatus, tutum seruat, compescit seditiones, coercet locustas & volucres steriles, nebulas ac grandines à fructibus terræ, & oppositus Soli ignem & radios emittit. Et si hunc lapidem in aquam feruentem proieceris, cessat eius ebullitio & post modicum frigescit, *vt dicit Isidorus & Dioscorid.*

Cap. XLIV.

De Exoliceto.

EXolicetus lapis est sic dictus, eo quod 40. coloribus est distinctus, & est paruus valde, & efficit oculos intuẽtis hominis tremulos. In Libya apud Troglodytas inuenitur.

Cap. XLX.

De Ferro.

FErrum à feriendo est dictum, *Vt dicit Isidorus*, sua enim duritie ferit, domat & concutit omnia genera metallorum. Quod quidem quamuis de terra originem contrahat, durissimum tamen est & solidissimum, & ideo omnia alia feriendo comprimit & dilatat. Et hoc *Vt dicit Isidorus*, iuxta terræ genus nomen assumit, & per hoc multipliciter variatur, quia secundum hoc magis durum vel minus inuenitur. Generatur autem ferrum *secundum Aristotelem* ex argento viuo, grosso, non mundo neque poroso terreo: & sulphure grosso, in cuius compositione plus est de prædicto sulphure quam de argento viuo. Vnde propter dominium frigidi & sicci & terrei, ferrum frigidum & siccum, valde durum est in suis partibus & compactum, & quia minus habet in se aerei & aquei humidi quam alia metalla, ideo ad resoluendum in igne difficilis est & graue ad remolliendum, *Vt dic. Rich.* Ferramenta vero cum oleo temperare mos est, ne aquæ frigiditate nimiũ indurentur, *Vt dic. Isi.* ferrum ex sanguinis cõtactu citissime rubiginem contrahit, & dum eius substantiã subintrauerit vix recedit, *Vt dicit Isidor.* Rubigo est vitium rodens ferrum quod ei accidit, vel suæ substantiæ impuritate siue ex terræ contactu & vicinitate: siue ex sanguinis siue cuiuslibet infecti aut humidi vaporis qualitate. *Et subdit idem:* A ferro, inquit, sanguis humanus effunditur, & de ferro se vlciscitur, quia de re nulla alia ita cito per rubiginem consumitur, sicut quando humano sanguine immundatur. Cum ferro magnes concordiam habet, vnde & magnes ipsum attrahit, & ipsum attractum etiam mediante vase argenteo vel æneo ipsum sequitur, eiq; subiicitur & obedit. Si ferrũ bene politum alumine vel aceto linitum fuerit, simillimum fit æri, Rubigine carebit politum ferrum, si cerussa vel medulla

ceruina fuerit perlinitum, *Isid.* Ferrum candens si in vino vel in lacte sæpius extinctum fuerit, ipsum vinum spleneticis & aliis morbidis medicare facit, *vt dicit Constanti.* Ferrum etiam, *vt dicit Isid.* accensum igni, nisi induretur, ictibus corrumpitur. Rubens in igne non est vtile ad cudendum, antequam albescere incipiat vel albere. Vsus ferri vtilior est homini in pluribus quam vsus auri. Et quamuis plus diligatur auri species ab auaris, sine ferro enim respublica tute non agitur, quia sine eius metu, securitas ab hostibus non habetur. Ferro communis iustitia regitur, tuetur innocentia, & improborum audacia ferri metu coercetur. Sine ferro nullum fere opus mechanicum vix perficitur, nullum ædificium construitur, agricultura nullatenus exercetur. Et ideo, *secundum Isid.* est dictum ferrum eo quod farra, id est, semina condat, quia sine ferro nec panis de terra acquiritur, nec etiam iam paratus panis sine ferro congrui diuiditur, vt in vsum cibi ab homine assumatur. Item ferrum ferro acuitur, *vt dicit Salomon.* Nam confricatione mutua hebetudo ferri iterum attenuatur, & sic acuitur, vt inde facilius quodlibet incidatur. Scoria dicitur ferri immunditia, quæ in igne excoquitur, & est sic dicta, eo quod de ferro ignis violentia sit excussa, *vt dicit Isidorus.*

CAP. XLVI.

De Ferrugine.

FErrugo est limatura ferri, sicut squama est illud, quod euolat ex percussione ferri. Et habet virtutem siccandi & attenuandi, & ideo valet contra opilationem splenis, vomitum tamen potenter excitat in tantũ quod aliquando ducitur ad mortem, nisi puluere adamantis vel aqua, in qua per noctẽ iacuerit, eius violentia reprimatur. Contra hęmorrhoidas dicitur esse puluis eius optimus. Dysenteriam, id est, fluxum ventris stringit, *vt in Plat.* Ferrugo etiam dicitur ferri rubigo, & corrosio, dicta à corrodendo. Dicitur tamen proprie ærugo ab erodendo, non ab æramento, *vt dicit Isidor.* Manus siquidem tangentis inficit, & maculam deformem post se relinquit, quanto ferrum magis purum & politum est, tanto euidentius & citius à rubigine defœdatur & difficilius remouetur. Nec de

facili deponitur nisi tribus modis, scil. per ignis excoctionem, vel per serræ vel per limæ corrosionem: vel per collisionem lapidis & durioris arenulæ extersionem. Hoc autem habet proprium æruginis infectio, quod occasione leui reuertitur ad locum, in quo semel radicatur.

CAP. XLVIII.

De Gleba.

GLeba ex collectione pulueris est in vno glomere coadunata, *vt dicit Isid. lib. 16. cap. 1.* Terra enim ligata gleba est, soluta vero puluis. Indurata in globum terra, semen non recipit, & receptum erumpere in germen nõ permittit: confracta vero tegit semina atque nutrit, per pluuiam remollita, quandam pinguedinem in se recolligit, quam ad seminum productionem radicibus circumfundat, *vt dicit Gregor.* Aliquando etiam glebæ naturam in se continent mineralem, & ideo ex glebis diuersarum rerum species producuntur, *sicut dicit Gregor. super illum locum Iob. 28. Lapides sapphiri locus eius, & gleba illius aurũ.*

CAP. XLVIII.

De Gemma.

GEmma dicitur eo quod luceat instar gummi, *vt dicit Isidor.* Gemmæ siquidem magnum decorem varietate colorum præbent auto. Ideo autem, *dicit Isidor.* dicuntur preciosæ, quia raræ sunt atque caræ. *Omne enim rarum magnum & preciosum vocatur, sicut scriptum est. Erat sermo Dei preciosus, id est rarus. Isido.* Nec alicui debet videri dubium aut falsum, quin sua sit virtus diuinitus insita gemmis. *Quia sicut dicitur in lapide:*

Ingens est herbis virtus, sed maxima gemmis.

Quarum quædam in venis terræ inueniuntur, & cum metallis effodiuntur, quædam à profundo maris euomuntur, & generationis ipsarum locus ignoratur, & tales gemmæ sæpe in littoribus maris & fluuiorum glareis reperiuntur, quædam in corporibus auium & reptilium sæpius procreantur. Vndecunque autem gemmæ venerint, incredibili virtute inueniuntur diuinitus insignitæ, quando nobiles sunt & veræ. Nam, *vt dicit Isidor. cap. de gemmis aureis,*

aureis, in quibusdam gemmarum generibus veras à falsis discernere magna difficultas est. Nam sæpe illæ quæ sunt falsæ & sophisticæ, veris videntur esse simillimæ, ita vt vix possunt veræ à sophisticis deprehendi. Quia quædã, *vt dic. Isidor.* pro smaragdo vitrum arte inficiunt, & fallit oculos subdola quædam viriditatis similitudo. *Sine fraude enim nulla mortalium est vita. Isido.* Omnes autem non translucidas gemmas cæcas solemus appellare, eo quod densitate sui obscurentur. *Isidor.* Sed sæpe fallunt sic iudicantes, quia plus virtutis sæpe latet in paruulo adamante ferrugineo & obscuro, quã in sardio lucidissimo vel beryllo.

CAP. XLIX.

De Gagate.

GAgates est lapis rudis, & tamen preciosus, qui primo in Sicilia & Gagate flumine est repertus, fluore fluminis ad ripam iactus, vnde est nominatus, quamuis in Britannia sit plurimus & eximius, *vt dicit Isido.* Est autem duplex, scil. glaucus & niger. Niger autem est plenus, leuis, & facile combustibilis igni appositus fere sicut thus, incensus autem odore suo serpentes fugat, dęmoniacos prodit, & dæmonibus contrarius esse putatur. Virginitatem prodit, quia aqua eius bibita, si bibens est virgo, non vrinabit, si non est virgo, statim vrinam emittet, etiam contra voluntatem, *vt dicit Dios.* & sic virginitas per lapidem experitur, *vt dicunt autores.* Item idem lapis tam niger quam glaucus attritu digitorum calefactus, paleas leues sibi appositas attrahere consueuit. Potus autem confert, hydropicis, quia nociuum consumit humorem. Et dicitur cõfortare epar sua forsan siccitate, & etiam occulta qualitate. Item puluis eius appositus dentes roborat, debiles & laxatos confirmat. Item multum dicitur valere contra phantasmata & nocturnas dæmonum vexationes. Item eius suffumigatio prouocat menstrua, quando casu aliquo sunt ablata. Item dicitur sedare dolores ventris, quando stomachus patitur casu aliquo subuersionem. Item vincit præstigias & carmina dura resoluit, *vt dicitur in Lapid.* Item valde accelerat partum & adiuuat patientem, *vt dicitur in Lapid.* Vnde si lapis tam grossus & ru-

dis, tam mirabilia operatur, nullius propter exteriorem faciem vilipendendus est quamdiu virtus latens interius ignoratur. *De hoc autem lapide dicit Isido.* in aqua accenditur, extinguitur vero in oleo quod est mirum.

CAP. L.

De Galactite.

GAlactites est lapis colore cinereus, gustu suauis, qui si attritus fuerit, quoddam lacteum de se emittit, *vt dicit Isido.* Hic lapis in ore clausus turbat mentem, circundatus collo vbera lacte replet, alligatus fæmori dat faciles partus, mixtus aqua & sale, si circumspergatur ouili, oues replentur lacte, & scabies fugatur ab eis, *vt dicit Dios.*

CAP. LI.

De Chalazia.

CHalazia gemma est candida, habens speciem grandinis in figura. Et est tantæ frigiditatis, quod nunquam ab igne calefit, *Isid. & Dios.*

CAP. LII.

De Geranite.

GEranites lapis est niger,

-- sed superat virtute colorem,
Quo prius abluto, si quis gestauerit ore,
Dicere mox poterit, quid de se cogitat alter.

Sicut dicitur in Lapid. Dilectum reddit & amabilem eum, super quem est, sicque probatur virtus eius, nam si inunctum fuerit corpus alicuius melle & muscis expositum, relinquunt eum muscę, si præsens fuerit iste lapis. Sed si lapidem subtraxerit, sugent corpus eius & corrumpent.

CAP. LIII.

De Iaspide.

IAspis est Gemma viridis, smaragdo similis, sed crassi coloris simpliciter est. Eius species sunt septemdecim, *vt dic. Isid.* nam ἰας viride, pinnasim gemma dicitur, quamuis autem

autem eius color præcipuus sit viridis, tamen multos habet alios intermixtos. Eius virtus est reprimere febres & hydropisim in his, qui gestant ipsum caste. Iuuat etiam parturientem, fugat phantasmata, & inter pericula facit hominem tutum, interiorem refrigerat ardorem, fluentem compescit sanguinem & sudorem, luxuriam cohibet & impedit cōceptum, menstrua constringit & hęmorrhoides, si puluerisetur datus cum lacte, vlcera inueterata sanat, sordes oculorum purgat, & visum acuit & confortat, maleficiis & incantationibus resistit, efficacior est in argento quam in auro. In capite aspidis inuenitur lapillus Iaspidi similis, qui miræ creditur esse efficaciæ & virtutis, & ideo quidam Iaspidem quasi aspidem dictum esse credunt, tot autem creditur habere virtutes, quot habet diuersas venulas & colores, *Vt dicit Dios.* In montibus Scythiæ inuenitur optimus & à gryphonib. custoditur, quemadmodum smaragdus, *Vt dicit Isido.*

Cap. LIIII.

De Hyacintho.

HYacinthus lapis est cæruleus & sapphirei coloris aliquantulum & propinquus, ex colore suo nomen habens, *Vt dicit Isidorus.* Lapis Hyacinthus quidam in Æthiopia est inuentus. Optimus est, qui nec nimis clarus nec etiam nimium est obscurus vel obtusus, sed ex vtriusq; temperamento mediocriter est refulgens *Isidor.* Hic non rutilat æqualiter. In aere sereno enim gratus & etiam perspicuus, in nubilo coram oculis est marcidus & obtusus. *Isid.* In os missus, sentitur frigidus, ad sculpendum est durissimus, non tamen est inuictus, quia ab adamante scribitur & signatur, *Vt dicit Isidor. secundum Dias.* Hyacinthus lapis est, nunc colore cæruleus, nunc subrufus, nunc purpureus siue venetus. Et sunt tres species, nam sunt granati, citrini & veneti: sed inter istos granati, id est, blauii sunt meliores. Iste lapis mirabilis est, qui aeri maxime se conformat, vt in nubilo sit nubilus, & in sereno sit serenus. Istius lapidis est virtus singularis, secundum autores, quod confert lætitiā & contrariatur melancholicæ qualitati. Confortatiuæ est virtutis, sicut de eius speciebus dicitur.

Confortatiua cuncti virtutis habentur.
Tristitiamq; fugant & vanas suspiciones.

Resistit etiam diuersis pestilentiis, quæ solent in aere sępius generari, vigorem etiam dat membris, & vegetat vel confortat neruos, & dulcem ac salutiferum dat saporem, *vt dicit Dios.* maxime si similis est sapphiro, quia secundum omnes qui de gemmis tractant, tanto in suis effectibus est efficacior, quanto plus in colore & substantia sapphiro appropinquat, & talis hyacinthus veneno obuiat, & toxico contrariatur. *Dios.* Et etiam quædam assimilatur herba eiusdem nominis in colore, & in multis est ei par, quamuis non per omnia in valore, *sicut dicit Isid.*

Cap. LV.

De Iride.

IRis est lapis hexagonus, id est sexangulus, *vt dicit Isidor.* qui primo in Arabia iuxta mare rubrum est inuentus, nunc autem in pluribus locis inuenitur, scilic. in Germania & in Hybernia & in multis regionibus aquilonis. Est autem in colore perspicuus crystallo similis, *vt dicit Isidor.* & dicitur Iris per similitudinem arcus cœlestis, qui percussus Sole sub tecto species & colores arcus cœlestis in proximos parietes oppositos repræsentat, *vt dicit Isido.* Easdem creditur habere virtutes quas & Beryllus, nisi quia tantæ non inuenitur quantitatis, vt dicit Dios. Insuper hic lapis [vt fertur] cooperatur parturienti, vel vt citius pariat, vel saltem vt dolorem partus facilius sustineat, & non tantum de periculo pertimescat.

Cap. LVI.

De Hyænia.

HYænia est gemma quæ in oculis hyenę bestiæ inuenitur, quæ si sub lingua hominis subdita fuerit ipsum dicunt prædicere plurima iam futura, *vt dicit Isido. & Lapidarius.*

Cap. LVII.

De Cama.

CAma lapis est in colore nunc albus, nunc subniger, nunc subrubicundus, nũc variis coloribus distinctus, est

est autē sic dictus à χαῦμα, quod est idem quod incendium. Nam in locis sulphureis & calidis inuenitur, cuius virtus secundum *Dios.* est curare hydropisim, diuersis imaginibus & figuris sculpitur & politur.

Cap. LVIII.

De Chabrate.

CHabrates est lapis translucidus crystallo similis, qui creditur dare eloquentiam, honorem & gratiam, & defendit à noxiis & venenosis, & curat tumorem epatis & splenis, *Vt dicit Dios.*

Cap. LIX.

De Chalcophono.

CHalcophonus est niger lapillus colore depictus, qui gestatus in ore, dicitur clarificare vocem, & defendere à raucedine fauces, *Vt dicitur in Lapidario.*

Cap. LX.

De Lyncurio.

LYncurius lapis est in colore electro similis, dictus, *Vt dicit Isid.* à lynce bestia, ex cuius vrina inter arenulas generatur, virtus eius est paleas attrahere, valet contra dolorem stomachi & stringit fluxum ventris, valet Ictericis & discoloratis, quia perditum colorem restituit, *Vt dicit Dio.*

Cap. LXI.

De Lippare.

LIpparis est gemma de Syrticis partibus veniens, cuius proprietas est quod omne genus ferarum ad ipsius p̄sentiam properat & ipsum intuetur, vnde venatores feras, quas canum cursu capere non possunt, solius lipparis aspectu ad se ducunt. *sicut dicitur in Lapidario.*

Cap. LXII.

De Margarita.

MArgarita omnium gemmarum candidarum est præcipua, *Vt dicit Isidorus*, quæ inde margaritæ nomine

est vocata, quia in conchulis maris hoc genus lapidis inuenitur, nascitur in carne cocleæ sicut in piscium cerebro lapilli aliquando inueniuntur, gignitur ex cœlesti rore, quem certo tempore anni cocleæ hauriunt. Ex quib. margaritis quædam vniones nuncupantur, habentes aptum nomen, eo quod tantum vnus & nunquam duo vel plures simul reperiuntur. Sunt meliores autem margaritæ candidæ quam quæ flauescunt. Illas autem quas iuuentus aut matutini roris conceptio candidas, has senectus vel vespertinus aer reddit obscuras. *Hucusq; Isidorus libro 16.* Inueniuntur autem quædam perforatæ naturaliter, & illę sunt aliis meliores, quædam perforantur arte, *vt dicit Plato.* Sunt autem eligendæ quæ sunt albæ & claræ speculares & rotundæ. Habēt autem virtutem confortatiuam, vel à tota specie, *vt dicunt quidam*, vel quia specialitate quadā asperguntur membra a superfluis humoribus, eo quod cōstringendo & coarctando confortant. Valent contra Cardiacam & syncopim cordis, & contra debilitatem quæ prouenit ex fluxu medicinæ, valent etiam contra fluxum sanguinis & fluxum ventris, *vt dicit Plato.* *Dicitur in Lapidar.* quod cum margaritæ generentur ex rore,

Quanto rorantis plus fuerit aeris haustum.
Tanto maiorem gignit roratio gemmam,
Nam vltra seminucem crescere nulla putantur.

Dicitur etiam ibidem, quod si illo tempore quo ex haustu roris incipit gemma generari, si superuenerit coruscatio vel tonitrus, ex subita formidine clauditur concha, & sic patitur abortiuum. Ab India autem & antiqua Britannia nobiliores margaritæ transmittuntur, *vt dicitur ibidem.*

CAP. LXIII.

De Magnete.

MAgnes lapis est Indicus, ferruginei coloris. In India apud Troglodytas inuenitur, ferrum trahit. Adeo enim *vt dicit Isidorus* trahit ferrum, vt catenam faciat annulorum, inde eum vulgus *ferrum viuum* appellat. Liquidum etiam vitrum creditur trahere sicut ferrum. Cuius tanta vis est, *vt dicit Augustinus*, quod si quis eundem magnetem tenuerit sub vase aureo vel æneo, ferrumque desuper

per

per posuerit, ex motu lapidis subtus ferrum desuper mouebitur, *& sequitur ibidem.* Vnde factum est in quodã templo simulacrum de ferro, quod virtute Magnetis in aere pendere videtur. Est enim alia species magnetis in Æthiopia, quæ ferrum respuit & à se fugat Idem etiam magnes aliquando vno angulo ferrum trahit, & in alio à se repellit. Omnis autem magnes tanto est melior quanto cærulior. *Hucusque Isid. Secundum Dios. vero & Lapidarium*, hoc genus lapidis reconciliat maritos vxoribus, auget gratiam & decorem in sermone. Item cum mulsa curat hydropisim & splenem, alopeciam & arsuram. Puluis eius aspersus per quatuor angulos domus super carbones existentibus in domo, videbitur subito domus ruere ex vertigine cerebri & commotione. Magnes etiam sicut & adamas capiti castæ mulieris suppositus, cogit eam subito amplecti virum suum, si adultera fuerit subito à lecto se mouebit timore phantasiæ. Hoc lapide maxime vtuntur Magi, *secundum Platonem.* Lapis magnes calidus est & siccus in tertio gradu, virtutem habet attrahendi ferrum, montes enim sunt ex huiusmodi lapidibus, vnde naues ferro compactas attrahunt & dissoluunt. Vnde præcipue valet vulneratis puluis eius confectus cum apostolico appositus vulneri. Ferrum enim attrahit puluis etiam magnetis in quantitate duorum drachmatum, cum succo fœniculi valet contra hydropisim & splenem & alopeciam, *vt dicit Auic.* attrahit enim phlegma & melancholiam.

CAP. LXIV.

De Melitite.

MElitites est lapis dictus eo quod dulcem & melleum emittit succum, *vt dicit Isid.* & est bicolor scilicet viridis in vna parte & melli similis in alia.

CAP. LXV.

De Memphite.

MEmphites est lapis à loco Ægypti sic dictus, geminantis est naturæ, *vt dicit Isidorus.* Hic tritus ac super loca quæ vrenda sunt vel secanda positus vel cum aceto linitus, ita facit obstupescere corpus quod non sentiat cruciatum.

Cap. LXVI.

De Myrrhite.

MYrrhites est gemma, sic dicta eo quod myrrhæ in colore similis est, qui compressus spirat odorem sicut Nardus.

Cap. LXVII.

De Medea.

MEdea est gemma vel lapis preciosus, in Medorum regione repertus, qui quandoque est viridis coloris, quandoque nigri, *Vt dicit Dios.* Virtus huius contra cæcitatem oculorum, sanat podagram, si cum lacte mulieris masculum parturientis temperetur. Simili modo valet contra dolorem renum & phreneticam passionem. Si vero lapis niger resoluatur super cutem & in aqua calida, & alicui detur illa aqua ad bibendum, interficit vomitu & stomachi subuersione: si vero frons inde lauetur mirabiliter excoriat & lædit visum & aufert omnino, *Vt dicitur in Lapidario.*

Cap. LXVIII.

De Meroctc.

MEroctes gemma est viridis, smaragdo similis, spissioris tamen & grossioris est viroris quam smaragdus: vnde & colore maluæ nomen accepit, *Vt dicit Isidor.* & nascitur in Arabia. Est autem substantiæ valde mollis, & tamen valde vtilis. *Quia sicut dicit Dios.* virtute sua custodit infantium cunas & a nociuis casibus.

Cap. LXIX.

De Marmore.

MArmor Græco sermone à viriditate vocatur, *Vt dicit Isid.* Sunt autem marmora, *Vt dicit idem.* lapides eximii, qui maculis & coloribus commendantur. Nam marmorum genera infinita sunt, non tamen omnia à rupibus inciduntur, sed multa sub terra sparsa sunt, *Vt marmor Lacedæmonum* viride & preciosum. Similiter & marmor ophites, quia maculis serpentum simile est: vnde & vocabulum sum-

sumpsit, cuius duo sunt genera, molle ac cādidum, nigrum & durū. Marmor *purpurites* ex Ægypto, est rubeū candidis inter venientib. punctis, & vocatur purpurites eo ꝙ rubeat vt purpura. Sunt & alia multa genera, *Vt Alabastrites & Parium, de quo infra dicetur.* Est & aliud genus scilicet *coraliticum* in Asia repertum, non habens vltra duos cubitos in mensura, & est candidum fere sicut ebur, tamen habens quasdam maculas quadam proportione è diuerso nigras. Est & *Thebaicum* tinctum aureis guttis, inuenitur in parte Ægyptiorum, naturaliter aptum vt super illud collyria conterantur. Sunt & alia genera quæ in officinis rupibusque gignuntur, vt marmor *Corintheum* guttæ aromaticæ simillimum, ex quo columnæ ingentes fiunt, limina atque turres. Est & *carystium* viride & optimum, nomen habens ab aspectu, eo quod gratum sit his, qui gemmas sculpunt, huius enim viriditas reficit oculos. Est & *Numidicum*, quod Numidia mittit, quod fricatum succum similem croco reddit, vnde & nomen accepit. Sunt & aliæ multæ marmorum diuersitates, de quibus exemplificat *Isidorus lib.* 16. Sed hæc ad præsens sufficiant. Marmor itaque aliis lapidibus est solidius, fortius, pulcrius & vtilius, in cuius venis diuersarum gemmarum materia inuenitur, propter soliditatem sui difficillime sculpitur & politur, propter sui frigiditatem & soliditatem ad species & vnguenta aromatica custodienda vtilissimum inuenitur. Super omnia autem admirari possumus quod marmorei lapides nec chalybe nec ferro nec etiam serra vel malleo per potentiam aliquam edomantur, sed per laminā plumbeam asseribus mollissimis intersertam. Plumbo enim & non ferro lapides marmorei diuiduntur & serrantur tanquam asseres & æquantur.

CAP. LXX.

De Nitro.

NItrum *secundum Dios.* est lapis subalbidus, scissilis & perspicuus, cuius virtus est dissolutiua, attractiua, abstersiua, & humoris superflui consumptiua. De nitro *autem dicit Isid. lib.* 16. *cap.* 2. nitrum à regione Nitria Ægypti est dictum, ex quo medicinæ fiunt, & sordes corporum ac ve-

stium

stium abluuntur. Huius natura non multum à sale distat; habet enim naturam salis, & similiter oritur canescentibus siccitate littoribus, cuius spuma aphronitrum nuncupatur. Et colligitur distillans in partibus Asiæ in speluncis, deinde Solis calore deficcatur, & optimum fit quod sic siccatum est minime ponderosum, *vt dicit Isidor. secundum Plat.* nitrum est vena terræ, & est calidium & siccum, lene, rubeum, album vel citrinum, gustui est amarum, acidum & subsalsum, pinguedinem extenuat, si ore sit acceptum, humores viscosos minuit & consumit, puluis eius in melle confectus faciem clarificat & decorat, mundificat saniem stomachi & intestinorum ex apostemate procedentem, pediculos & saniem capitis detergit, vermes auriũ interficit, & eorum saniem mundissime extergit: cum aceto spuma eius ex corrosionibus & inflationibus subuenit, hydropicis, opilatis, cum melle mixta caliginem detergit oculorum, venenum mortificat & excludit, paralysim linguæ potenter prohibet, *secundum Plat. & Dios.* Est autem nitrum calidum & siccum in fine tertii gradus, laxatiuum, colatiuum, *vt dicit Constan.*

Cap. LXXI.

De Batrachio.

Batrachius lapis est preciosus, subalbidus aut varius, qui, *vt dicitur*, in bufonis capite est, à quo extrahitur & in forti vino & aqua mundificatur, *vt dicit Dyas.* & in eo aliquando apparet forma bufonis cum asperis pedibus & diffusis. Hic lapis valet contra morsus reptilium & venenum. Nam præsente veneno, varius lapis tangentis digitum adurit, & sunt simul ambo includendi, *vt dicit Dios.*

Cap. LXXII.

De Onyche.

Onyx lapis est Indicus & Arabicus, permixtum in se habet colorem ad similitudinem humani vnguis, *vt dicit Isid.* Græci enim vnguem ὄνυχεν dicunt. Indicus autem onyx ignis colorem habet, albis cingentibus venis siue Zonis. Onyx rero Arabicus nigri coloris cum candidis zonis. Genera eius sunt quinque, scil. Sardonyx, quæ ex duorum

tum societate nomen sortitur, scilic. ex candore onychis & rubore sardæ, *vt patet infra de sardonyche.* Hæc gemma, scilic. onyx plures dicitur habere effectus noxios. Nam, *vt dicit Dios.* collo suspensus vel digito portatus, excitat tristitiam & timores, multiplicat lites, commouet animos ad rixas, in pueris excitat saliuam superfluam & nocuam, non potest nocere in præsentia sardæ, specularem habet naturam & politam, & ideo ad modum speculi repræsentat imagines & figuras, sed obscure. *Dios.*

CAP. LXXIII.

De Opalo.

OPalus, *secundum Isidor.* est lapis diuersarum gemmarum coloribus distinctus. Est enim in eo carbunculi genus ignis, amethysti fulgens purpura, smaragdi nitens viriditas, & singuli colores sub quadam varietate sunt lucentes, nomen habet à patria. Hunc lapidem India sola parit, *vt dicit Isidor.* tot enim creditur habere virtutes quot habet colores. De Opalo dicitur in Lapida. quod lapis oculos se portantis seruat illæsos & acutos, sed aliorum oculos circumstantium obducta nube recondit, vnde quadam acrisia percutit vt non videant vel aduertant, quę fiunt coram eis. Et ideo asseritur furtis tutissimus esse patronus, *vt dicitur in Lapid.*

CAP. LXXIV.

De Orite.

ORites gemma est nigra & rotunda. Alia est viridis maculans habens. Tertia est, cuius altera pars est aspera, altera vero plana, & eius substantia est quasi ferri lamina. Hic lapis gestatus custodit à morsibus reptilium, ferarum & animalium aliorum. Appensus etiam mulieri prohibet imprægnari eam, & si prægnans est facta citius abortiri.

CAP. LXXV.

De Petra.

PEtra Græcum nomen est, & sonat idem quod solida siue firma, *vt dicit Isidor.* Ex partibus enim terræ solidis

& com-

& compactis substantia petræ siue lapidis generatur. Vel petra à penetrando est dicta, penetrat enim pedem, quando fortius premitur & calcatur. Ab aquarum etiam stillicidiis & guttis penetratur. Idem autem est petra & lapis, sed lapis quasi lædens pedem dicitur, quia sua duricie & acumine pedem lædit, *vt dicit Isidor.* Lapis tamen vsualiter planus, mollis & sparsus. Saxa vero adhærent & à montibus exciduntur. Silex vero dicitur durus lapis ab eo dictus, quod percussus exiliat ignis, *vt dicit Isido.* quamuis enim petra ex se sit frigidissima, ferro tamen percussa ex se mittit ignem, nam ex forti & violenta aeris collisione inter superficiem ferri & lapidis aer illisus subito ignitur, & scintillãdo de silice egreditur, *secun. Aris. in 4. met.* ex sola terra lapis non fit, vincens enim in ea siccitas nõ permittit eam coagulari. Fiunt autem lapides vel per congelationem, vel per conglutinationem. Ex commixtione enim aquę & terræ fit lutum, quod inter lapidem & terram est medium, quod paulatim per partium coadunationem & constrictionem fit lapis. Vnde tali transmutationi aptius est lutum vnctuosum, quia, quod non est tale, non est commutatiuum, sed potius comminutiuum ex dominio siccitatis. Terra ergo per fortem conglutinationem & commixtionem humoris, conuertitur in naturam lapidis, qui ex diuersitate terræ diuersorum colorum recipit qualitatem, Aliquando etiam promuntur lapides ex aquæ congelatione. Inueniuntur enim quædam loca, super quæ aqua infusa conuertitur in lapides diuersorum colorum, & hoc fit ex quadam vi minerali in locis illis, existente, congelante aquas, quæ sunt principia lapidum, *vt dicit Arist.* Fiunt autem lapides vel ex luto vnctuoso virtute solis occulte illud coagulantis, & per partium cohærentiam in substantiam lapidis constringentis, vel fiunt lapides ex aqua congelata quadam virtute minerali, lapidis formæ inductiua, secundũ ipsam materiam lapidum efficiuntur quidã raræ substãtiæ & debilis cõpositionis, & quidã fortioris, & quidã generantur tardius, quidam citius, quidã fortius, secũdum fortiorem qualitatum actiuarũ potentiam, & debiliorem residentia passiuarum, secundum enim commixtionem istarum qualitatum in substantia lapidis diuersificantur lapides in natura & in virtute. Virtus enim cœlestis

ftis influens ad loca mineralia in eis suas imprimit actiones, & secundum quod inuenit materiam aptiorem, & suæ actioni obedientiorem in eis impressionem relinquit nobiliorem. Et ideo quidam lapides preciosi naturam & vim planetarum in suis effectib. imitantur, vt patet in topazio, qui motum lunæ sentire prohibetur, *vt dic. Ambros. Basil. Isid. Dios. & alii, vt post patebit.*

Notæ ergo proprietates lapidis siue petræ sunt istæ, quia lapis vniuersaliter est frigidus & siccus, compactus, durus, grauis & ponderosus, suo pondere centrum petens, terram comprimens, & eius partes ne dilatentur ad inuicem vniens & coniungens, *vnde dicit Ambro.* quod lapides sunt ossa terræ, quod enim faciunt ossa in corpore, hoc faciunt lapides in diuersis partibus ipsius terræ, ipsam enim consolidant, & ne partes eius nimia siccitate ab inuicem defluant, ipsam comprimunt & adunant, lapides per aquarum superfusionem à sua duritia non remolliuntur, ex stillicidiis tamen guttatim descendentibus excauantur, *vt dicit Gregor.* Lapides etiam si candentes fuerint in vino extincti, vinum corrumpunt, & in acetum conuertunt, *vt dicit Isidor.* In lapidibus etiam generaliter requiritur materiæ puritas, virtus & preciositas, coloris & figuræ diuersitas, & multiplex vtilitas. Nam vtiles sunt in ædificiis construendis, in plateis sternendis pro pontibus faciendis, pro hostibus expugnandis, pro lupis & canibus effugandis, pro metallis ex eorum substantia extrahendis, pro metallis exornandis, pro infirmitatibus variis persanandis, pro turribus regum ampliandis, pro castris & ciuitatibus muniendis, pro feris & bestiolis defendendis, Lapides itaque primo de minera extrahuntur, extracti quadrantur & poliuntur, politi in ædificio ordinate collocantur, ordinate maiores sub minoribus componuntur, mediante cæmento, ad inuicem coaptantur, obducuutur cæmento & extrinsecus complanantur.

CAP. LXXVI.

De Pario.

PArius lapis est genus marmoris eximii & preciosi, *vt dicit Isido.* Hic apud Paron insulam inuenitur, vnde & parius nuncupatur, magnitudo eius lances & crateras nõ

excedit, & est aptus ac vtilis pro conseruandis speciebus & vnguentis, *Isidor. Glossa autem super Hester 1. dicit*, quod Parium est genus marmoris candidissimi, & ideo signat castitatem, &c.

CAP. LXXVII.

De Prasio.

PRasius est lapis ad modum porri viridis, visum confortat debilem, aliquando inuenitur cum guttis sanguineis, quandoque guttis candidis distinctus, *de quo dicitur in Lapid.*

Vtile nil affert nisi quod viret & decet aurum.

CAP. LXXVIII.

De Pyrite.

PYrites *vt dicit Isidorus* est lapis fuluus, aeris simulans qualitatẽ, cui plurimus ignis inest, de facili enim scintillas emittit, qui tenentis manum si vehementius prematur, adurit, propter quod ab igne nomen accepit, *de quo dicitur in Lapidario.*

Tangi vult leuiter blandaq; manuq; teneri.
Nam pressus nimium digitos tangentis adurit.

CAP. LXXIX.

De Paantide.

PÆantides est lapis qui dicitur esse fœminei sexus, nam certo tempore concipit & parit consimilem lapidem & confert prægnantibus, *vt dicit Dios.*

CAP. LXXX.

De Panchro.

PAnchrus lapis est multorum colorum sparsorum & pariter distinctorum.

Nam niger & rubeus, viridis pallensq; videtur.
Purpureus roseusq; simul prasiiq; coloris.

Hic facit hominem audacem & inuictum illo die, quando videtur mane oriente Sole, *vt dicitur in Lapidario.*

CAP.

CAP. LXXXI.

De Plumbo.

PLumbum, *vt dicit Isidor. de metallis lib. 16.* est dictum, eo quod de pilis ex plumbo factis maris altitudo primitus est tempetata. Huius *(vt dicit)* duo sunt genera, candidum scilicet atque nigrum. Candidum autem melius est, & primo in insulis Atlantici maris antiquitus est inuentum, in multis locis hodie, inuenitur enim in Gallia & Lusitania, quædam terra nigra, arenosa, & etiam calculosa, quæ quidem abluitur & ex materia, quæ subsidet per decoctionem in fornacibus plumbi substantiæ eliquatur. In aurifodinis etiam cum materia auri quidam lapilli nigri reperiuntur, & dum aurum colligitur cum auro manent, sed postea iidem calculi ab auro separati per se conflantur, & in plumbum album totaliter resoluuntur, & inde tanta est grauitas auri & plumbi, *vt dicit Isidor.* Nigrum vero plumbum duplex est, aut enim ex sua vena prodit, aut cum argento nascitur, mixtisque venis conflatur, & in illa conflatione primo procedit stannum, deinde argentum, tertio quod remanet per conflationem, efficitur plumbum nigrum, *vt dicit Isidor.* In India vero neque æs neq; plumbum inuenitur, sed gemmis & margaritis hæc India recompensat. *Isidorus.* Plumbum autem nigrum in operibus laboriosis, vt in laminis & in fistulis vtilius fore, tam Hispani quam Britannici sunt experti. *Hucusq; Isidor. Secundum Aristotelem enim lib. meteororum* 4. ex sulphure grosso, minus depurato, ac fœculento, & argento viuo componitur plumbi substantia, in locis mineralibus generatur: vnde ex immundicia sulphuris non puri quandã contrahit humiditatem, ex cuius contactu manus tangentis coinquinatur. Hæc immundicia ad horam per abstersionem aliquantulum à plumbo remoueri potest, sed ex eo auferri nequaquam, possunt autem homines immundiciam plumbi abstergere, veruntamen semper erit plumbũ, & si videatur argentum, sed obtinebunt in eo qualitates alienæ, vt errent in eo homines, sunt qui accipiunt sal armoniacum, &c. *vt dicit Aristot.* & huius immundiciæ assignat causam, *dicens*, Materia plumbi nigri siue argentum viuum est malũ, ponderosum, luteum, sulphur etiam eius

malum mali vaporis & fætidi, vnde non bene gelatur. *In lib 5. Alchimia Hermes dicit.* Si suspenderis plumbum super acetum, condemnat ipsum. Nam acetum penetrabit eius substantiam, & in puluerem conuertit, ac in colorem album cerussæ ipsam transmutat, sed si super ipsum acetum fuderis, albescit & destruit vim aceti. Plumbum adustum colorem vermilium obscurum generat, sed si fortior fuerit ignis, conuertitur in citrinum, & post calcinando. & desiccando ipsum cum aceto in album colorem cerussæ transmutatur. Igne vero fortiori adhibito, totum hoc conuertitur in materiam primam plumbi, & fit terra, *vt dicitur ibidem. Item idem.* Plumbum quibus miscetur partes homogenias congregat, & hetherogeneas separat & mundificat, & ideo ponitur cum argento in fornace, vt argentum facilius mundificetur, quia partes argẽteas a consumptione præseruat, & ipso plumbo consumpto ac combusto argentum purgat. *Idem dic. Hieron. in glos. super 6. cap. Iere. ibi consumptum est plumbum, &c.* Item dicit Hermes, ꝙ plumbum in sua ebullitione omniũ solidorũ corporum duritiam soluit etiam adamantis. *Item dicit Arist. in lib. meteor.* Plumbum, inquit, liquatum procul dubio est argentum viuum, sed non liquatur, nisi calefiat, & tunc apparent omnia rubea liquefacta. Mirum autem est, quod plumbum cum liuidi vel subnigri sit coloris, tamen per exustionem siue aceti resudationem pulcrum colorem generare consueuit, vt minium, stibium, & huiusmodi. Est autem plumbum ad vsum medicinæ, est enim frigidum & humidum in secundo gradu, *vt dicit Constan.* Contra vsturam ignis & apostemata calida valet miro modo, fluxum sanguinis vulnerum bene constringit, rheuma oculorum abstergit & compescit. Ictus scorpionum mitigat & draconum. Venerem prohibet si plumbi lamina duobus lumbis apponatur. Alias habet rationes medicinales, *de quibus quære infra de colorib. cap. de stibio, quod alio nomine cerussa, id est. flos plumbi nominatur.*

CAP. LXXXII.

De Puluere.

PVluis dicitur eo quod à vento pulsetur, *vt dicit Isid.* Leuitate enim sua à vento tollitur & dissipatur, venti

con-

contrarii puluerem ſubintrantes ipſam circumagitant, & turbinem generant, *Vt dicit Beda.* Puluis concuſſus naturam rei, à qua reſoluitur, oſtendit nunc per odorem, nunc per colorem, nunc etiam per ſaporem, & ideo pulueriſantur ſpecies aromaticæ, vt eorum intrinſeca virtus ſe oſtendat, vt per partium commixtionem & vnionem ampliorem virtutē recipiant, vt odoris ſui fragrantiam diffuſius circumſpergant, & guſtum ſuauius afficiant, & vt vulnera putrida deſiccent efficacius, & abſtergant, vt carnem mortuum corrodant & auferant, & vlterius creſcere non permittant, ſicut puluis plumbi exuſti purgat vulnera, & deſiccat ſuperflua. Carnem viuam generat & conſeruat, *Vt dicit Conſtantinus.* Et ideo ex pulueribus conficiuntur emplaſtra, & componuntur epithemata, & varia efficiuntur antidota & vnguenta. In puluerem reſoluuntur thus & myrrha, & ex pulueris crematione Deo offeruntur holocauſta. Ex pulueribus etiam fiunt ſalutifera electuaria, quibus infirma corpora ſanitati reſtituuntur. Ex pulueribus inſuper fiunt inunctiones & malagmata, quibus mortuorum corpora liniuntur & cuſtodiuntur integra, ne in cinerem aut puluerem redigantur. Pulueris & humoris admixtione lutum gignitur, & ex ſuperuenienti deſiccatione in glebam compingitur, *Vt dicit Iſidor.* Ex puluere pes polluitur, oculus læditur, & multiplex reptile ex puluere producitur, & de puluere paſcitur ac nutritur. *Serpenti enim puluis eſt panis eius. Vt dicit Iſa. 62.* Ex puluere omne corpus animatum naſcitur & in puluerem, à quo incipit reuertitur & finitur, *prout homini dictum eſt: Puluis es, & in puluerem reuerteris, &c.* Ex puluere aer inficitur, & ne claritatem Solis oculus videat, aliquoties impeditur. Nam ex puluere aeri humido admixto ſæpe nebula gignitur, ex cuius interpoſitione latet Sol & lympide non videtur. Et reſolutione etiam pulueris in athomos Solis radius per feneſtram intromiſſus nullatenus intuetur.

CAP. LXXXIII.

De Quirin.

QVirin, *Vt dicit Dioſc.* eſt lapis, qui in vpuparum nidulis invenitur. Hic ſecretorum proditor eſt in ſomno,

capiti enim dormientis suppositus, facit hominem loqui omnia, quæ somniat dormiendo, & auget mirabiliter phantasias. Vnde & Magi diligunt lapidem illum, quia per eum maleficia operantur.

CAP. LXXXIV.

De Quandros.

QVandros est lapis colore quidem vilis, sed eximiæ virtutis, *Vt dicit Diosc.* Et inuenitur in capite vulturis. Valet contra quaslibet causas nociuas, & vbera lacte replet.

CAP. LXXXV.

De Rabri.

RAbri qui & alio nomine & communi dicitur Bolus Armenicus, est lapis siue vena terræ, & est naturæ frigidæ & siccæ, subruffum colorem habens, & inuenitur in Armenia, naturam habet constringendi ventrem & sanguinem vndecunque fluat.

CAP. LXXXVI.

De Rosten siue Reiben.

ROsten siue Reiben *secun. Auicen*. est lapillus, qui inuenitur in capite cancri, & est aliquando albus, aliquando vergens in flaueum colorem. Est autem quo ad substantiam mollis, parum durior quam pupilla oculi piscis, quo ad formam vero est exterius rotundus & planus, interius vero parum concauus, quo ad virtutem autem est naturaliter frigidus & humidus. Et valet contra morsus scorpionum & mustelæ, si contritus, more emplastri supponatur. Dicitur etiam quod valet contra morsus canis rabiosi, si puluis eius in potu assumatur. Si comburatur puluis eius, mundificat dentes, & desiccat vulnera, & confert scabiei & prohibet lacrymas.

CAP. LXXXVII.

De Sapphiro.

SApphirus est gemma cœrulea, cœlo sereno in colore simillima. Optima est inter gemmas & summe preciosa

& regum digitis magis apta. In multis locis inuenitur, sed orientalis siue Indica melior iudicatur, & maxime quando habet quasi quosdam pulueres aureos intermixtos, & est hic sapphirus densus, non perlucidus, *vt dicit Isidor.* Hic lapis maxime commendatur in Lapid. ita vt præ sui excellentia, gemmarum gemma vocatur. Nam corpus vegetat, & integra membra præseruat. Stellam habet relucentem, per cuius refulgentiam eius virtus indicatur. Alia est species sapphiri, quæ Syrtites dicitur, quæ iuxta Syrtes inter arenas maris Libyci inuenitur, *vt dicit Dioscori.* Inuenitur autem aliquando in venis minerarum, vbi lasurium etiam inuenitur, & in eisdem venis sapphiri in medio, velut in ventre, quædam species carbunculi inuenitur, & ideo à multis sapphirus mater carbunculi creditur, eo quod in eius venis gigni à pluribus perhibetur, & ex natura sapphiri carbunculus, quasi quadam fauilla cærulea, *vt multi asserunt*, creditur aliquantulum obumbrari, *vt Dios. dic.* Sapphirus itaq; *secundum Diosco.* habet virtutem discordium reconciliatiuam, multum enim valet, *vt dicitur*, ad pacem reformandam. Item habet virtutem caloris innaturalis repressiuam: *Vnde de sapphiro dicitur in Lapidario.*

Corporis ardorem refrigerat interiorem.

Nam in febribus multum caumaticis & incensiuis refrigerium præbet sapphirus, si iuxta venas cordis pulsabiles suspendatur. Vnde *dicit Dioscor.* quod valet contra periodicas febres tempore accessionis. Item virtutem habet confortatiuam, cordis lætificatiuam, & ideo dicitur valere contra cardiacam, & quamlibet passionem melancholicam: vnde & cardiacum & diaphoreticum fluorem reprimit & sudorem, *sicut scribitur in Lapid.*

Sudorem stringit nimio torrente fluentem, &c.

Idem dicit Dioscor. Item habet virtutem fluxus sanguinis restrictiuam. Vnde & sapphirus orientalis si temporibus apponatur, solet restringere sanguinem de naribus profluentem. Item virtutem habet singularem tumoris & inflaturæ sedatiuam. Certum enim est quod apostematum reprimit inflaturam, si in principio collectionis nociuæ citius apponatur. Item valet contra antrhracem. Nam virtutem habet malitiæ & venenositatis anthracis expulsiuam, eius enim furiositatem reprimit & expellit, ne eius

malitia ſpiritus inficiat, ipſius fumum ad cor aſcendere non permittit, *Vt dicit Dioſcor.* Item vim habet veneno contrariam, & ipſius penitus extinctiuam: vnde ſi araneam intra pyxidem poſueris, & vnum ſapphirum Indicum ſiue alium ſupra pyxidis orificium aliquantulum diu retinueris, aranea eius virtute victa, quaſi ſubito morietur, *Vt dicit Dioſcor.* & hoc idem vidi ſæpius & in diuerſis ac pluribus experiri. Item habet vim viſus conſeruatiuam, & ſordium oculorum ſine grauamine purgatiuam, *Vnde ſcriptum eſt in Lapidario.*

Tollit ex oculis ſordes, de fronte dolorem.

Item habet vim vlcerum curatiuam. Nam *Vt dicit Dioſ.* puluerizatus & lacti admixtus, vlcera ſanat & hoc etiam in vulneribus eſt expertum. Item tantæ autoritatis fuit lapis iſte apud veteres, quod & apud Deum non modicum putauerunt valere; vnde & Apollini fuit ſingulariter conſecratus, quia cum gentiles pro reſponſis Apollinem ſacrificiorum tempore conſuluerunt, certificari citius putauerunt, ſi ſapphirum tunc in præſentia haberent, *Vt dicit Dioſcorid. Et hoc tangitur in Lapidario Vbi dicitur.*

Et plus quam reliquas amat hanc hytrophantia gemmas.
Vt diuina queant per eam reſponſa mereri, &c.

Item hunc lapidem magi ſingulariter diligunt, quia ſecundum eorum opinionem, per ipſius virtutem quædam mirabilia operari poſſunt. *Et hoc tangitur ſimiliter in Lapidario, Vbi dicitur.*

Hic lapis, Vt perhibent, educere carcere Vinctos.
Obſtruſasq; fores & Vincula tacta reſoluit.

Hęc & multa alia de ſingulari virtute ſapphiri ab autoribus ſunt conſcripta, & in hoc generaliter omnes conſentiunt, quod ſapphirus eſt gemma amatrix caſtitatis, & ideo, ne eius effectus, per immunditiam portantis, aliquo modo impediatur, oportet, vt ille qui eam portat, caſte viuat, *iuxta illud:*

Sed qui geſtat eum caſtiſſimus eſſe iubetur.

Item dicitur in Lapidario, quod tollit inuidiam & expellit timorem, & facit audacem & victorem, firmat in bonis animum, & mitem facit & humilē & benignum, quæ omnia puto eſſe dicta diſpoſitiue potius quam effectiue. Sed hæc nunc ſufficiant.

CAP.

Cap. LXXXVIII.

De Smaragdo.

SMaragdus *secundum Isidorum* gemmarum omnium virentium obtinet principatum, cui veteres post margaritas & vniones tribuunt tertiam dignitatem. Smaragdus à nimia viriditate est dictus, *Vt dicitur ibidem.* Nam omne viride amarum dicitur, nullis autem gemmis siue herbis maior inest viriditas quam smaragdo. Nam herbas virentes & frondes superat, inficiens circa se viriditate nimia aerem repercussum. *Isid.* Nec eius viror in Sole aliquo modo obumbratur, sculpentium oculis nulla gratiosior refectio est. Cuius corpus si extensum fuerit & extersum siue politum ad modum speculi, imagines reddit. Quippe Cæsar Nero gladiorum pugnas in smaragdo aspicere consueuit, *Vt dicit Isidorus.* Genera eius sunt duodecim, sed nobiliores sunt Scythici, qui scilicet in gente Scythica inueniuntur, secundum locum tenent Bactriani. Colliguntur in commissuris saxorum flante aquilone, tunc enim tellure discooperta intermicant, quia arenæ mouentur maxime in his ventis. Tertium Ægyptii habent. Reliqui in metallis ærariis inueniuntur, sed vitiosi, nam aut æri aut plumbo, aut sali similes notas habent. Smaragdi vero quando vino vel oleo sunt peruncti, proficiunt in virore quamuis viriditatis gratia naturaliter imbuantur. Est etiam quædam species smaragdina, quę degenerat, quamuis sit viridis, eo quod sit turbida ex æris venis & est chalcosmaragdus nuncupata. *Hucusq; Isidor. libr.* 16. *ca. de Viridib. gemmis.* Hic lapis à gryphonib. excipitur & eripitur. Et ne possint smaragdi in copia inueniri gryphorum immanitate, hominum accessus, impeditur, *Vt dicit Isidor. lib.* 14. *c.* 3. Habet itaque virorem sui multiplicatiuum, ex se enim generat radium, quo virore tingit aere circumfusum. Habet & corpus speculare & perspicuum, obiectarum figurarum & imaginum ostensiuum. Habet tertio ex naturæ dono virtutis beneficium diuersarum infirmitatum curatiuum, *Nam secuudum Dioscoridem & Lapidarium* hic auget opes, & in causis dat persuasoria verba. Collo vero suspensus, curat hemitritæum & morbum caducum, visum conseruat debilem & confortat, lasciuos motus compescit, red-

dit memoriam. Valet etiam contra illusiones & phantasmata dæmonum, tempestates sedat, sanguinem sistit, & dicitur his valere, qui solent diuinare de futuris, *vt patet in Lapidario.*

Cap. LXXXIX.

De Sarda.

SArda ex gemma rubei coloris, ad modum terræ rubeæ sic dicta, eo quod Sardibus primitus est reperta, *vt dicit Isidorus & glossa super Apoc.* Hæc gemma quamuis sit preciosa & pulcra, à multis tamen reputatur nouissima inter gemmas, quia *vt dicunt*, præter fulgorem nil ferat vtilitatis, excepto quod onyx, hoc præsente nequit nocere. Nam onyx qui quasdam dicitur nociuas habere proprietates, non potest eas in præsentia sardæ producere ad effectum. *Dicit tamen Dioscor.* quod præter illam virtutem habet sarda longe plures. Sunt enim species eius quinque inter quas ille est vtilior qui transmittitur à Sardibus, & valet, quia accendit gaudium & repellit timorem, audaces reddit & acuit mentem, & ipso præsente, non nocet onyx. Dicit etiam quod Sarda totaliter sanguinei coloris gestantem se ab incantationibus & maleficiis tueatur.

Cap. XC.

De Sardonyche.

SArdonyx ex duorum lapidum societate, sarda scilic. & onyche nomen sumpsit, *vt dicit Isido.* Constat autem ex tribus coloribus, nam niger est in imo, candidus in medio, rubeus quasi minium in supremo. Hæc sola in signando de ceræ substantia nihil euellit. Inuenitur autem apud Arabes & apud Indos. Genera eius quinque sunt, qui colores habet plus distinctos, & est densior, hic est laudabilior. Luxuriam repellere dicitur, & humilem efficit ac pudicum.

Cap. XCI.

De Sole.

SOlis gemma candida est & translucens, & est sic dicta, eo quod ad similitudinem Solis in orbe fulgentis radios gerat, *vt dicit Isid. cap. de candidis gemmis.*

CAP.

CAP. XCII.

De Selenite.

SElenites est lapis Persicus, vt herba virens, cuius color iaspidi similis, *vt dicitur in Lapidar.* Translucet autem candida quædam macula quasi fulgore, continens Lunæ imaginem. Illa autem candida macula in corpore Selenitis crescente Luna, crescit, & decrescente, minuitur & decrescit, *vt dicit Isidor. & Dioscor.* Potens est autem in amorem reconciliandum languentes & phtisicos iuuare putatur.

CAP. XCIII.

De Stanno.

STannum, *vt dicit Isidorus* est metallum, à græca etymologia sic dictum, separans scilicet & discernens, mixta enim & adulterata inter se metalla per ignem dissociat. Ab auro & argento æs & plumbum diuidit ac secernit: alia etiam metalla ab igne defendit. Et cum sit natura æris & ferri durissima, si absque stanno fuerit vritur & crematur. Stannum autem illitum vasis æneis compescit virus æruginis, & saporem facit gratiosiorem. Specula autem ex eo temperantur, cerussa etiam conficitur ex stanno quemadmodum & ex plumbo. *Hucusq; Isidorus libr. 16. capit. de metallis. Secundum Aristotelem libro meteororum*, stannum componitur ex argento viuo & bono, & sulphure malo & hæc duo non sunt bene mixta, sed tanquã per parua composita, & ideo colorem imitatur argenti, sed non eius soliditatem. *In libro autem Alchemiæ Hermes dicit*, stannum omnia metalla & corpora frangit quibus admiscetur, & hoc propter nimiam siccitatem eius, & ductilem naturam in eis destruit. Sed si miscueris cum eo argentum viuum, stridorem eius aufert & albescit, sed post modum denigrat ipsam & condemnat. *In eodem etiam dicit*, quod stannum adustum generat colorem minium vel vermilium, sicut plumbum, & si ignis fuerit nimis fortis, stanni materia prima redit. Item cum stannum sit argento mollius & plumbo durius, non potest plumbo nec æri nec ferro de facili consolidari sine stanno, nec etiam ista pariter consolidantur sine pinguedine aliqua siue seuo.

CAP. XCIV.

De Sulphure.

SVlphur est vena terræ aeritatis multum habens in sua compositione & igneitatis, & ideo vocatur sulphur *secundum Isidorum*, quasi solum vrens. Vt enim ignis dicitur nam eius virtus ignea ab aquis feruentibus sentitur. Nam aquarum cursus per venas sulphureas transitum faciens, ex vi ignea ipsius sulphuris candorem vel calorem contrahit, saporem, efficaciã & odorem, hinc fontes calidi de terræ visceribus sæpe scaturiunt, & qualitates venæ sulphureæ secum ferunt, nulla enim res ita cito accenditur sicut sulphur. In insulis nascitur Æoliis inter Siciliam & Italiam, quas ardere dicunt, in aliis locis etiam effossum inuenitur, *Vt dicit Isidorus.* Huius quatuor sunt genera. Vnum viuum quod cum foditur, translucet atque viret, quo solo inter omnia genera medici vtuntur, *Vt dicit Isidorus.* Alterum quoque appellant glebam, quod tantum familiare vsibus est fullonum. Tertium liquor est, cuius vsus est ad lanas vtilis suffundendas, quoniam præstat mollitiem & candorem. Quartum valet ad licinia lucernarum conficienda, *Vt dicit Isidorus. Et subdit ibidem.* Sulphuris tanta est vis, vt morbos comitiales deprehendat nitore suo, cuius flamma, si directe ad vultum hominis repercutiat durum & horribilem pallorem in oculis aspicientium generat ad similitudinem defunctorum, *Vt dicit Isidorus lib 16 cap.* 1. *Secundum Auicennam vero & Platonem* sulphur calidum est & siccum in quarto gradu, & est terra partibus aqueis & terrestribus in igneas transeuntibus in naturam sulphuris transmutata, & illud sulphur aliquando est grossum, fœculentum & rude: aliquando est purum, album, clarum & subtile, aliquando inter hæc est mediocre, & secundum istam differentiam ex sulphure & argento viuo diuersa metalla generantur, *Vt patet in libro meteororum* 4. vbi ostenditur, quod sulphur & argentum viuum sunt materia omnium metallorum. Sulphur autem aliud est viuum scil. quale est, quando de terra est eductum. Aliud est mortuum vel extinctum, scilicet quod solet fieri artificiose, scilicet quod in calamos funditur vel in alia vasa. Eligendum autem est pro medicina viuum, colore & resplendens, perlucidum,

cidum, & sine lapide album vel viride, quod missum in ignem, colorem facit viridem atque pinguem. Virtutem habet dissoluendi, consumendi, attrahendi, subtilandi, attenuandi, reformandi vel recuperandi. Et ideo tussim prohibet, epilepticos iuuat, scabiē purgat, venenis obuiat, lethargicos excitat, arteticos, podagricos, paralyticos iuuat, si modo debito medicinaliter ipsius remedio quis vtatur, *vt dicit Auicenna & Dioscor. & Plato & alii autores.*

Cap. XCV.

De Sale.

SAl à saliendo dicitur, eo quod de igne exiliat, fugit enim ignem, cum sit igneum, *vt dicit Isidor.* Alii sal à sole vel à salo vocatum putant. Nam ex aquis marinis sponte gignitur spuma, in extremis litoribus derelicta & à Sole desiccata. Aliquando ex puteis salsis hauritur, & aqua decoquitur, donec in salis duriciem aqua prius fluida, per calorem ipsam inspissantem conuertatur. Aliquando de contractis arenis colligitur crescente luna per noctem. Nam in Cyrenea sal sub arenis sæpius inuenitur. Alicubi etiam rupes & montes salis inueniuntur, ex quibus ferro inciduntur lapides, qui post in salis materiam confringuntur & comminuuntur: sicut est in Arabia & in Pannonia. Tantæ duriciei etiam sunt illi lapides, vt ex eis fiant domus, commune vero sal in igne crepitat & de igne salit. Sed sal Agrigentinum Siciliæ ignem patitur, & contra naturam salis vulgaris in igne fluit & de aqua exilit. Variatur autem sal in colore, quia Memphiticum est rufum, & in quadam parte Siciliæ, vbi est mons Aetnæ, sal est purpureum. In Eadem Sicilia in Pathmo adeo est splendidum & lucidum, vt imagines reddere videatur. In Cappadocia sal croceum effoditur, *vt dicit Isidor.* Item variatur in sapore, *vt dicit idem*, quia alicui suaue, alicui salsissimum est, alicui amarissimum, & quanto est amarius, tanto est calidius siue calidius iudicatur, *vt dicit Auic.* Sal autem summe est necessarium, quia sine sale omnis fere cibus est insipidus & insulsus. Pulmentis enim saporem dat & excitat in omnibus cibariis appetitum, ex eo omnis victus delectatio & summa hilaritas fit. Hinc & Solis nomen accepisse

pisse creditur, quia sole nihil est vtilius atque sale. Vnde videmus pecudes & armenta, quod sale ad pastum maxime prouocantur, & salis beneficio in lacte & in caseo plus abundant. Sal etiam corpora stringit & desiccat, & etiam defuncta corpora à putrescendi labe ligat & conseruat. *Hucusque Isido. lib. 16. cap. 2. Secundum Plat. autem & Auicen.* sal generaliter habet virtutem dissoluendi, mundificandi, putridos humores & consumendi. Item virtutem habet ventositatem extenuandi & diuidendi, maxime si puluerisatum & coctum, calidum super stomachi orificium saccelletur. Item vim habet humiditatis naturalis in corpore coadunandi & conseruandi, & innaturalis resoluendi & abstergendi, & ideo aqua salinatiua tumores & inflationes etiam hydropicas soluit, *vt dicit idem.* Item virtutem habet carnes putridas corrodendi, & maxime quando est exustum, quia tunc maxime resistit putrefactioni, & maiorem habet vim in desiccando & in mundando, & ad interiora penetrando, *vt dicit idem.* Item potentiam habet ventrem remolliendi, & superflua educendi & maxime salgama, quod sic dicitur, quia clarum est sicut gemma, in mordicando enim intestina mirabiliter cooperatur, vt resoluantur indurata, & superflua expellantur, & hoc idem facit tam armoniacum quam commune. Item virtutem habet sal venenosis humoribus resistendi, & ideo cum melle & vuispassis (alias mica panis) sal coniunctum, sanat carbunculum seu anthracem, *vt dicit Auicen.* Item virtutem habet remouendi maculas faciei, si cum aqua & camphora distemperetur, & inde facies liniatur. Item vim habet pruriginem & serpiginem de corpore abstergẽdi & remouendi, potissime si cum sapone misceatur. Item virtutem habet sanandi venenosos morsus & puncturas reptilium & scorpionum, si cum melle & nucibus, & aliis quibusdam componatur, *vt dicit Auicen.* Has & multas alias habet virtutes: quas enumerare longum esset, sed exempli gratia hæc sufficiant.

CAP. XCVI.

De Topazio.

TOpazius vel topazion indeclinabile, gemma est, *vt ait Isidor. lib. 16.* Est enim ex nitente genere omnique co-

lore

lore resplendens. Inuenta primo in Arabiæ insula, in qua Troglodytæ fame & tempestate fessi, cum herbarum radices effoderent, gemmam istam eruerunt, quam insulam tectam nebulis postea nautæ quæsierunt, & inuenientes Topazin Troglodytarum idiomate vocauerunt. Inde lapis sic quæsitus & inuentus, est topazius ab insula vocatus. Topazin enim idem quod quærere in ipsorum lingua sonat. Est autem gemmarum maxima & amplissima. Scripsit enim *Plin.* hanc gemmam tantæ magnitudinis repertam, vt ex ea Philadelphus faceret statuam quatuor cubitorum. *In glossa vero super finem Apoc. dicitur sic: Topazius quo est rarior, eo est preciosior.* Et habet duos colores ex auro & ætherea claritate, lucens maxime, quando tangitur radio solis, scil. omnium aliarum gemmarum superans claritatem, in aspectum suum prouocans respicientes, quam si polis obscuras, si suæ naturæ relinquis clarior est, & nihil eo clarius in thesauris regum siue preciosius inuenitur, propter sui perspicuitatem gemmarum sibi obiectarum in se recipit claritatem. Dicitur etiam quod sentit motum & cursum Lunæ, & contra Lunaticam valere passionem, vnde dicitur maiorem vel minorem habere effectum, secundum quod Luna maius vel minus recipit incrementum, *vt dicitur in Lapid.* Fluxum sanguinis restringit, hæmorrhoidas patientibus subuenit, feruentes vndas compescit & bulire eas non permittit, *vt dicitur in Lapid. Secundum Dioscord.* iram sedat & tristiciam, & valet contra noxios motus & contra phrenesim ac cõtra mortem subitaneam, formam habet specularem. Idolum enim in eo receptum inuersum in speculo concauo repræsentat.

CAP. XCVII.

De Turchoge.

TVrchogis siue Turcois est lapis flauus, in albidum colorem vergens, dictus à regione Turchorum, in qua nascitur, conseruat visum & confortat, & hilaritatem generat.

CAP. XCVIII.

De Terra sigillata.

TErra sigillata dicitur specialiter quædam vena terræ frigida singulariter & sicca, quæ dicitur *secũdum Plat.*

terra

terra Saracenica siue terra argentea, quæ quidem est subalbida, aromatica atq; clara, potissima virtus eius est constringere. Nam puluis eius cum albumine oui distemperatus, fluxum sanguinis de naribus sistit. Valet etiam contra inflationem pedum & contra arteticam, si super locum patientem cataplasmetur, *Vt dicitur in Plat.*

CAP. XCIX.

De Tartaro.

TArtarum est vini fęculentia in modum cretæ vel mollis lapidis, circa partes dolei indurata, cuius natura calida est & sicca in tertio gradu. Valet contra scabiem, serpiginem & impetiginem, contra capitis immundicias, virtutem enim habet extenuandi, consumendi, mundificandi & laxandi, *Vt patet in Plat.*

CAP. C.

De Vitro.

VItrum, *Vt dicit Auicen.* est inter lapides, sicut stultus inter homines, declinat enim ad omnem tincturam, Est autem dictum vitrum, *Vt dicit Isid.* eo quod visui transluceat propter perspicuitatem, & substantiæ suæ transparentiam vitrum luci peruium est, in aliis metallis & terræ venis quidquid intrinsecus continetur, absconditur, in vitro autem cuiuslibet liquoris species qualis est, talis exterius declaratur, & quasi clausis oculis intuentium notificatur, *Vt dicit Isidor.* Fuit autem primo vitrum inuentum *iuxta Tholomaidam*, in litore iuxta Belum fluuium, qui oritur de radice montis Carmeli, dum nautæ ibidem applicarent. Nam dum nautæ super arenam eiusdem amnis ignem de glebis nitri facerent, ex nitro & arenis lucidis permixtis noui liquoris riuuli effluxerunt, qui vitro, *Vt dicit Isidor.* originem præbuerunt. Modo vero fit vitrum ex cineribus arborum & herbarum, per fortissimam ignis cōflagrationem, quibus cineribus nunc nitrum nunc ęs, nūc vtrumque admiscetur, & sic in massam vitream commutatur. Massa autem vitrea cum fuerit in fornace liquefacta & perfecte depurata, summam contrahit substantiæ puritatem & transparentiam siue perspicuitatem, & ideo habet potētiam cuiuslibet coloris susceptibilem, quolibet enim colo-

colore tingitur, ita vt hyacinthos, smaragdos, & alios lapides preciosos in colore & splendore imitetur, tantam etiam recipit in substantia ductibilitatem, vt facilime ad flatum artificis in varias & contrarias formas ac figuras quasi subito transformetur. Aliquando torno teritur, aliquando argenti modo sculpitur & celatur, *vt dicit Isidor.* neque enim alia speculis aptior est materia, neque picturis accommodatior inuenitur. Maximus tamen honor est in candido vitro, quia in colore proximus est crystallo: vnde ad potandum argenti & auri metalla repellere consueuit, *vt dicit Isidorus. Item ibidem dicit idem*, quod in genere vitri lapis obsidianus numeratur. Est autem virens interdum & niger, aliquando etiam translucidus crassiore visu, & vocatur specularis, ex hoc lapide multi gēmas faciūt, *vt dicit Isidor.* Hoc autem habet proprium omne vitrum cum sit liquefactum, quamdiu est valde liquidum summe est ductile, infrigidatum vero & induratum, summe est fragile, & facile frangibile, & cum fuerit fractum, non poterit nisi iterata liquefactione reparari. Quidam tamen fecerat vitrum flexibile & malleo reparabile, *vt refert Isidor.* vnde & phialam coram Tiberio Cæsare de tali vitro factam, in terram proiecit, quam non ruptam sed plicatam cum malleo reparauit vel emendauit, quem iussit Cæsar decollari, ne dum hoc agnitum fieret, aurum pro luto haberetur, & omne metallorum precium vile redderetur, quia reuera si vasa vitrea non frangerentur, meliora quam aurea putarentur, *vt dicit Isidor.* Est igitur vitrum specialiter purum & perspicuum, luci peruium, imaginum & vmbrarum repræsentatiuum, ductile, quando est liquidum, fragile, quando est frigidum & induratum, omnium colorum susceptiuum colore potius quam valore, gemmarum nobilium imitatiuum, & immundiciarum abstersiuum, *vt dicit Auicen.* puluis enim eius mundificat dentes, & in oculis delet albugines, conuenit etiam valde lapidi vesicæ & renum, quando bibitur cum vino, *vt dicit idem Auic.*

CAP. CI.

De Idachite.

IDachites est lapis preciosus & colore fuluus, figura rotundus, intra se habens alium lapidem, cuius crepitu sonorus

norus eſt, quamuis tinnitum illum non interiorem lapillum, ſed ſpiritum quendam interiorem ſapientes dicant, vt *dicit Dioſcor.* hic lapis exudat aquam, ita vt videatur intra ſe fontanam ſcaturigiē continere. Vnde quidam dicunt hunc eſſe lapidem qui dicitur enhydros, *quare ſupra eod.*

Cap. CII.

De Hieracite.

Hieracites eſt lapis qui geſtatus ab homine, non mordetur à muſcis, nec apibus infeſtatur, *vt dicit Dioſcor.* & creditur valere contra venenum.

Cap. CIII.

De Zimiech.

Zimiech eſt idem quod lapis laſurii, & eſt lapis vel vena terræ, vnde fit laſurium, *vt dicitur in Lapidario.* Eſt autem lapis iſte tanto melior, quanto colori cœleſti eſt ſimilior, & habet quædam corpuſcula quaſi aurea interſerta. Ille autem qui eſt ſubalbidus plus habet terreſtreitatis, & ideo non ita precioſus, diutiſſime poteſt ſeruari ſine corruptione. Valet contra multas paſſiones & contra ſyncopim ex fumis melancholicis, ſi debito modo detur patienti. Nunquam autem debet dari, niſi prius ſubtiliſſime conteratur, & multoties abluatur, & ſignum eſt perfectæ ablutionis, quando aqua, in qua abluitur, parum aut nihil coloratur, miro autem modo purgat & ſoluit quartanam, nec debet dari cum decoctione, quia deſcenderet vſque ad fundum, ſed ante vel poſt detur, & hoc cum ſero vel aceto, *vt habetur in Plat.* & ſicut ex laminis ferreis fit ceruſſa, ſic fit laſurium ex argenteis cum aceto. Lapis autem laſurii ſæpe inuenitur in mineris argentinis & aurifodinis, & in ſuis venis ſæpe ſapphiri & hyacinthi & conſimiles lapides blauei inueniuntur, *vt dicit Dioſcor.*

Cap. CIIII.

De Zingnite.

Zingnites lapis eſt vitrei coloris, qui geſtatus in collo, valet contra nyctalopam & ſanguinem ſtringit, &

mentis

mentis alienationem repellit, & si tenetur ad lignum accensum extinguitur flamma eius, *vt dicit Dioscorid.*

BARTHOLOMÆI ANGLICI De proprietatibus Plantarum, Liber decimusseptimus.

Postquam (adiuuante Deo) completus est liber vel tractatus de proprietatibus rerum, quæ in terra intrinsecus generantur, scilicet de lapidibus, gemmis ac metallis, & aliis, quæ nascuntur in terræ venis: dicendum est breuiter de arboribus & herbis, fructibus ac seminibus, quæ ex eis mediantibus radicibus procreantur, solummodo autem de illis arboribus & herbis aliqua sunt hic dicenda, de quorum nominibus fit mentio in sacra pagina, in textu, vel in glossa, & hoc prout poterimus, faciemus per ordinem alphabeti.

CAP. I.

De Arbore.

ARbor, *vt dicit Isidorus lib. 16. cap.* 5. ab aruis nomen sumpsit, eo quod adhærere terræ fixis radicibus consueuit sicut herba, vtraque enim similia sunt quo ad ortum, quia ex vno gignitur alterum, nam dum sementem in terram ieceris, quasi herba prius pullulat & erumpit, dehinc confecta surgit in arborem, & quod infra breue temporis spacium herba videbatur, indurat in arbustam, id est, in arborem nouellam, & teneram conualescit, & est dicta arbusta quasi arboris hasta, nam arbustum dicitur locus, vbi arbores cõcrescunt, & vbi salices salictum, & carectum vbi carices, *vt dicit Isidor. In libro autem Aristot. de Vegetabilib.* ponuntur istæ arborum & plantarum proprietates, dicit enim quod in arborib. & plantis est vita, id est, vegetabilis virtus, quemadmodum in animalib. sed differenter, q̃a in plantis est occulta, in animalib. manifesta, perfecta, scil. & completa, arbores enim non mouentur motu voluntario nec progressiuo, sicut animal, nec mouentur se-

cundum appetitum, delectationem & tristiciam sicut animalia, quamuis aliter senserint aliqui philosophi, vt Anaxagor. & alii, quos redarguit Aristoteles. Vita itaque vegetatiua est in plantis, per quam fit attractio humoris, ad ipsius arboris vel plantæ nutrimentum vel conseruationem, sed nullatenus habet sensitiuam animam. Vnde non dolet, quando inscinditur: nec delectatur, quando nutritur & cibatur, nec vigilat, nec dormit, nec spirat, vel expirat, nec subiacet aliis conditionibus, quæ sunt proprie sensitiuæ, nec generat arbor, nec generatur per sexuum commixtionem, sed in se habet rationem seminalem, per quam habet ex se producendi potentiam simile sibi, & suam speciem conseruandi, sed hanc potentiam non potest producere in actum, nisi ab extrinseco adiuuetur, scil. à temporibus anni. Indiget enim hyeme ad humoris seminalis aggregationem. Indiget & vere temperato, ad eiusdem emissionem, quia tunc nec est vehemens frigus congelans vel exprimens, nec calor vehementer adurens semen ac corrumpens. Indiget etiam Sole resoluente partes ipsius constrictas à præcedente frigore, vt calor ingrediens segreget humorem seminarium a nutritiuo. Indiget etiam terra plus quam aliud generans, quia ex terra est materiale principium sui nutrimenti, sicut principium generationis suæ est à Sole, sicut à causa efficiente, & ideo *Vt ait Aristot. in libro de plantis.* Terra est mater & Sol est pater plantarum, quia terra nutrit more matris, & Sol efficit more patris. Quidam vero considerantes in arboribus & plantis generationem, cibationem, augmentationem, durationem, & ex radice annuam renouationem, & nullam penitus per vrinam vel secessum eiectionem, putauerunt plantam animali perfectiorem. *Sed hoc reprobat Arist.* (*dicens*) quod arbor, quæ est alligata terræ, non habet motum ex se, nec ex suo toto, nec ex suis partibus, nec habet formam determinatam in suis partibus, ita quod diuersæ partes determinentur diuersis operationibus per formas diuersas, vt oculus in animali ad videndum, & auris ad audiendum, nec habet animam perfectam, immo non habet nisi partem partis animæ, id est animam vegetatiuam, sed animal habet operationes plures & nobiliores quam planta, ideo animal nobilius est omni planta. Diuersificatur autem arbor

bor quo ad ſubſtantiam, virtutem & operationem. Nam *vt dicit Ariſtot. lib. de vegetabilibus cap. 2.* Quædam arbores habent gummi & reſinam, cuius ratio eſt, quia humor ſuperabundans à calore totaliter non digeritur, nec etiam totaliter à regimine naturæ dimittitur, & ideo depellitur ad exteriora, & ibi a frigido aere circumſtante infrigidatur. Item quædam habent nodos, quia illis mediantibus partes ſucceſſiue generatæ ad inuicem colligantur. Item habet venas, id eſt rimulas, in quibus naturalis humiditas cuſtoditur, & a terra ad partes ſingulas deriuatur. Item habet ventrem, id eſt, medullam, in quo fit humoris decoctio, antequam transferatur in ſubſtantiam foliorum, fructuum vel ramorum, *vt dicit idem.* Item corticem habet ad interiorem ligni defenſionem, quia quod facit corium vel cutis in corporis animalis ſuperficie, hoc facit cortex in arbore, *vt dicit Iſidorus.* Item habet generaliter lignum ſiue truncum, *vt dicit Ariſtoteles*, & eſt dictum *ſecundum Iſidorum*, eo quod incenſum de facili in lucem ſit conuerſum, vnde & lychnus dicitur, eo quod præſentibus præſtet lumen. Lignum itaque eſt pars arboris fortior, & ſolidior & ſubſtantialior, quæ a radice exiens vſque ad ſummitatem ipſius arboris ſe extendit. Et habet quædam intrinſeca, vt medullam, ad quam eſt recurſus naturæ, cum ſubtrahitur humor cibalis extrinſecus, ſicut in cibatione animalis, quando deficit nutrimentum in membris ad ſanguinem exiſtentem, in venis continue fit recurſus, *vt dicit Albu. & expreſſe Auicenna & Conſtantinus.* Habet inſuper quædam extrinſecus ſibi annexa arbor, vt corticem, ramos, folia, flores, fructus & ſummitatem. *Et ibidem dicit Ariſtoteles,* corticem habet ad omnium interiorum defenſionem ramos & virgas, ad ſui dilatationem folia ad fructuum nouellorum protectionem ab extrinſecis corruptelis, fructus ad ſui ſpeciei conſeruationem, rotunditatem ſiue rotundam ſummitatem habet arbor in ſuo complemento quaſi figuram columnalem, quæ vtique *vt dicit Albu.* ei accidit propter vniformem extenſionem humoris ad partes laterales, & vniformem caloris digerentis humorem, in tota ſui ſubſtantia actionem. Habet adhuc omnis planta vel arbor radicem, & in radice multiplicem nodum. Radicem quippe loco oris, qua mediante

trahitur humor ad totam ſubſtantiam arboris nutriendam. Nodi vero ſunt ſimiles neruis in corpore animalis, quia per illos nodos, partes ad inuicem cõtinuabiles colligantur.

Item arbores habent quaſdam partes ſuperfluas, quæ non ſunt partes determinatæ à natura, nec ſunt neceſſariæ ad eſſe plantæ, & habent eſſe in arbore, ſicut pili & vngues in corpore. Et ideo cadunt folia & fructus ab arborib. ſcil. propter ſubtractionem humoris, ſicut cadunt pili de corpore animalis. Et hoc accidit, quia quando humor nutrimentalis minus eſt ſufficiens, ſubtrahit ipſum natura ab huiuſmodi partibus non neceſſariis, ne deficiat in neceſſariis. Et ideo cadunt generaliter ab arboribus tempore hyemali: remanet tamen in aliquibus, vt in buxo & conſimilibus, vel propter ſufficientiam humoris: vel propter humoris viſcoſitatem & ligni compactionem & ſoliditatem. Nam arbores quæ raram ſubſtantiam & poroſam ſunt habentes, citius à ſuis foliis depauperantur, & maxime quando humor nutritiuus liquidus eſt atque paucus. Differunt autem arbores in multitudine ſuarum partium & paucitate, in magnitudine & paruitate, in fortitudine & debilitate. Cuius cauſa eſt humor, qui in aliquibus magnis arboribus eſt lacteus, vt in ficubus, & humor talis habilis eſt ad ſe deferendum, in latum & in longum In quibuſdam vero eſt piceus, viſcoſus & inſufficiens ad extenſionem, eo quod partes adhærent ad inuicem ad modum picis, & ita eſt cauſa paruitatis & paucitatis in partibus arborum & plantarum. Talis autem viſcoſitas non eſt cauſa debilitatis in plantis & arboribus, niſi fuerit diminutus calor inſufficiens & imperfectus. In quibuſdam etiam arboribus eſt humor acutus, calidæ & ſiccæ complexionis, & hic in quibuſdam eſt cauſa fortitudinis & vigoris, calidum enim eſt, leue & ſubtile, & penetratiuum, & ideo talis humor ſe extendit & creſcit arbor in magnam quantitatem. Item in partibus arborum attenditur æqualitas & ſimilitudo, quia æqualitas in quantitate, & ſimilitudo in figura cauſatur ex abundantia materiæ cum æqualitate caloris agentis, & oppoſitum à cauſa oppoſita cauſatur. Eodem modo attenditur in eis rarit as ſiue ſpiſſitudo, quia raritas accidit propter inſufficientiam caloris ad terminationem

humoris.

humoris. Spiſſitudo autem accidit propter ſufficientiam caloris, ad condenſationem humoris & eius terminationem. Item differunt arbores & plantæ in modo fructificandi. Nam quædam, *vt ibidem dicit Ariſtoteles* producunt fructum ſuper folia ſua, & hoc accidit propter fortitudinem fructus, & indigentiam caloris Solis, digerentis humorem ipſius: quædam vero ſub foliis, & hoc accidit propter debilitatem fructus, ne ab excellenti calore vel frigore corrumpatur, & quarundam fructus eſt ſuſpenſus à ſtipite ſuo, id eſt prope ſtipitem, & hoc accidit propter inſufficientem humorem, & inſufficientem calorem ipſum ad extremitates expellere non potentem. Item omnis arbor generaliter habet radicem, quæ eſt mediatrix inter corpus plantæ & terram, à qua cibatur: vnde & radix, vita plantæ dicitur *ſecundum Græcos*, quia cauſam vitæ plantis inducit. Item habet ſtipitem à radice immediate procedentem, & hoc fuit neceſſe. *Vt dicit Alb.* propter corporis plantæ vel arboris ſuſtentationem, vnde aſſimilatur ſtaturæ corporis animalis, omnia membra corporis ſuſtentantis. Vnde eſt ſtabile fundamentum arboris, ſuſtinens ramos & fructus eius. Item in duro ſtipite habet medullam mollem, quam *Vt dicit Ariſtoteles*, quidam vocant arboris matricem, quia in ipſa ſeminarius humor plantæ nutritur, vt fœtus in matrice. Quidam vero vocant arboris viſcera, quia in ipſa ſeparatur purum ab impuro, ſicut fit in animalium inteſtinis. Quidam etiam vocant eam cor, quia ex ea procedit motus vitæ vegetabilis, ſicut vita ſenſibilis procedit de corde cuiuslibet animalis. Item corticem habet omnis arbor ad ſuam terminationem, & interiorum defenſionem, ex humore ſubtili extracto ad exterius, & per calorem aeris deſiccato, ſicut lignum interius ex humore groſſo, ſicco, eſſentialiter & accidentaliter humido, procreatur, *Vt dicit Ariſtoteles & Albu.* Item arborum ſicut & plantarum quædam ſunt domeſticæ & hortenſes: quædam vero ſunt ſylueſtres. Arbores vero hortenſes ſicut ſunt plantæ, ſi non fuerint cultæ, erunt ſylueſtres, *Vt dicit Ariſtoteles.* Et harum arborum quædam faciunt fructum & etiam oleum, propter humorem vnctuoſum & aereum ſufficientem & quædam non, propter talis humoris defectum. Et in quibuſdam cito folia cadunt, propter humo-

rem rarum non vnctuosum, cito siccabilem, & in quibusdam non, propter causam contrariam. Item sicut est diuersitas arborum & plantarum in magnitudine & paruitate, ita est diuersitas in pulcritudine & deformitate. Nam eis accidit pulcritudo propter æqualitatem materiæ & elegantem partium ordinationem & calorem sufficienter agentem & extendentem materiam in rectam & debitam naturæ dispositionem: deformitas vero causatur ex contrario, tam in arboribus quam in plantis. Item differunt in bonitate fructuum & multa malignitate. Et hoc accidit propter maiorem humoris materialis dulcedinem vel minorem, vel propter caloris magis vel minus correspondentis materiæ, vel humori materiali debitam proportionem. *Item dicit ibidem Aristoteles*, quod arbores & plantæ syluestres magis fructificant quam hortenses. Et hoc *vt dicit Alb.* accidit propter maiorem abundantiam humoris, parum vnctuosi & nodosi, de facili cedentis diuisioni, expulsioni, & in substantiam fructus conuersioni. Nihilominus tamen fructus hortenses sunt meliores simpliciter quam syluestres, *vt dicit ibidem Aristot.* Cuius ratio est, *vt dicit Albu.* maioris humoris vnctuosi, aerei vel dulcis abundantia, quæ in materia fructuum hortensium perfectius inuenitur. Item consideratur arborum diuersitas sicut plantarum ex loci diuersitate, in quo crescunt. Nam quædam in locis aridis crescunt & siccis, & illæ sunt minoris quantitatis, propter defectum humoris: quædam vero in locis humidis fluuialibus & maritimis ac stagnosis, & tales solent esse maioris quantitatis. Nam illæ quæ crescunt iuxta ripas marium salsorum, non multum crescunt, propter abundantiam arenarum & humoris attracti nimiam siccitatem. Iuxta tamen mare Rubrum fallit hoc *vt dicit Aris.* vbi arbores fiunt magnæ. Et hoc *vt dicit Albu.* propter abundantiam humoris & caloris. Item attenditur diuersitas in foliorum & florum variatione. Nam quædam habent folia aspera, scilicet propter dominium terrestreitatis & siccitatis, quædam leuia propter æqualitatem aqueæ humiditatis & proportionem debitam caliditatis. Folia etiam habent quædam scissa & tamen lata, vt vitis, quod accidit propter dominium terrestreitatis & priuationem viscositatis, & inæqualitatem caloris, materiam inequaliter extenden-

extendentis, quia in talibus humor vnctuosus & viscosus transit in materiam fructuum: aquosus vero & terrestris, in materiam transit foliorum, *vt dicit Albu.* Item variantur arbores & plantæ in extremitatum partium suarum varia figuratione. Nam quarundam extremitates sunt pyramidales & acutæ, vt patet in spinosis, in quibus calor subtiliorem humorem velocius attrahit ad exteriora, & illum desiccando conuertit in acumen, grossiorem vero partem coniungit cum stipite & radice, *vt dicit Alb.* Contrariæ autem figuræ ex causa contraria generantur, & hoc idem patet in fructibus. Qui *vt dicit Aristotel.* sunt diuersorum modorum, Non enim sunt omnes angulosi, id est, figuræ angularis, neque omnes super rectam lineam sunt protensi, imo quidam sunt circulares propter æqualem materiam humoris, & æqualem actionem virtutis agentis & caloris, per quem materiæ partes æqualiter extēduntur, & à medio vsque ad circumferentiam vniformiter protenduntur. Angulares vero ex causa contraria simpliciter oriuntur. Item variantur in coloratione diuersa. Nam tam fructus quam flores, tam rami quam stipites in arboribus variantur, *vt dicit Aristoteles.* Ex humore enim frigido terrestri, melancholico nigrescunt & vilescunt. Ex humido & frigido albescunt Ex calido rubescunt, *& sic de aliis, vt dicit Albu.* Sub tali enim differentia dominantis humoris & agentis caloris substantiam digerentis in prædictis omnibus saporum differentiæ generantur. Item differunt tam arbores quam plantæ in fructuum maturatione. Nā quædam maturescunt citius, *vt dicit Aristoteles,* sicut mora & cerasa, & consimilia. Et hoc accidit propter sufficientiam caloris, potentis super humidum, maturandum & digerendum, & obedientiam humoris actioni caloris nullatenus resistentis. Quædam vero maturos habent fructus tardius, propter grossitiem humoris aquosi inobedientis, & insufficientiam caloris digerentis. Et hoc accidit potissime in arboribus, quæ sunt syluestres. Eadem est ratio quare quædam arbores citius frondescunt, & quædam tardius, cito enim emittunt folia propter abundantiam humoris aquei indigesti non vnctuosi, sed fluidi & de facili se extendentis ad arboris siue plantæ extremitates, & ex contraria causa contrarium accidere consueuit.

CAP. II.

De Arbore aromatica.

ARbor aromatica aliquando habet aromaticitatem in cortice, aliquando in flore: aliquando in fructu suo, vt patet in cinnamomo quod est cortex, & in mace quod est flos, & in muscato quod est fructus. Est autem causa aromaticitatis, *Vt dicit Alb.* siccum, terreum, subtile commixtum subtili aqueo, & secundum eius dominium magis in vna parte arboris quam in alia est vna pars magis aromatica quam alia, alia vero arbor est tota aromatica, secundum omnes sui partes, vt arbor balsami, cuius singulæ partes sunt odoris fragrantiam respirantes, *Vt post dicetur*, Inter aromaticas vero plantas & arbores quædam grana, in quibus est ratio seminalis, procreantur, quædam per se ex competenti commixtione elementorum producuntur, quædam ex radicis vel stipitis plantatione multiplicantur, quædam per insertionem surculi in trunco esse debitum sortiuntur, *Vt dicit Albu.* Inter omnes arborum insertiones illæ sunt magis laudabiles, quando similia similibus inseruntur, *Vt dicit Aristoteles*, quod dupliciter intelligitur, vel in plantis consimilis speciei, vt insertio ficus in ficum, vitis in vitem, vel de illis, quæ habent humorem proportionabilem inter surculum & truncum, cui inseritur, ita quod humor vnius sit aptus ad alium nutriendum, sicut quando surculus pyri in trũco mali inseritur, vel è conuerso. Item notabile est, quod surculus insertus alteri trunco, totam virtutem trunci in suam virtutem conuertit, & transmutat qualitatem. Si enim fiat insertio oliuæ super radicem siue truncum betæ, virtus oliuæ descendit in virtutem betæ, & indurat eam & facit eam durare per aliquod tempus, & tandem humiditatem ibi existentem ad se attrahit, & transmutat in suam similitudinem, aut conuertit, *Vt dicit Alb. super finem primi libri. Item dicit idem* non proueniunt de facili ex semine malo plantæ bonæ, nec ex bono semine vel radice arbores malæ, quamuis in animalibus sæpius contrarium videatur, cuius ratio est, *Vt dicit Albu.* quod planta est terræ affixa & vniforme recipit à terra nutrimentum. Animalia vero non sic propter varietatem complexionis, & etiam propter contrarieta-

tem

tem appetitus siue appetibilis voluntatis, & ideo aliud est in animalibus, aliud in arboribus. Item in omni genere arborum sic est, quod per culturam debitam syluestres conuertuntur in hortenses, *& ponit Aristoteles ibi exemplum* quod amygdali amari per culturam efficiuntur dulces. Similiter & mala granati acidi mediocres. Dicit etiam quod arbor habens grossum corticem, cito fit sterilis, & hoc accidit vel propter defectum vnctuosi humoris, qui est materia fructuum, vel propter duritiem corticis prohibentis euaporationem grossi, quod in arbore est nociuum, sed dicit ibidem, quod si scindatur radix eius & illi scissuræ lapis immittatur rursum fœcunda fiet, cuius ratio est, *vt dicit Albu.* quia per istam scissuram fit nociui grossi euaporatio, & caloris Solis vel aeris circumstantis introductio, cuius virtute fiet ipsius humoris corrupti consumptio. *Item dicitur ibidem*, amygdala & mala granata mutantur à malitia per culturam. Nam mala granata stercore porcino fimata, & aqua dulci rigata meliorantur, cuius ratio est, *vt dicit Alb.* quia per caliditatem & siccitatem huius superfluitas fimi aquosa reprimitur in granatis, sed ne per excessum caliditatis & siccitatis fimi conuertatur fructus in amaritudinem, competit apponere aquam dulcem caloris & siccitatis dominium temperantem. Similiter amygdali, *vt dicitur ibidem* clauis confixæ gummi, per multum tempus emittunt & aquosam superfluitatem impedientem generationem vnctuosi humoris, qui est materia fructuum, & ita per hæc à sua malitia alterantur, *vt dicit Albu.* Item ibidem arbores & plantæ syluestres per artificium & culturam fiunt hortenses, fructiferæ & fertiles, ad hoc autem, vt syluestris planta fiat fructifera vel alteretur in bonitatem à malitia, multum confert locus & labor in colendo, & maxime tempus anni in quo plantatur, *sicut ibi dicit Aristotel.* & ponit exemplum de Boleno, id est iusquiamo, quia quod est natum in Persia, est perniciosum, sed transmutatum & transplantatum in Ægyptum & in Hierusalem fit comestibile, & hoc accidit, *vt dicit Albu.* quia per temperamẽtum loci à distemperantia ad medium reuocatur. Item tali transmutationi maxime cooperatur tempus, *vt dicit Aristot.* arbores quæ indigent plantatione, plantantur plures in vere, & hoc propter temperan-

tiam

tiam caloris & humiditatis confortatiuum caliditatem & humiditatem arborum & plantarum. In hyeme vero paucæ propter superabundantiam frigiditatis & humiditatis, sed in autumno propter frigiditatem & siccitatem, paucissimæ vero in æstate post ortum stellæ caniculæ, & hoc propter dominium caloris & siccitatis consumentium humidum naturale in planta, & præcipue in radice. In Ægypto vero semel in anno fit plantatio, quando scilicet terræ illius siccitas temperatur ex fluxu Nili, *vt dicit Ari. & Alb. Item ibidem dicitur*, quod arbores diuersimode producũt frondes suas. Nam quædam ex radice, quædam ex stipite, quædam iuxta terram, quædam in ramis & virgis iuxta summitatem, quædam in medio. Causa diuersitatis huius in producendo est diuersitas humoris aquosi, subtilis, lenis & non vnctuosi, qui est materia foliorum, & æqualiter non abundat in omnibus, & operatio caloris est dissimilis in diuersis, & ideo dissimiliter ex illo humore producunt frondes, similiter quædam fructificant semel in anno, & quædam pluries, & non maturantur fructus vltimi, sed crudi remanẽt, & indigesti, quia propter vicinitatem Hyemis calor non sufficit ad maturandum, semel autem fructificare perfecte magis est consuetum, quia semel in anno semen colligunt, & semel sufficit calor ad extensionem humoris, & ad extremitates arboris, & ad conuersionem eius in substantiam fructus, & eius completam maturationem. Item quędam arbores sunt fertiles per multa tempora propter abundantiam caliditatis & humoris vnctuosi, sicut ficus, & quædam vno anno fructificant, & alio requiescunt vt oliuæ, cuius ratio est, quia in sequenti anno reficiuntur restaurãdo sibi humorem, tantum enim emittunt vno anno ad substantiam fructus, quantũm requirit secundus annus ad humoris restaurationem, licet multos producant ramos tempore refectionis, modicum tamen tunc temporis producunt fructum. Item quædam arbores sunt fertiliores in iuuentute, quã senectute, quia in iuuentute plus abundant in calore & humore, quædam vero è conuerso plus fructificant in senectute quam in iuuentute, cuius ratio est, *vt dicit Alber.* quod in iuuentute plus abundant de humiditate, quam naturalis calor possit digerere & ita fit inobediens calori, in senectute vero mino-

ratur

ratur humor, & fit obediens digestioni caloris, & hoc patet in amygdalis & pyris, *sicut exemplificat ibi Aristoteles Item dicit Arist.* quod tam arborum quam plantarum sylstrium & hortensium diuersitas discernitur per masculos & fœminas, quia arbor mascula est spissior, durior, densior & ramosior quã fœmina, & siccior, & fructus eius breuior & maturior, & folia diuersa & surculi, quorum omnium ratio est, *Vt dicit Alber.* Quod masculæ arbores plus abundant in calore & siccitate, quam fœminæ, quo partes masculæ vehementer constringantur ad inuicem, & faciunt arborem spissiorem. Intensio enim caloris multiplicantis humorem & extendentis in plures partes, facit ramosiorem, sicut etiam intensio siccitatis consumentis humorem efficit sicciorem.

Soliditas etiam & strictura venarum arboris masculæ prohibet humorem multum emitti ad vnum locum arboris siue plantæ, vt reuertatur in substantiam fructus, & ideo fructum habet breuiorem, folia similiter habet diuersa à fœmina, quia asperiora & minora ac strictiora propter dominiũ siccitatis, similiter & surculos duriores habet quam fœmina, & hoc propter maiorem humiditatem extendentem in fœmina magis quam in mascula. *Item dicit Arist.* Quod si folia vel puluis foliorum vel cortex masculæ palmæ, foliis fœminæ componantur, vt cohæreant, citius maturabuntur fructus fœminæ & prohibebunt casum foliorum & fructus, donec completa fuerit digestio. Et huius ratio est, *Vt dicit Alber.* quia mascula palma mediante aere deferente, auget calorem fœminæ, quo mediante excitatur calor eius ad operationem digestionis, quam Arist. pepensim vocat *in libr. meteor. Item dicit Aristo.* quod discernitur masculus à fœmina per pullulationem velociorem foliorum, prius enim pullulat quam fœmina propter calorem fortiorem, & etiam per odorem, quia mascula plus odorat quam fœmina, propter maiorem subtilitatem fumi sicci resoluti à mascula, & non à fœmina. *Item dicit Aristo.* quod ventus defert odorem masculi ad fœminam, & maturabuntur citius eius fructus, simulque cohærebunt partes scil. fructuum fœminæ ad maturationem, quando folia masculi in illa, scil. in fœmina sunt apprehensa. *Dicit etiam Alber.* quod folia masculæ palmæ coniuncta foliis

fœminæ ita ad inuicem cohærebunt, quod vix poterunt sine scissura ab inuicem separari. *Item dicit idem Aristot.* quod ficus syluestres conferunt ficubus hortensibus, quando ex opposito complantantur, quia syluestres sunt calidiores & ficciores, & ideo excitant calorem hortensium & confortant. Item humor ficcus syluestris resolutus, & delatus ad radicem ficus hortensis, ipsum nutrit & confortat. *Similiter dicit ibidem Aristoteles*, quod balaustia, qui est flos mali granati: sed hic ponitur pro arbore scilicet mala granata, oliuis conferunt si cum eis plantentur, eo quod balaustiæ abundant in calore conueniente naturæ oliuarum. Hæc de proprietatibus arborum & plantarum contraximus de verbis *Arist. lib. 1. Vegetabilium, & glos. Alber.* qui transtulit & exposuit eundem. *In lib. autem animalium 18. dicit Arist.* omnes arbores quæ fructificant omni anno, fiunt segnes. Arbores, inquit, quæ nimium faciunt fructum, cito desiccantur, quoniam cibus transit in semen id est, humor nutritiuus, qui deberet nutrire, transit in materiam seminalem. Alias proprietates notabiles & insignes tam arborem & herbarum quam plantarum, possumus elicere *ex Verbis Aristot. & Alber. in lib. 2. Vegetabilium, Vbi dicitur*, planta habet tres vires, nam à terra habet fixionem, ab aqua coadunationem, ab igne vero consolidationem & partium terminationem, ex aere & igne habet raritatem, & dilatationem ac extensionem, fructuum complectionem ac maturationem. Sine enim calore & humido aquosum non terminatur & finitur, *Vt patet ibi in exemplo Arist.* nam later non coagulatur nec terminatur in esse latericeo, sine igne partes aqueas consumente, & terreas pariter cõiungente. Ex aere & aqua pariter & ex igne habet arbor raritatem & porositatem, ex aqua habet augmentandi possibilitatem, quia quod omnino solidum est augeri non potest, *Vt ibidem dicit Arist.* Et ideo lignum maximum & ponderosum, non habet mergi in aqua, vbi modica particula auri submergitur aut lapilli. Et hoc accidit, quia lignum est porosum, & ideo per aeris subintrationem intra poros super aquæ superficiem habet ferri. Ligna vero quæ sunt vltimæ soliditatis & compactionis, sicut hebenus & consimilia, in aqua subito petunt fundum, *Vt dicit Arist. ibidem, & 4. Meteoro. Vbi dicitur*, quod ex hebeno nigro expirauit, & ideo submergitur. Porosa autem & vnctuo-

sa superenatant, quia multum habēt aereitatis materiam, contra aquæ superficiem eleuantis, vt patet in foliis & plumis vel pennis & omnibus vnctuosis. Nam *vt dicit Aristot.* Proprium est aquæ substantiam aeream subleuare, & compacta deprimere, & ideo rara & porosa aeris susceptibilia superenatant: compacta vero & compressa, inferiora petunt, & ad infima se profundunt. Item vapores terrestres & aquei per calorem coagulati, sunt materia herbarum & plantarum, qui commixti per calidum igneum, & per virtutem stellarum recipiunt formas completiuas herbarum & plantarum, & hoc quo ad semen, & quo ad fructum. Calor itaque inclusus in coagulato sic humore ad plantę nutrimentum attrahit aquam dulcem, cui etiam cooperatur extrinsecus calor solis. Actio autem caloris exterioris cum propria caliditate naturali digerit naturalem humorem in eodem loco, & conuertit in substantiam plantę. Vnde *secundum Aristo.* terra montosa quia est dulcis, dulcem continens humorem, ideo in illa citius nascuntur plantæ, & maturantur fructus. Nam montes attrahunt humorem dulcem & subtilem, quibus cooperatur claritas aeris, tam in attrahendo quam in digerendo, & fit cito conuersio illius humoris in substantiam plantæ, *vt dicit Arist. Item dicitur ibidem*, quod quandoque frigus, scilic. aer frigidus fugat calorem ad interius terræ, & aggregantur partes eius cum aqueo humido, & per calorem depressum à comprimente frigido ad interiora decoquitur vapor sic coagulatus, & in substantiam plantæ conuertitur, & scinditur locus per intensionem caloris, & sic egreditur ex eo planta. Item quandoque aer mixtus cum terra & cum aqua in fundo aquæ coagulatur, & per actionem caloris terminantis & dirigerentis illud mixtum confusum generatur planta, *vt patet* in neniphar, & in aliis herbis minimis, quæ solent crescete in aquis, & quarum folia tegunt aquam, & hæ nascuntur sursum non expansæ, tum propter subtilitatem aeris & aquæ dulcis sursum eleuantis, tum propter soliditatem terræ radices inferius sustentantis, à qua planta recipit rigorem radicis & stipitis sustentationem in sua erectione. *Item Aristot. ibid.* in locis essentialiter frigidis & accidentaliter calidis, vt in quibus aqua calida fluit, multoties nascitur planta, quia calor aquæ con-

trahit

trahit frigidum humorem ad superficiem terræ, in locum mixtionis: vnde ex aere & vapore terreo cum humore aquæ imbibito, per calorem aquæ & stellarum in plantæ substantiam coagulantur, sed hoc non fit, nisi per multum tempus, *vt dicit Arist.* propter calorem accidentalem non conuenientem generationi talis plantæ. *Item ibidem dicit Aristoteles*, quod plantæ comestibiles, melius crescunt in locis lenibus & altis & calidis, quam in his contrariis; quia in locis planis & æqualibus abundat humiditas, & maxime quando dulcedo adest & aeris temperies. Similiter in locis bene altis, quia ibi etiam puritas aeris & abundantia humoris dulcis, & hoc propter spongiositatem & vaporem dulcem attrahentem, & ideo in montibus frequenter melior est fertilitas, & meliores crescunt fructus; in valle enim difficile mouetur aer. Vnde ex conculcatione ibi cito putrescit aer & vapor grossus, vnde sequitur praua digestio. Hinc est quod ibi inuenitur humor salsus; *vt dicit Alb.* aqua enim salsa grauior est quam dulcis, *vt patet in exemplo Aristotelis ibidem vbi dicit.* Ouum positum in aqua dulci statim petit fundum, in salsa vero natabit, terrestritate enim sua & grossitie poterit pondus oui sustinere, & ideo aqua dulcis facilius attrahitur ad loca alta quam salsa, scilicet propter suam depurationem, subtilitatem & leuitatem. *Item Aristoteles*, lutum ignitum, id est, firmum & tenax cito producit plantam vnctuosam, propter facilem transmutationem talis luti in vnctuositatem, *vt dicit ibi Alb.* Et ad hoc vt durabilis sit planta, oportet vt habeat bene digestum humorem & vnctuosum: vnde illæ plantæ, quæ habent indigestum humorem superueniente frigiditate, cito arescunt: vnde & caulis vltra triennium non durat, tamen si ei inseratur ex natura plantæ insitæ in stipite, fiet decoctio & conuertitur in naturam insitæ, & durabit diu. *Item vt dicit Aristot.* planta crescit quandoque ex lapide solido & duro, nam aer inclusus in lapide, nititur ascendere, sed cum non inueniat exitum liberum propter lapidis soliditatem reflectitur, & mouetur ad lapidis partes, & ex sua agitatione calefit, calefactus autem aer attrahit sursum humorem residuum, qui est in lapide, & exit vapor cum humore illo cum parua resolutione partium lapidis, & ex illo vapore & humore de lapi-
de

deeducto, quandoque planta generatur, adiutorio caloris solaris, & aerem prius calefactum vigorantis ac digerentis humorem à lapide iam attractum & in substantiam plantæ transmutantis, sed non diu durat planta talis, nisi terra circumstante & dulci aqua irrigante, & temperato aere foueatur, & hoc propter humoris paucitatem. *Item Arist.* Planta si fuerit prope Solem, id est, versus orientem citius nascetur, & hoc propter sufficientiam caloris, tardius vero si fuerit ad occidentem propter caloris elongationem. *Item ibidem dicit Albu.* ex temperie seruatur cuiuslibet plantæ incrementum, si enim nimia fuerit humiditas opilantur viæ, & pori per quos deberet nutrimentum ascendere ad arboris extensionem. Eodemmodo si nimia fuerit siccitas, constringuntur pori, & sic planta non nutritur. *Item Arist.* Quælibet planta quatuor indiget, scilic, semine terminato & in sua specie perfecto, & maturo & à putrefactione conseruato, & conuenienti loco, id est, territorio generationi plantæ congruo, & aqua moderata, humore scilicet temperato, & aere consimili scilicet mediocriter temperato. *Quia vt dicit Alb.* si aer fuerit nimis calidus, calor naturalis euaporabit, apertis poris: si nimis frigidus, suffocabit plantam. Prima duo sunt necessaria ad plantæ generationem, secunda duo necessaria ad eius nutrimentum & conseruationem. Item species & plantæ medicinales, quæ crescunt in montibus ad vescendum sunt minus delectabiles, & ad digerendum fructus habent duriores, & hoc propter vehementem coagulationem per calorem agentem in humiditatem, & ideo tales fructus non multum sunt nutribiles, *vt dicit Aristoteles.* Quia *vt dicit Albu.* Quanto planta est magis medicinalis, tanto minus nutrit. Item loca à Sole remota non erunt plantarum multarum, sicut nec animal fœcunditatis multæ est in talibus locis, *vt dicit Aristoteles.* Cuius ratio est, *vt dicit Albu.* quia illi, qui sunt directe sub septentrione, habent diem continue per dimidium annum, per reliquum autem noctem. Ibi ergo raro crescit planta vel animal. In æstate enim non potest propter continuationem caliditatis, in hyeme vero non potest proprer continuationem frigoris, *& ideo dicit Aristoteles.* Planta ibi generata non habet vites, folium, neque fructum propter defectum calorisagentis in

tis in tempore anni, & propter superfluitatem eius in aliis. *Item Aristoteles.* Planta multarum spinarum, multum habet de humore vnctuoso, & cum se mouerit ille vapor vnctuosus per calorem proprium, cooperante calore stellarum digeritur & conuertitur in substantiam plantæ, quæ ei inseritur. Vnde illam digestionem operatur calor vitalis in planta cum calore extrinseco competente, & crescit planta insita gracilis & extensa sursum. Vnde proprium est plantæ multum spinosæ, vt in ea fiat insertio plantæ alterius speciei, *& hoc vt dicit Alb.* quia habet multum humorem attractum ab exteriori calore vnctuosum, & ita conglutinationem expulsibilem à calore interiori in pluribus locis, ita quod pars eius superior cum expellitur, est subtilior & penetrabilior per quam potest aperire multos poros plantæ & ipsos ingredi, & ipsam incorporare & consolidare plantæ inferiori. Ita planta quæ inseritur, plantam siue truncum cui inseritur transmutat in suam speciem, & non è conuerso. Cuius ratio est, *vt Albu. dicit.* quia inferior planta mouet superiorem per humorem & calorem, quem ei transmittit, sed superior humorem attractum vlterius digerit & decoquit, & in naturam suam conuertit, & postea virtutem suam in inferiorem transmittit, & alterat illam cui inserta fuerit, & conuertit eam in suam naturam & speciem. Item quinque sunt species generationis plantę, *vt dicit Aristoteles,* scilicet ex semine & putredine, & ex humore aquæ & ex plantatione, & ex vnius in aliam insertione. Item sunt arbores & plantæ quæ producunt fructum ante folia, *vt dicit Aristoteles,* sicut illæ, quæ habent multum humorem vnctuosum, materialem ad fructum, quem vt digesserit calor naturalis, simul cum calore solari cito maturabit fructum, & ille humor vnctuosus abundans, prohibet humorem aquosum materialē ad folia, ne ascendat in folia aut prorūpat ante fructum in tali planta. Item quædam citius producūt folia quam fructum, & hoc propter defectum & paucitatem humoris vnctuosi & abundantiam humoris aquei materialis ad folia, quem calor solaris citius attrahit ad locum productionis foliorum, quam vnctuosum humorem ad productionem fructuum, & ideo tardatur maturatio vnctuosi humoris materialis ad fructum, & fit præcessio foliorū. Item quædam simul producunt

ducunt folia cum fructu, vt illæ quæ habent prædictos humores multos & proportionabiles, & calorem interiorem cum exteriori calore Solis in aere æqualiter operantem in vtroque, & vtrumque scilicet aquosum in folia & vnctuosum in fructus æqualiter expellentem. *Item Aristot.* Antiqui sapientes asserebant fructus & folia esse idem, & folia non esse nisi propter fructum nec differre ab inuicem materia nisi secundum maiorem vel minorem digestionem aquosi & crudi humoris. Humor enim aquosus & subtilis cito attrahitur à calore Solis, & cedit in folia, qui vero magis est vnctuosus & digestus cedit in materiam ipsius fructus. *Item dicit Aristoteles*, quod aliquæ arbores sunt spinosæ, non est de intentione naturæ plantæ substantiam generantis, sed accidit ex raritate arboris siue plantæ, per quam attrahitur humor frigidus parum coctus, & exiens per illam arboris raritatem, à calore Solis in spinam coagulatur, & fit in spina forma pyramidalis incipiens iuxta stipitem a grosso & lato, & in parte anteriori terminatur in acuto, nam humor subtilis qui ad spinam est causa materialis, elongatur paulatim a planta, & in longum & acutum se diffundit, eodem modo faciunt omnes arbores, quarum partes pyramidalis sunt figuræ. Item arbores exterius generaliter sunt virides, interius albæ, pars enim interior habet materiam appropinquantem ad albedinem & pars exterior ad virorem, nā materia quæ attrahitur ab interiori & expellitur ad exteriora in cortice aliquātulum digeritur, & in virorem transmutatur, quia viror medius est color inter ruborem, qui prouenit ex perfecta caloris actione, & inter albedinem quæ prouenit ex imperfecta. *Item Aristoteles.* Arbores variantur in figura, nam quædam sursum, quædam deorsum, quædam vero inter hæc tenent medium. Illæ enim in quarum medulla viget humor subtilis, quem mouet & attrahit calor ad superiora, pyramidantur, id est, in formam pyramidalem ad modum flammæ, quæ ascendit in communi, virtute ignea eleuantur. Illæ vero in quarum medulla viget humor grossus & aquosus, inferius deprimuntur & angustantur. Vnde & illæ partes sua grauitate inferius mouentur, & in grossum in parte infima coarctantur. In quibus vero erit humor medius, & inter grossum & subtile temperatus, pars ascendet

sursum & erit causa eleuationis, & pars deorsum quæ est causa ingrossationis. Vnde secundum maiorem vel minorem digestionem illius humoris in radice & medulla solet magna apparere arbor in figura, nam necessaria est prima digestio in radice ad eius incrementum, secunda vero necessaria est in medulla propter completionem, maturationem, dilatationem, & conseruationem. Et sufficit ista duplex digestio ad plantarum completionem, & tertia in solis animalibus reperitur, *vt dicit Aristoteles, & exponit Albu.* Item diuersificantur arbores in foliis & in ramis secundum multitudinem humoris vel paucitatem, & caloris fortitudinem vel remissibilitatem, nam si calor fuerit fortis & humor multus, multa in exitu erunt folia atque rami & è conuerso, & secundum raritatem humoris habilis ad consumptionem & desiccationem, desiccantur ipsi rami, cadunt folia, remanebit arbor vacua atque nuda, & in contrariis modo contrario se habebunt. *Item vt dicit Aristotel.* non solum pyramidantur spinæ in arboribus, verum etiam eadem figura inuenitur in foliis & in fructibus, quia si meatus plantæ primo fuerint ampli & valde rari in principio humoris, & post siccitate & frigiditate constringantur, folia & fructus inferius ingrossabuntur, & in superioribus graciliabuntur & pyramidantur, & hoc propter attractionem leuioris partis humoralis, ad superiota vi caloris & repulsum humoris grauioris ad superiora. Contingit tamen tam folium quam fructum sæpius acui in extremitatibus & pyramidari, scilicet quando virtute caloris & raritate humoris superior particula leuigatur, & parte inferiore calida etiam existente humor in medio distenditur, & sic substantia fructus vel folii in medio dilatatur & vtraque extremitas propter dominium igneæ virtutis in communi quodammodo ducitur & subtiliatur, & sic in pyramidem transformatur. *Item ibidem dicit Aristoteles,* quod arbores & plantæ quædam faciunt flores ex humore subtili, & puro existente in medulla, non tamen per omnia terminata nec digesta secundum vltimam fructus completionem, disposita tamen ad fructus productionem, quædam autem arbores propter nimiam humoris viscositatem non habent flores, quia ille humor non potest subtiliari & propter suam vnctuositatem in subtilitatem flori-

dam dilatari, vt patet in ficu, quæ non habet flores ex causa iam dicta, quædam etiam non habent flores propter humoris liquiditatem, quia non potest in floris substantiam coagulari, vt patet in palma & similibus, *Vt dicit Aristoteles*, & ideo secundum diuersitatem materiæ in qua diuersimode agit calor, diuersi colores in floribus tam herbarum quam arborum generantur, sed ista persequi non est præsentis negocii, & ideo de eis ad præsens propter tædium fore arbitror quiescendum. Tamen alias superaddit Aristoteles proprietates *in fine 2 libri*, quas non reputo contemnendas

Dicit n. circa finem. Planta inquit habens grossum corticem, multum extenditur in altitudine: & hoc propter extensionem humoris & impulsum caloris. Nam grossitudo corticis humorem recipiens, non finit illum defluere, nec etiam propter suam densitatem permittit calorem per poros euaporare, ex qua necesse habet se diffundere & dilatare, vt patet in pino, in palma & in consimilibus, *Vt dicit Aristoteles. Item ibidem.* Arbores habentes lacteum humorem, magnam habent vnctuositatem & calorem fortem in radice, & ideo resoluuntur humores vsque ad exteriora arboris, & generantur gummi aliquando liquidi, aliquando ex exteriori aere frigido coagulante in modum lapidis vel conchulæ induratæ, & hoc accidit aliquando ex frigiditate constringente, aliquando ex caliditate liquidiores partes educente & consumente & grossiores compingente. *sicut ibidem dicit Alphredus. Item ibidem.* Arbores quædam alterantur secundum temporis alterationem, quæ in æstate virescunt, in hyeme pallescunt, & tamen folia sua non perdunt nec proiiciunt, fortem enim habent calorem incorporatum, & ideo calor fugit ad interiora arboris & etiam foliorum, à facie frigidi aeris hyemalis, & ideo exteriora pallida & glauca fiunt, tamen non cadunt folia propter viscositatem humoris & intensam fortitudinem caloris. *Item ibidem.* Arbores facientes fructum, in principio faciunt fructus amaros, quando scilicet nouiter sunt plantatæ, & in earum fructu tunc dominatur amaritudo vel ponticitas, sapor scilicet accedens ad amaritudinem. Cuius causa est, quoniam prima digestio acida est & pontica, propter humoris attracti grossitiem & terrestreita-

tem, & propter caloris digerentis paucitatem & debilitatem, & ideo generatio talium fructuum est præter dulcedinem, quia ipsorum humor crudus remanet & indigestus, sed post confortato calore, & augmentato humore depurato, calor digerens humorem ipsum efficit sapidum atque dulcem, quia *Vt ibi subdit Aristo.* etiam amarum in ignem missum dulcescit, & hoc accidit *secundum Alb.* propter illam quam recipit à virtute ignis digerentis immutationem. *Item ibidem.* In locis acidis, frigidis scilicet atq; siccis aliquando producuntur fructus dulces, quia calor innatus intra acetosum humorem inclusus, per calorem Solis adiutus, digerit illam acetositatē, & conuertit in dulcorem, & erit fructus dulcis, q̃uis acida sint folia & etiam extremitates, in quib non est tanta digestio & caloris operatio, quemadmodum est in fructu. Contingit tamen aliquando ꝙ propter superuenientem nimiam adustionem ille fructus primus factus dulcis conuertitur in amaritudinem propter superfluū calorem & humoris residui paucitatem. *Item ibid.* In locis temperatis & terris, ante dies vernales fructus celerius maturescunt propter caloris sufficientiam, & aeris exterioris dispositionem temperatam. *Item ibidem*, quædam sunt arbores, quæ primo faciunt fructus dulces, deinde pontici efficiuntur & amari, sicut arbores mirabolanorū, cuius causa est, *Vt ibidem dicitur*, quod arbor talis habet fructus magnæ raritatis & in hora digestionis, cum sint meatus magni & ampli, sequitur calor sufficiens humorem materialem ad fructum, & maturabit fructum, & ideo huiusmodi fructus in digestionis principio erit dulcis, sed postquam calor existens in meatibus consumentibus humorem inducit siccitatem, quia constringit meatus & poros, ita quod nec calor nec humor potest ad locum fructus peruenire, mutantque frigiditas & siccitas calorem & humorem, propter quod alteratur fructus in ponticitatem, eo quod prohibetur omnis ascensus siue accessus caliditatis innati, & humoris per constrictionem inductam à siccitate, & sic erit frigiditas vincens in fructu propter defectum caloris, & erit fortis ponticitatis propter victoriam frigiditatis & siccitatis. Sed tandem calor innatus eleuatur ad locum fructus, & vigoratur per calorem Solis, propter quod vincit iterum frigidita-

tem

tem & inducit intensam caliditatem & siccitatem, & sic erit fructus amarus. In arboribus plantandis pariter & serendis ætas Lunæ maxime consideranda est. Nam quæ plantantur in plenilunio recto vel in recto nouilunio minus conualescunt, & si conualuerint, fructum facient vermiculosum, & fructus tunc plantatæ arboris citius putrescunt. Similiter & arbores quæ tunc de terra præscinduntur minus durant, & citius à vermibus corroduntur, *sicut dicit Constantinus. Rationem quare supra libro 8. de effectibus Lunæ.* Item inter arborem & eius fructum est quoddam retinaculum, quo fructus adhæret arbori, sicut fœtus per vmbilicum adhæret matrici, *vt dicit Constantinus*, & illud retinaculum primo est debile & laxum, & attracto humori adhuc vicinum, & ideo fructus tunc de facili excutitur, si fortioris venti impulsu tunc temporis arbor moueatur, sed post paulatim calore humorem indurante fortius adhæret, & fructus ita de facili non tunc cadit, sed in fine fructu maturato & ad debitam quantitatem perducto, arescit illud retinaculum vel putrescit, & ideo fructus de facili mouentur tunc ad casum. Et quanto arbor profundius figit ad radicem, tanto attrahit plus humoris, & si fructifera est, plus abundat in foliis, fructibus & ramis. Item arbor superfluis abscissis melius fructificat, nam transit humor in fructum, qui transiret in nutrimentum superfluorum. Hæc de natura & proprietate arborum in generali dicta nunc sufficiant.

Cap. III.

De Amygdalo.

Amygdalus est arbor mature florens, & dicitur hic Amygdalus pro arbore, & hoc amygdalũ pro fructu *Vnde quidam ait:*

Sunt matura mora, pyra, ficus amygdala mora.

Tamen hæc amygdala læ inuenitur pro fructu in sacra pagina. *Numeri 17.* Sacra enim scriptura, *vt dicit Hierony.* non vult se semper subiicere grammaticæ legi, nec vult illius arte regi. *Isidorus autem libro 17. sic dicit*, amygdala græcum est, quæ latine nux longa vocatur. Hanc nucidam multi vocant quasi minorem nucem, *de qua Virgil.*

Cum se nux plurima syluis induit in florem,

Cunctis enim arboribus prior floribus se conuestit, & ad poma inferenda arbusta sequentia præuenit. *Hucusque Isidor.* De amygdalis *dicit Aristoteles in lib de plantis*, quod indigent cultura & maxime quando sunt antiquæ, vnde si clauis perforentur, emittent quoddam gummi, & depurabitur humor in medulla, qui materia est ipsius fructus, & ideo plus fructificant amygdali bene cultæ, quando sunt antiquæ quam nouellæ. Duplicem autem fructum fert amygdalus, scilicet dulcem & amarum, *vt dicitur in Plat.* & dulcia amygdala vtilia sunt ad cibum, amara vero ad medicinam, sunt enim calida & sicca. De dulci amygdalo *dicit Dioscori.* quod si recens cum suo folliculo comedatur, prodest stomacho, sed caput grauat, caliginem nutrit. Venerem accendit, somnum facit, ebrietati resistit. *Item dicit ibidem* quod si vulpes comedat amygdala, morietur. Sæpe enim quod medicinale est homini, venenosum & mortiferum est alteri animali, & è conuerso. *Item idem.* Fere tota arbor amygdalorum amarorum est medicinalis. Nam radix eius elixata siue cocta, & trita, maculas vultus tollit & purgat. Fronti linita dolorem capitis mitigat, vulnera putrida mixto melle mundificat atque sanat, cortex etiam & folia sunt mundificatiua, exterminatiua & sanatiua. Oleum autem de amygdalis extractum, vermes & lumbricos in ventre necat, menstrua prouocat & purgat. Contra surditatem efficaciter iuuat, & aurium saniem mundat & desiccat, si tepidum auri instilletur, *vt dicit Dios.* Item flores eius decocti in oleo, caducos & lethargicos excitant, cum melle triti morsibus caninis obuiant, vlcera sanant, gummi quod de amygdalis exudat, mixtum potioni sanguinem reiicientes iuuat, & sic patet, quod parum vel nihil est in amygdalo, quod non conueniat medicinis, *vt dicit Dios.*

CAP. IIII.

De Abiete.

ABies nomen est arboris, sic dictæ ab eundo, eo quod præ cæteris arboribus longe abeat, & in altum altius se extendat. Cuius natura est, *vt dicit Isidorus libr.* 17. quod est expers terreni humoris, & ideo habilis est atque leuis. Ex abiete autem dicuntur abiegna ligna, vel alia, quæ de

abiete

abiete componuntur. Et abietarius dicitur, qui aliqua de abiete operatur, *Vt dicit Isidorus. Secundum Aristot.* autem abies est arbor in altum se extendens, plurimum habens raritatis in substantia, & subtilis humiditatis, & ideo calor eius naturalis à Solis calore fortificatur, & illam humiditatem de facili eleuat, & per sursum mittit, & sic ipsam in arboris substantiam conuertens arborem altam facit. Est etiam arbor miræ rectitudinis, parum vel nihil habens tortuositatis, & hoc propter virtutẽ caloris & æqualitatem humoris operationi caliditatis obedientẽ, & ideo directè sursum sine aliqua tortuositate eleuatur. Quamuis e. abies generetur ex humore leui & subtili, illius tamen humoris superfluitatem reiicit natura ad eius superficiem, scilicet inter lignum & corticem, & ibidem à calore exteriori inuiscatur, & in naturam resinæ cuiusdam odoriferæ transmutatur, propter eandem etiam viscositatem vnctuosam, ligno abiegno incorporatam abies igni apposita, facilime inflammatur. Variis insuper ædificiorum structuris abies accommodatur & maxime propter suam rectam altitudinem & formam pyramidalem ædificationi nauium vtiliter adaptatur.

CAP. V.

De Aloa.

ALoa arbor est aromatica, quæ in India generatur, *Vt dicit Papias.* Et est arbor odoris suauissimi atque fragrantissimi, cuius particula vice thymiamatis altaribus adoletur, vnde nomen extraxisse dicitur. *De ligno autem aloes dicitur in Platone.* Aloes est lignum calidum & siccum, quod recipitur in magno flumine Babyloniæ, cui coniungitur Tigris, fluuius Paradisi: vnde à pluribus creditur quod prædictum lignum inter Paradisi arbores oriatur, & casu aliquo vel impulsu de Paradiso ad flumen Indiæ deducatur. Habitantes autem iuxta fluuium missis retibus in flumen, lignum intercipiunt & reseruant vsui medicinæ, multum enim est medicinale. Lignum autem aloe est triplex, *Vt dicit Constantinus in libro graduum*, primum est valde ponderosum, & quod est nodosum est valde aromaticum, & est subamari saporis & subnigri coloris & subtusi, & contritioni dentium non omnino resistens. Dicit

etiam quod cum masticatur, statim odor aromaticus videtur attingere cerebrum, & quodammodo replere. Secundum genus est minus ponderosum, nec adeo aromaticum nec amarum. Tertium genus est subalbidum, valde leue, nec est alicuius saporis & parui odoris, nisi sit aliunde coaptatum. Sophisticatur autem lignum aloes cum quodam ligno sibi simili in ponderositate & nodositate, & modico aromaticitate, & à quibusdam lignum aloes syluestris nuncupatur. Hoc lignum confricatur cum plumbo, vt color immutetur, addita superfluitate aurium, vt fiat aliquantulum amarum & subrufum, & ponitur in decoctione optimi aloes cum musco, vt fiat valde aromaticum, & sic fit vt vix ab optimo discernatur, cognoscitur tamen quia durissimum est & masticationi dentium omnino resistit, & dum masticatur sapor amarus interius non sentitur. Lignum aloes stomachum confortat, digestionem procurat, & debilitatem cordis ac cerebri confortat, & singulariter contra syncopim & cardiacam maxime passionem iuuat. Nam contra omnes cordis passiones & debilitates ex frigiditate prouenientes valet vinum decoctionis aloes, sed quia vinum inde fit amarum, modicum apponatur & pro delicatis cum aqua rosacea vinum temperetur, & tale vinum poterit diu reseruari, quia à ligno multum immutatur. Cuius fumus per nares receptus, infrigidatum cerebrum calefacit, & debilitatum confortat. Et vt laudes eius concludam in omnibus corporis debilitatibus subuenit & adiuuat, si quis modo debito vti sciat. *Hucusque Plater.*

CAP. VI.

De Aloe.

ALoe etiam dicitur cuiusdam herbæ succus, quæ herba *ἀλόην* appellatur. Hæc herba in India & Persia & locis aliis plurimis reperitur, cuius succus exprimitur, & ad ignem decoquitur, & post Soli exponitur & exiccatur, *vt dicit Plater*. Aloæ etiam tria sunt genera, scilicet citrinum, epaticum, & caballinum, *vt dicit Plater*. Et differunt istæ tres species in bonitate. Nam bonum est caballinum, melius est epaticum, sed optimum est citrinum. Et discernuntur ex colore citrino & rufo, & præcipue cum frangitur,

pulnis

puluis, apparet ac si esset puluis croci, & est eius substantia clara, maxime quando confringitur per minuta frusta, & quod frangitur ex eo minus est fœtidum & minus amarum. Epaticum vero aloe assimilatur epati in colore, colorem enim habet epaticum, id est nigrum, & foramina quędam velut ora venarum. Obscuram etiam habet substantiam & non claram, & est amarius quam est citrinum. Caballinum autem aloe nigrum est & obscurum, & fæculentam habet substantiam, & amarissimum saporem & horribilissimum odorem. Sophisticatur autem caballinum, ita vt videatur epaticum vel citrinum cum puluere croci & aceto, si decies in illo intingatur & desiccetur, & tunc innouatur eius color & odor vt citrinum vel epaticum videatur, discernitur tamen, quia cum frangitur & digitis confricatur, statim fœtidissimum sentitur & amarissimum inuenitur, quod non est in epatico & citrino. Omne autem aloe quanto de sua natura est minus amarum & minus fœtidum est magis laudabile. Aloe autem quamuis ex natura sit amarum, tamen multipliciter est vtile & salutiferum. Nam phlegma, choleram & melancholiam mundificat atque purgat, membra neruosa confortat, stomachum à viscosis humoribus & nociuis euacuat, caput á dolore releuat, quoniam fumositas stomachi caput grauat, visum clarificat, splenem & epar deopilat, menstrua prouocat, in corpore discolorato bonum colorem generat, ab hydrope corpus præseruat, & in principio curat. Puluis eius cum melle datus lumbricos, id est, vermes ventris necat, fluxum capillorum prohibet, & à casu præseruat, arteticos iuuat, pruriginem oculorum placat, membrorum genitalium vlcera sanat, putredinem oris & gingiuarum mundat, recentia vulnera sanat, consolidat, mundificat, & desiccat. Amarum est ori sed dulce stomacho, stomachum enim infrigidatum & debilitatum confortat, & digestionem adiuuat & procurat. *Hæc omnia de Dioscor. & Plater. & Auicenn. excerpta sunt*

CAP. VII.

De Arundine.

ARundo est media inter herbam & arborē, herba quidem robustior & durior, sed arbore est fragilior, exterius

terius plana & interius vacua & caua, nodosa, leuis in paludibus enutrita, ventis cedens, de facili manum lædens. De arundine *dicit Isid.lib.16.* Arundo est dicta eo quod cito arescat, in indicis autem stagnis crescunt arundines, ex quarum radice expressum suauissimum succum bibunt. *Vnde & Varro dicit.*

Indica non magna in arbore crescit arundo.
Illius & lentis premitur radicibus humor.
Dulcia cui nequeunt succo contendere mella.

Cap. VIII.

De Amomo.

Amomum *vt dicit Isi.li.17.* est vocatum eo quod habet odorem veluti cinnamomum. Nascitur in Syria & Armenia, cuius frutex botrosum semen reddit, sibi connexum habens florem album, similem violæ, & folia similia bryone, odore etiam suo præbono somnos suauificat. Amomum est herba odorifera, *vt dicit Dioscor.* & est coloris subrufi, folia habens coniuncta & semina copiosa habens ad modum violæ, florem album. Est amomi triplex species, quoddam enim est Armenicum, & illud cæteris est nobilius, fului quidem coloris, sed odoris optimi & virtutis maximæ ac valoris. Aliud est quod crescit in locis humidis & aquosis & est lene tactu, saporem exprimens atq; gerens. Tertium vocatur Ponticum rufum non longum. Est autem eligendum quod est recens & album, semine plenum super virgas purpureas expassum, maxime odoriferum & ponderosum, quod masticatum quodam acumine mordet linguam. Vnde habens colorem non varium, non diuersum, *vt dicit Auicenna & Dioscor.* Omne amomum habet *secundum eosdem autores* virtutem calefaciendi & etiam desiccandi, ictibus scorpionum occurrendi, sua decoctione in aqua oculos fouendi, & à suis doloribus releuandi. Habet virtutem dolorem viscerum sedandi, & ventositatem extenuandi, & menstrua prouocandi. Cuius elixatura siue decoctio sumpta, habet virtutem phreneticis subueniendi, epaticos adiuuandi & etiam podagricis succurrendi. In omnibus siquidem nobilibus antidotis & receptionibus & medicinis solet amomum sæpius adhiberi,

ri, quamuis loco ipsius multi aliam herbam amonidem sc. ei quidem in colore similem, sed in odore & virtute penitus disparem apponere sunt consueti, *Vt dicit Auicenna.*

CAP. IX.

De Anetho.

ANethum est herba cuius semen consimili nomine est vocatum, cuius semen primo conuenit medicinæ, radix secundario, sed tertio ipsa herba, cuius semen potest seruari per triennium in magna efficacia, *Vt dicit Dioscor.* Melius tamen est vt singulis annis renouetur, cuius radix adhuc viridis alicuius est valoris, sed desiccata nullius, *Vt dicit idem.* Habet virtutem diureticam, calidam scilicet & apertiuam & compactorum diuisiuam, ventositatis & inflationis extenuatiuam, & torsionis ventris & viscerum mitigatiuam. Item virtutem habet calculi confractiuã, menstruorum prouocatiuã, & meatuum vrinalium apertiuam, singultus ex plenitudine amputatiuam, somni prouocatiuam, durarum collectionum in corpore resolutiuam, si coctum cum oleo per emplastri modum apostemati apponatur. Item flos eius cum vino coctus, dolorem capitis aufert, si inde caput fomentetur. Item cinis eius vuluæ stillanti appositus, ipsam reprimit & desiccat. Item decoctum anethum cum oleo, rigorẽ neruorum laxat. Multis etiam aliis subuenit passionibus, *sicut idem dicit.*

CAP. X.

De Aniso.

ANisum easdem habet virtutes quas & anetum, sed saporem habet dulciorem, & eius semen est magis minutum & rotundum, & à multis vocatur dulcinium (alias dulcinium) *Vt dicitur in Plat.* Virtutem habet dissoluendi, consumendi, & ventositates destruendi, digestionem confortandi, opilationes splenis & epatis aperiendi, confringendi calculum, prouocandi menstrua, & omnes meatus interiores aperiendi & emendandi. Et ideo quãuis sit in quantitate semen minutissimum, est tamen multum vtile in virtute, & plurimum salutiferum.

CAP. XI.

De Allio.

ALlium ab olendo eſt dictum, eo quod oleat *vt dicit Iſid.lib.16.* Cuius odor eſt tam fortis, quod omnes alios reprimit & ſuperat fœtores. Et ideo per loca corrupta neceſſario tranſituri ſiue putrida, purgaturi fortiſſimis ſe muniunt alliatis, *ſecundum Dioſ.* Allium multas habet virtutes & tam bonas quam malas proprietates, quia ex diuerſis componitur virtutibus *vt dicit idem.* Ventrem ſiquidem & ſtomachum turbat & ſiccat, ſitim amouet, & corpori appoſitum, corpus vlcerat & vulnerat, & ſi nimis à cholericis ſumatur in vſum, corpus inflammat & deſiccat, lepram generat, maniam & phreneſim excitat, viſum lędit, & hebetat, & ideo cholericis natura nocet. Nam choleram rubeam cito generat, & aduſtam multiplicat & augmentat, phlegmaticis & frigidis multum confert. Eſt autem duplex eius genus ſcilicet domeſticum & ſylueſtre, quod ſcordeon à medicis nuncupatur, cuius flos debet recolligi & in medicinis apponi vel admiſceri, non enim operatur cum impetu, ſicut ſolet domeſticum operari. Allij autem domeſtici capitibus maxime vtuntur, in cuius natura multiplex efficacia reperitur. Nam præcipue habet virtutem diſſoluendi & conſumendi, & expellendi venenum & omne venenoſum. Vnde non ſine cauſa vocatur ab antiquis autoribus theriace ruſticorum, *vt dicit Dioſco.* Maxime autem valet contra morſum & venenum canis rabidi, ſi cum ſale & nucibus interius accipiatur, addita herba ruta. Hæc enim quatuor ad inuicem conterantur, & ad quantitatem magnæ nucis patienti ſæpius offerantur, & hoc cum vino. Eadem etiam confectio ſuper morſum canis rabidi exterius apponatur. Vulnus enim ſanat & venenum attrahit & conſumit, & à periculo liberat ac præſeruat ita efficaciter ſicut theriace. Item allium virtutem habet aperiendi, diuidendi, & incidendi humores groſſos & conſumendi, & ita valet calculoſis & ſtranguriam patientibus, id eſt, difficultatem vrinandi. Menſtrua etiam prouocat & emendat ventrem, lumbricos & alios vermes in ventre interficit, ſi cum pipere & ſucco mentæ & aceto ad modum ſalſę offeratur. Dolorem iliorum & lumborum allium mitigat.

Si mundatum ac tritum & cum oleo coctum super doloris locum ad modum emplastri apponatur. Valet etiam contra morpheam, id est, lepram cutis, si locus, in quo est morphea, scarificatur & post cum allio trito fricetur & cataplasmetur. Cõtra serpentum morsus valet, si tritum cum laurino oleo apponatur, *Vt dicit Dioscor.* Item hydropicis prodest, quia humorem intercutaneum consumit & desiccat, & tumorem sedat. Grandia & cruenta vulnera & sordida purgat & conglutinat & sanat, si puluis allij combusti superponatur. Coctum etiam allium cum aqua fontana, omnem dolorem loci & tumorem tollit. Cauendum tamen est ne continue in cibis assumatur, quod multum noceret oculis. *Vnde Versus.*

Allia, Vina, Venus, puluis, Ventus, faba, fumus.
Ista nocent oculis, sed Vigilare magis.

Secundum Aristo. autem li. de plantis. Allium habet similitudinem cum lilio, communicat cum illo in dispositione capitis & in tunicellis, & habet virtutem sementinam in tunicellis radicis suæ, & in granis suis natis in summitate hastæ suæ, & ideo cæpula allij posita in terram, producit plantam similiter & semen, & habet tunicas multas, & folia pyramidalia & hastam cauernosam & porosam. Allium etiam sicut & lilium primum facit semen stipitis sui, & in tenui folliculo in grana coniungitur, cæpa vero non coniungit grana sua, sed in pediculis siue pedibus paruulis nutrit ea & emittit. Facit alliũ radices capillares, sicut lilium & sicut crocus & huiusmodi. Sed in hoc differũt radices allii á lilio, quia non ramificantur in allio, sicut ramificantur in lilio, & sicut allium renouat folia, ita renouat radices, & semel tantum emittit semen, sci. in secundo anno postquam seminatur, ideo habet allium tunicas plures & ramosas, vt illæ tunicæ sint cibus & nutrimentum secundis radicibus & secundis foliis & stipiti eius. Quapropter crescentibus secundis foliis & stipite, attenuantur & euanescunt tunicæ eius in terra. Et simile huius in cæpis inuenitur. In hoc autem allium differt à cæpa, quia quælibet allii tunica carnosa si plantetur, crescit ex ea planta, sicut & lilium, quod de tunica sua plantata in terrã emittit plantam, & hoc accidit, quia in suis tunicellis est virtus seminatiua, sicut in carnosis partibus alliorum, non sic autem

fit ex cæpa, non enim ex qualibet eius parte plantata, crescit planta, sed de toto capite cæpa plantata, emittit plantam, quia virtus seminatiua nõ est in qualibet parte cæpe, sed in toto. In hoc etiam differt allium à lilio, quoniam eius partes carnosæ, quando plantantur, emittunt gramina sua & folium per medium carnis suæ sed tunicellæ lilii emittunt ab vno latere sui iuxta & non à medio. *Hucusque Aristo. libro de plantis secundum nouam translationem.*

Cap. XII.

De Absinthio.

ABsinthium est herba acerrima, calida & sicca, vehementer stiptica & amara, *vt dicit Dioscor.* Cuius duo sunt genera, vnum est põticum, habens colorem viridem, & saporem ponticum & amarum, aliud est subalbidum & minus amarum, & minoris effectus quam primum: In fine veris colligitur in vmbra desiccatur, per annum in magna efficacia conseruatur. Dicitur autẽ contrarias habere virtutes, *sicut Plat. dicit.* Sed relaxatiuam & constrictiuam. Constrictiua inest ei ex grossicie substantiæ & ponticitate. Laxatiua inest ex caliditate & amaritudine, vnde quando recipitur interius, si inuenit materiam compactam, propter ponticitatem suæ substantiæ & grossiciem, reddit materiam compactiorem, & sic est causa maioris constrictionis. Materia vero existente habili & digesta, caliditate dissoluit eam & ponticitate sua comprimente expellit eam. Syrupus de absinthio factus epati subuenit & stomachum confortat, appetitum inuitat, ebrietati obuiat & repugnat, ictericiam curat & colorem euulsum alterat & immutat. Succus eius cum puluere costi splenem deopilat, dolorem stomachi & intestinorum ex ventositate prouenientem dissoluit & mitigat, succus eius auribus instillatus humiditates, ab eis distillantes, desiccat, cum felle tauri tritum absinthium & auribus iniectum, dissoluit sonitum, & auditum roborat, & emendat, dolorem capitis ex fumositate stomachi procedentem succus eius sedat, liuorem & dolorem ex percussione cum puluere cimini & melle amputat, si per modum emplastri apponatur. Lumbricos & vermes aurium succus eius necat, si instilletur, succus eius potatus visum

visum clarificat, & oculis impositus ruborem & pannum curat, si sæpius infundatur libros & pannos á vermibus & muribus tutos seruat, si cum eis in cistula reponatur, *vt dicit Macro.* Item morsibus migalis & draconis obuiat, & sanat, si bibatur. Item eius decoctio ventositate ventris & inflationem sedat cum potatur, *vt dicit Diosc.* Præter has virtutes quasdam habet conditiones & proprietates minus laudabiles, nam saporis amaritudine & ponticitate inficit & contristat gustum, odoris horribilitate lædit olfactum, in amaritudinem redigit lac & vinum, & omne dulce cui admixtum fuerit seu adiũctum, & ideo apes, quæ frequentant flores absinthii, faciunt mel amarum, *vt dicit Diosco. De absinthio dicit Plin. lib. 17.* Non est, inquit, dandum febricitanti, nauseas naribus arcet, si fuerit prius potatum, somnum prouocat dormienti inscio sub capite positum, capillos denigrat quando inunguntur vnguento facto de eius succo & oleo rosaceo.

CAP. XIII.

De Apio.

APium est communis herba, omnibus fere nota, ex eo sic vocata, *vt dicit Isidorus lib.* 17. quod à picis, id est, capitis triumphantium quondam fuit ornamentum. Hercules enim primo hanc herbam capiti circumposuit, cuius radices efficaciter pugnant contra insidias veneni, *vt dicit Isidorus.* Cuius multæ sunt species, *vt dicit idem*, scil. *petrosum*, sic dictum eo quod apio est simillimum in foliis, σέλινον enim Græce apium dicitur. Crescit autem in locis petrosis, montibusque prætuptis, & ideo Latini petroselinum petrapium vocant, *vt dicit Isidor.* Sunt & aliæ maneries apii, *vt dic. Dioscor.* scilic. apium ranarum, apium risus, & apium hæmorrhoidarum. Apium ranarum dicitur, quia in locis aquosis, vbi ranæ sunt, sæpius inuenitur, quod decoctum cum vino & oleo, & ventri ac renibus cataplasmatum, eorum dolori mirifice opitulatur. Apium risus dicitur ab effectu, quod purgat melancholicum humorem, ex cuius superabundantia fit tristitia. Dicunt autem quod interius receptum in magna quantitate, hominem ridendo interficit & occidit. Valet contra calculum

& ſtranguriam, & ad menſtrua prouocanda, ſi decoctum fuerit in aqua vel vino, & inde inferiora fomententur. Apium hæmorrhoidarum eſt dictum, eo quod eius puluis vel cinis ſuperpoſitus, fluxum ſanguinis deſiccat. Apium commune ſplenis & epatis opilationem aperit, calculum frangit, icteritiam ſoluit, hydropicis ſubuenit, phreneticis conuenit, ſi eius ſucco & oleo roſaceo mixto cum aceto caput ſæpius inungatur. Radix eius & ſemen morſibus venenatis ſuccurrit, & veneno reſiſtit, *vt dicit Dioſ.* Epilepticis autem nocet omne apium, quia diſſoluit, & mouet omnem materiam ad ſuperiora. Nocet etiam pueris, illa enim ætas, propter humiditatis multitudinem & virtutis debilitatem & membrorum & meatuum ſtrictitudinem, parata eſt ad morbum caducum, & ideo lactantes nutrices abſtineant ab apio, ne puer epilepticus efficiatur, *vt dicit Dioſ. & Platear.*

CAP. XIIII.

De Ariſtolochia.

ARiſtolochia eſt herba multum medicinalis quamuis amara. Cuius duæ ſunt ſpecies, ſcilic. longa & rotunda, & vtraque calida eſt & ſicca, & eſt radix magis medicinalis quã folia. In autumno debet colligi, & ſeruatur per biennium. Virtutem babet diſſoluendi, & expellendi venenum & conſumendi. Bonum anhelitum facit, ſplenem durum remollit, & eius opilationes aperit. Ventris dolorem & lateris amputat ac ſedat, podagricis ac caducis ſubuenit & contractis. Contra morſus venenoſos confert puluis & cum ſucco menthæ, puluis eius carnem mortuam leuiter corrodit in fiſtula & in plaga, fœtum mortuum de vtero expellit, radix eius, ſi cum vino decoquatur. *Actenus, Dioſc. De Ariſtolochia dicit Plin. & Iſido. libr* 17. quod mulieribus fœtis optima ſit, nam potata cum pipere & vino, ſordiciem parturientium mundificat & matricem expurgat, & menſtrua prouocat atque purgat.

CAP. XV.

De Agno caſto.

AGnus caſtus dicitur quædam herba calida & ſicca, cuius virtus eſt, *vt dicit Plin.* conſeruare in hominibus

bus castitatem, vnde & mulieres Romanæ illius herbæ frutices secum deferre consueuerunt in mortuorum exequiis, quando propter honestatem publicam oportuit necessario continentiam obseruare. Hæc herba *secundum Diosc. & Platear.* semper viret, & eius flos potissime agnus castus nuncupatur, quia odore & vsu reddit homines castos, sicut agnos *secundum Dioscor. & Platear.* Dicit aperiendo poros & spiritus euaporando, & humiditatem seminalem consumendo, inducere castitatem. *Dicit etiam idem autor* quod eius decoctio valet contra leucophlegmaticam, id est, frigidam hydropisim siue albam, si cum semine fœniculi & modica esula decoquatur. *Item ibidem.* Fomentum decoctionis agni casti matricis exiccat superfluitates, & ipsius orificium coangustat, menstrua autem prouocat, & lethargiam sanat atque soluit, si cum apio & saluia decoquatur in salsa aqua, & inde posterior pars capitis fortiter abluatur, *Vt dicit Diosc.*

CAP. XVI.

De Artemisia.

ARtemisia est mater herbarum dicta, quæ quondam fuit à gentilibus Dianæ, quæ græce dicitur Αρτεμις, consecrata, *Vt dicit Isidorus lib.* 12. Est autem herba calida & sicca, cuius radices & folia competunt medicinæ. Valet autem maxime contra sterilitatem, quæ ex causa humida procreatur. In causis autem calidis & siccis non valet, *Vt dicit Diosc.* Menstrua prouocat, matricem mundificat & confortat, dolores capitis, decocta in vino vel in aquā, mitigat & sedat. Secundinas & fœtus mortuos euacuat, calculos renum & vesicę frangit, dæmonia *secun. Pli.* fugat, & malis medicamentis obuiat, trita cū arimbia dolorem pedum ex itinere mitigat. Cuius sunt species plures, quarum virtutes dicitur Diana adinuenisse, & mortalib. tradidisse. *Vt dicit Plin. & Diosc.* Alias eius virtutes refert *Auicen.*

CAP. XVII.

De Auena.

AVena est herba cuius semen est hominum & equorum vsibus aptum. Quæ *secundum Isidorum* est sic di-

cta, eo quod postquam seminatur, cito adueniat atq; crescat. Habet autem *secundum Platera.* vires leuiter relaxantes, & contra omnem tumorem facientes, & duricias relaxantes & faciei immundicias depurantes, *Vt dicitur in Plater.*

CAP. XVIII.

De Balsamo.

BAlsamum, *Vt dicit Isidorus*, est arbor siue frutex, nunquam crescens vltra altitudinem duorum cubitorum, & est viti similis, foliis autem similis rutæ, sed albioribus semperque manentibus. Cuius arbor dicitur Balsamum, lignum vero Xylobalsamum, fructus siue semen Carbobalsamum, succus Opobalsamum nuncupatur, eo quod ferreis vngulis cortex ligni percutitur, & per corticis vulnera quasi per cauernas guttę Opobalsami eximii effluunt & distillant. Cauerna enim Græco sermone opo dicitur, cuius guttas adulterant admixto Cyprio oleo siue melle, sed cognoscitur sophisticatum cum melle, si gutta lacti instillata fuerit coagulata, cum oleo vero si aqua admixta facile fuerit resoluta, quia vt oleum enatat super aquam. si vero non fuerit sophistica, tum statim in aqua recenti petit fundum, vestem mundam quam tangit non maculat neque polluit. Balsama autem si pura fuerint, tantam vim habent, vt si Sol excanduerit, sustineri in manu non possit. *Hucusq; Isidor. Plinius autem lib.12.cap.25.sic dicit*: Omnibus odoribus præfert Balsamum, vni terrarum scilic. Iudęę concessum, quondam nec inueniebatur nisi in duobus regiis hortis, quorum maior 20 iugerum erat, sed post dominantibus Romanis, vinea balsami per multos colles propagata est. Viti quippe similior est quam mirto, modo vinearum sicut & vitis implet colles. Sine adminiculis autem eius rami se sustentant. Procerior enim altitudo eius inter binos cubitos subsistit. Cauendum est autem, ne cum ferro ad interiora ligni lædatur, & ideo cauendum est ne vltra corticem violetur, quia læsio ligno interiori, totum perit. Est autem arbor totaliter medicinalis, cuius præcipua & prima gratia est in succo, secunda in semine, tertia in cortice, minima est in ligno. Ex his est optimum, quod est odoriferum & semine maximum & ponderosissimum,

mum, mordens gustum, & feruens in ore & colore rufum. *Hucusque Plin. lib. 12. cap. 25. Dioscor. autem dicit*, quod quædam est species balsami, quæ crescit circa Babyloniã, vbi sunt septem fontes: si autem alium in locum transferatur, nec flores nec fructus facit. In tempore æstiuo leniter incidunt rami eius cum cultello osseo vel alio non nimis acuto, ne lignum intrinsecus lædatur, quia tunc periret, sub cortice autem inciso ponuntur vitreæ ampullæ, in quibus guttæ stillantes colliguntur. Si vero vna gutta ponatur in palato, cerebrum ita calefacit, quod videtur succendi. Habet autem virtutem dissoluendi, consumendi, & corpora mortua incorrupta conseruandi, quia quantum dissoluit, tantum consumit, *vt dicitur in Plat.* Menstrua prouocat & educit fœtum mortuum, & molam de ventre eiicit & excludit. Lapidem in renibus & vesicam frangit. Iliacam passionem soluit. Omnes inueteratas capitis passiones tollit, si modo debito assumatur, quotidianis febribus & quartanis subuenit, morsibus venenosis occurrit. Has & multas alias nobiles virtutes habet, quas enumerare esset longum. Sed hæc de multis nunc sufficiant.

Cap. XIX.

De Bdellio.

Bdellium *vt dicit Plin. lib.* 12. *cap*. 10. est nominatissima arbor nigra, similis oliuæ in foliis & in robore, cuius gummi maxime reperitur in vsibus medicinæ, nam eius lacryma siue gummi est translucida, gustui amara, bene odorifera, sed magna est aromatica quando vino est infusa. *Idem tangit glo super Gene.* 2. *vbi dicitur. Ibi inuenitur bdellium & lapis onychinus &c.* Nascitur *vt dicit Plin. in partibus* orientis vt in Arabia, India & Chaldæa &c. Bdellia autem *vt dicit Isidor. lib.* 17. est Iudiæ & Arabiæ arbor, cuius lachryma Arabica melior est, aromatica enim est lucida, subalbida, lenis, pinguis, æqualiter cerea, & quæ facile remollitur & est amara, boni odoris, ligno vel terræ non mixta. Indica vero sordida atque nigra, & adulteratur cum gummi, quæ non ita amarificat gustum. Vndecunque autem veniat, glutinosam valde habet substantiam & astrictiuam, & etiam attractiuam, & ideo *vt dicit Dioscо. & Plat.*

repugnat dysenteriæ factæ ex acuta materia, & valet patientibus fluxum ex fortissima pharmacia, id est, medicina fortiter laxatiua. Valet etiam contra apostemata interiora & exteriora, si inde fuerint inuncta. Calculum rumpit, tussim compescit, morsibus reptilium occurrit, intestinorum dolorem lenit, *Vt dicit Plin.* Herniosis & in partibus inferioribus ruptis proficit, ad interiorem consolidationē cum gummi bdellico concordat vernix siue bernix, quod dicitur gummi arboris, habens virtutem conglutinandi, clarificandi & conseruandi, & ideo pictores eo maxime vtuntur, multum siquidem stringit sicut & bdellium, alterius tamen est naturæ quia frigida & sicca in secundo gradu, bdellium vero calidum & humidum, *Vt dict. in Pla.*

CAP. XX.

De Buxo.

BVxus, *Vt dicit Isidorus lib.* 71. græcum nomen est, sed ex parte à Latinis est corruptum. Nam πύξος apud eos appellatur semper virens, quę lenitate materię literarū formandis apicib. est apta. Nam tabula buxea bene polita colorem recipit albū, in quo de facili figurę & literatū characteres inscribuntur, & etiam de facili post delentur. Et dicitur *secundum Isidorum* hęc buxus pro tota arbore, & hoc buxum pro interiori ligno. *Vnde dixit quidam.*

Hæc buxus crescit, hoc buxum crescere nescit.

Est autem arbor multum solidæ materiæ & compactæ, cuius humor nutrimentalis multum est viscosus & compactus, *Vt dicit Alphredus libro Vegetabilium.* Et ideo lignum habet grossum & ponderosum, quod missum in aqua petit fundum, sicut hebenus, & hoc propter compactionem ligni, non habentis poros apertos, vbi possit intrare aer, per cuius subintrationem posset super aquæ superficiem eleuari, *Vt dicit idem Alphredus.* Folia etiam ita diu habet virentia, quæ de facili non cadunt, nisi paulatim quando vno cadente aliud mox succedit. Multa quidem habet folia & spissa, sed modicum habet fructum siue nullum. Arboris buxi rasura cum frigida sit & sicca, decocta in aqua puteali constringit fluxum, *Vt Dioscorides dicit.* Tingit etiam & ipsos crines, si de eius decoctione sæpius abluantur,

tur, sapor siquidem eius est amarus, *Vt dicit Plin. lib. 17. c. 17.* & odor grauis, tamen quamuis grauet sapore gustum, nihilominus cũ virore cõtinuo delectat visum, omni tempore conseruat virorem suũ & maxime in æstate, quia in hyeme eius folia aliquantulum expallescunt, sed non cadunt, *Vt dicit Alphredus.* Cuius causa est quia habet viscosum humorem in se, in radice vero multam humiditatem liquidam, & ideo non cadunt folia. Vnde adueniente caliditate prouocatur humor ad exteriora, qui tactus calore fit viridis, sed adueniente frigiditate repercutitur humor, & abundat siccitas & fit color pallidus siue glaucus. Crescit autem buxus in locis calidis & petrosis, & ideo multum habet duriciei & etiam nodosæ soliditatis, lignum tamen interius lene est, & ad planandum summe aptum, inscissuras & figuras in eo factas diu tenet, & ideo imagines pulcre durabiles inde fiunt, fiunt etiam ex buxo pyxides habiles ad musti & aliorum aromatum conseruationẽ. Ad multos etiam alios vsus, quos enumerare longum esset, valet buxus. Sed hæc nunc sufficiant.

CAP. XXI.

De Balaustio.

BAlaustium est flos caducus mali granati. Cum enim arbor fructus debet producere flores, in quadam tuberositate conglutinantur, & ab arbore quandoque cadunt, quæ a medicis reseruantur vsui medicinæ & possunt seruari per hyemem in magna efficacia, *Vt dicit Dioscor.* Est autem balaustium frigidum & siccum & habet virtutem constringendi & desiccandi humorem. Et ideo valet contra dysenteriam & sanguineum fluxum ventris, & contra fluxum menstrualem. Item virtutem habet constringendi vomitum cholericum, si decocta in aceto cum spongia super furculam pectoris apponatur. Item puluis vulnera consolidat, gingiuas sanat, & earum putredinem amputat & emundat, radices dentium consolidat & confirmat, vlcera etiam sanat labiorum. Hæc omnia facit præsidia, id est, cortex arboris eiusdem & præcipue fructus siue poma, & debet accipi quando pomum est maturum.

CAP. XXII.

De Beta.

BEta est herba communis & hortulana, *secundum Dios.* Duplex est species eius, scilicet nigra & alba. Et vtriusq; succus naribus instillatus purgat caput, aurium etiam dolorem mitigat, lendes & alias capitis immundicias & faciei maculas emundat, capillos reparat & conseruat. Folium eius tunsum & appositum, ignem sacrum extinguit, nascentia etiam vulnera compescit, malos humores nutrit si nimis sæpe in vsu habeatur, *vt dicit Dioscor. De beta dicit Aristoteles*, super eius radicem sicut & super caulem potest plantari surculus, qui tandem corroborante radice in arborem transmutatur, *vt patet supra de natura plantarum.*

CAP. XXIII.

De Cedro.

CEdrus est arbor quam Græci κέδρος vocant, quasi ceomones dicitur iosticum, id est arboris humor ardentis. Cuius folia ad cypressi similitudinem respondent, *vt dicit Isidorus lib.* 17. *vbi subdit.* Cedrus est lignum iucundi odoris, & diu durans & nunquam à tinea vel teredine, id est lignorum verme exterminatur. Vnde propter eius perpetuam durabilitatem ex cedris fiunt lacunaria, in regum palatiis & in templis. Huius arboris gummi siue lacryma, dicitur cedria, quæ ad conseruationem librorum summe est necessaria. Nam libri de hac lacryma liniti, nec à tineis corroduntur, nec tempore senescunt. Nascitur autem in terra Affrica & in Syria & maxime in monte Libani. Est ergo cedrus arbor altissima, omnium arborum domina & regina, *vt dicit Rab. super præsens* Est etiam aspectu pulcra semper retinens virorem suum. Est insuper olfactu odorifera, cuius odor fugat serpentes, & omnia venenosa, *vt dicit idem.* Est ergo fructu suauissima, poma enim cedrina sunt magna, oblonga, citrini siue glauci coloris, miri odoris, gratissimi saporis, saporem enim habent triplicem. Nam in medio circa grana sunt poma citrina & acetosa. In superficie iuxta corticem sunt dulcia. In carne siue medulla interiori inter dulce & acetosum sunt media. Est etiam ce-

drus

drus multæ efficaciæ & virtutis & valde medicinalis. Nam eius lacryma, quæ est gummosa in substantia, & aliquantulum pyramidalis siue pinea in figura, acrem virtutem habet & feruentem. Vnde vrit & siccat, *vt dicit Dioscor.* Caliginem oculorum detergit, vermes aurium occidit, contra dolorem dentium subuenit, morsibus serpentum occurrit, cum hysopi succo sonitū aurium tollit, tumorem faucium sedat, vulnera pulmonis curat, molles carnes à putredine seruat, corpora etiam mortua reposita in ligno cedrino, & eius lacryma inuncta, virtus cedrina à tabe & putredine defensat, semen etiam cedri tussim sedat, menstrua prouocat, & secundinas excludit, matricem purgat, neruos spasmatos & contractos remollit & relaxat, vrinam mouet, & arenulas in vesica & renibus mundat. Has & multas alias virtutes ponit Dioscor. de cedro & eius succo, semine atque fructu. *Plinius autem de quadam specie cedri sic dicit.* Est, inquit, arbor quædam nomine medica à Medorum terra primitus asportata, quæ à Græcis cytria vel cedronilla est dicta, eo quod eius pomum odorem & virtutem cedri sequi videatur, & eius saporem imitetur, *vt dic. Isi. lib.* 17. Eiusdem enim arboris pomum *vt dicit Plin.* contrarium est venenis, & est arbor, *vt dicit idem*, quæ in omni tempore fere est plana pomis, quæ in ea partim sunt matura, partim acerba, partim in flore sunt posita, quod in aliis arboribus rarum est, hanc arborem multi Assyriam vocant, *vt dicit idem.*

CAP. XXIV.

De Cypresso.

CYpressus græce dicitur cyparissus, *vt dicit Isidorus libro* 17. quia caput eius à rotunditate in acumen erigitur, vnde & conon alta rotunditas nuncupatur, cuius fructus talis est dispositionis, & ideo conus appellatur, eo quod conum imitetur, vnde & cypressæ coniferæ dicuntur. Huius lignum habet virtutem proximam pene cedro, aptumque est turribus templorum, sua enim imputribili soliditate oneri nunquam cedit, sed semper in prima remanet firmitate, suauissimi est odoris, & ideo antiqui solebant facere rogum de ramis eius, vt odoris sui iucunditate reprimerent fœtorem cadauerum mortuorum. *Hucusq;*

Isidorus. Est autem cypressus arbor calida in primo gradu, & sicca in secundo, cuius pomum, lignum & folia competunt medicinæ, *Vt dicit Platearius*, sunt enim stiptica & consolidatiua, & ideo valent contra fluxum ventris, ex debilitate virtutis retentiuæ si ipsorum puluis in cibis vel in potibus assumatur, valent contra iliacam passionem, & dolorem lumborum, si cum aqua pluuiali decoquantur, deinde vinum lymphetur. Cypressi folia recentia vulnera purgant & sanant, sacrum ignem fugant, nares polipósas mundant, & fœtorem amputant, fluxum sanguinis sedant, semen ergo eius mixtum cum caricis, id est ficubus siccis duricias soluit, rheumatis fluxum stringit, contra anthracem, id est apostema venenosum & morsum mortiferum subuenit, & eius malitiam ne se diffundat, reprimit & compescit, morsibus venenatis occurrit. Has autem virtutes cypressi recitat Dioscor. & multo plures. *Plinius autem libro* 17. *capit*. 23. Cypressus est arbor ramosa, a fructu habens vacuas baccas pro fructu, folia amara odore violenta, vmbra gratiosa. Cuius duplex dicitur esse species, masculus scilicet & fœmina, fœmina autem sterilis est, verumtamen aspectu pulcra, cuius rami in fastigio sunt densi & inuicem conuoluti, masculi vero rami sunt magis spissi, qui si præcisi fuerint, regerminant.

CAP. XXV.

De Cypro.

CYprus de quo dicitur Cantic. 4. *Cypri cum nardo, &c. Secundum Plinium libr.* 12. *capit*. 26. est arbor in Ægypto similis oliuæ in foliis, sed eius folia sunt viridiora & crassiora cum flore nigro & semine candido & odorato, quod si cum oleo coctum fuerit aut confectum, exprimitur in vnguentum regium, quod odoriferum est & summe deliciosum & cyprus dicitur. *Item dicit Isidorus libr*. 17. *& glossa super Cantic. Secundum Plinium autem dicitur* quod optima huius generis arbor crescit in Ægypto super Nilum in Canopia regione. Secunda vero in Ascalone. Tertia in Cypro cuius est mira odoris suauitas. Arbori huic, *Vt dicit idem*, est alia arbor similis quæ dicitur aspalatos, habens similitudinem in flore cum flore rosæ, ex cuius radice &

ce & flore nobile fit vnguentum. *Dicit etiam idem* quod in omni frutice vbi directe refulget arcus cœlestis, eadem fit suauitas odoris, quam diu ibidem fulget arcus, sed si super eandem arborem fulserit, inenarrabiliter eius odorem ampliat & decorem, & est similis spinæ candidæ, colorem habens igneum siue rufum, & in parte redolet, vt castoreum, à multis vocatur sceptrum Helisæi, *vt dicit idem. Dicit adhuc Dioscor.* quod cyprus est arbor medicinalis conuenientis & conglutinatiuæ virtutis, cuius folium masticatũ tumorem oris compescit, eius elixatura siue decoctio vermes capitis interficit, & inficit capillos, si tamen capilli fomententur, flos eius cum aceto decoctus, dolorem capitis soluit, *vt dicit idem*, cuius lentiscus dicitur alterius virtutis, quære supra de litera A.

Cap. XXVI.

De Cinnamomo.

Cinnamomum, *de quo dicitur Eccle.* 24. & 30. *sicut ibi dicit glossa*, est virgultum quod nascitur in India & Æthiopia duorum tantummodo cubitorum. Et dicitur cinnamomum, quia subtiles & replicatos habet culmos cerei vel nigri coloris, quia fracti reddunt visibile spiramentum. Cinnamomum vero quanto gracilius & subtilius, tanto carius est, & quanto grossius, tanto despectius reputatur. *Secundum Isidorum autem lib.* 17. Cinnamomum eo est dictum, quod cortex eius in modum cannæ est gracilis, & rotundus, & crescit stipite breui virgas tenues habens, quod cum frangitur ad modum nebulæ suauissimum emittit spiramen. *Super Eccle. cap.* 24. *dicit glossa*: Cinnamomum est breuis arbor odorifera & dulcis, cinerei coloris, præstans plus duplo ad medicinæ vsum quam fistula. *Plinius quoque libr.* 12 *capit. duodecimo, de cinnamomo, inquit*, & cassia *fabulose narrauit antiquitas*, quod inuenitur in nidis auium, & specialiter phœnicis, nec haberi potest, nisi quod cadit proprio pondere, vel quod excutitur cum plumbatis sagittis, sed ista fingunt homines vt rerum precia augeantur, secundum veritatem autem cinnamomum crescit apud Troglodytas in Æthiopia, qui per vasta maria in ratibus deducunt illud ad portum Gel-

benitarum, & est frutex duorum cubitorum ad maximum vel vnius palmi ad minimum, truncum habens in grossitie 4. vel 6. alii habent 11. vel 12. digitorum, nec olet nisi quando arescit, siccitate enim gaudet & in semine sterilior efficitur contra arborum naturam aliarum, inter vepres & rupes densissimas gignitur, & ideo non sine magna difficultate recolligitur, ante ortum Solis aut post occasum nulli licentia colligendi conceditur, quod cum collectum fuerit sarmenta hasta diuidit sacerdos, Deoque partem ponit, reliquum mercator emit. Præcipua autem bonitas eius vel virtus est in densissimis virgultorum partibus ad longitudinem palmi, & quod est in trunci medio vel quod est proximum radici, parum vel nihil valet, quia ibi minimum corticis est, in quo est summa bonitas cinnamomi, & ideo cacumina & superiores partes præferuntur, quia ibi cortex plus abundat, lignum vero interius respectu corticis nullius vel modici est valoris. *Hucusq; Plinius libr.* 12. *Secũdum Dioscoridem vero & Platenarium* cinnamomum calidum est in tertio gradu & siccum in secundo gradu. Cuius duo sunt genera, grossum scilicet & subtile, & grossum est minus laudabile, & ponitur in vomitiuis medicinis, quod vero gracile est & subtile, est laudabile & in aliis antidotis magis vtile. Est autem eligendum quod est subtile, acutum habens saporem, dulcedini intermixtum cum multa aromacitate, & subrufum in colore, quod autem subalbidum est minus valet, ex aromaticitate habens virtutem confortandi cerebrum, ex conglutinositate habet virtutem consolidandi. Habet autem cinnamomum multiplicem virtutem, *vt dicit Dioscor.* Nam tussim ex grossa humiditate sedat, tritum & cum aceto mixtum impetiginem extirpat, collyriis admixtum humiditatem oculorum desiccat, renum dolorem mitigat, hydropisim curat, morsus reptilium sanat, appetitum confortat, menstrua prouocat, opilationem aperit, cibum digerit, phlegma dissoluit & consumit, potatum cum vino secundinas excludit, caliginem oculorum detergit, syncopi ac cardiacæ passioni subuenit atque succurrit.

CAP.

Cap. XXVII.

De Caßia.

CAssia, *de qua dicitur Exod.*30. species est aromatica, & nascitur *secundum Isid.lib.*17. in Arabia, & est virga robusti corticis & purpureis foliis, vt cortex piperis, & est similis cinnamomo in virtute, sed tamen potentia inferior. Vnde in loco cinnamomi duplex est pondus eius. In medicinis sæpius admiscetur, *vt dicit Isid. Glossa aũt super Exod. capi.*30. Cassia in locis aquosis nascitur, & in immensum crescit ac bonum odorem reddit. De cassia *dicit Plin.li.*12. *cap.*21. Frutex, inquit, cassiæ iuxta cinnamomi campos nascitur, cuius amplitudo est trium cubitorum, cuius sarmẽtum est grossius sarmento cinnamomi. Cuius est triplex color. Primo enim candescit, deinde rubescit, tandem nigrescit, & ista pars maxime est laudabilis. Post nigram autem laudabilior est rubea & minus laudabilis est candida. Nam citius à vermibus corroditur & cauatur, & hoc accidit propter suæ substantiæ molliciem, & minorem amaritudinem corticis & virtutem. Probatur enim cassia cum est recens per odorem, per saporem, & per colorem. Nam cassia nobilis, subdulcis, pauci & acuti est saporis, suauis & iucundi est odoris, subnigri insuper vel purpurei est coloris & ponderis est grauioris, & maxime laudatur illa cassia quę de facili non frangitur, sed reflectitur potius & plicatur. Alia autem est species cassiæ, quæ balsamo de Saba similis est in odore, sed amara est. Et ideo prima scilicet nigra, quæ est subdulcis & feruentis saporis & boni odoris à medicis plus laudatur. *Hucusq; Pli. Secundum Platearium autem & Dios.* Cassia est duplex, scilicet cassia fistula & cassia lignea, quæ est fruticis cuiusdam cortex, nascentis iuxta confinia Babylonis, cuius diuersæ sunt species. Vna est similis cinnamomo, quæ subrufa est, & rotunda, solitamque habet substantiam, & cum frangitur vel teritur, non plicatur, sed resistit, acuta est in sapore & parum dulcis, & ista medici vix vtuntur. Alia est species quæ est subamara, partim habens colores distinctos, & hac vtũtur medici, & est eligenda, quę non facilè frangitur sed plicatur, & quę habet acutum saporem mixtum dulcedini cum aromaticitate, cum autem frangitur, colores habet subalbidos interius, & distinctos

stinctos & rufos intermixtos. Sophisticatur quandoq; cum admixtione corticis cappatis, sed cognoscitur quia subamari est saporis, virtutem habet diureticam, id est, diuisiuam ex subtilitate suæ substantiæ. Habet etiam virtutem consumendi ex qualitatibus suis. Insuper habet vim confortandi ex aromaticitate. Rheumaticas & frigidas causas curat, epilepticos & caducos iuuat, cerebrum confortat, renes & vesicam purgat, apostemata maturat & sanat, renes & epar & splenē deopilat, fœtorem oris masticata palliat aut amputat, menstrua prouocat, & matricem confortat, contra syncopim & defectum cordis iuuat, si ex eius puluere & rosis & osse cerui syrupus fiat. *Hucusque Dioscor. & Platearius.*

Cap. XXVIII.

De Casia Fistula.

CAsia fistula est fructus cuiusdam arboris, quæ longa semina producit, sed succedente tempore elongatur & ingrossatur, & caloris actione exterius condensatur, medulla interius existente nigra & humida atque dulci, quæ mixta est cum albis granis & quibusdam cellulis, ad modum faui mellis interius est distincta. Est autem eligenda quæ est grossa & ponderosa, quia multam signat inesse humiditatem, reiicienda est etiam leuis & sanora, quia signat vacuitatem, & siccitatem, virtutem habet leniendi, mollificandi & mundificandi, & feruorem sanguinis mirabiliter mitigandi ac choleram & sanguinem depurandi, apostemata gulæ dissoluit, visceribus vtilis est, & vitiis pectoris subuenit, menstrua retenta ex pingui humore educit, tumorem viscerum, & intestinorum dolorem potata tollit. *Hucusque Diosco.* quamuis autem vsualiter in cassia duplex ss. sonat, cum simplici tamen scribi & pronunciari debet, vt casia dicatur, *Vt dicunt autores. Vnde Ouidius* 15. *Metamorpho.*

Quo simul ac casias & nardi leuis aristas &c.
Et sic vbique dicit Plinius & Persius & alii.

Cap. XXIX.

De Calamo.

CAlamus aromaticus *de quo dicitur Exod.* 30. à similitudine calami vsualis est vocatus, *Vt dicit Isidor. libr.* 17.

Et

Et gignitur in India multis nodis geniculatus, odore suauis, mira fragrans odoris suauitate, qui si frangitur, in multas partes scinditur & diuiditur, & in gustu est similis casiæ cum leni acrimonia remordente, *Vt dicit Isid. Secundum Papiam* vero feruentis est virtutis. *In glos. Exod. sup. 30.* dicitur quod calamus aromaticus est species, quæ crescit iuxta montem libani. Vbicunque autem crescit *dicit Dios. Plat. Plinius.* species est calida & sicca in secundo gradu. Et est radix cuiusdam fruticis calamo valde similis & magni odoris, habet aũt ad modum cannæ concauitatem, in qua lignum inuenitur, quod quidẽ extrahi debet cum nullius sit valoris, tamen aliquando intus dimittitur, vt maioris ponderis videatur. Est autem *secundum eosdem autores* calamus duplex scili. Persicus, qui colore est citrinus. Alius est Indicus qui colore est subalbidus, qui cum frangitur facile non puluerisatur, & habet virtutem mirabilem confortandi, vnde stomachum confortat & digestionem adiuuat, maxime si cum absinthio temperetur, cardiacos & cordis defectum, quem Græci συϛκοπὴν vocant cum aqua rosacea multum iuuat. *Secundum Plin.* aũt calamus odorans est Indicus, qui maxime valet quando est subrufus, nodis plenus & spissus, & quando non frangitur in partes plurimas valde siccas, & est valde medicinalis ferè sicut casia, vel etiam cinnamomum, *quarum virtutes quære supra* Nam menstrua prouocat.

CAP. XXX.

De Calamo Vsuali.

CAlamus vsualis *secundum Isidorum* dicitur canna stipulæ vel segetis, & sic dicitur à caleo cales, eo ꝙ immisso flatu aliqualiter calescit. Et est proprie stipes medius in segete inter radicem atque fructum siue spicam, in qua fructus continetur. Alio etiam nomine vocatur culmus *Vt dicit Isidor.* Et est interius concauus, exterius planus & rotundus, nodis aliquibus munitur, multis tuniculis circumuestitur, quo mediante, spica proficit & nutritur, quo deficiente, deficit & spica, & penitus destruitur, modico venti impulsu hinc inde agitatur & mouetur, facilime frãgitur & incuruatur, & vix erigitur vel reparatur.

CAP.

CAP. XXXI.

De Calamo scripturali.

CAlamus scripturalis *de quo in Psal. dicitur lingua mea calamus scribæ*, idem est quod arundo, quia antiqui arundine vtebantur in scribēdo antequam vsus pennarum haberetur. Nam arundo, *vt dicit Plinius libr.* 16. *cap.* 34. vtilis est ad multos vsus. Arundines, inquit, inter aquaticos frutices obtinent principatum, suntque necessariæ in bello & in pace.

Nam arundinibus septentrionales populi domos suas aptissime tegunt, & eas in suis cauernis pro deliciis & ornatu suspendere consueuerunt, calamis etiam orientis populi bella agunt, & de eis spicula faciunt. Tantæ enim longitudinis sunt in multis partibus, quod hastarum vicem præbent, radicem habent viuacem: vnde si earum frutices recidantur, fœcundius surgunt. Sunt autem aliqui calami quadam medulla repleti, quidam ex toto concaui, qui ad fistulas faciendas sunt multum apti, calami autem medullati habentes lignum spissum & nodosum, pugnantibus plus conueniunt. Sunt & minores arundines, in locis minus aquosi crescentes, substantiam habentes tenuem & valde duram, & medullam quasi nullam, & earum superficies est plana & relucens ac polita, non nodosa, & tales calami sunt habiles ad scribendum. Cuius pars anterior præcisa acuitur, & ad scribendum adaptatur, & vt perfectius atramentum administret, parum scinditur, & in parte dextra plus quam in sinistra aliquantulum prolongatur. Sunt & alii calami dulci, medulla pleni, qui per minuta frusta incisi pistantur, & ad lentum ignem in lebete decoquuntur vsq; ad spissitudinem, & primo videtur totum transire in spumam, sed post facta residentia spissius & melius fundum petit, spumosum autem & vanum supra manat & per aliud sophisticatur, sed discernitur, quia bonum crepitat in ore, & est valde dulce, malum vero non, sed in ore euanescit, *vt dicitur in Plat.*

CAP.

Cap. XXXII.

De Cappare.

CApparis, *de qua Ecclesiast. vltimo. Secundum Plinium libr. 13. cap. 24. & secundum Isidor.* est frutex in Oriente nascens, cuius cortex folia & flores conueniunt medicinæ & præcipue cortices, quæ sunt in radice. *Et vt dicit Isidor. lib.* 17. Capparis à Græcis nomen sumpsit, eo quod habet rotunda in summitatibus capitella. De cappari autem *dicit Dioscorides* quod est herba siue frutex spinosus, expansus super terram, vnctione plenus, cuius virtus duriciam splenis super omnia medicamina iuuat. Nascitur in locis aridis & siccis ac duris, & maxime in antiquis muris. Ventrem remollit comestum, vrinam prouocat & menstruis imperat, dolorem dentium mitigat. Succus eius auribus instillatus vermes necat, multas habet radices & magnas, quarum cortices sunt vtiles ad prædicta. *In Plateario dicitur* capparis *(vt volunt)* quædam est herba, quæ in principio veris est colligenda & desiccanda, & per septem annos in magna efficacia conseruanda est. Et est bona ac laudabilis, quæ cum frangitur, non puluerisatur, & aliquantulum est subamara in sapore & subrufa in colore, & flores eius sunt calidi quando adhuc sunt clausi, quia nihil valent cum fuerint dilatati, cum sale condiuntur & sic vsui reseruantur, virtutem habent appetitum excitandi, & digerendi humorem in ore stomachi existentem. Sunt enim cibus & medicina, contra surditatem confert puluis eius auribus fistulatis, si in oleo decoquatur, & auri patienti infundatur. *Hucusque Platearius.*

Cap. XXXIII.

De Cardamomo.

CArdamomum, *de quo dicitur super Ezech, vt dicit Dioscor.* est semen cuiusdam arboris tempore veris fructum producentis, facit enim quasdam tuberositates similes botro vinearum, quibus semen continetur, & est duplex, maius quod dicitur domesticum, & minus, quod dicitur syluestre. Primũ est melius, quia magis est aromaticum, & est laudabilius, quod est subrufum aliquantulum

acutum, dulcedini intermixtum, virtutem habet confortandi & consumendi, & ideo valet contra cardiacam passionem, contra stomachi indigestionē, ad appetitus prouocationem, ad vomitus repressionem, ad cerebri debilitati confortationem, *Vt dicit Diosc. & Plat.*

Cap. XXXIV.

De Calamento.

CAlamentum est herba quædā menthæ similis, *de qua sancti in glossa aliquando faciunt mentionem.* Et est duplex, *secundum Dioscor. & Plat.* scil. montanum, & illud simpliciter est melius, aliud est quasi domesticum, non ita siccum sicut primum, virtutem habet consolidandi & consumendi, cum calidum sit & siccum in tertio gradu, *Vt dicit idem.* Valet contra tussim & infirmitatem pectoris ex causa frigida, sicut & diacalamentum quod est electuarium, quod ex illius herbæ floribus & pulueribus & aliis est confectum, stomachi & intestinorum dolorem sanat, contra rheumaticas & frigidas causas iuuat, morsus reptilium curat, & venenum ad exteriora reuocat, succus eius auribus instillatus vulnerum & aurium etiam vermes necat, libidinem domat, contra lepram adiuuat & retardat, superfluitatem & humiditatem matricis annihilat & desiccat, *Vt dicit idem.* Multas alias virtutes habet sicut artemisia, sed hæc iam sufficiant.

Cap. XXXV.

De Carice.

CArex, *Vt dicit Isidor.* est herba durissima & acuta, cuius stipes siue virgula est triangularis, manum secans ipsam violentius contractantis. Folia habet in vtroque latere secantia & acuta, pyramidalem formam ad modum gladii repræsentantia, nunquam tamen caricis acumen aliquem lædit, nisi primitus contingatur. In loco palustri & molli crescit, & tamen non modicam duritiem pariter & acumen habere in sua substantia se ostendit. Secundum Plinium autem inter genera scirpi computatur, vnde & caricem scirpum nominat triangularem, de quo subdit quod radix scirpi trianguli est odoris boni & virtutis, sicut calamī

calami aromatici, sed hoc intelligo non in generali, sed multum in speciali, sicut ipse memorat lib. 12. A carice autem dicitur carectum, locus scilicet vbi crescunt carices, sicut & à salice salictum, vbi crescunt salices, *Vt dic. Isi.*

CAP. XXXVI.

De Carduo.

CArduus, *secundum Isid.* Græcum est, & est genus herbæ vel fruticis spinosi, cuius natura mordax est & austera, & ideo succus eius alopecias, id est, capillorum fluxus curat. De carduo *dicit Diosc.* quod radix eius in aqua decocta, cupiditatem potatoribus administrat, matrici vtilissimus est, & ideo non est mirum, si à mulieribus desideretur, quia iuuat vt masculos procreent, *Vt dicit idem.* Est autem carduus herba multũ aculentas habens hastas, & in summitate spinosa habens capitella, in quibus semen cardui continetur, quod itaque exterius nigrum est, hoc album est interius in medulla, & est semen diureticum, & diuisiuum, & valet contra calculum in renibus & vesica, crescit in locis incultis, depascitur ab asinis & bestiis conculcatur, *sicut dicitur 5. Reg. 14. Transierunt bestiæ saltus, & conculcauerunt carduum, &c.* De carduo autem dicit *Plin. lib. 20. cap. 16.* Cardui folia & caulis spinosas lanugines habẽt, cuius semen & radix vesci possunt. Et est quoddam genus cardui, quod sine interuallo tota æstate floret, & vno flore cadente concipit alium, cuius aculei arescente folio desinunt pungere. Sunt & alii cardui spinosi, frugibus inimici, *Vt dicit idem*, & abundant in semine, & ideo vix possunt extirpari vbi semel crescunt, nisi affuerit cultoris diligentia carduos extirpantis. In ipsorum autem extirpatione sæpe læsionem patitur & puncturam.

CAP. XXXVII.

De Carica.

CArica est ficus sicca & à copia sic vocata, nam singulis annis ficus, *Vt dicit Isido. lib. 17.* ter quaterve fructum gignit, atque altero maturescente alter oritur & succedit. Caricæ à senibus sumptæ in cibo, sæpe feruntur defendere ipsorum rugas, *Vt dicit idem. Secundum Diosc.*

vero inter fructus carica est dulcior, & est vtilis in cibo & in medicina, multum enim nutrit & impinguat, sanguinem grossum & multum generat, & debiles confortat, secundum medicinam vero pectus mundificat, tussim sedat, vocem clarificat, faucium tumorem mitigat, renes & vesicam & matricem purgat, coctæ in vino cum absinthio hydropicos curant, tritę cum sinapi pruriginem aurium purgant, tamen in cibo nimis vsitatæ inflationem & ventositatem generant, pediculos creant, *vt dicit Diosco.* alias enim proprietates, *quære infra de ficu.*

Cap. XXXVIII.

De Cymino.

Cyminum, *secundum Dioscor. & Macrobium & Persium*, est semen aromaticum colore pallidum. *Vnde Persius:*

Rugosum piper & pallentis grana cymini.

Calida & sicca in secundo gradu, virtutem habet diureticam, fumositatis subtiliatiuam, & digestionis confortatiuã, ventositatis mitigatiuam, & doloris stomachi & inflationis repressiuam, solutionis ventris restrictiuam, cum aceto infusum, primo assetur & insufflatum in naribus sternutationem prouocat, sanguinem de naribus profluentem sedat, tumorem faucium & dolorem mitigat atque sanat, cum baccis lauri rheuma frigidum compescit, sanguinem coagulatum oleo mixtum cum cera munda discutit & dissoluit, liuorem ex concussione siue alio modo factum puluis eius cum cera bene commixtus, sæpius appositus totaliter tollit, & eius frequenti vsu facies discolorationem incurrit. *Hucusque Diosc, & Plat. Idem fere dicit Plin. lib. 20. cap. 16. vbi dicit*, quod cyminum aliud est domesticum, aliud syluestre, & dicit quod multis conuenit remediis, maxime stomachi, cuius dissoluit inflationes, & intestinorum discutit dolores, atque viscerum torsiones.

Cap. XXXIX.

De Coriandro.

Coriandrum, *de quo dicitur Exod. 16. secundum Isidor. lib.* 17. est semen quoddam odoriferum, à Græcis

κόειον

κόειον dictum, cuius semen in vino dulci datum, homines, *vt dicitur*, reddit ad Venerem promptiores, cauendum tamen est, ne nimis detur, quia absque dubio amentiam adduceret & furorem, canibus autem herba est cum semine venenosa, nam interficit eos, si ab eis aliquotiens assumatur, *vt dicit Isido. & Papias.* Et superaddit: Est, inquit, coriandrum in cibo sumptum calefactiuum & constrictiuũ, nec non & somni prouocatiuum, secundum autem autores dicitur esse compositæ virtutis. *Dicit etiam sic Macer. in libro suo:*

Frigida vis herba coriandri dicitur esse,
Austeraque simul quiddam virtutis habere.
Hanc Galenus ait per quam depellere ventris
Lumbricos tineasq; solent si trita bibatur.
Cum vino vel si mixto sumatur aceto.

Coriandri herba in se est odorifera, quamdiu est integra, sed manib. fricata fœtet, semen eius candidũ & minutum.

CAP. XL.

De Colocynthide.

COlocynthis, *de qua dicitur* 4. *Reg.* 4. est genus herbæ amarissimæ, scil. cucurbita agrestis, quia more cucurbitæ flagella tendit iuxta terram fructu rotundo, & similis cucumeri vsuali. Hæc herba quasi vitis se diffundit in sepibus, fructu modico & rotundo, *vt dicit Isido. lib.* 17. *Secundum Diosc.* vero colocynthis, quæ dicitur cucurbita Alexandrina, aliquando inuenitur sola, & tunc est mortifera & venenosa, sicut herba quæ dicitur squilla, id est, cepa marina, sed quando cum multis inuenitur, non ita per omnia est nociua. Habet autem medullam, corticem atq; semen. Medulla est optima in medicina, semen secundario, sed cortex nullius vel modicæ est virtutis. Vnde illa medulla est laudabilis, quæ est alba, & cui semina bene sunt inserta: illa autem parum attendenda, quæ cum concutitur, multum sonat. Similiter quando de facili puluerisatur, virtutem habet dissoluendi & consumẽdi, ex amaritudine etiam diuidendi & penetrandi, & substantiæ suæ subtilitate phlegma purgat & melancholiam, vnde dicitur valere contra quotidianam scabiem & quartanam, si

modo debito patientibus offeratur. Dolori dentium subuenit, lumbricos, id est, longos & lubricos ventris vermes excludit. Vermes aurium puluis eius interficit, splenis & epatis duriciam aperit, si succus eius cum fœniculo propinetur, eius decoctio hæmorrhoidas, id est, sanguinis venas aperit, & menstrua prouocat & educit. Has & alias multas virtutes habet, *vt dic. Diosc. & Plat. & etiam Plin.*

Cap. XLI.

De Croco.

CRocus, *de quo dicitur Can. 4. & Trenor. vlt.* herba ab vrbe Coricio sic dicta, vbi maxime abundat, *vt dicit Isidorus lib.* 17. est herba cum flore suo sic dicta, sed flos, in quo est potissima virtus, crocum dicitur, & est optimum, quod est recens, odoris boni longum, parum album, integrum, neque in fragmenta comminutum, in spiratione bonum, & cum carpitur inficit & tingit manum, & leniter est acutum, quod si huiusmodi non fuerit, vetustum cognoscitur aut infusum. Adulteratur autem admixto crocomagmate augẽdi ponderis causa cum spuma argenti trita additur, sed proditur si puluerulentum inuenitur, & si decoctum ab odore proprio immutetur, & dicitur crocomagma superfluitas, quæ relinquitur ex aromatibus, ex quibus croceum fit vngentum. *Hucusq; Isido. Secundum Dioscor.* vero duæ sunt species croci, hortensis, dictus ab horto, in quo nascitur, & orientalis, à loco vbi crescit, sic vocatur. Et est iste nobilior quam hortensis, nec apponitur in vomitiuis medicinis, producit autem florem purpureum, habens caput ad modum violæ, in cuius medio tres vel quatuor flores producit. Eligendi autem sunt subrufi vel omnino rufi, subalbidi vero abiiciendi sunt, per decem annos possunt seruari. Est autem crocum calidum & siccum in primo gradu, & in suis qualitatibus temperatum, & ideo est confortatiuum, vnde contra debilitatem stomachi & defectum cordis mulum valet, ruborem oculorum ex sanguine vel macula tollit, si tritum cum rosis & vitello oui oculis apponatur. *Hucusque Diosc. & Plat.*

Vnam enim proprietatem habet crocus, quia in foliis per totam hyemem retinet virorem, nec deponit illum, quan-

quantumcunque frigus intendatur: in æstate vero deficiunt eius folia penitus & marcescunt, & post medium autumnum iterum crescit, & tunc flores eius in tenui stipite exeunt & prorumpunt. *Sicut autem dicit Aristoteles libro Vegetabilium*, crocus habet magnam conuenientiam & similitudinem cum cæpa & ascalonia in radice: differt tamen ab vtraque quoniam cæpa siue radix croci est continuæ carnis, & non facit semen sicut ascalonia, sed etiam est tota ratio eius seminatiua in radice, & omnes tunicæ croci sunt macræ, & non recipiunt tunicæ eius oriri ab vna parte cæpę suæ, sicut accidit in ascalonia & domestica cæpa, sed incipiunt tunicæ croci à locis germinationum venarum cæpularum, & hoc est de proprio croci, *Vt dicit Arist.* Habet autem cæpa croci radices capillantes, quib. adhærent terræ & attrahit sibi nutrimentum, vt lilium & allium & huiusmodi, & quādo cæpa croci est grossa & iam matura, incipit diuidi & multiplicari in capita multa, proprias tunicas & radices habentia & ex singulis crescit planta. Ex quo patet, quod in eius capite seu radice est eius virtus sementina, quæ est sui multiplicatiua & suæ speciei conseruatiua. *Quemadmodum dicit Plinius.* Siquidem crocum *libro* 20. *capite* 20. sic commendat: Crocum, inquit, cum melle non soluitur, nec cum aliquo dulci, facillime autem cum vino vel cum aqua. Vtilissimum est in medicina, destruit enim omnes inflationes & dolores oculorum, maxime si cum vino fuerit mixtum, pectori, stomacho & epati summe vtile est. Qui crocum prius biberit, ebrietatem & crapulam non incurrit. Coronæ autem ex eo factæ ebrietati resistunt, nec permittunt hominem inebriari. Somnum facit & caput mouet, stimulat venerem, flos eius illitus igni sacro subuenit. De croco fit vnguentum citrinum & croceum, quod Græci κροκόμαγμα vocant. Et valet contra suffusiones oculorum, & est optimum, quod gustatum dentes inficit & saliuam, vlcera capitis purgat, capitis tormenta & inflationes sedat, serpentum & aranearum morsus & scorpionum puncturas curat. *Hucusque Plin.*

CAP. XLII.

De Capa.

CÆpa vel cæpe est herba, cuius vis tota est in radice & in semine. Et ideo sic cæpe vocatur, *vt dicit Isidorus*, quia non habet nisi caput. *De cape dicit Aristoteles libro de plantis.* Cæpe (*inquit*) & ascalonia bis faciunt folia, & habet cæpe stipitem, in quo facit semen, & habet radicem pluribus tunicis vestitam, & sub radice habet alias radices quasi capillares, quibus nutritur grossa radix, & per hanc ad totam herbam humor transmittitur radicalis. In primo autem anno non perficit radicem, sed in secundo postquam seminatur. Similiter nec semen ante secundum annum facere consueuit. Nec facit semen in folliculo, sicut allium, & quædam alia, sed in summitate stipitis semen super quosdam pediculos, id est, pedes paruos se dilatat. Species autem cæpæ est duplex, scilicet domestica & syluestris, quæ canina *ab Aristotele* nuncupatur. Canina autem cæpa flores habet albos, versus cœlum, & virides quodammodo versus terram. Et talis cæpa valet contra apostemata. Habet autem cæpa domestica stipitem concauum & sine nodo, & sicut renouat folia ita & radices, *vt dicit Arist. in prædicto libro. Secundum Dioscoridem* cæpe domesticum est vtile ad medicinam, & ad cibum. Est autem viscosæ & frigidæ naturæ & maxime illud quod est oblongum magis quam rotundum, & magis rufum quam album, & magis siccum quam recens, & magis crudum quam coctum. Comestum fastidium tollit, oris fœtorem diminuit, ventrem mollit, cibos condit, succus eius cum melle caliginem oculorum detergit, succus eius lethargicis subuenit, auribus cum lacte mulieris instillatus, eius dolorem sedare consueuit, comestum temperate, prout conuenit, viscosos humores incidit, ora venarum aperit, vrinam & menstrua prouocat, & educit venenum, morsus rabidi canis extinguit, & aliis venenosis morsibus succurrit & resistit, cutem clarificat & poros aperit, & ideo sudorem prouocat & educit, & comestum crudum nihil nutrimenti corpori tribuit, cholericis obest, phlegmaticis conuenit. Sitim facit, inflationem gignit, & acumine suo caput percutit atq; lædit, & nimis comestum aliquando maniam & insaniam indu-

inducit, & terribilia somnia videre facit, præcipue si ab exeuntibus ægritudinem comestum fuerit, lacrymas solo odore prouocat & visum lædit. *Hucusq; Dioscor.*

CAP. XLIII.

De Cape.

CÆpe caninū dicitur squilla, & inuenitur iuxta mare, vnde *à Plat.* cæpa marina appellatur. Reperitur autem quandoque sola, & tunc mortifera ac venenosa est, si intus recipiatur, nisi eius venenositas reprimatur. Solent autem Salernitani eam diuidere in plures partes & plantare in hortis sigillatim, & ita reprimunt venenum eius, reprimitur autem malitia si in vino & oleo aliquantulum dimittatur, & sic in medicinis apponatur. Debet autem scindi ista capa, & interiora & exteriora abiici, quia exteriora sunt mortifera præ nimia caliditate, & interiora præ nimia siccitate, sed media sunt temperata, multum conuenientia medicinis. *De cape autem dicit Plinius libr.* 20 *ca.*17. Cæpe apud Græcos multa sunt genera, & eis omnibus est odor lacrymosus, & est optimum quod est rotundissimum, & acrius est rufum quam candidum, & crudum quam coctum, seritur & plantatur, sed quando seminatur ante annum sequentem non facit semen, & quando facit, corrumpitur ipsum caput: vnde ex corruptione iacti seminis gignitur ipsum caput, & productio seminis capitis est corruptio. Vult autem seri semen cæpe in solo terræ fosso, herbarum aliarum radicibus extirpatis. Semen eius nigrescere incipiens metitur antequam totaliter maturescat, radices eius optime in paleis conseruantur, & licet continget capita inueterari, aqua salsa & tepida sunt capita intingenda, & ita efficiuntur diuturniora & esui meliora, sed in siccis ad seminandum vel plantandum sunt vtiliora. Multi etiam capita ceparum sicut & alliorum suspēdunt in fumo supra ignem, & sic ne germinent, conseruantur, quod sæpe extra terram facere certū est, sicut & allium nisi per artificium caueatur. *Item lib.*20 *cap.*7. Cæpæ syluestres non sunt sapidæ neque multum comestibiles, sunt tamen multum medicinales. Ipso enim olfactu caligini medentur, magis autem vnctione prouocant, oris vlcera sanant, morsus caninos cum melle & vino curant,

morsibus etiam serpentum obuiant, auricularum sonitum & grauitatem emendant. Cum adipe anserino aut cum melle lumborum dolores iuuant, vulnera cum melle purgant & sanant. *Hucusq; Plinius.*

Cap. XLIIII.

De Cucumere.

CVcumer eris quædam est herba, de qua dicit *Isidorus libro* 17. cucumeres sunt dicti eo quod interdum sunt amari, qui dulces nasci perhibentur, si lacti mellito eorum semen infundatur. *Dioscorides autem dicit.* Cucumeris natura frigida reperitur, ventrem soluit, stomacho accommodatur, quibus animus deficit, succurrit odore, folia eius trita vulneribus medentur, quæ impressit caninus morsus, semen eius tritum cum vino dulci & potui datum, vesicam adiuuat laborantem. *Secundum Plinium autem libro* 20. *cap.* 2. *&* 3. *dicitur*, quod cucumer hortensis & syluestris cuius radix est magis grossa & alba, ex cuius succo fit electuarium, quod est necessarium in multis medicinis.

Cap. XLV.

De Cucurbita.

CVcurbita *secundum Isidorum* nomen est Græcum, cuius origo Latinis est incerta. Eius genera sunt multa, *vt tangit Isidorus lib.* 17. *Et dicit idem Plinius.* Est autem cucurbita alia domestica & hortensis: alia vero syluestris. Domestica vero in ramos & folia pariter & flagella, ad modum vineæ se diffundit, & quibusdam ligamentis se connectit, sicut vitis, & habet quosdam flores albidos, quos emittit potissime contra noctem, sine appodiatione florere potest, sed fructus eius vix proficit, imo deficit vel putrescit, quando ad modum vineæ à terra non erigitur, & lignis vel virgulis non sustentatur. Est autem cucurbita *secundum Plate.* frigidæ & humidæ complexionis, & in qualitatibus temperatæ. In calidis regionibus præcipue inuenitur, cuius semina in terram proiecta herbam procreant, ex qua producuntur albi flores, & tandem fructus pleni semine & medulla, cuius cortex primo mollis,

lis, ſed quando peruenit ad maturitatem, ad modum ligni indureſcit, fructus eius quando noui ſunt, conueniunt cibis, & ſemina medicinis. Sunt autem ſemina eius diuretica & diuiſiua, propter ſuæ ſubſtantiæ ſubtilitatem, & ideo valent contra opilationem epatis & renum ac veſicæ. Acutam patientibus cucurbita elixa vel aſſata cibus eſt & medicina. Nam materiam infirmitatis purgat per vrinam, & aliquantulum laxat, calorem reprimit, alterat atque confortat, ſemina eius poſt maturitatem colliguntur, abluuntur, & ad Solem deſiccantur, ne propter humiditatem ſuperfluam corrumpantur. In loco ſicco per triennium reſeruantur. *Hucuſq; Platearius. Secundum Plinium* autem ſuccus cucurbitæ valet contra ignem ſacrum, & contra tumorem oculorum, mitigat dolorem aurium, ſi tepidus immittatur. Semen eius tritum in puluerem & inſperſum, replet cauata vulnera. Cinis corticis valet contra combuſturam. *Dicit autem adhuc Plinius lib.* 20. *cap.* 4. eſt cucurbita ſylueſtris digitalis groſſitudinis, naſcens in ſaxoſis locis, cuius ſuccus ſtomacho & viſceribus multum prodeſt, renum & lumborum, paralyſi ſubuenit. Medulla cum abſinthio & ſale dolorem dentium tollit, ſuccus eius cum aceto calefactus mobiles dentes ſiſtit, caro eius ſine ſemine clauis pedum, id eſt, apoſtematibus ſuccurrit, vinum cum ea feruefactum, oculorum impetus tollit, folia eius cocta & trita vulneribus ſubueniunt, ſemen eius potatum cum vino, venenum vincit, & comedi non debet, quia inflationes facit. Eſt autem cucurbita agreſtis *ſecundum Iſidorum* lib. 17. idem quod coloquintida herba, multum amara, quemadmodum cucurbita, verſus terram flagella tendit, habẽs folia magna, grauis odoris, vt cucurbita, & fructum rotundum facit ſicut cucumer vſualis, *Vt dicit Iſid. Quære ſupra de natura colocyntidis.*

Cap. XLVI.

De Chelidonia.

CHelidonia eſt herba croceos habens flores atq; fructum croceum, tangentis manus intingentem, ſic dicta, eo quod in aduentu hirundinum videtur erumpere vel florere, *Vt dicit Iſidorus lib.* 17. χελιδὼν enim græce, hirundo lati-

do latine dicitur, *& subdit Isidor.* Vel dicitur chelidonia. quia pullis hirundinum, si oculi lædantur, matres earum illis ex hac herba medicantur. *Idem etiam recitat Plinius* scilicet quod succo chelidoniæ oculi hirundinum eruti siue læsi ad statum pristinum reuertuntur. Alias siquidem notabiles habet virtutes. Habet enim virtutem dissoluendi, attrahendi, consumendi, *vt dicit Dioscor.* dolorem dentium mitigat, caput purgat, menstrua prouocat, & matricem mundat, fistulam oris & cancrum curat *secundum Plinium, Dioscor. & Plateariam.*

CAP. XLVII.

De Centaurea.

Centaurea est herba amarissima, calida & sicca in tertio gradu, & ideo fel terræ est vocata, *vt dicit Isidorus*, quia à Chirone centauro eius virtus primitus est inuenta, *vt dicit idem libro* 17. Est autem duplex scilicet maior & minor. Prima maiores habet ramusculos & flores, & est maioris efficaciæ quam minor, *vt dicitur in Plat. Et ibidem dicit Constantinus*, quod radix maioris calida est & sicca in secundo gradu, & habet quandam amaritudinem cum dulcedine, & ideo habet virtutem conglutinandi, & ex amaritudine habet vim diureticam & diuisiuā, plus valent flores & folia in medicina quam alia, quæ sunt in ea. Dolorem ventris sedat, visum clarificat, renes & splenem deopilat, paralysim curat, vermes ventris cum melle necat, vulnera radix eius consolidat, *sicut dicit Plinius, Diosc. & Plat.*

CAP. XLVIII.

De Daphni.

Δ'Αφνη Græce, laurus dicitur Latine, *vt dicit Isid. lib.* 17. Et est laurus à verbo laudis dicta. Lauri enim ramis & foliis cum laudibus victorum capita coronabantur. Et ideo apud antiquos laudea vocabatur, sed post sublata litera d, & surrogata r, laurus est dicta, sicut quondam dicebatur medidies, quæ nunc meridies solet dici, *vt dicit Isidorus.* Hanc arborem Græci vocant daphnem, eo quod nunquam deponat viriditatem. Hyeme enim viret & æstate, &

re, & ideo inde victores potissime coronantur, *vt dicit Isid. Et subdit.* Hæc sola arbor à vulgo creditur minime fulminari: vnde fuit Apollini antiquitus consecrata, *de qua dicit magister in histor. super illud verbum. Consuluit Isaac dominum super Gen. 25.* Rebecca ex more gentium, quem viderat in parentibus speciem lauri quam tripodem dicunt capiti supposuit, & ramis arboris, quæ agnus castus dicitur, incubuit, vt visiones veras videre & phantasticas non sentiret. *De lauro siquidem dicit* Plinius *lib. 16. cap. 30.* Laurus triumphis proprie dedicatur, quæ gratissima est domibus Cæsarum atque pontificum, quia domos exornat. Et sunt duo genera eius, scil. Delphica & Cypria. Lauro Delphica Delphis primo coronati sunt triumphantes. Cyprica vero Romani primo suos coronabant, modo autem multę species laurorum inueniuntur, sed differunt in vi ore & magnitudine & similitudine baccarum. Est autem arbor multiplicis speciei, *& enumerat Plinius* 13. species eius arboris, inter quas ponit quandam speciem lauri, quam dicit fuisse magno Ioui & Apollini Delphico dedicatam. Et ideo tellus laurifera in domibus & in satis à fulmine manet tuta. Sine aũt lauri præsentia, non solebat Apollo dare responsa sua. Et ideo quia diuinis credebatur conuenire honoribus, honorem triumphis obtinuit, nec licebat laurum pollui vsibus illicitis & prophanis, quia propter propicianda numina super altare poni debuit & offerri. Cæsar autem Tiberius cœlo tonante laurum in capite solitus erat ferre, sicut ferunt contra fulminum metus. *Narrat etiam ibid. Plin. miram rem*: quod cum Augustus sederet in quodam horto, iuxta Drusillam Augustam, deiecit aquila de alto gallinam miri candoris illæsam in gremium Cæsaris, tenuitq; gallina laureũm ramum in rostro suo onustum baccis multis, gallinam & sobolem iusserunt aruspices obseruare, & baccas laureas seminari, & cum diligentia custodiri, ex quibus prouenit sylua triumphans, cuius postea Cæsar laurum in manu tenuit, & coronam in capite gessit, ac deinde alios Cæsares eodem modo ex eadem sylua post obtentum triumphum, oportuit coronari. *Hucusq; Plinius.* De lauro siquidem addit *Diosc.* quod est arbor elegantis formæ & magnæ aromaticitatis, ac miræ efficaciæ ac virtutis. Nam folia eius viridia, quæ multum odorifera

sunt,

ſunt, ſi cõtundantur, mitigant & ſanant puncturam apum & veſparum, & omnem tumorem ſpargunt, libros & veſtes cum quibus ponuntur à tineis & vermibus cuſtodiunt, & à corroſione tutos reddunt. Fructus lauri dicuntur baccæ lauri, & ſunt grana exterius nigra vel ſubrufa, interius alba & vnctuoſa, in figura ſphærica, in complexione calida & ſicca in ſecundo gradu, ſubtilem habent ſubſtãtiam, & habent virtutem depurandi, confortandi, & ideo in multis ponuntur vtiliter medicinis, ex quibus fit oleum precioſum, quod valet contra multas & præcipue contra frigidas paſſiones.

Cap. XLIX.

De Dictamno.

Dictamnus eſt herba medicinalis, cuius radix maxime conuenit medicinis, & debet eius ſubſtãtia eſſe ſolida non perforata, quæ cum frangitur, non pulueriſatur. Virtem habet, diſſoluendi, attrahendi venenum & conſumendi. Vnde valet contra venenoſos morſus, & ſuperpoſita vulneri & potata *vt dicit Dioſc. & Plat.* cum paucis additis, dicitur in multis habere virtutem theriacæ, menſtrua prouocat, & educit ſecundinas, & fætum mortuum excludit, epilepticis & paralyticis cum ſucco rutæ ſubuenit, *vt dicit idem Dioſco. De hac herba dicitur in Plin. lib.* 25. *cap.* 8. Ceruę *inquit*, dictamnum primo miniſtrauere. Nam eius herbam comednnt, vt facilius pariant, & ſi ſagittis fuerint læſæ, dictamnum quærunt quem comedentes, ferrum excutiunt in vulnere derelictum. *Item dicit Baſilius in Hexamer. & Ambro. & expoſitor ſupra can. vbi loquitur de hinnulis cervorum.* Hæc herba *ſecundum Plin.* creſcit in pluribus locis, ſed illa minus eſt laudabilis, quæ creſcit in agris pinguioribus ſiue craſſis, quæ autem creſcit in locis aſperis & ſiccis, melior eſt, cuius minima portio guſtata accendit os *vt dicit idem Iſid. libr.* 17. *ſic dicit.* Dictamnus eſt mons Cretæ ex quo dictamnus herba nomen accepit. *Vnde Virgilius.* Cerua vulnerata ſaltus peragrat dictamnum quærit, tanti enim virtutis eſt, vt ferrum à corpore excutiat & expellat, vnde & eius pabulo feræ percuſſæ eiiciunt ſagittas corpori inhærentes, hanc quidam pulegium Martis vocant, quia habet tela eiiciendi bellica poteſtatem, *vt dicit Iſid.*

CAP.

Cap. L.

De Dracontio.

DRacontion est herba quædam sic dicta, eo quod hasta eius in modum colubri sit maculis respersa, similitudinemque imitetur viperæ vel draconis, vel quia herbam ipsam viperæ timent, *vt dicit Isido. lib.* 17. Hæc autem à multis serpentaria vel colubrina nuncupatur. Nam florem habet purpureum, diuisum & apertum, sicut os serpentis, de cuius medio procedit lingua quasi serpentea, acuta, nigra & rotũda & in medio floris ipsius surgit quasi caput semine grosso & rotundo, prius viride, deinde rufum efficitur, quando incipit maturescere. Herba ista *secundum Dioscoridem*, magnæ efficaciæ est & virtutis, nam radix eius exiccata & puluerisata cum aqua rosacea faciem mundificat, clarificat & colorat, cum sapone gallico fistulam sanat, mundat & desiccat, & os eius dilatat, vt os fractum vel putrefactum queat extrahi, cum aceto & calce viua cancrum curat, folium eius cum vino decoctum apostemata maturat, succus eius auditum ex frigida causa læsum sanat, visum clarificat, menstrua prouocat, hæmorrhoidas, id est, inferiores venas sanguinem fluentes consumit & desiccat, succus eius interius sumptus arbortum prouocat, odore suo serpentes fugat, nec læditur corpus à serpente, si eius succo iuunctum fuerit aut linitum. *Hucusque Diosc. & Plate.*

Cap. LI.

De Draganto.

DRagantum *secundum Plate. & Auicen.* est gummi cuiusdam arboris, cuius humor vel actione caloris, vel constrictione frigiditatis naturalis indurescit, cuius species est triplex, nam est album, purum & clarum, & illud melius est. Est etiam subrufum & citrinum quod non est adeo bonum sicut album, cui nihil terræ admixtum est, quo album est conuenit frigidis medicinis, subrufum & citrinum debet poni in calidis. Per 40. annos seruari potest, virtutem habet infrigidandi, humectandi & mundificandi ex frigiditate & humiditate, & conglutinandi ex sua gummositate. Valet contra vitia pectoris in electuariis

& sy-

& syrupis, nam pectus siccum humectat, humorem perditum restaurat, tussim sedat, scissuram labiorum & oris vlcerationem conglutinat atque sanat, faciem mundificat & dealbat, arteticos iuuat, contra dysenteriam prodest, *Vt dicitur in Plat.*

Cap. LII.

De Hebeno.

HEbenus est lignum Æthiopicum, colorem habens nigrum, tactum lenem & planum, durum & ponderosum. Vnde propter porotum compactionem positum in aqua statim submergitur atque petit fundum, *Vt dicitur in libro Vegetabilium.* Est autem gustu stipticum & mordax, quod igni appositum, citius rapit ignem & suauem fumum emittit & odorem, in coticula confricatum, rufum ostendit colorem. Virtutem habet purgatiuā & confortatiuam, & ideo collyriis vtiliter adhibetur, *sicut dicit Plin. & Dios.* De Hebeno etiam ait *Isidorus lib* 17. Hebenus, inquit, in India crescit, & in Æthiopia, qui cæsus, diu indurescit in lapidem. Cuius lignum nigrum & cortex lenis vt lauri. Indicum maculosum est & varium, sed melius est, quod in nullo est maculosum, sed nigrum est & lene. Solet autem poni iuxta crepundia vt infantem visu nigra non terreant, *Vt dicit Isidorus & Virgilius.* Hebenum *commendat Plin. lib.* 12. *cap.* 5 *dicens.* Hebenum esse arborem preciosissimam, auro & ebori comparabilem, & ideo solebant Æthiopes lignum Hebenum cum auro & ebore offerre imperatoribus pro tributo. Vnde & regina Saba legitur talia ligna dedisse Salomoni, 3. *Reg.* 10.

Cap. LIII.

De Hedera.

HEdera ab hærendo est dicta, *Vt dicit Isidor.* eo quod arboribus adhæreat, vel dicitur ab edo, quia sumpta in cibum à capris, lac multiplicat, vnde nutriuntur hædi, radix eius durissima perforat, frigidæ est naturæ, & frigidam indicat esse terram, vbi crescit, virorem diu seruat, & non perdit folia quamdiu virent, amari & stiptici est saporis. Hederæ autem *secundum Plinium libr.* 16. *cap.* 33. sunt

duæ

duæ species, scilicet alba & nigra, scilicet masculus & fœmina. Masculus est maior, & in foliis durior & pinguior, hedera vero alba fructum habet album, & nigra nigrum. Solent autem Poetæ coronari foliis hederæ in signum viuacis ingenii & subtilis, quia hedera semper viret. Similiter hedera coronati, incedebant illi qui in sacris Liberi patris, id est, Bacchi ministrabant. Vnde hæc arbor Deo vini sacrata fuit, similiter & Marti. Vnde & Alexander Magnus suos milites coronauit hedera, quando de India triumphauit, *Vt dicit idem Plinius*, exemplo Liberi patris, qui galeas suorum thyrso hedere adornauit. Est autem arbor, *Vt dicit idem*, multum in altum se extendens, quamdiu inueniet arborem vel murum, per quem serpat radicosa seu ramosa, habens brachia & baccas quasdam sed amaras, cuius vmbra est nociua & satis inimica frigori, serpentum generi gratissima, rumpens muros & sepulcra; vnde mirum est, quod haberi in honore à veteribus fuerit consueta, folia habet intercisa & angulosa, grauis odoris & plana, sed amara, sub quorum vmbra latent vermes. *Item cap.* 34. mira proditur natura hederæ ad excipienda vina. Nam si fiat vas ex ligno eius vina transfluere & aquã, si qua mixta fuerit, remanere certum est. *Hucusque Plini. Secundum Diosco. autem*, hedera quamuis sit amara, vtilis tamen est medicinæ. Nam virtus ei inest stiptica & constrictiua, & ideo dysenteriis medetur. Succus eius naribus instillatis, caput purgat, & dolorem eius mitigant. Succus eius cum oleo tepidus auribus immissus, contra surditatem iuuat. *Item idem*, Hedera ex contrariis est composita, & ideo in causis contrariis operatur, propter quod virtutem habet maturatiuam, attractiuam, mundificatiuam & mitigatiuam, & ideo apponi sæpius solent eius folia ad cocturas, eius gummi diureticum est & dissolutiuum, valet cõtra calculũ, eius foliis nutritus hircus, sanguinem habet acutiorem, & ad frangendum calculum in renibus & vesica fortiorem. Est autem quædam species ipsius hederę, super cuius folia cadit ros & inuiscatur, ac in ladanũ commutatur, cuius virtus magna à medicis experitur. Nam fumus eius menstrua prouocat & educit, secundinas expellit, rheuma compescit, caput & sensus confortat, tussientes

iuuat, fluxum ventris sedat, & in multis medicinis adhibetur vtiliter.

Cap. LIIII.

De Heliotropio.

Heliotropium est herba sic dicta, eo quod solstitio æstiuo floreat, vel quod solis motibus folia circumacta conuertat, vnde & à Latinis Solsequium appellatur, *vt dicit Isidor. lib.* 17. Nam Sole oriente flores suos aperit, & cum Sol occubuerit, iterum se claudit, & hæc verrucaria dicitur, eo quod extinguat verrucas, & abstergat, siue potetur siue cataplasmetur, *vt dicit Isidor. Secundum Plate.* autem Solsequium sponsa Solis dicitur, & est herba frigida & humida in secundo gradu, cuius succus bibitus, valet contra venenum sumptum interius, valet etiam contra morsum caninum & venenosum, si trita super vulnus ponatur, contra calefactionem epatis & opilationem multum valet.

Cap. LV.

De Helleboro.

Helleborus, *vt dicit Isidorus*, ab Helleboro fluuio sic dicitur, vbi plurimum gignitur, hunc Romani veratrum dicunt, eo quod sumptum mentem motam in sanitatem reducit. Cuius duo sunt genera, scilic. album & nigrum, albus dicitur helleborus, quia radices habet albos, & phlegmaticos humores purgat, niger vero nigras habet radices & nigros humores, id est, melancholicos purgat siue mundat. Est autem secundum Dioscoridem & alios autores herba multum violenta in virtute, & recipienda medicinaliter cum cautela, multum enim lædit, & cito interficit, quando indiscrete aliquibus adhibetur, valet tamen contra multos morbos, si debito modo adhibetur, *vt dicit Dioscor.* quia quartanas febres soluit, vermes in auribus & alias interficit, epilepticis lethargicis subuenit, eius puluis si cum pane misceatur, & si à muribus comedatur, mures interficit, *vt dicit Dioscor & etiam Plat.* Inter autem huius herbæ duas species, melior est helleborus albus, & est calidæ & siccæ complexionis in tertio gradu, & crescit in

ſcit in locis montoſis & humidis, & habet folia ſimilia plantagini, ſed longiora, & in fine acutiora, & ſtipitem vnius cubiti ſiue magis, cuius radix laxat multum ſuperius & inferius, & nunquam debemus helleboro vti, niſi materia fuerit digeſta prius, & præparata, & tunc etiam cum cautela, *& ideo Hippocrates dicit*, ſi vis helleborum ducere, moue corpus, ne ſcil. ſumens helleborum ſuperdormiat, & habet virtutem reſoluendi humidum in ventoſitatem, vnde ſequitur ſuffocatio ſpirituum & mors, *vt dicit Dioſc. & Plat.* Helleborus autem niger multo periculoſior eſt.

Cap. LVI.

De Eſula.

Eſula quædam arbor eſt, quæ à medicis calida dicitur, in tertio gradu atque ſicca, *vt dicit Dioſcor.* cuius radix maxime valet in medicina, cuius multæ ſunt ſpecies, & illarum virtus nunc eſt in lacte & in humore, nunc in ſemine, nunc in radice, *vnde dicitur*:

Lacanabula parit cacapucia ſemine gaudet,
Eſula radicis cortice præſtat opem.

Eſt enim eſula herba plana habens folia & rupta, emittit lacteum humorem, qui quidem eſt vlceratiuus, & carnis ſiue cutis corroſiuus. Phlegmaticos purgat humores, valet hydropicis & aliis patientibus ex humore phlegmatico varias paſſiones.

Cap. LVII.

De Eruca.

Eruca eſt herba alba, domeſtica, & aliquando ſylueſtris, calida & humida, diuretica & apertiua, renes confortat, paralyſim curat, vrinam prouocat, veſicam & renes purgat, vtilis eſt in cibo & in medicina, flores eius apes diligunt & frequentant, *vt dicit Plinius.*

Cap. LVIII.

De Enula.

Enula eſt herba, cuius maneries eſt duplex, ſcil. hortulana & campana, quæ maioris eſt efficaciæ in radice,

nam radix debet colligi in principio æstatis, & in Sole exiccari, ne ex humiditate corrumpatur, virtutem habet leniendi & mundificandi, & neruos confortandi, & viscosam humiditatem consumendi, valet mirabiliter in frigida causa contra tussim infrigidatam, & spiritalium membrorum frigidas passiones, *Vnde scriptum est in Macro.*

Enula campana reddit præcordia sana, &c.

Cap. LIX.

De Epithymo.

EPithymum est flos thymi, quæ est herba, cuius tota virtus in flore est, nam solus flos ponitur in medicina, *Vt dicit Diosc. Plin. & Plat.* virtutem habet purgandi phlegmaticas vel melancholicas passiones, vnde valet cõtra quartanas & etiam quotidianas accessiones, valet etiam, *secundum Constan.* contra stranguriam, & difficultatem vrinandi, & etiam contra splenis & epatis opilationes.

Cap. LX.

De Ebulo.

EBulus est fructus siue herba, in foliis & in stipite sambuco arbori simillima, cuius radices, cortices, frondes & flores sunt vtiles in medicina, habent etiam *secundum Dioscor. Plat. & Plin.* virtutem dissoluendi & consumendi grossum phlegma & viscosum, vnde succus ebuli valet contra arteticam & contractionem neruorum, manuum atque pedum, valet contra leucophlegmantiam, id est, hydropisim ex phlegmatica causa atque frigida siue alba, valet etiam contra tumores & collectiones intercutaneas, vbicunque in corpore colligantur. Item valet maxime ebulus contra concussiones corporis atque casus, si patiens in eius decoctione frequentius foueatur, nam dolorem mitigat, tumorem sedat, virtutem & robur neruis & iuncturis ossium administrat. Odore siquidem est ebulus herba fætida & sapore minus grata, sed in virtute & efficacia ab antiquis medicis optima ad medicandum est apud veteres iudicata, *Vt dic. Dios. & Plat.*

Cap. LXI.

De Fico.

Ficus est arbor à fæcunditate dicta, aliis enim arboribus feracior est, nam terque quaterque per singulos annos fructum gignit, atque altero maturescente aboritur alter statim. Ficus autem Ægyptia fœcundior fertur, cuius lignum in aqua missum, ilico mergitur, & cum in imo iacuerit, deinde in superficiem sursum eleuatur, versa vice naturæ, quoniam madefactum debuit humoris pondere residere, ante tempora vero Pythagoræ alebantur ficubus Galathæ, alias Athletæ, antequā idem eos ad carnis vsum, in quo fortior est cibus, transtulisset. A senibus autem in cibo sumptæ ficus, rugas eorum distendere feruntur, tauros quoque ferocissimos ad fici arbores colligatos, dicunt repente mansuescere, ficus autem cuiusdam arboris remedio, quæ dicitur caprificus, vt asseritur, fæcundatur. *Hucusque Isidor. lib.*17.*cap.*7. *Secundum Arist. autem lib. Vegetabilium,* humor corticis arboris, qui est quasi sanguis in animalibus, in quibusdam est lacteus, vt in fico & in moro, sed fici lac vim habet coaguli ad faciendos caseos, sicut flos cardui casealis. Est autem eius humor multum vnctuosus, & ideo ficus est multæ fæcunditatis, quod enim est vnctuosum, transit in fructum, & quod subtile & aquosum, in folia transmutatur, quæ quidem sunt lata & scissa, & in extremitatibus pyrica & acuta, quorum lacte siue succo membra genitalia perlinita dicuntur moueri ad pruritum, & libidinis incendium, simile habet *gloss. super Gen.* 3. *ibi fecerunt sibi de foliis ficus perizomata.* Contingit autem ficum arborem, *vt dicit Aristot.* sterilescere aliquando propter humoris defectum, aliquando propter superfluam humiditatis abundantiam, & in vtroque casu indiget medicina, vnde agricolæ ei subueniunt in defectu humoris per fimum conuenientem & aquam dulcē, quando vero superabundat humor, arborem clauis perforant, & superfluum humorem euacuant, *vt supra de arborum medicina est ostensum.* De fico autem arbore siue ficu *dicit Plin. lib.*13.*cap.*8. *omnia quæ supra sunt de Isido. introducta,* Ficus Ægyptia, inquit, est arbor fæcundissima moro similis in magnitudine, in foliis & in aspectu, quater in æ-

ſtate profert fructum, ſed primum generat immaturum, cui ſimilis eſt ficus Cypria, quę quater germinat, & fructus quaternos facit, ſed groſſus eius non maturatur, niſi prius incidatur, & lactis ſuperfluitas emittatur, & emittit germina ſua ſine foliis in extremitate ramorum, & habet ſimilitudinem in radice cum populo, & in foliis cum vlmo, & eſt in quantitate ſorbæ ſimilis magnitudo. Eſt autem ficus arbor tenera & delicata, & ideo à forti frigore de facili læditur, & potiſſime, quando incipit germinare. *Item idem Plin. lib.* 12. *cap.* 6. eſt ficus Indica, exilia quædam ferens poma, vaſtis ramis transfuſa, qui rami in terram adeo curuantur, pondere ſuo vt terræ infigantur, & ſic nouam progeniem faciunt in circuitu, circa parentem vel circa ſtipitem, & tantam faciunt vmbram & denſitatem, quod paſtores ſub eius ramis ab æſtu & à vento ſe abſcondunt, ſuperiores autem rami matris in altum valde ſe extendunt, collaterales vero faſto circuitu citra matrem ſe diffundũt, & quaſi ſyluoſa multitudine vmbram magnam faciunt, folia ſunt autem latiſſima ad modum peltæ amonicæ diſpoſita, poma faciunt multa ſed modica, quæ fabæ magnitudinem vix excedunt, ſed inter folia calore Solis ita decoquuntur, quod pro dulci ſapore ad comedendum digna miraculo reputantur. *Ad hoc dicit Plin. lib.* 15. *cap.* 19. quod eſt quædam arbor, quæ dicitur ſylueſtris ficus, quæ alio nomine dicitur caprificus, nunquã matureſcens, ſed quod ipſa ex ſe non habet, aliis tribuit, nam cultores ſolent aperire ora radicum, vel corticis arboris ficus, & illi intus infigere ſurculos & ramos caprifici, ex quorum inſertione aperta radice, attracto aere nouo & humore ei congruo vigorem recipit & virtutem: vnde & humor lacteus, qui eſt materia fructus, in ipſius tranſit paſtum, *ſicut patet in dictis Alphredi in tractatu de cauſa fructificationis arborum & herbarum. Item idem etiam dicit*, quod tales arbores debent taliter iuxta fructiferas ordinari, vt venti flatus euolantis in ipſum ficum ferantur, ad hoc vtilior eſt ventus auſtralis quam aquilonaris, quia ſimpliciter plus nocet ille ventus borealis ficui quam auſtralis, quare in aquilonari parte minus proficiunt fici & plus areſcunt, quia earum humor lacteus facilime conſumitur, & etiam congelatur, vbi habet dominium talis ventus. De effectu au-

tem fici vel ficorum, quo ad radicem, folium, corticem & fructum. *Quare supra in tractatu de carica in litera C. vbi expreßius continetur.*

Cap. LXII.

De Fraxino.

FRaxinus est arbor, *vt dicit Isidorus*, crescens in locis asperis & montanis, ex qua fiunt hastæ, quæ franguntur, *vnde Ouidius.*

Et fraxinus vtilis hastis.

De fraxino autem dicit Plinius lib. 16. cap. 13. inter arbores, quas materiæ causa natura genuit, vtilis est fraxinus, quæ est arbor alta seu procera & rotunda atque recta siue pineata folio. Homerique præconio & Achillis hasta nobilitata, & cedro in aliquibus partibus ita similis, vt cortice ablato ementes fallat. Cuius folia contra venenum sunt vtilia, nam succo expresso & potui dato contra serpentes summe opiferum est. Tantaque ei vis est, vt serpentes eius vmbram matutinam vel vespertinam non attingant. Quod si inter ignē & folia fraxini ponatur serpens, in ignem prius quam in fraxinum fugiet. Sunt tamen folia eius iumentis mortifera in Græcia, cæteris autem ruminantibus sunt innocua. In Italia vero iumentis non obsunt, primo autem floret quam frondet, nec ante flores conditos folia emittit. Sunt autem duo genera, *vt dicunt Græci*, quædam est longa non nodosa, alia breuior est in foliis ac durior scilicet lauro similis. Alii vero diuidunt fraxinum secundum situm, scilicet in campestrem & in montanam. Campestris folia sunt magis crispa, sed montanæ magis spissa, & ista folia sunt aliis meliora. *Hucusque Plinius. Secundum autem Platea.* fraxinus est arbor calida & sicca in secundo gradu, cuius cortices & folia cum aniso & fungis, qui crescunt super eam, competunt medicinæ, nam fluxum ventris stringunt, vomitum ex defectu virtutis retentiuæ cohibent. Si cum aqua pluuiali & aceto decoquantur & super stomachum apponantur.

CAP. LXIII.

De Fago & eius proprietatibus.

FAgus est arbor cuius materia in multis est necessaria, *vt dicit Isidorus lib.* 17. *& Plinius libro* 16. Fagus est arbor glandifera, sic dicta, quia fagorum fructibus quondam vixerunt homines, & ex eis sumpserunt cibum. Nam φάγειν græce, comedere dicitur latine, *vt dicit Isidorus lib.* 17. *ca.* 7. *Dicit enim sic.* Fagi glans exterius triangula, cute leni includitur, similis nucleo, sed cortice molliori. Cuius medulla murib. est accepta, & glires impinguat, turdis etiam & columbis conuenit & eas nutrit. Eius cortex multum est vtilis, maxime apud Aquilonares pictos, qui inde faciunt vasa diuersis vsibus valde apta, *vt dicit idem cap.* 10. *Item dicitur in eodem*, quod glandes siue fructus fagi sunt multum dulces & nutribiles, & carnes animalium, quæ inde nutriuntur, facit coctibiles stomacho vtiles atque leues. Non est autem in substantia arbor multum solida, sed rara potius & porosa, & ideo non multũ durat, *vt dicit idem.* Veruntamen eius substantia multis est apta ad asseres & alia fabricanda. Cuius substantia pura ac vermibus non corrosa, arti vitreæ est summe necessaria, quia ex eius cinere vitrum cum aliorum quorundam appositione, per ignis conflationem, artificialiter præparatur, & pauca ligna inueniuntur, quæ operi tam mirabili sint super omnia ita apta, lignum quidem leue est ac porosum, *vt dicit Plinius*, & aliquantulum gummosum in multis locis, & ideo de facili incenditur, & de facili corroditur à vermibus aut citius computrescit. Flores etiam quosdam emittit ad modum tiliæ, sed non ita odoriferos, & tamen illos frequentant apes, mel syluestre in arborum concauitatibus colligentes.

CAP. LXIV.

De Faba.

FAba, *vt dicit Isidorus lib.* 17. dicitur à græca etymologia quasi faga, nam φάγειν comedere dicitur, est enim genus leguminis, quo Antiqui in comedendo solebant vti. Huius species duæ sunt, quarum altera est Ægyptia, altera est

est communis, & illa aliquando dicitur fressa, eo quod homines frendant eam molendo sæpius ac confringant, *vt dicit idem.* Est autem faba *secundum Dioscoridem* herba in hortis & agris seminata, cuius hasta surgit angulosa, grossa, concaua & nodosa, folium vel folia in singulis nodis producens lata, plana & aliquantulum obacuta. Florem producit album, in summitate purpureum siue nigrum, odoriferum, & multum ab apibus frequentatum. In hasta autem producit diuersas testas carnosas & oblongas, quæ interius quasi sub diuersis domiciliis ab inuicem sunt distinctæ, in quibus fabæ per ordinem sunt locatæ, & illæ testæ sunt primo virides exterius, & albæ interius atque molles, & paulatim calore desiccante indurescunt, & tandem pariter connigrescunt, & hoc maturitatis indicium est. Est autem faba *secundum Dioscoridem & Platear.* frigida & sicca, nisi sit viridis & tunc est humida in primo gradu, quę viridis comesta parum nutrit. Humores grossos generat, inflationem in superiori parte ventris facit, & ideo stomacho est nociua, sanguinem grossum & melancholicum creat & fumum grossum, qui cerebrum offendit, somnia vana & terribilia inducit, per decoctionem & assaturam eius ventositas inflatiua diminuitur sed totaliter non aufertur. Fabis siquidem assidue vtentes dolorem intestinorum patiuntur, splenem opilāt, ventrem stringunt, cum cortice comestæ ad digerendum sunt duræ & multum inflatiuæ. Est tamen fabæ medulla mundificatiua, vnde eius colatura faciem purgat, & potata pulmonem mundificat, apostemata mamillarum curat cum rosis mixta, dolorem & liuorem, & oculorum lippitudinem abstergit, masticata & in temporibus apposita. Humores ad oculos rheumatizantes compescit scissa & super venam inscissam posita, sanguinem restringit, lac effluens de mamillis sistit & effluere non permittit, podagricis & arteticis cum adipe ouis decocta subuenit, si super doloris locum cataplasmetur, tumores & collectiones apostematum repercutit, si in principio decocta in aceto tumori apponatur. *De faba aūt natura & proprietate dicit Plin. lib.* 17. *c.* 12. Inter legumina faba dicitur optima, quam multi immiscent cum pane siue cum materia panis, vt sic ponderosior esse videatur. Pythagorica tamen sententia damnata est, quia eius

frequens vsus hebetare dicitur sensus, & somnia etiam facere æstimatur, vel *vt alii tradiderunt*, quoniam mortuorum animæ sunt in ea. Qua de causa *Varro tradidit* Flaminem, scilicet pontificem faba vesci non debere. Sola autem inter fruges etiam excisa crescente luna crescit & repletur, & in aqua marina siue alias salsa non decoquitur. Seminatur in occasu pliadum & ante hyemem recolligitur. Quando est in flore aquas maxime concupiscit, cum vero effloruerit, diligit siccitatem & solum siue terram in qua seminata est, fœcundat stercoris vice, & ideo in Thessalia vertuntur agri, in quibus seminatæ fuerant, quando primitus sunt in flore. Crescit autem faba per se in multis locis & maxime in Mauritania & in insulis Oceani septentrionalis, sed ita dura, quod vix decoqui potest. Nascitur etiam in Ægypto, sed spinosa, & ideo crocodili eam refugiunt, timentes ne oculi eorum lædãtur spinis eius. Cuius longitudo est decem cubitorum, habens caput ad modum papaueris coloris rosei, in quo fabæ includuntur non supra tricenas, & est eius culmus siue calamus geniculatus, habens folia ampla & fructum aliquantulum subamarum. Radix eius incomestibilis, cruda & cocta in magnitudine arundinum similis radicibus. *Hucusq; Plinius lib.* 18. *cap.* 12. *Dicit idem in cap.* 17. Virgilius, inquit, nitro & amurca fabam perfundentibus grandescere eam promittit. *Quidam etiam dicunt*, fabas citius crescere & adolescere, si triduo antequam seminantur, in vrinæ aqua macerentur.

Cap. LXV.

De Frumento.

FRumentum à fruendo est dictum, id est, à vescendo sicut & fruges, *vt dicit Isidor.* vnde & frumen superior pars gulæ dicitur, vnde potissime cibi sapor præsentitur. Est autem proprium frumenti habere aristas in summitate spicarum crescentes & grana latentia in folliculis imminentes. Nam in omni specie frumenti de radice erumpit culmus, & de culmo procedit spica, quibusdam folliculis siue tecis contexta, in quibus grana recluduntur, in extremo autem spicæ aristæ tenues & acutæ imminent, in modum spiculi, à quibus spica nominatur, quia illis aristis quasi

ſpiculis muniuntur, ne auium minorum morſibus ſpica à ſuis fructibus exuatur, aut à beſtiis proteratur. Cuius folia ſeu vaginæ quibus fulcitur culmus & ambitur ne pondere frugis incuruetur, dicitur ſtipula, quaſi vſtipula, ab vſto ſic dicta, quia collecta meſſe exuritur ſtipula propter culturam agri. Cuius pars ad paſtum pecorum & animalium reſeruata palea dicitur, eo quod primum ſola paſcendis animalibus præbebatur. Cuius natura tantum eſt frigida quod obrutas niues fluere non ſinat, adeo calida vt poma matureſcere compellat. *Hucuſq; Iſidorus libro* 17. Sunt autem frumenti multa genera, *vt dicit idem Iſido. & etiam Plin. libro* 18. vt puta triticum, far, hordeum, ſiligo panicum, & millium & huiuſmodi, de quibus poſt dicetur in locis ſuis. Sed hoc eſt generale circa hæc frumenta. Attendenda eſt ſoli ſiue terræ qualitas, vbi hæc ſerantur. Nam quædam in vna terra proficiunt, quæ in alia deficiunt, & penitus inareſcunt. Nam hordeum in noualibus proficit, vbi triticum deficit & areſcit, *vt dicit Plinius*. Et ſic de aliis intelligendum. Item attenditur ſeminationis qualitas, quia quædam citius, quædam tardius ſunt ſeminanda. Nam citius ſemina hyemalia, tardius æſtiualia, quædam etiam in terra profundius: quædam ſuperficialibus ſunt terræ finibus committenda: vnde alio modo eſt ſeminandum triticum, & alio modo ſicut & alio tempore gith, milium & cyminum, *ſicut expreſſe dicit Hieron. ſuper Iſa.* 28. Item maxime attenditur congruitas temporis tam in ſeminando quam in colligendo, quia *ſecundum Plin. libr.* 18. hoc vtilius fit in interlunio, quam in tempore alio, quia ſeminata ſic collecta, potiſſime à vitiis conſeruantur. Item attenditur temporis ſerenitas, *vt dicit Iſidor.* Serere enim à ſereno cœlo dicitur, quia tunc ſerendum eſt & non per imbres. *Vnde Virgilius.*

Nudus ara ſere nudus.

Et vt dicit Plinius ibidem lib. 17. accidit frumento vitium, quia ſi tempus fuerit nimis ventoſum, & hoc tribus vicibus ſeu temporibus, ſcilicet quando eſt in flore, & quando incipit deflorere, & quando incipit matureſcere. Ex flatu enim noxio ſpica euaneſcit & extinguitur, & in fructu ſuo patitur abortiuum. Item nocet tempus pluuioſum, quia tunc totum vel extinguitur ex frigiditate humo-

ris,

ris,vel in herbam & folium superfluum luxuriatur. Item nocet calor subitus & immoderatus sub nube clausus, quia dum humor ad interiora radicis rapitur vi caloris, tunc ex humore calido & viscoso nascuntur quidam vermiculi circa radicem, ex quorum corrosione frugis substantia vitiatur. Item in grano circa folliculos nascuntur vermiculi corrumpentes frumenti granum, quando spicæ in pluuiali tempore post calorem immoderatum corrumpuntur & putrescunt. Item in tempore nimis sicco vel depauperatur frumentum ex humore, & sic perit propter defectum nutrimenti, vel crescunt in eo quædam muscæ virides, quæ vocantur cantharides, virorem frumenti penitus corrodentes, quandoque & multiplicantur locustæ & bruchi, quorum dentes omnia deuastant. Item exigitur in ipso semine frumentali puritas. Nam *vt dicit Plinius ibidem cap* 17. si semina cleopice aut adipe tangerentur, vtiq; semina corrumperentur, & ideo cauendum summopere, ne talibus misceantur, quia omnia sementina, quæ ab illis sunt infecta, corrumpuntur. Item requiritur in crescente frumento culturæ studiositas, oportet enim vt à superfluis cautius & diligentius expurgetur. Nam *vt dicitur ibidem*, inter optima frumenta aliquando herba mortifera inuenitur, vt lolium, lappacium, & huiusmodi, quod accidit ex vitio & malitia attracti humoris, vel ex defectu virtutis seu caloris sufficienter singula non mutantis. *Item ibidem dicitur*. Ex rore corrupto adhærente folliculis in granis, accidit corruptio frugis, quæ dicitur rubigo siue ærugo, quia spica corrumpitur inde & inanitur, & in colorem rubigineum transmutatur. Inter omnia autem frumenti genera triticum obtinet principatum, quia humanæ naturæ nihil est amicabilius, nihil nutribilius, nihil etiam salubrius inuenitur. *Sed de hoc quære infra litera L. Quære etiam de messe & segete.*

CAP. LXVI.

De Farre.

FAr autem est genus frumenti, sic dictum, eo quod ab initio missum in pila frangeretur, antequam vsus molæ haberetur. A farre autem dicitur farrago, *vt dicit Isidorus*, est

est enim herba hordeacea adhuc viridis, in qua grana ad maturitatem non turgescunt.

Cap. LXVII.

De Farina.

FArina quæ panis est materia, à farre est dicta. Nam far siue frumentum inter molas fractum, farinam facit: vel dicitur à farciendo, quia in panem redacta, farcit ventrem, vel dicitur farina proprie quãdo frumentũ inter molas optime est confractum, furfure nondum à medullæ substantia separato. Nam quando flos medullæ à furfure separatur siue cortice, tunc simila siue similago nuncupatur, & dicitur alio nomine pollen siue pollis: vnde deriuatur hæc polenta & hoc pulmentum à pulte dictum, *vt dicit Isidor. lib.* 20.*cap.* 8. Quidam tamen dicunt polentam esse pultes, de farina purgatissima factas, & dictam polentam à polline, quæ est farina delicata, quæ volat à mola in molendino, & alio nomine amolum dicitur, quia præ sui leuitate à mola eiicitur sicut & simila, id est, sine mola. Polenta tamen habet alias significationes, *sicut dicitur in glos. super Iosue 6. comederunt polentam eiusdem anni.* Grana, scil. cocta & manibus confricata, & à folliculis separata, ad modum grani in pilo tunsi. Et secundum hoc dicitur polenta quasi pilenta, sed quocunque nomine vocetur farina vtilis est in cibo & in medicina. Inde enim fit panis per aquæ admixtionem & ignis decoctionem: aliquando cibarius, id est, seruis in cibum datus non declinatus: quandoque vero panis fermentatus, fermento mixtus, quandoq; etiã azymus sine fermento sincerus: quandoque subcinereus in cinere coctus & reuersatus, qui & focarius dicitur, quandoque clibanarius in clibano coctus seu in furno. His & multis modis de farina, arte pistoria fiunt panes, *vt dicit Isidor. lib.* 20. quæ omnes cor hominis confortant, & corpus nutriunt ac delectant, deperdita reparant & restaurant, vires laborantibus administrant. Sed præ omnibus panis recens & mundus, de farina triticea præparatus, *vt dicit Constan. in dietis*, magis amicabilis & conueniens est naturæ. Farina itaque mola teritur & frangitur, cribro à furfure diuiditur, calida aqua aspergitur, fermentatur & sapidior redditur,

ditur, & pistata in formam panis redigitur, & tandem decoquitur, & sic vltimo post multos labores vita hominis inde reficitur & nutritur. Vtilis est insuper farina in medicina, quando cum aliis conuenientibus modo debito admiscetur, nam farina cum melle mixta faciei pustulas sanat & emundat, *vt dicit Dios.* Mamillæ ex coagulatione lactis induratæ apposita farina, videlicet triticea vel siliginea, cum adipe & vino decocta, duriciem spargit, & locum mollificat, *vt dicit idem.* Collectiones & apostemata maturat, neruos induratos & quasi spasmatos aut contractos relaxat, *vt dicit idem.*

Cap. LXVIII.

De Fermento.

FErmentum à feruore est dictum, quia feruere & excrescere facit pastam, *vt dicit Isidor. lib. 20. cap. 1.* Est autem fermentum compositum ex diuersis virtutibus, similem habens substantiam & virtutem, & inde virtutem habet panis eleuatiuam & sui acetositate saporis ipsius pastę munitiuam & in ipsius similitudinem totius massæ, cui admiscetur, conuersiuam. Habet etiam, *secundum Dios.* virtutem humorum de corpore faciliter extractiuam, & quando miscetur cum sale habet apostematum vim maturatiuam & apertiuam, nam poros corporis aperit subtilitate suæ substantiæ & humores dissoluit. Fermentum autem Latine ζύμη, dicitur Græce: vnde farina pura conuersione aquæ conglutinata dicitur azyma, quasi sine zyma. Et est azyma inflatiua, corruptiua, perforatiua & diuisiua partium panis siue pastæ cui commiscetur, *vt dicitur super epistolam prima Corinth. 5. &c.*

Cap. LXIX.

De Fumo terra.

FVmus terræ est quædam herba calida in primo gradu, sic appellata, quia vt fumus in multa quantitate emittitur de terra, vel sic dicitur, quia generatur à quadam fumositate grossa à terra resoluta, & circa terræ superficiem adhærente, *vt dicitur in Platear.* quæ quanto viridior, tanto melior, exsiccata vero nullius efficacię est, & est herba gra-

ba grauis odoris & horribilis saporis, sed maximæ tamen est virtutis. Purgat enim melancholiam, phlegma & choleram, Valet contra scabiem & contra hydropisim ex frigida causa, iuuat podagricos, & valet contra splenis & epatis opilationem. Vnum tamen vicium habet ista herba, quia inflatiua est, & ventositatis generatiua, & ideo eius ventositas debet reprimi cum anetho, alias aniso, & cum fœniculo, ne generet corrosiones, *vt dicit Platear.*

Cap. LXX.

De Fœniculo.

FOeniculus est herba communis, multæ tamen efficaciç & virtutis. Est enim herba calida & etiam sicca in secundo gradu, virtutem habet diureticam, apertiuam, scil. & inscissiuam ex subtili substantia & qualitatib. suis, *vt dicit Platear.* cuius semina, radix & folia competunt medicinæ, *vnde Isidor. lib. 17. cap. vlt.* Fœniculum Latini vocant eo quod eius thyrsi siue radicis succus, acuat visum oculorum, cuius virtus esse traditur, vt senes serpentes annuam senectutem eius gustu deponant. Hanc ẽt herbam Græci μάραθρον vocant. Istud autem sumit *Isidor.* ex certis dictis *Plin. lib. 20. cap. 24.* Fœniculum, inquit, nobilitauerunt serpentes. Nam gustu eius senectutem exuunt oculorumque aciem ipsius succo recuperando: vnde intellectum est oculorum caliginem eo præcipue releuari: vnde ex eius succo fit collyrium contra caliginem oculorum valde aptum. Huius duplex est species, scil. hortensis & syluestris, cuius semen cum vino potatum, contra morsus serpentum & ictus scorpionum valet, succus eius auribus instillatus, vermes necat, stomachum stringit & corroborat, nauseam sedat, calculum frangit & vrinam excitat, lac in mamillis multiplicat, radix eius renes purgat, cum vino cocta hydropicos curat, canis morsum sanat. Hæc omnia facit fœniculus hortensis, sed fortius operatur, hæc eadem hypomaratrum, id est, fœniculus agrestis, *vt dicit idem.*

Cap. LXXI.

De Ferula.

FErula est herba cuius succus galbanum dicitur, *vt dicit Isidor. lib. 17.* de quo fit mentio, *in eccles. 24. vbi dicitur,*

quod

quod storax & galbanum, &c. Vbi dic. glos. galbanum, *secundum Plin.* dat Syria in monte quodam vbi abundat ferula, à qua fluit resinæ modo. *Dicit autem Plin. lib.* 20 *c.* 24. ferulæ semen est anetho simile, cuius folia & rami cocti cum oleo, & comesti cum melle, stomacho conueniunt, sed si nimis comeduntur, dolorem capitis faciunt, cuius radix bibita ad pondus denarii in duobus cyathis vini, valet contra serpentum morsiones, succus eius in magnitudine fabæ deuoratus, aluum soluit, cuius medulla viridis immũditias faciei tollit, semen eius vino bibitũ, sanguinẽ sistit, patientibus caducum morbum subuenit. Herba autem ferularum Murœnæ infestissima est, nam eius lacte statim commoriuntur, succus eius confert claritati oculorum. *Hucusq; Plin.*

Cap. LXXII.

De Fœno.

FOenum est dictum ex hoc, quod eo flamma nutritur, Flos enim eius flamma est, *vt dicit Isidor. lib.* 17. omnis enim herba mollis præscissa sicca, fœnum dici potest, & maxime quæ fœtibus aliquando apta est nutriendis, nam fœnum cibus est proprie iumentorum. De fœno autem *dicit glossa super Isa.* 40. fœnum nascendo habet virorem, & crescendo decorem, deinde florem, tandem calore Solis siccatum, redigitur in puluerem, sic & homo per ætatum successionem decorem amittit, ac cadit in puluerem & in mortem. Fœnum itaque diu viret & frondet, montes & prata vestit & ornat, & tam florum diuersitate quam etiam viroris venustate ad sui aspectum intuentium oculos allicit, reficit & delectat. Propter suæ substantiæ autem viriditatem, feruente Sole, eius humiditas de facili consumitur, & herba quæ primo florendo quasi ridere videbatur, tandem à sua gloria spoliata, penitus inuenitur. Nam fœnum quidem, quod hodie oritur & virescit, cras moritur, & tunc in clibanum mittitur, quia quasi subito deficit & arescit, *sicut de impio per similitudinem dicitur in Psalm. Fiat sicut fœnum tectorum quod priusquam, &c. Vbi dicit glossa,* quanto fœnum altius stat & minus profunda, inferius deprimit radicem, tanto minus crescit, imo citius deficit & arescit. Fœnum itaque falcastro priusquã matura-

tum fuerit, præscinditur, & vt melius exsiccetur, Soli exponitur, & ne ex humoris superfluitate circa terram computrescat, furcis & rastris sæpius eleuatur, tandem in cumulos & in aceruos colligitur, & vltimo in plaustris ac vehiculis ad horrea deportatur, & ibi ad diuersos vsus necessarios reseruatur. Fœna autem crescentia in locis aliquantulum montosis mediocriter siccis, magis sunt odorifera, etiam animalibus magis sapida, quam alia quæ crescunt in pratis palustribus & aquosis, *Vt dicit Plin.* quia in illis humor nutrimentalis magis est digestus, in illis vero minus.

CAP. LXXIII.

De Flagellis

FLagellæ dicuntur summæ arborum & vitium partes ab eo, quod crebros sustineant ventorum flatus, *Vt dicit Isidorus libro* 18. quorum comas aliqui crines vocant, aliqui folia, & dicuntur folia quasi fila, nam folium Græce, filum Latine dicitur, & hoc ideo, quod in foliis sunt quædam venulæ in eorum substantia, ad modum filorum protensæ, ideo translatiue dicuntur folia, apud nos quasi fila, nodi autem ex quibus exeunt frondes siue folia, de virgulis & flagellis oculi nuncupantur. Nam humor aquosus, subtilis, parum habens vnctuositatis, ad ramos à radice attractus vi caloris eleuatur in diuersis locis, & ex acumine suo penetrat ad exterius, ac ibi quasi per oculos exiens vi interioris caloris, & aeris exterioris transmutatur in substantiam foliorum, *Vt dicitur in comment. super librum Vegetabilium Aristotelis*, & secundum qualitatem humoris dominantis, & fortitudinem vel debilitatem caloris humorem digerentis, folia in qualitate & figura multiformiter variantur, *Vt patet supra eodem Vbi agitur de diuersitate arborum*, quo ad figuram foliorum, *quære sup. in eodem in litera A.* Folia itaque ornant arborem, & muniunt tenellos flores & fructus, ne à ventis, caumatibus aut pluuiis iniuriam patiantur, grandinum impetus, ac ventorum impulsus, & imbrium ictus intercipiunt & repellunt, folia sicut scutum propter suæ substantiæ raritatem & tenuitatem modico vento mouentur, sed de facili non cadunt propter adhærentem abundantiam humoris, donec fru-

ctus latitantes sub foliis maturescant, vnde in vere & in æstate virent, & in autumno pallent, & sic contra hyemem paulatim concidunt, & tandem in terra cadentia computrescunt, multum insuper conueniunt folia medicinæ, multis etiam animantib. sunt in cibum sicut folia hederę, quæ à capris & hædis maxime diliguntur, *vt dic. Isidor. Alias proprietates foliorum quære supra in eod. libro 16. cap.* Flores, *vt dicit Isido. lib.* 18. dicuntur quasi fluores, eo quod cito defluunt & soluuntur, in his tamen multiplex est gratia, scil. odoris, saporis & coloris, lenitatis & virtutis, nam odore recreant & etiam delectant spiritum, sapore quidē immutant gustum, colore alliciunt visum, lenitate demulcent tactum, virtutem habent multiplicem, sanant morbum, zephyro generantur, austro dissoluuntur, *vt ibidem dicit Isid.* arbores & herbas, campos, hortos & syluas pulcritudine sua decorant & ornant, dulcedine, quā concipiunt ex cœlesti rore, mel administrant. Et ideo apes flores mellificandi gratia visitant & frequentant, quando apparent flores, mutationem temporis significant, & spem de fructu generant, nam flores semper fructum præcedūt, & spem de subsequenti fructu relinquere consueuerunt, de puro & vnctuoso medullæ arboris humore originem contrahunt, & erumpentes de stipite virgæ virgam non violant nec deflorant, sed potius ipsam perficiunt mirabiliter & decorant. Item flores in ortu Solis se aperiunt, sicut in occasu sese sæpius claudunt, multi sunt qui ex paucitate humoris & liquiditate, calescente calore, humiditatem consumente, deficiunt & arescunt. Aliquando etiam flores ad Solis faciem se cōuertunt, secundum tamen eius ortum se aperiunt & processum se diffundūt, vt patet in Heliotropio, quæ alio nomine dicitur Solsequium, & dicitur à multis cichorea, *vt patet supra in cap.* Intempestiuus autem ortus floris signum est defectus & carentiæ fructus vlterius consequentis, nam tales flores subito frigore vel etiam corrupto aere facilime corrumpuntur, vel si sunt nimis hyemales vel autumnales, ad maturitatem debitam propter caloris defectum nullatenus perducuntur, *vt dicit Plin. lib. 20. cap. 5.* Inter alios flores præponuntur liliorum flores, rosas & violas præcipue ad coronas nobilium adornandas, de quibus post est dicendum. Est flos campi

flos

flos specialis sic dictus, quia per se crescit in locis incultis, nec sulcatis vomere, nec stercore impinguatis, *vt dic. idem.* Est itaq; flosculus stipite quidem gracilis, & modicus, flore rubicundo, & quasi colore sanguineo insignitus, cuius flores non plus nec minus quam per quinque folia communiter distinguuntur, cuius virtus centaureæ similis est, non tamen ex complexione sua tantæ est amaritudinis, quamuis minori centaureæ in foliis & in stipite multum similis videatur, & in multis medicinaliter, non inferior ab antiquis sapientibus iudicetur. Centaurea est herba amarissima, vnde & fel terræ dicitur. Cuius species est duplex, maior & minor, habet itaque cum quadam amaritudine dulcedinem in radice, cuius succus melli mixtus, visum clarificat, inflationes sedat, morsus venenosos curat, & contra anthracem apostema mortiferum iuuat, & venenositatis suæ maliciam reprimit & refrenat, & impedit ne materię furiositas ad nobiliorum membrorum intrinseca se diffundat. *Hucusque Plin. vt sup. &c.*

Cap. LXXIV.

De Fructu.

FRuctus à frumine nomen accepit, *vt dicit Isidor.* quia frumine, id est, eminentiori parte gutturis vescimur, *vt dicit Isidor. lib.* 17. inde & fruges dicimus. Fructus autem propriè dicuntur arborum & agrorum, quib. vtendo fruimur, quamuis abusiue fœtum animalium, fructum aliquando etiam nuncupemus. Est itaque generaliter attendendum, quod pars arboris siue pars plantæ, quæ quidem nobilior & vnctuosior est tam in medulla quam in radice, solet attrahi naturaliter à calore, vt suo tempore præcedente flore, & fructus originem disponente, inde fructus materia generetur, humoris & etiam caloris beneficio nutriatur, & foliorum etiam cooperculo defensetur. Solis & virtutis cœlestis influētia ad perfectum deducatur. Et tandem maturato fructu & collecto ad vsum & esum debitum assumatur. Fructus autem crudi & indigesti corporibus, maxime puerorum & debilium, sunt nociui & inflatiui, lumbricorum & aliorum vermium generatiui, humorum malorum nutritiui, gustus naturalis corruptiui, vt patet in

mulieribus impraegnatis, quae maxime desiderant fructus immaturatos, *Vt dicit Plin.* sed fructus congrui & maturi tam medicinae quam esui erunt apti, ita tamen quod quolibet fructu quilibet modo vtatur debito, & potus congruus post fuuctum ordine congruo subsequatur, *Vt in libro diatarum plenius edocetur.* Fructus primo generaliter sunt crudi, duri & indigesti, stiptici, pontici vel amari, sed calore exteriori interiorem confortante, & humorem ponticum & terrestrem dissoluente ac digerente, tanto dulciorem saporem & conuenientiorem accipiunt, quanto ad maturitatem perfectam plus accedunt, citius autem accedunt ad maturitatem, qui altius in ramorum summitatibus crescunt, & calori radiorum solarium directius se exponunt. Maturitatis signum est mutatio coloris viridis & terrestris, in colorem pallidum vel in rubentem. Et mutatio saporis insipidi, pontici aut acidi, in saporem suauem gustui atque dulcem. Primo enim nascuntur fructus virides, sed quando tendunt ad maturitatem vincente calore, in substantia fructuum colores mutantur pariter & sapores, tanto etiam sunt meliores, & in substantia sapidiores vel laxiores, quanto relaxata vi caloris, terrestri duricia etiam dominante, humiditate aquea vel aerea, maturitati sunt propinquiores, & ideo probatur fructum maturitas, non solum per visum quo ad colorem, nec solum per gustum quo ad saporem, verum etiam per tactum, quando compressi digito, tactui cedunt, & sensui offerunt substantiam molliorem, *Vt dicit Isaac in diatis.* Fructus autem arborum crescentibus in montibus sunt puriores, sapidiores, & etiam suauiores, quam illarum, quae in vallibus sunt crescētes, & hoc accidit propter dulcius, & purius, & temperatius, quod ibi, scilicet in montibus, inueniunt nutrimentum, *Vt dicit Arist Vt supra eodem patet. Quare de diuersitate arborum quo ad fructus circa finem.* Sunt autem quidam fructus primo dulces & sapidi, sed post efficiuntur pontici & amari, scilicet mirabolani, *Vt dicit Aristoteles*, tales fructus & si non fuerint comestibiles, sunt tamē aliis medicinales. Fructus autem dulces, *Vt dicit Isaac.* in quatuor qualitatibus sunt temperatiores, humidiores & calidiores, & caeteris nutribiliores, fructus vero frigidi, scilic. & pontici, duri sunt & stiptici, ac opilatiui siue constrictiui, sto-

ui, stomachi tamen confortatiui, & appetitus excitatiui, maxime si comesti fuerint à ieiunis, sed post prandiũ sumpti confortant stomachi orificium, in vsum sumpti comprimunt cibum assumptum ad inferiora, & sunt causa solutionis, sed si fuerint fructus acetosi, & aquoso modico & terrestri etiam compositi, acumen choleræ extinguunt, similiter & sitim mitigant, stomachum confortant, humores grossos & frigidos dissoluunt, diuidunt, non deponunt, dulces vero acuunt eis vim conferentes, penetrandi totum corpus, fructus insipidi, aut in quibus dominatur aquosa humiditas, cæteris minus sunt laudabiles, quia stomachum non iuuant, sed abominationem & fastidium generantur. Fructus itaque si bene maturati fuerint, erunt saporis boni, odoris iucundi, si non fuerint putridi, non vermiculosi, humore vel corrupto aere non infecti, & tales fructus in loco sicco & mundo, melius & diutius custodiuntur, & maxime si in fæno vel palea contegantur, *vt dicit Plin.* nam iuxta terram in loco humido citius corrumpuntur. Item fructus maturi citius cadunt de arbore quam non maturi, & facilius de nocte quam de die, quia nocturno rore perfusi, efficiuntur ponderosi, & ideo ad casum magis proni. Hæc de fructibus dicta sufficiant, quia multa de fructibus supra eodem in tractatu de arboribus in generali sunt dicta. *Quære ibi.*

CAP. LXXV.

De Germine.

GErmen, *vt dicit Isidor.* est prægnans surculus à gerendo dictus, vnde & germinatio. Nam in germine gignitur humor nutrimentalis, & ratio seminalis in eo etiam viget, & operatur calor naturalis, & quamuis sit modicæ quantitatis in substantia, maximæ tamen virtutis est & potentiæ in efficacia. Nam virtus radicis trahitur & transit in substantiam germinis, & ideo herbæ quamdiu sunt in germine, & viget in eis humor transfusus à radice, maxime conueniunt vsui medicinæ, itaque germen dicitur, quod primo erumpit de radice arboris aut herbæ, nam confortato calore naturali, qui in radicis medulla est inclusus, radix humorem sibi necessarium attrahit vi ca-

loris, & quod sibi non est necessarium ex se, exterius reiicit, & illud à calore incluso sursum eleuante ex aere intrinsecus desiccante, in naturam germinis transmutatur, & quia non cessat attractionis continuatio in radice, & ideo non cessat augmenti dilatatio in germine, quousq; conueniat ad debitum complementum. Calor itaque cœlestis penetrans ad medullam radicis, partes eius liquidiores ac puriores ac vnctuosiores ad se trahit, & coagulat ac coniungit, & coadunatas per poros terræ insensibiliter inducendo eas in substantiam germinis, conuertere non desistit, *vt dicit commentator super librum vegetabilium.* Contrahit autem colorem viridem, medium scilicet inter rubentem & nigrum, secundum dominium æqualium partium terrestrium & ignearum, nam generatio germinis habet fieri ex terreo humore, nigro & opaco, sed propter aereatũ partium & ignearum admixtionem fit color eius viridis, qui color medius esse dicitur inter rubeum atque nigrum. Est autem germen principium culmi siue stipitis, floris atque fructus, emittens primo plures frondes, mutuo se nectentes, quos facit natura ad innati caloris in substantia germinis conseruationem, tenera enim eius substantia frigido aere de facili læderetur, nisi ab extrinseco nocumento tutela frõdium tueretur, de facili enim læditur ex aere frigido, & etiam ex grandine & ex vento, & etiam ex rore noxio & infectiuo, & ita contra huiusmodi nocumenta pluribus foliis connexis, quasi pluribus tuniculis tegitur & munitur, hortus itaque germinum ornatus terræ est principium, nam omnia terræ virentia à germinibus oriuntur, mutationis temporis est indicium, & signum vernalis nouitatis, finemque annunciat hyemis, ac præconium est æstiualis nouitatis & venustatis, à bruchis, locustis & erucis corroduntur quandoque germina, & tunc spes vlterius de fructu non habetur.

CAP. LXXVI.

De Gramine.

GRamen est agrestis herba, ab eo quod germinetur, sic vocata, *vt dicit Isidorus*, beneficio siquidem caloris ex humore terræ omnis herba generatur, nam cœlestis calor terræ

terræ superficiem penetrans, partes eius subtiliores aggregat, & in radicis speciem transfigurat, quæ terræ infixa calorem intra se claudit, cuius virtute humorem circumiacentis terræ ad sui incrementum & nutrimentum attrahit, & quod simile est, in sui naturam alterat & commutat vel cõuertit, & quod sibi quo ad substantiam est superfluum ad generationem foliorum germinis transmittit, quia vero propter humiditatem multæ extracto humore generantur radices multæ & diuersæ fiunt graminum & herbarum productiones, mutuo se colligantes, & totius terræ superficiem viroris gratia & florum decentia vestientes, & quanto radices graminum inferius amplius se profundant, tanto difficilius gramina culmos suos & & folia in terræ superficie se dilatant. Pullulantia autem gramina in principio suæ generationis se multiplicant, si compressa fuerit aut mediocriter conculcata. Quando enim in principio nimis luxuriare permittuntur, cito prorumpunt in semen, & indurantur de facili & suam perdunt pulcritudinem & virorem, *vt dicit Plinius*, ex situ autem terrę vbi crescunt, & qualitate humoris, quo nutriuntur, diuersas qualitates & virtutes generaliter sortiuntur, *vt dicit idem, & commentator super librum vegetabilium*, vnde ex humoribus complexiones contrarias habentibus, quandoque herbæ & gramina, imo omnia in terra nascentia diuersas consequuntur efficacias & virtutes, *vt dicit Plinius & Isa. &c.* propter quod secundum auctores prædictos gramina montium siue locorum montosorum sunt rariora & breuiora, quam gramina vallium siue pratorum, illa tamen sunt ouibus conuenientiora, quia dulciora, salubriora & mediocriter licciora, in palustribus quidem crescentia, sunt pinguiora & diffusiora, sed meliora sunt simpliciter quæ in montibus & locis altioribus oriuntur, Nam *vt dicit Constantinus & etiam Isaac*, herbæ palustres peioris sunt nutrimenti, nam aquosum generant sanguinem, & cito se à membris dissoluentem, inflationem & rugitum in visceribus generant, sed in contrariis contrariæ. Est autem regula, *vt dicit Isaac, qui dicit sic*, Mysticum Atheniense dixit, cuius radix inter herbas nutrit eius semen, non est nutritiuum nec è conuerso, cuius quidem semen nutrit, eius radix non nutrit, gramen itaq;

Vt dicit Palladius gratum facit solum in aspectu, gratum quoque est animalibus in pastu, gratum etiam fit lãguentibus in effectu, nam sicut in radicibus, sic in graminibus latet virtus multiplex medicinæ, gramẽ etiam austri tempus pluuiosum, scilicet & calidum diligit, & virorem ex imbris abundantia in locis desertissimis ex se diffundit, sed præualente vento boreali & frigido deficit extrinsecus & marcescit, *Vt dicit Beda.* *Secundum Dioscoridem* vero gramen dicitur quædam herba specialis, habens virgas nodosas, sparsas super terram, & folia lata aliquantulum & acuta. Cuius radix nodosa est & dulcis, & hanc herbam boues & alia animalia libenter comedunt & depascunt. Cuius virtus est stiptica & vulnerum conglutinatiua, ventris constrictiua, vulnerum renum & vesicæ sanatiua, doloris splenis mitigatiua. Hanc herbam noscunt canes, & illam comedunt quando se purgare volunt, *Vt dicit Plinius.* Tamen hoc faciunt ita caute, quod vix potest hoc ad humanam peritiam deuenire.

Cap. LXXVII.

De Galbano.

GAlbanus est herba, cuius succus galbanum dicitur, & est herba in ramis ferulæ similis, immo, *Vt dicit Varro*: galbanum succus ferulæ est, *Vt dicit Isidorus lib.* 17. Inciditur autem herba in æstate & effluit inde lacryma, quæ recolligitur & desiccatur. Idem autem galbanum est optimum, quod est mundissimum, & habet plures guttas, sicut armoniacum, & est similis thuri in colore habens grana limpida, cuius granum non est nimis siccum, *Vt dicit Plinius & Dioscorides.* In æstate circa fruticem desiccatur. Inest autem ei virtus ignea, calida scilicet in tertio gradu, & humida in primo, *Vt dicit idem.* Sophisticatur autem cum puluere colophoniæ, id est picis græce, & cum fabis fractis, corticibus abiectis, quæ cum optimo galbano & resoluto admiscentur. Galbanum autem purum diu potest seruari. Virtutem habet attrahendi, dissoluendi, leniendi, relaxandi & mitigandi. Fumus eius lethargicos excitat, dolores splenis & opilationes cum aceto sanat, fœtum mortuum de matrice educit, & matricem purgat, cum

cum melle puluis galbani lumbricos necat. Fumus eius menstruis imperat, serpentes & venenosa eius fumus fugat, dolorem dentium mitigat, *Vt dicit Dioscorides & Plinius & Platearius*, *Vbi subditur*, quod si galbanum debet poni in medicina, prius debet à superfluis emundari. Primo igitur super ignem in testa debet liquefieri, & in aqua post infundi, & quod purum est superenatabit, quod vero inutile est, vt cortices & lapilli, inferius residebit. *Dioscorid. tamen dicit*, quod in aqua feruenti galbanum debet poni, & quod petit fundum colligi, quod autem superenatat, vt cortices & huiusmodi, debet amoueri.

Cap. LXXVIII.

De Gutta.

GVtta ad modum galbani, est cuiusdam herbæ vel arboris lacryma, quæ alio nomine armoniacum appellatur. Istius autem arboris vel herbæ ramusculi, diebus æstiuis, ab incolis inciduntur, & gutta quæ inde distillat, gutta siue armoniacum nuncupatur à medicis, *Vt dicit Isidor. & Plin. &c.* Istius guttæ species ista est nobilior, quæ mundior est & purior, & terræ fœculentia impermixtior, quæ quidem debet esse candida & pinguis, sicut thus, & quando frangitur, apparet splendida interius & gummosa, *Vt dicit Dioscorides & Plinius*, & habet odorem similem castoreo, & saporem subamarum aliquantulũ siue acrum. Est autem gutta calida in tertio gradu, & sicca in secundo, habens virtutem dissoluendi & relaxandi, *Vt dicitur in Pla.* Cuius scrupulus potatus cum oxymelle, spleneticas curat asperitates, & immundicias oculorum mitigat & curat. Cum succo absinthii lumbricos necat. Contra arteticam & sciaticam passionem cum pice dura multum iuuat, vrinam prouocat, & menstrua purgat, omnes tumores & inflationes sedat, *Vt dicit glossa super illum locum*, myrrha & gutta, &c.

Cap. LXXIX.

De Garyophilis.

GAryophili, *Vt dicit Dioscorides*, quidam sunt perfecti & saporis acuti, coloris subnigri, calidi & sicci in effe-

ctu, humidi vero interius actu: quidam in suis qualitatibus magis sunt remissi. Sunt autem fructus cuiusdam arboris in India, qui in æstiuo tempore colliguntur, quando sunt maturi, per quinque annos in multa efficacia conseruantur, in loco etiam non nimis sicco, nec nimis humido debent seruari, quia in multum humido putrescunt, & multum sicco arescunt. Eligendi autem sunt qui in superficie aliquantulum habent planitiem, qui acutum habent saporem, & suauem odorem, & qui ex pressione vnguis aliquid emittunt humiditatis. Sophisticantur autem cum puluere garyophili, mixto cum aceto & vino odorifero, ex quo contrahunt humiditatem, & vix discernuntur, quare in exteriori superficie magis sunt acuti quam alii, & ideo acutum magis est in exterioribus quam in interioribus. Sed sophisticati non possunt vltra viginti dies conseruari. Habent autem boni garyophili virtutem confortandi ex aromaticitate sua, dissoluendi & consumendi ex qualitatibus suis, confortant enim cerebum & virtutem animalem. Valent etiam contra defectum cordis, quare confortant virtutem spiritualem. Valent etiam contra indigestionem stomachi & dolorem ex frigiditate & ventositate, quia virtutem iuuant naturalem. *Hucusq; Dioscorid.*

CAP. LXXX.

De Genesta.

GEnesta quæ etiam ab amaritudine dicitur, quia eius gustus nimis hominibus amarus est, arbustum est, crescens in locis desertis, incultis & saxosis, cuius præsentia infertilitatis & ariditatis terræ vbi crescit, testis est. Habet multos ramos graciles, duros & nodosos, virentes hyeme, & æstate flores glaucos, spissos & inuolutos, grauis odoris, amari saporis, sed tamen sunt maximę virtutis, *vt dicit Dio.* Nam florum & foliorum eius elixatura splenis tumorem compescit, dolorem dentium subuenit, menstrua stringit, fluxum dysenteriæ sistit, pediculos & lendes succus eius perimit. Semen facit amarum & nigrum, in quibusdam thecis longis & nigris, ad modum folliculorum viciæ vel pisæ conuolutum & valet ad prædicta, &c.

CAP. LXXXI.

De Grana.

GRanum eſt minima tam ſeminis quam arboris particula, diſtincta ſubſtantialiter & diuiſa. In quolibet autem grano eſt cortex & medulla, in qua relinquitur ratio ſeminalis, vt ex grano terræ commiſſo poſſit produci planta. Vnde in quolibet grano eſt relicta potentia à natura, vt ex eo poſſit fieri planta, qua mediante ſua ſpecies multiplicetur, & in eſſe ſpecifico conſeruetur. Vnde granum quamuis ſit modicum in ſubſtantia corticis & medullæ, magnum tamen eſt in rationis ſeminalis efficacia & virtute. Et ſicut grana differunt in ſpecie, ſic differunt in figura, ſitu aut diſpoſitione, *vnde dicit Ariſtoteles lib. prim. de plantis*. Grana, inquit, & ſemina alia naſcuntur in plantis ſine ſiliqua, vt ſemẽ anethi & fœniculi & huiuſmodi: & alia naſcuntur in ſiliquis & folliculis, vt faba & alia leguminoſa, & alia in ſubſtantia calloſa emittuntur, vt ſemina pyrorum & pomorum, & quædam habent grana & ſemen in teſta & callum extra teſtam, vt nux & oliua. Grana autem ordinata in ſiliquis & in folliculis variantur multipliciter in ſitu: quia quædam habent grana multiplicata in ſiliqua ſua, ſicut accidit chelidoniæ, quæ eſt herba valens ad oculos, & quædam faciunt grana in folliculo clauſo vt faba, piſa, &c. & quædam in non clauſo, ſicut triticum & ſpelta & ſimilia: quædam autem non faciunt grana ſua in aliquo folliculo, vt grana hordei, ſed paleam ſuam quaſi continuant cum grano ſuo. Et quædam grana ſunt duplicia per ordinem abſque pariete in ſiliqua ſua, vt grana chelidoniæ, & quædam ſunt duplata pariete mediante, vt patet in granis naſturcii. Et quædam triplicantur in diuerſis per ordinem cellulis folliculi, vt patet in myrto, in cuius fructu ſunt tres cellulæ, & in qualibet cella tria grana vel quatuor ſine pariete aliquo ſunt coniuncta. Et quandoque eſt inter grana paries ligneus, ſicut in caſia fiſtula: aliquando paries carnoſus, vt patet in cucumere & cucurbita, & quandoque inter grana ſunt parietes diuerſi generis & diuerſæ ſubſtantiæ, vt accidit in malagranatis, in quibus ſunt quidam parietes carnoſi inter grana & grana, ſimiliter & quædam telæ tenues non carnoſæ ſunt in-

ter

ter grana & grana, sed sicut differunt grana & grana inter se in substantia, ita etiam in figura. Habent enim quædam formam rotundam, quædam pyramidalem & oblongam, quædam triangulam vel multilaterem, vt patet in ciceribus. Grana autem quæ sunt oblonga in vno latere videntur esse quasi scissa, vt patet in grano tritici & consimilibus. Corticibus autem siue telis muniuntur grana, propter interioris medullæ & caloris naturalis conseruationem. *Hucusq; Aristoteles.*

Cap. LXXXII.

De Gith.

Gith genus est leguminis, simile cymino in quantitate, sed nigri coloris & in pane spargitur dulcorando, *vt dicit glossa super Isaiam. Secundum Platearium, Aristotel. & Dioscoridem*, gith est herba calida & sicca in secundo gradu, quæ inter frumenta nascitur, habens semen paruulum, nigrum, & quasi triangulum, diureticum & subamarum. Habens virtutem dissoluendi & consumendi, opilationes etiam splenis & epatis habens dissoluendi virtutem & aperiendi, & ventositates extenuandi, & hæmorrhoidas inflatas sedandi, & earum fluxum restringendi & lumbricos, ventris vermes cum melle interficiendi. Hanc herbam dicunt esse nigellam, cuius decoctio in aceto occidit vermes aurium. Si auribus tepida instilletur, apostemata rumpit, si cum furfure & semine lini & fimo columbarum in vino decocta cataplasmetur. Contra lepram etiam valere dicitur, si cum raphano in vino decocta & modico sale apponatur. Menstrua prouocat, & abortum procurat, si mulier inde suffumigetur. Contra stranguriam & etiam passionem iliacam vinum, in quo per noctem nigella infusa fuerit propinetur, nec debet decoqui ne nimis violenta efficiatur. Nam *vt dicit Constantinus* nigella in multa quantitate sumpta, occidit.

Cap. LXXXIII.

De Ilice.

Ilex ilicis est species quercus, arbor, scil. glandifera, & dicitur ab eligo eligis, *quia vt dicit Isidor. lib.* 14. huius arboris

oris fructum homines sibi primo ad victum inuenerunt & elegerunt, priusquam enim frumenti esset vsus, antiqui vixerunt glande. Inter arbores autem glandiferas honorabilior iudicatur ilex, cuius fructus, *Vt dicit Plinius lib.* 16. multas reficit nationes. Est siquidem ilex arbor grossæ & profundæ radicis, solidissimi ligni, & corticis durissimi, spississimi & rugosi, multæ ramositatis, & ratione foliorum vmbrositatis iucundæ, & quo ad fructus glandiferos, non modicę quantitatis & fœcunditatis, lignum siquidem eius forte est & durabile, immo fere imputribile. Nam eius trunci in profundo sub aquis depressi, quasi in lapidis soliditatem conuertuntur, & quanto per longiora secula in talibus locis humidis desiguntur, tanto amplius indurantur, & ideo talia ligna deorum templis & regalibus ædificiorum structuris erant apta, ideo propter indissolubilem ligni naturam ex ilice deorum simulacra sæpius sculpebantur, *Vt dicit Plin.*

Cap. LXXXIV.

De Iunipero.

IVniperus, *Vt dicit Isidor.* sic dicta apud Græcos, eo quod ab amplo in augustum finitur, sicut ignis, vel quia conceptum diutius ignem conseruet, adeo quod si prunæ ex eius cinere fuerint opertæ vsque ad annum, *Vt dicitur*, nullatenus extinguentur, πῦρ siquidem ignis dicitur apud Græcos: vnde iuniperus quasi gignens ignem dicitur. Iuniperus alia est magna alia est parua, *Vt dicit Isidor. lib.* 17. & vtraque arbor est aspera, & quasi aculeata, & folia habens multa gracilia & acuta, & vtraque est fructifera, sed parua magis. Multa enim fert grana parua & rotunda, primo virida & post efficitur, quasi purpurea vel quasi subrubea, quando plenarie sunt matura, virorem frutex & folia vix deponit. Est autem arbor calida & sicca in tertio gradu, *Vt dicit Dios.* cuius fructus congruunt medicinæ, qui in vere colliguntur & per biennium reseruantur. Virtutem habent dissoluendi, consumendi & confortandi. Contra fluxum ventris ex acumine medicinæ valet decoctio baccarum eius in aqua pluuiali, si inde patiens balneetur. Ex iunipero etiam fit oleum iuniperinum efficacissimum con-

tra quartanam, si quotidie inde pondus drachmæ in cibo vel alio modo offeratur. Valet etiam contra iliacam passionem, si partes dolentes inde petungantur, epilepticis & caducis subuenit. Lapidem frangit si per syringam initia tur. Syringa est fistula subtilis, cum qua medicina mittitur in vesicam, vinum decoctionis iuniperi cum ficubus siccis pectus purgat, tussim tollit. *Hucusque Plat. & Dios.* In locis saxosis & incultis crescit, & in desertis, eius vmbram fugiunt serpentes, *vt dicit Plin.* & ideo fructus eius creditur valere contra venenum.

Cap. LXXXV.

De Hyssopo.

HYssopus est herba breuis & modica, inter petrosa crescens & in radice petræ solidæ se infigens, *vt dicit Cassiodorus super Psalm.* Hanc herbam, *dicit Dioscori.* esse calidam & siccam in tertio gradu, huius virtus cõsistit in floribus & foliis plus quã in stipite vel in radice. In æstate autem producit flores qui debent colligi, & in loco vmbroso, mundo & non fumoso desiccari. Habent virtutem dissoluendi & consumendi & attrahendi, mundificandi pulmonem, & omnia vitia pectoris ex causa frigida purgat & mundificat, si cum ficubus siccis in vino decoquatur, & patienti præbeatur. Dolorem stomachi & intestinorum tollit, fomentum ex aqua decoctionis eius à superfluis humoribus matricem mundificat & abstergit. Herba Hyssopi in testa calefacta, & capiti superposita cathatrum frigidum compescit, vuulam cadentem reprimit, dolorem ex ventositatẽ tollit. Dicitur autem hæc hyssopus, & hoc hyssopum, & à quibusdam authoribus eius media corripitur, & à quibusdam producitur. *Dicitur etiam in aurora:*

Est humilis petraque suis radicibus hærens.
Et vitiis hysopus pectoris herba medens.

In Anticlaudiano autem producit Alanus.

Se cœlum terra conformat cedrus hysopo.

Et iterum alius dicit:

Pectoris herba cauas rupes incidit hysopus.

Et iterum alias:

Ad pulmonis opus confert medicamen hysopus.

Tantæ etiam autoritatis fuit herba quamuis modica apud

pud veteres, *vt dicit Plin.* quod sine ipsius aspersione se purificari non posse in delubris reputarent: vnde etiam apud Hebræos fasciculo hyssopi mundandi solebant purificari, *vt patet Exod.* 12. *& Leuit.* 12. *& Num.* 15. Insuper eius puluis valet contra hydropisim, *vt dicit Diosc.* liuorem à corpore mundat, & colorem vultibus optimum administrat, dolorem dentium mitigat, tinnitus aurium sedat, & etiam lumbricos necat, *vt dicit idem*,

Cap. LXXXVI.

De Hyacintho.

HYacinthus est herba, habens florem purpureum. Traxit autem nomen à puero quodam nobili, qui in saltibus inter flores purpureos mortuus est repertus, deditq; nomen herbæ casus funeris puerilis. Est etiam similis violæ in floribus & radice, *vt dicit Isid. lib.* 17. Eiusdem nominis pariter & coloris est quidam lapis preciosus, qui inter duodecim lapides preciosos *in Apo. numeratur*. Hyacinthus itaque est nomen hominis, lapidis atque floris. Proprius itaque color eius est aereus siue cœlestis. Purpura autem habet colorem sanguinis siue ignis, sed byssus niuis. Istis 12. coloribus colorata fuerunt sacerdotalia vestimenta in Veteri Testamento.

Cap. LXXXVII.

De Iusquiamo.

IVsquiamus Græce, à Latinis dicitur canicularis, eo quod in hasta eius ex vtroque latere quędam crescunt capitella formata in figura cantarorum, sicut est videre in malis-punicis seu granatis, *vt dicit Isid. lib.* 17. quorum ora sunt separata & diuersa habentia intus semina similia papaueri. Hæc herba insana vocatur, quia vsus eius periculosus est, nam si edatur vel bibatur, insaniam facit vel somni imaginem torpidam, & ideo hanc vocat vulgus miliridium propter alienationem mentis, quam inducit. Hæc autem cum sit herba venenosa, habet semen nigrum, rubeū & album, *vt dicit Dios. & Plin.* Nigrum pessimum est & mortiferum: rubeum est minus malum, sed album adhuc minus: vnde huius vsus magis cōuenit medicinæ. Virtutem habet con-

stin-

ſtringendi, mortificandi, & ſomnum prouocandi. Habens ſemen nigrum, habet folia nigra, aſpera & dura, & florem purpureum, & folliculos duros & ſolidos & ſpiſſos.

Habens vero ſemen obrufum, flores habet melinos & folliculos molliores, ſed habens ſemen album, habet flores albos & folia pinguia & mollia, ſucco plena, & eſt herba frigida in tertio gradu, & ſicca in ſecundo, & ideo tumores repercutit, ventrem ſtringit, fluxum ſanguinis ſiſtit, dolorem dentium [alii habent renum] de calida cauſa tollit, rheuma calidum compeſcit. *Hucuſq; Dioſcorid. & Plinius.* De ſemine ſiquidem iuſquiami *dicit Ariſtoteles lib. Vegetabilium*, ſemen helem, id eſt, iuſquiami quod eſt mortiferum apud partes in Hieruſalem, eſt comeſtibile, de quo patet quod eius malitia & venenoſitas per bonitatem terræ vbi creſcit vel malitiam diminuitur vel augetur. De iuſquiamo *dicit magiſter in hiſtoria ſuper Exod.* quod in tiara ſiue ſummi pontificis corona ſtabat flos erectus, ſimilis herbæ quam Græci iuſquiamos vocant, digiti vnius magnitudine, ſub illo autem flore in extremitate tiaræ circa frontem & occiput erat circulus aureus, triplici ordine diſtinctus, ſuper quam ſtabant flores aurei ſimiles plantagini à tempore ad tempus, &c. Vnde in hoc fuerunt priuilegiatæ iſtæ herbæ, quod earum ſimilitudo in cidari ſacerdotis ſummi figurari meruit.

Cap. LXXXVIII.

De Caſtanea.

CAſtanea eſt arbor magna & procera, ſic á Græcis vocata, *Vt dicit Iſidorus libr.* 17. eo quod fructus eius gemini in modum teſticulorum intra folliculum reconditi ſunt. Qui dum eiiciuntur, caſtrantur, & ideo tales arbores à caſtrando, caſtaneæ Græco vocabulo nuncupantur. Hæc arbor vt exciſa fuerit, tanquam ſylua expullulare conſueuit, *Vt dicit Iſidorus.* Hæc arbor eſt multum vtilis. Nam eius lignum valet ad ædificiorum ſtructuram, ad ignium nutrimentum, eius fructus valet ad cibum, & cortices & folia ad medicinam. Fructus ſiquidem eius, quamuis ſub vili cortice, aſpero & duro in arbore abſcondatur: tamen quando maturus extrahitur, dulcis inuenitur, potiſſime quan-

quando decoquitur vel assatur. *Sicut autem subdit Isaac in diætis*, castaneæ sunt calidæ in medio primi gradus, & siccæ in secundo; & ideo ratione caloris habēt dulcedinem, ratione vero siccitatis habent ponticitatem. Castaneæ tamen nimis comestæ sunt inflatiuæ, & doloris capitis propter inclusum fumum generatiuæ, sed vt ab eis nocumentum auferatur, oportet quod assentur, vt corpulentia earum & terrestreitas rarificetur, vel vt in dulci aqua decoquantur, vt ex aquæ humiditate & mollicie temperentur, & tunc bene nutriunt, & laudabiles humores generant, & corporis ac pectoris siccitatem generāt, & maxime si cum zucara comedantur à cholericis & phlegmaticis cum puro melle. Valent etiam secundum medicinam; quia abominationis & vomitus sunt constrictiuæ, & ieiuni intestini confortatiuæ. Item castaneæ cum modico sale tritæ, & cum melle temperatæ, rabidi canis vel hominis morsus sunt optime sanatiuæ. Item cum farina hordei & cum aceto cataplasmatæ, tumoris mamillarum sunt efficaciter repressiuæ. Item earum cortices & folia vsta & puluerisata, ac cum vino temperata, adolescētis capiti ad modum cataplasmatis apposita, augmentant capillos, & prohibent eorum casus. *Hucusque Isa. in diætis.*

CAP. LXXXIX.

De Lauro.

LAurus est arbor victorialis, digna multis laudum præconiis, propter singularem gratiæ suæ excellentiam & virtutis. Propter quod & victores quondam obtenta victoria, sertis laureis coronati, laureati dicebantur, quam Græci δάφνην vocant, cuius virtutes & singulares proprietates, supra posuimus, in hoc eodem libro, in litera A. quære ibi & inuenies.

CAP. XC.

De Lentisco.

LEntiscus est arbor humilis & medicinalis, quæ à Græcis & Hebræis σχῖνος alio nomine nuncupatur, *Vt dicit glos. super Dan.* 13. Cuius foliorum succus sanat & conglutiI i i

glutinat scissa labia siue alia vlcera, *vt dicitur ibidem.* Et dicitur lentiscus, eo quod eius cuspis mollis fit & lentus. Nam quod molle est & flexibile, lentum dicere consueuimus, *vt dicit Isidor. lib.*18. Istius arboris fructus oleum desudat, & cortex resinam, quæ mastix appellatur, & est melior quæ in Chio insula generatur, *vt dicit Isidor. lib.* 17. Folia istius arboris, *secundum Diosc. & Plat. & Plin.* sicut & tota arbor, calida sunt valde & sicca, & habent virtutem constringendi & consolidandi & confortandi, & ideo valent contra vomitum & omnem fluxum, tam sanguinis quam humorum aliorum. Similes virtutes habet gummi eius, scil. mastix, quæ à masticando sic dicitur, eo quod masticata efficitur glutinosa & dura ad modum ceræ circa dentes, & sic masticata gingiuas à putridis humoribus purgat, dentes mobiles confirmat & dealbat, & eorum radices roborat & confirmat, malum anhelitum amputat & emendat. Hæc mastix ita colligitur, in fine veris cortices scini siue lentisci inciduntur, & mundificata terra vestes mundæ supponuntur, ne liquor cadens in terram cadat: vnde quæ clara est & munda ac alba, est eligenda. Quæ vero habet terram admixtam & est obscura, est abiicienda. Cerebrum emundat & depurat, & multum exscreare facit. Virtutem digestiuam confortat, ventositatem attenuat, liquefactum super tegulam calidam omnia fracta, gemmas scilicet & alia miro modo consolidat. *Dicit etiam Plin. sic & Dioscor.* scinus arbor est spinosa, multum cum radice alta, in plurimas partes diuisa, fructum habens similem myrto, sed minorem rubeum interius, quando est maturus, & asperam lanam intus, cuius succus sanat fluxum mulierum.

CAP. XCI.

De Lilio.

Lilium, *vt dicit Isidor.* est lactei floris herba, cuius candor cum sit in foliis, auri tamen species intus fulget. De lilio autem *dicit Dios. & Plat.* lilium calidum est & humidum, & aliud est syluestre, & aliud domesticum, & aliud gerit purpureum florem, & aliud album, quod est efficacius, & aliud croceum vel purpureum. Est autem virtus lilii maturatiua: vnde valet contra apostemata, si cum axun-

gia

gia conteratur. Item ei ineſt virtus remollitiũa: vnde valet contra ſplenis duriciam, ſi eius ſucco oleo veteri admixto, & bene incorporato ſplenis regio inungatur. Item ei ineſt vis mundificatiua: vnde valet ad faciem colorandam, ſi puluis eius cum aqua roſacea admiſceatur, & inde facies abluat. Item mitigatiua, & ideo folia eius decocta & impoſita, valent ad loca quæ ſunt combuſta, idem facit radix eius ſi trita cum oleo apponatur. Item virtus eius eſt apertiua, & compactorum diſſolutiua, & ideo educit purgationem menſtrualem. Item virtus ineſt ei tumoris repreſſiua: & ideo valet contra apoſtemata ex ventoſitate inflatiua, ſi radix eius trita cum oleo ſæpius apponatur. *Hucuſque Dioſc. De lilio autem ſic dicit Plin.* Lilii radices multis modis nobilitant florem ſuum, nam potatæ cum vino, ſerpentum ictus ſanant, & valent contra fungorum maliciam & venenum, decoctę in vino oleo admixto, clauos pedum & nodos ſoluunt, pilos quoque locis aduſtis reddunt, in vino etiam decoctæ addito melle, venis vel neruis præſciſſis ſubueniunt. Folia eius cocta in vino, vulnera ſanant. Semen eius contritum igni apponatur ſacro, flos & folia ſubueniunt vlcerum neceſſitati. *Hucuſque Plinius. Item in eodem lib. cap.* 15. Lilium roſæ nobilitati proximum eſt, ex quadam vnguenti cognatione, inde fit nobile vnguentum ſiue oleum, quod liliorum appellatur, ſicut & de roſis oleum roſaceum fieri conſueuit. De radice eius procedit haſta interdum trium cubitorum, deinde dependet ab eius ſummitate flos decliuis, ab anguſtis in latitudinem ſe relaxans & dilatans, ad modum campanellæ reſupinus, & in circuitum labiorum intus habens quaſi tenue filum continens in ſe ſemen, ſtantibus in medio crocis; vnde lilio nihil gratioſius eſt, quo ad decentiam coloris, odoris redolentiam & efficaciam corporis virtutis, eius color eſt triplex, albus, rubeus, & purpureus. *Hucuſq. Plin. lib. 20 cap* 5. Habet autem lilium radicem ex multis bullis conſiſtentem, ſicut allium, *vt dicit Ariſt. lib. vegetabilium*, & in ſingulis bullis eſt virtus ſeminatiua, & ideo ex vnoquoque creſcit planta, quando per ſe plantatur. *De hoc quære ſup. eodem de allio in litera A.* Dicit autem ad prædicta Ariſtot, quod haſta lilii, quæ nodoſa eſt, ſi incuruatur in terram, & cooperiatur antequam aperiatur ſemen eius,

& radix eius siue cæpa non eradicetur, statim infra paucos dies inuenies, quod à quolibet nodo stipitis sui emittit cæpulam paruam, quasi esset illa de tunicis suis siue de bullis, cæpulis scilic. radicis, & hoc est mirum valde. *Item ibidem sequitur:* Flores lilii prius sunt virides, post albescunt, & si stipes siue hasta à radice totaliter abscindatur, quia totus humor stipitis est inclusus, naturalis calor in medullam se conuertit ad superiorem partem stipitis, & digerit materiam ipsius floris, & tunc expandit se flosculus, & albescit humore primitus tunc digesto, *& ideo vt dicitur ibidem,* versificatores comparauerunt lilium intellectui humano, qui in fine sollicitatur de æternis. *Item ibid. dicitur,* quod lilium non habet rationem sementinam in semine & radice, & in hoc differt à porro & allio, quæ habent rationem seminis in multis locis. *De hoc quære sup. de alliis & capis in litera A, &c.* Lilii insuper hasta nouiter cum flore abscissa glebæ argillosę infixa, in virore seruat diutius florem suum. Flos lilii quando integer est & intactus, permanet multum, suauiter redolet: confractus vero manibus & confricatus multum fætet, ipsum quoque florem cum semine solum pro fructu habet. Totam etiam virtutem, quam habet lilium in stipite & radice, totum ostendit in capite scil. & in flore, & in semine, & quanto flos ipsius altius in hastili erigitur, tanto caput submissius inclinatur. Flos insuper eius exterius est planus, suauis tactu & forma rotundus, aspectu delectabilis & iucundus, interius autem granis aureis in sua concauitate est respersus, quę tingunt plus quam crocus. Et hæc tingentia grana septem hastulis sustentantur: vnde ex sex foliis candidissimis simul contiguis componitur, & ex septem granis aureis intrinsecus decoratur, in quorum medio semen eius, loco fructus medio decore collocatur, & circum expansi floris beneficio teneritudo seminis à læsione frigidi aeris custoditur.

CAP. XCII.

De Lactuca.

LActuca, *vt dicit Isidorus*, ex lactei humoris exuberantia est vocata, vel quia nutrientes mulieres lacte implet. Hæc in viris Veneris motum arcet, cuius duplex est species

ſpecies, ſcilic. domeſtica & agreſtis, quam ſeraliam vocamus, eo quod deorſum eius aculeos habet duros ad modum ſerræ, *Vt dicit Iſidor. lib. 17. cap. Vltimo. De qua dicit Iſa. in diætis*: Lactuca agreſtis domeſticæ in forma eſt ſimilis, ſed longiores habet frondes, ſubtiliores, aſperiores, & minus virides, propter ſuę humiditatis paruitatem, & ideo multæ eſt amaritudinis & ponticitatis, reſpectu illius, quæ domeſtica eſt, quia maioris eſt caloris & ſiccitatis, & ideo multi dicunt quod menſtrua prouocat, & humores crudos expellit, *Vt dicit Dioſc.* lactuca vero domeſtica frigida eſt & humida, ſed temperate ita, quod in neutra qualitate excedit modum, & ideo eius vſus congruit vſui medicinæ, ſubtilem habet ſubſtantiam, & maxime quando erit recēs, & ideo cito digeritur, & ſtomachi arſuram & morſuram ex cholera rubea ſedat, ſanguinis ebullitionem refrigerat, inſomneitatem placat, capitis dolorem ex fumo cholerico ſanat, lac in mulieribus multiplicat, & ſemen in viris generat & augmētat, & hoc accidit propter bonitatem ſanguinis, quem gignit in perfecta quantitate, & in perfecta etiam qualitate, ſed quando antiquatur & induratur, minuitur eius humiditas & amaricatur, ex vſu eius ſanguis peſſimus generatur, virtus viſiua inde deficit & debilitatur, cuius cauſa eſt ſenſus animalis mortificatio, quia cum ſua pōticitate ſenſum ſuffocat naturalē, & ideo talis lactuca generale volentibus maxime eſt nociua, nam materiam congelat, coagulat ſeminalem, & præcipue ſemen eius, ſi in cibo aut in potu ſæpius aſſumatur. *Hucuſque Iſa. in diæt. Plinius autem lib. 20. cap. 8. de lactuca dicit*: Eſt ſpecies lactucæ ſponte naſcentis, quam caprinam vocant, qua proiecta in mare, protinus necantur piſces qui ſunt in vicino, cuius lac cum aceto & aqua, & vino hydropicis medetur, cuius caule & foliis contuſis aſperſo ſale nerui inciſi ſanantur, alia eſt ſpecies lactucæ quæ naſcitur in aruis, cuius folia trita cum polenta illita vlceribus ſanant, & hanc Græci Hyſſopon vocant. Tertia ſpecies eſt quæ creſcit in ſyluis, quam ſteraton vocant, cuius folia trita cum polenta, vulneribus proſunt, ſanguinem ſiſtunt, & putreſcentia vulnera ſanant, radice & foliis mitigant ignem ſacrum. Eſt & alia ſpecies lactucæ, habens rotunda folia & breuia, quam multi Heratiam vocant, cuius ſuccum acci-

pitres scalpendo herbam extrahunt, & inde tingentes oculos discutiunt obscuritatem & caliginem cum senescũt, cuius herbæ succus sanat omnia vicia oculorum, & maxime, quando ei lac mulieris admiscetur, serpentum morsibus & scorpionum ictibus medetur, si succus eius cum vino potetur, & folia trita super vulnus emplastrentur, omnem etiam inflationem discutit & compescit, semen etiam lactucæ tam syluestris quam domesticæ libidinis imaginationes in somnis compescit, & corpus pollui non permittit, si in cibo freqũeter assumatur, frequens tamen eius vsus & nimius vsus oculorum efficit obscuritatem. Multas alias laudes ei attribuit *Plinius in eodem cap.* sed hæc sufficiant.

CAP. XCIII.

De Lappa

LAppa est herba, habens folia lata & spissa, circa terram habens in summitatibus hastularum quædam capitella spinosa & aculeata, sed recurua, quæ vestibus transeuntium solent adhærere. *Vnde dicit Isidorus lib.* 17. lappa est dicta eo quod habeat caulem ingentem per terram dispositam, quæ à Græcis φιλάνθρωπος vocatur, eo quod vestibus hominum adhæreat ob asperitatem sui, & nascitur iuxta muros, & dicitur φιλάνθρωπος, id est amans hominem, quia quadam affectione videtur hominis adhærere vestibus. Cuius species duplex, acuta & rotunda, ad similitudinem pedis caballi disposita : vnde & à multis vocatur vngula caballina, & vtriusque folia grauis & horribilis sunt odoris pariter & saporis, *vt dicit Dioscorid. sed Plin. libro* 20. *cap.* 22. lappæ multæ sunt species & omnes sunt medicinales, nam ictibus scorpionum medentur, nec feriunt hominem si inunctus fuerit succo eius, decoctio eius radicis iuuat dentes & etiam confirmat, si tepida in ore teneatur, semen eius inextricabilia vitia stomachi curat, reiicientibus sanguinem prodest, dysenteriis subuenit, nam radix eius cum vino sistit aluum, sed folia adiecto sale soluunt, semen eius potui datum adiuuat calculosos, tota herba trita cum axungia, valet contra strumam. *Hucusque Plinius. Secundum Platearium* lappa siue lappacium est herba calida & sicca, habens virtutem dissoluendi, rela-

xandi,

xandi, aperiendi & attenuandi, & ideo valet contra scabiem, pruritum, serpiginem & impetiginem, & intercutaneum consumit humorem, apostematum dissoluit duriciem & tumorem, valet contra frigidam hydropisim & splenis opilationem, succus eius cum succo rutæ admixtus cerebrum purgat à phlegmatica superfluitate si in modica quantitate naribus in balneo vel in aere calido instilletur.

Cap. XCIV.

De Lappate.

LAppates cibus est ex quibusdam herbis domesticis recentibus lappaciis similibus compositus aut confectus, *vt dicit glossa super Iudicum cap.* 15. *Vnde Alexander nequam ait.*

Lappates cibus est & olus componit eundem.

Secundum alios lappates genus caulis habens folia lata, vt lappa, sed folia lappatis sunt mollia & crassa, subalbida, plana, inuoluta inter se, mirabiliter & connexa, habens stipitem breuem & grossum, nodosum exterius sed mollem interius & carnosum, hæc herba conuenit medicinæ & esui, sed inde fit cibus bonus qui diu seruari potest, si decocta cum aceto, sinapi & melle, diligentius componatur, & talis cibus vulgariter compositum nuncupatur, cuius virtus est singularis scilicet resistere ebrietati, *vt dicit Plinius lib.* 20. *cap.* 10. nam ante cibum comesta, cauet ne ebrietas superueniat, post crapulam sumpta compellit crapulam, vt recedat, & vt clamat Schola Rhasis alias Erasistratis, hac herba nihil est vtilius stomacho atque neruis, & ideo paralyticis & tremulis iubet eam dari & sanguinem exscreantibus, lactis vbertatem præbet pueris, valet etiam succus aduersus venenum, & serpentum ictibus occurrit & maxime semen eius, similiter valet contra morsum canis, *vt dicit Isidorus lib.* 17.

Cap. XCV.

De Legumine.

LEgumina ab eligendo sunt dicta quasi electa, veteres enim meliora legebant, & inde sibi cibaria componebant,

bant, & dicuntur proprie quædam grana tritico & hordeo maiora & spissiora, quæ non in folliculis sed potius in quibusdam siliquis grossis & clausis oriuntur, vt patet in pisis, ciceribus atque fabis. Differunt autem legumina in magnitudine, colore & figura & sapore. Nam inter legumina maiora sunt grana fabarum & lupinorum, mediocria cicerum & pisorum, minima lenticulorum & viciarum, in colore differunt, quia quædam alba, quædam nigra, quædam rufa & quædam mixta. In figura quia quædam rotunda, quædam oblonga, quædam triangula, quædam plana. Differunt etiam in sapore, quia quædam sunt stiptica & dura, sed per decoctionem fiunt molliora & ad esum etiam meliora, quædam enim in se sunt amara vt lupini, sed per adiectionem in aqua & madefactione efficiuntur dulciora, & *vt dicit Plin.* legumina quando incipiunt maturescere, rapienda sunt, quoniam cito exiliunt latentque dum deciderint vt lupini, *sicut dicit Plin. libr.* 18. Est autem legumen substantialiter grossum, frigidum & siccum, ad digerendum durum & compactum: vnde propter suam compactionem difficiles sunt ad coquendum, nec etiam possunt bene decoqui in aqua puteali, immo ad perfectam decoctionem indigēt aqua fontana siue fluuiali. Cibus itaque rudis & grossus de leguminibus fit, est succus conueniens hominibus fortioris naturæ & complexionis, nam leguminosa ex se ad digerendum sunt dura, sed digesta multum nutriunt & confortant, sed naturaliter sunt inflatiua, & ventositatis generatiua, sed eorum ventositas diminuitur per corticis decoctionem & assationem, & per eorum, quæ ventositatis sunt exterminatiua, appositionem vel assationem, vt cyminum, anethum, & similia, *vt dicit Dioscorides.*

CAP. XCVI.

De Lente.

Lens tis genus est leguminis, *vt dicit Isi. lib.* 17. sic dicta, quia humida est & lenta, potissime quando est in sua herba, à qua diminutiue dicitur lenticula, & debet scribi per t ad differentiam vermis capitis, qui dicitur lens dis, & scribitur per d, *vnde dixit quidam.*

Lens

Lens lendis capiti, lens lentis conuenit ori.

Est itaque lens vel lenticula, *sicut dicit Isaac*, frigida & sicca ex contrariis naturis composita. Nam vnam virtutem habet in cortice & aliam in medulla, nam in cortice habet quoddam acumen, ratione cuius mouet ventrem ad solutionem, sed medulla stiptica est, & stomachi confortatiua, & operatur ad constrictionem, grossum & melancholicum gignit sanguinem, & cerebrum replet grosso fumo, vnde est causa timidorum & horribilium somniorũ ventositate stomachum grauat, & inflationẽ generat, omnes meatus corporis & transitus opilat, & neruorum ac pellicularum cerebri substantiam desiccat, & maxime nocet pelliculis oculorum, quia eorum humiditatem distemperat ac desiccat, & *vt dicit idem*, sanis nocet oculis, quanto magis infirmis desiccationis suæ causa, & eius frequens vsus pessimas in corpore generat passiones, potissime si cum cortice comedatur, & corpus siccæ fuerit complexionis, humidis tamen & calidis quandoque prodest, vnde valet hydropicis, si sine cortice comedatur, sed cum cortice nocet, quia multum generat inflationem & pellicularum extensionem. Lens autem est eligenda quæ est grossior & recentior, & ad coquendum facilior, & hoc tam ad escam quam ad medicinam, lentis malitia temperatur, si deponatur cortex, & eius medulla in dulci aqua decoquatur, & post abiecta cum oleo, & pipere, & cymino & similibus conditur. *Hucusque Isaac in diætis. Dicit autem Plinius libro* 18. *cap.* 12. lens amat terram tenuem & subtilem magis quam pinguem, & cœlum, id est, aerem magis siccum, omnia enim legumina diligunt aquam ante florem, sed postquam floruerint, diligunt siccitatem, &c.

CAP. CLVII.

De Lino.

Linum dicitur tam herba quam semen, & est sic vocatum eo quod molle sit atque lene & plurimum delicatum, *vt dicit Isidorus libro* 19. Linum autem *secundum Plinium lib.* 12. *cap.* 2. seritur in locis planis & scrupulosis & hoc in vere, & colligitur in æstate. Erumpit autem in stipitem siue culmen rectum, producens flores flauos, qui-

bus succedunt quædam capitella loco seminis ac fructus, & cum incipiunt capitella pallescere, culmi integri euelluntur, & euulsi à suis capitellis semen continentibus carpinantur, deinde partes lini in fasciculos colligantur, & longo tempore in aqua madidantur, & extracti de aqua ad Solem desiccantur, & postea multis tunsionibus & carpinationib. à suis superfluis expurgantur, & sic partes defæcatæ in fila contorquentur, & per multiplicem decoctionem ad albedinem deducuntur, non enim linum à suo virore terrestri potest spoliari, & perfecto candore decorari, nisi multoties contundatur & decoquatur, & Soli appositum, aqua iterum & iterum aspergatur, & cum sint multa genera lini, illud præualet in decore quod solet crescere in Ægypto, nam inde fit byssus niui comparabilis in candore *Vt dicit Plinius libro* 19.*cap.* 2. minus tamen habet firmitatis hoc genus lini & plus lucri, quia inde fiunt vestes gratissimæ sacerdotum. Est autem linum necessarium ad vsus multos, nam ex lino fiunt vestimenta ad induendum, vela ad nauigandum, retia ad venandum & piscandum, fila ad consuendum, funes ad ligandum, chordulæ ad sagittandum, ligamina ad connectendum, lineæ ad mensurãdum, linteamina ad quiescendum, cortinæ ad ornandum, sacculi & bursulæ ad quodlibet necessarium reponendum. Vnde nulla herba tam diuersis vsibus hominum est ita apta & necessaria sicut linum, cuius semen calidum est & humidum, vel inter humidum & siccum temperatum & vnctuosum, vnde fit oleum quod aliis vsibus magis est necessarium quam ad esum, nam *Vt dicit Isaac*, semen lini parum nutrit, & durum est digerere nociuum stomacho, & plurimum inflatiuum, diureticum tamen est, assum tamen & cum melle acceptum, melius est & valet contra tussim, comestum etiam cum melle & pipere venerem excitat & stimulat ad amorem, valet ad apostemata, quia maturat ea, habet enim vim mitigatiuam, subtiliatiuam, tarificatiuam, siue maturatiuam, vnde soluit apostema matricis si patiens in eius decoctione sæpius foueatur, *Vt dicit Isaac in dietis.*

CAP.

Cap. XCVIII.

De Malo.

MAlus est arbor pomifera in se quidem magna, sed respectu lignorum quidem nemoris modica & submissa, ligno solida, rugosa cortice & nodosa, frondium densitate vmbrosa, florum varietate decora, fructuum suauitate iucunda, vsui & gustui gratiosa, in diuersis medicinis efficax & virtuosa. Dicitur autem malum ipsum pomum siue fructus, sed hæc malus dicitur arbor siue pomus, & est dicta, eo quod eius fructus sit rotundus, vnde & illa sunt vere mala, quæ maxime sunt rotunda, *vt dicit Isidorus libro 17.* nam *μάλων* in Græco, rotundum in Latino dicitur. Differt autem malus ab aliis arboribus syluę vel nemoris, quia malus & maxime domestica duplicis est naturæ, nam truncum habet à terra productum, surculum autem aliunde venientem ipsi trunco insertum & vnitum, quę duo, quando per insertionem pariter sunt vnita, vnam arborem constituunt, surculus autem insertus trunco, totam virtutem trunci in suam transmutat quātitatem, *sicut dicit Alphredus super finem primi libri Vegetabilium, quare supra eodem in tractatu de arborum insertione circa principium.* Malus autem nisi puteтur & à superfluis ramis exoneretur, sterilescit, *vt dicit idem*, quia humor attractus à radice non sufficit ad productionem fructuum, quia transit in ramorum sterilium nutrimentum, *quare supra de causa fructificationis arborum.* Malorum sunt diuersa genera, nam quædam ferunt fructum ponticum atque durum, quædam acetosum, quædam dulcem & iucundum, & horum fructuum diuersitas ex diuersa qualitate qualitate humoris procedit, & debiliori vel fortiori operatione caloris existentis in radice, *sicut supra in principio tactum est.*

Cap. XCIX.

De Malo granata.

MAlus granata est arbor, ferens mala granata, arbor siquidem fœminini generis, fructus vero neutri, & dicitur malum granatum, eo quod intra corticem rotunditatē contineat & multitudinem granorum, *vt dicit Isid. lib.*

*lib.*18 cuius cortex dicitur psidia, flos vero balaustia nuncupatur. Florum autem alii sunt albi, alii purpurei, alii rosei reperiuntur, hæc poma mala punica sunt dicta, quia de regione punica primitus sunt delata, *vt dicit Isidorus*. Est autem arbor multum dura & nodosa, & ramosa, plus in latum quam altum se diffundens, & est frigoris impatiens, vnde in pruina cito pereunt flores eius. *Dicit autem Aristoteles* quod maluſ granata mutatur à malitia sua per culturam, *quare supra eodem de arborum cultura*. Istius autem arboris *secundum Plinium* multæ sunt species, sed de duabus iam loqui sufficiat. Nam *secundum Dioscoridem & Isa. in diatis* malorum granatorum duo sunt genera, alia enim ferunt poma dulcia, calida & humida, alia acetosa, quæ frigida sunt & sicca, & diutius possunt cæteris obseruari, dulcia magis conueniunt vsui medicinæ, nam tota arbor medicinalis est & parum conuenit cibariis fructus eius. *Vnde dicit Isido. libro* 17. negant, inquit, medici corpora nostra mali punici cibo nutriri, sed putant, quod plus congruant medicamento quam corporis alimento, habet siquidem tota arbor, sed potissime fructus eius virtutem constringendi & confortandi, consolidandi & humores fluidos desiccandi, & fluxum sanguinis intercipiendi, & vomitum cholericum compescendi, *vt expresse docet Isaac Dioscorid. & Plinius* si tamen more congruo & ordine debito exhibeantur, valent contra singulas intrinsecas vel extrinsecas corporis passiones, dulcia tamen magis sunt ventosa, & inflatiua aliis, & etiam sitis minus in febricitantibus sedatiua, & ideo minus conueniunt febricitantibus quam acetosa, ex quorum succo fit potus qui dicitur oxizacra, qui calorem febrilem mitigat, materiam febrilem digerit & alterat, appetitum prouocat, & naturam ex calore deficientem reparat mirabiliter & confortat, & valet contra epatis calefactionem, & cordis defectum siue cardiacam passionem, flores eius & fructus ac cortices si puluerisentur, & in potu assumantur, vermes veteres necant, gingiuas & dentes purgant, optime & confirmant, & contra multas alias subueniunt passiones, *vt dicit Dioscorides & Isaac*, mala punica in omnibus prædictis sunt efficacissima, q̃uis enim sunt crocea exterius in cortice, & discolorata, stiptica, insipida & desiccata, interius tamen sunt rubea, humida &

da & mollia, iucunda & ſapida & miro ac incredibili naturæ artificio per granulorum cellulas ordinata, *Vt dicit Bernardus.*

Cap. C.

De Moro.

Morus eſt arbor, cuius fructus dicitur morum, *Vt dicit* *Math. lib.* 18. morus à Græcis eſt vocata, quam Latini rubum vocant, eo quod fructus eius & virgula rubent. Eſt autem duplex morus, domeſtica, ſcilic. & ſyluestris, cuius fructus in deſerto paſtorum releuat famem, cuius folia ſuperiecta ſerpentem ipſum interimunt. *Item dicit Ambroſ. ſuper Math.* 17. fructus mori in flore albet. deinde viret, tertio rutilat ſiue rubet, vltimo nigreſcit atque liuet, nam quanto eſt maturior, tanto nigrior eſt, cuius fructus tingit manus & dentes comedentis. *Secundũ autem Plin. & Dioſ.* morus eſt arbor, ſemen habens ventrifluum, id eſt, ſolutiuum, cuius ſuccus expreſſus & ad ignem ſiue Solem deſiccatus, fit ſtipticus & conſtrictiuus, vlcera oris & vulnera ſanat, faucium tumorem reprimit atque ſedat, corium radicis coctum & potatum ventrem laxat, & lumbricos latos necat, folia eius contuſa & impoſita oleo, combuſtiones ſanãt, decocta cum aqua pluuiali, capillos denigrant, morſus palangionis & puncturas araneatum curant, dolorem dentium placant, & putredinem mundificant gingiuarum. Mora immatura frigida ſunt & ſtiptica, & confortatiua ſtomachi & conſtrictiua, ſed quanto plus maturantur, tanto efficiuntur calidiora & etiam dulciora & humidiora, comeſta multum poſt prandiũ in corruptionem conuertuntur, & ſtomacho ac capiti multũ nocent, à ieiunis vero accepta bene digeruntur, ſed nutriunt valde parum. Folia mori celſi ſunt valde magna & lata, quæ erucis & bruchis ſunt obnoxia, & à vermibus libentiſſime comeduntur: vnde & vermes ſericum egerentes, mori foliis optime nutriuntur. Tota arbor medicinalis eſt, præcipue quo ad cortices, fructus, folia & radices. Nam ſi radix eius inciſa fuerit, gummi emanabit, quod valet ad varias paſſiones, nam ventrem emollit, dolorem dentium tollit. *Hucuſque Dioſ. & Plat.* Ex moris fit potus optimus ſiue nobilis, quem moretum vulgariter appellamus, quem elephantes cum potant, animoſiores efficiuntur, *Vt dicit Rabanus*

banus super lib. 2. Mach. 5. cap. Fit inde electuarium diamoron dictum, quod valet contra squinanciam & gutturis ac faucium passiones *Vt dicit Plat.*

CAP. CI.

De Myrto.

MYrtus, *secundum Isidorum*, est dicta, eo quod in litoribus maris solet sæpius oriri. *Vnde Virgilius:*

--- Littora myrtetis lætissima.

Et alibi:

--- Amantes littora myrti. &c.

Hinc est, quod à Græcis myrtetis dicitur. Medicorum autem libri hanc arborem aptam scribunt multarum necessitatibus mulierum deputatam. *Hucusque Isidor. secundum Plin. autem Vel Dios.* myrtus est arbustum ad modum fruticis, crescens potissime iuxta mare, cuius fructus, flores & frondes conueniunt medicinæ. Meliores autem sunt fructus quam flores, & habent diutius conseruari, sed melius in solis calore, quã in aura vmbrosa habent talia conseruari. Et quanto sunt simpliciter fructus recentiores, tanto sunt meliores, & habent omnia illius fructus substantialia virtutem ponticam & constrictiuam, & ex aromaticitate confortatiuam, etiam ex natura propria fluxus superflui restrictiuam, & virtutis retentiuæ in corpore cooperatiuam: vnde valet contra fluxum rheumatis ad spiritalia membra defluentis, si decoquatur in aqua pluuiali, & inde pectus fomentetur. Vomitum etiam restringit, si decocti ramusculi eius cum aceto super stomachum apponantur, de ea puluis factus, vlcera & vulnera suauiter consolidat. *Item dicit Plin.* quod myrtus alia est alba, alia nigra & vtraque stiptica, sed nigra magis, vnde contra fluxum sanguinis vtiliter exhibetur. Vrinam commouet, & prodest contra venenum & puncturam scorpionis si potetur. Eius decoctio valet contra alopeciam & fluxum similiter capillorum, cum farina tritici mixta, valet contra tumores oculorum. Fit autem oleum myrtinum de foliis & baccis eius, quod est lenitiuum, consolidatiuum & mundificatiuum, & valet ad omnia supradicta. Aures autem mundificat saniosas, si tepefactum instillatur. *Hucusque Plin.*

Plin. Super Isai. autem cap. 41. dicit Hieronym. Myrtus est aromatica & imputribilis, fissa membra consolidat & reparat, & ideo cõsolatores sanct. Eccle. signat, est etiam temperatiuæ & mitigatiuæ virtutis ac refrigeratiuæ, *vt dicit super Isa. 60. cap.*

CAP. CII.

De Myrrha.

MYrrha est arbor in Arabia, altitudinis quinque cubitorum, similis spinæ, quam achantum dicunt. Cuius gutta viridis est & multum aromatica & amara: vnde & nomen accepit Myrrha, *vt dicit Isidor. lib.* 16. cuius gutta per se manans preciosior est, quæ vero facto vulnere inciso cortice elicitur, vilior iudicatur. Cuius sarmenta Arabes igne fouent: quorum fumus est valde noxius, nisi odore storacis occurratur, aliter contrahunt homines morbos insanabiles tali fumo. Purior autem myrrha & melior colligitur apud Troglodytas in Arabia, *vt dicit Isidor. & Plin. lib. 17. cap. 17. vbi dicitur*, quod myrrha est arbor quinque cubitorum, in syluis quidem Arabiæ crescens, cuius folia sunt similia foliis oliuæ, sed magis crispa ac aculeata. Ramos habens similes iunipero. Inciduntur autem binis temporibus rami eius, sed prius sponte sudant antequam incidantur, & gutta quæ sudando effluit stacten dicitur, & hoc generibus omnibus myrrhæ præfertur, & myrrha electa à pluribus appellatur. Sunt autem septem genera, *vt dicit ibidem, idem cap.* 18 scil. Troglodytica, & illa est magis electa: secunda Gelbanitica: Tertia Dianitis, quarta collaritia, quinta Sembracena, id est, Salbana & illa aliis myrtibus magis tenuis est, sexta quam Dusaritin & odoraceam vocant, & hæc cæteris magis candida, & hæc adulteratur gummi & glebis lentisci, septima est Indica, & illa cæteris peior est, & cum illa aliæ species myrrhæ adulterantur. *Hucusque Plin.* Myrrha, *vt dicit Dios.* est gutta arboris circa ramos calore solis indurata, & est eligenda citrina & rufa, interius aliquantulum lucida, & huius alia est minuta: alia est grossa, quæ Troglodytica appellatur, ab insula vbi crescit, calida est & sicca, & habet virtutem confortandi & ex aromaticitate sua conducendo partes in vnum, habet vim dissoluendi & consumendi mediocriter & æqualiter

ex qua-

ex qualitatibus suis, vnde conseruat corpora mortuorum, quando ex myrrhæ confectionibus condiuntur. Reseruatur autem in optima efficacia myrrha fere centum annis. Valet contra omnes causas rheumaticas & fluxus inordinatos. Digestionem etiam confortat, & viscosos humores, maxime in spiritualibus membris purgat, oris fœtorem emundat, & omnia gingiuarum vitia sanat & desiccat. Vlcera labiorum putrida consolidat, consumit & conglutinat, cerebrum confortat, & etiam matricem multum corroborat & confortat, & omnem eius superfluitatem consumit & desiccat, & conceptum iuuat. Vermes aurium necat, carnem superfluam corrodit, & bonam ac viuam generat & conseruat.

Cap. CIII.

De Myrrho.

Myrrhum est vnguentum de myrrha & aliis speciebus aromaticis compositum & confectum. Cuius virtute nerui & alia sensibilia membra confortantur, & humores in iuncturis ac articulis existentes consumuntur, eius aromaticitate spiritus animales reparantur. Interficiuntur vermes ac pediculi eius amaritudine, & prohibet ne nascantur. Sudores fœtidi myrrho compescuntur. Conseruantur corpora integra in tumulis, ne putredine dissoluantur.

Cap. CIIII.

De Mandragora.

Mandragora est dicta, eo quod habeat mala suauiter olentia in magnitudine mali maciani, vnde & Latini malum vocant terræ. Hanc poetæ vocant anthropomoros, eo quod habeat radicem formæ hominis quodammodo similem. Cuius cortex vino mixtus porrigitur ad bibendum his, quorum corpus est secandum, vt dolorē non sentiant soporati. Huius species sunt duæ: vna est fœmina in foliis similis lactucæ mala generans: alia est masculus, cuius folia sunt similima foliis betæ, *vt dicit Isidor. libro 17. Dioscorides autem dicit* mandragoram esse herbam somniferam, cuius folia sunt super terram sparsa. Radices

dices habet, duas aut tres sibi inuicem cohærentes deforis nigras, intus vero albas cum corio grosso. Masculus habet folia alba & tenuia; & radicem similem alteri. Poma nascuntur super folia, sicut galla super folia quercus, & sunt colore crocea, odore suauia, tamen cum quadam grauitate, in sapore autem sunt insipida, & ideo non conueniunt esui, sed tantum medicinæ. Nam cortices eius decocti in vino, dormire faciunt, & omnes dolores compescunt: vnde & vix tunc temporis ferri sentiuntur passiones. Caute tamen mandragora est vtendum, quia si in nimia quantitate accipitur, infert mortem, *vt dicit idem. Nam vt dicitur in Plateario*, virtutem habet infrigidandi, & aliquantulum mortificandi, & somnum prouocandi, & ideo succus eius cum lacte mulieris temporibus appositus, somnum prouocat etiam in peracutis. Et quia est herba substantialiter frigida, dicitur quod fructus eius extinguit ignem sacrum. Compescit etiam choleræ impetum, & ventris fluxum. *Hucusque Plat.* ibi tamen ponitur, quod secundum naturam similitudo hominis vel mulieris in radice eius nullatenus inuenitur, sed potius à rusticis vel maleficis sophistice sic formatur. Dicitur autem habere virtutem præbitiuam mulieribus concipiendi, quod similiter abnuere videtur *Augustinus. super Gen. 2. cap. 19. dicit Augustinus*, quod occasione Rachelis quæ mandragoras desiderauerat, vidit philosophorum libros, qui de virtutibus herbarum tractant, & de eis dicit se nihil talium in eorum scriptis tunc temporis reperisse; *salua tamen auctoritate Beati Augustini.* Multi autores dicunt mandragoram multoties hanc habere virtutem, *vnde dicit Constantinus, Dioscorides, Plinius & Platearius*, quod mandragora sumpta modo debito, matrices disponit ad conceptionem quando primitus calor nimius & siccus conceptionis materiam impediuit. Mulieres itaque calidas & humidas disponit ad conceptionem, cum sit frigida & sicca, *vt dicitur in Plateario*, & hoc dispositiue, sed mulieres frigidas & naturaliter siccas impedit potius ab huiusmodi dispositione. Multas alias habet mandragora virtutes, quæ *vt dicit Diosc.* tumores corporis repercutit atque tollit, morsibus venenosis occurrit, omnemque fluxum corporis inferius & superius restringit. Omnia superius posita *dicuntur in*

lib: Plin.35.cap.10. Vbi dic. quod mandragoræ duo sunt genera, &c. *Et sequitur:* post multa cauent fossores mandragoræ in eius fossura contrarium ventum, & tres circulos gladio circumscribunt, & post expectant effodere ad occasum, & ita credunt eius præcipuas esse vires, succus eius colligitur, & in sole desiccatur, mala eius matura in vmbra desiccantur. Odor malorum est grauis, & infert somnum, & ex odore solo vis ei somnifica est, *vt dicit idem.*

CAP. CV.

De Milio.

MIlium est herba, habens hastam longam & nodosam ad modum cannæ, cuius semen valde est minutum, frigidum & siccum, *vt dicitur in diatis.* Et hoc attestatur eius leuitas & concauitas, absentia viscositatis & vnctuositatis, & modici nutrimenti. Confortat tamen stomachum gratia suæ siccitatis, & constipat ventrem. Est autem *secundum Diosc.* diureticum, & assatum, sedat ventris torsionem, sanguinem laudabilem non generat, infrigidat stomachum & desiccat, *vt dicitur in diat.*

CAP. CVI.

De Mentha.

MEntha est herba odorifera, calida & sicca, stomachi confortatiua, & est duplex eius species, scil. hortensis & domestica, & syluestris seu montana, & ista habet maiorem vim calefaciendi quam prima, & dicitur græce collocasia, quam Latini neptam siue calamentum vocăt, *vt dic. Isid. lib.17. cap. pen.* & herba est multum medicinalis. Aliæ sunt species menthæ quæ crescunt in palustribus, & in pratis, sed non sunt tantæ efficaciæ in virtute vel calore. Sunt etiam grauioris odoris pariter & saporis, quam mentha domestica vel hortensis, quæ est herba se multiplicans, & cito de terra pullulans & ascendens, cuius hastula in terram reflexa, & ab humo tecta conuertitur in radicem, & cito ex se nouam parturit prolem. Est autem mentha hortensis magnæ efficaciæ, siue sit sicca siue viridis. Habet enim virtutem dissoluendi & consumendi ex qualitatibus suis. Ex aromaticitate confortandi & prouocandi appeti-

appetitum. Ex suo acumine decocta in aceto, fœtorem oris amputat, & gingiuas putridas & corruptas purgat. Vomitum ex debilitate virtutis retentiuę venientē cum aceto sedat. Odore suo & sapore contra syncopim & debilitatem spirituum iuuat. Matricem mundificat à superfluis & confortat. Decocta in vino, dolorem viscerum & renum placat. Cum vino & oleo decocta, mamillas ex coagulatione lactis induratas superposita sanat. Succus eius venenis obuiat, & potatus lumbricos necat, & vermes auris. In vino & oleo decocta frigida apostemata dissoluit & curat. Tussim mitigat. *Hucusque Diosc. & Plat. Similiter Isaac lib. 2. in diæt. dicit idem*, addens quod abominationem amputat & singultum sedat. Linguam lenit asperam si ex ea fricetur assuefacta, in cibo venerem excitat.

Cap. CVII.

De Malua.

Malua est mollis herba, à molliendo aluum dicta, *vt dicit Isido lib.17. Sicut dicit idem vna cum Plinio*, si succo eius admixto oleo aliquis se inunxerit, à punctura apum lædi non poterit. Membra etiam linita succo maluæ, non patiuntur puncturam neque morsum ab aranea vel à scorpione, *vt dicit Plin.* Est autem eius species duplex minor scil. & maior, quæ altea dicitur, & est vtraque herba humida, inter frigidum & calidum temperata, *vt dicitur in diat.* & hoc patet per eius virtutem & actionem, quia digerit apostema, & maturat maxime radix eius & semen, cuius decoctio valet contra fluxum sanguinis, quiddam enim habet viscositatis, quod si cum vino potui detur, dissoluit grossos humores renum, & lapidem frangit. Duriciem splenis mollificat atque laxat. Decoctio eius prouocat somnum, si facies & extrema corporis inde abluantur. Seminis sui decoctio valet phthysicis, & contra tussim, semen eius in oleo decoctum, duriciem soluit, mollificat, mundificat & maturat, *vt dicitur in Platear.*

Cap. CVIII.

De Nuce.

NVx est arbor, cuius fructus simili nomine nuncupatur, & est sic vocata, eo quod vmbra eius vel stillicidia, foliorum arboribus vicinis noceant, quam multi Latini alio nomine iuglandem vocant, quasi Iouis glandem. Fuit enim hæc arbor quondam Ioui consecrata, cuius fructus habet tantam vim, vt missus inter fungos & cibos venenosos, quicquid in eis virulentum est, extrahat, rapiat & extinguat, *Vt dicit Isid. lib.* 17. Cuius fructus habet durum & amarum corticem, sed nucleum valde dulcem, vnde pomum omne corio vel cortice duro tectum dicitur nux, *Vt dicit idem*, vt pineæ, castaneæ, auellanæ & huiusmodi. Est itaque nux arbor alta & procera, habens ramos & nodos diffusos, & folia lata & neruosa, pyramidalia & acuta, grauis odoris & saporis, quarum vmbra dormienti sub ea est nociua, & diuersarum infirmitatum generatiua. Cuius tamen radix, cortex, fructus & folia conueniũt medicinæ. Nam *Vt dicit Dios.* succus radicis & corticis nucis maioris extractus, & potui datus, ad quantitatem vnius oxagii subuenit difficultati vrinandi. Potatus etiam cum aceto, repugnat febribus venientibus cum frigore & rigore. Crines tingit & mundat, & prohibet casus capillorum. Est autem multiplicis virtutis & efficaciæ. Fructus eius conuenit etiam esui & medicinæ. Et cum multiplex nux inueniatur, tamen de maioribus siue gallicanis & minoribus, siue auellanis plus loquimur, quo ad cibum & medicinam. Nux autem vsualis est domestica, quæ à multis dicitur gallica, variatur in substantia, in virtute & etiam figura. Nam in substantia, *Vt dicit Isaac in diat.* aut considera vt viridis, aut recens, aut vt matura. In prima dispositione, scili. viridi, habet exterius corium siue corticem, colorem quidem viridem, sed in sapore ponticum & amarum, & manus constringentis inficientem. Interius autem testã paulatim obtinet, corio extrinseco duriorem. Infra eius ambitum nucleum continet vnctuosum, saporosum, & multum dulcem, nuclei tamen medulla, quæ infra testam est contenta, quadam pellicula, velut quadam tunicula est vndique circumtecta, ne tenera nuclei substantia à testæ rigidi-

rigiditate seu duricia læderetur, & illa quidem pellicula, testa mollior est, & medulla nuclei durior & amarior ab experientibus inuenitur. Et quanto nux plus ad maturitatem producitur, plus separatur illa corticula à substãtia testæ & medullæ nuclei incorporatur fortius & vnitur, ita quod nux ab ea vlterius non diuiditur, nisi quando per aquæ calidæ vel alterius humidi infusionem casu aliquo artificialiter emollitur. Nux itaque viridis est minus calida & etiam sicca naturaliter, quam antiqua, & minus stomacho nociua. Quæ si cum ruta comesta fuerit, ieiuno stomacho, erit penitus cuilibet veneno inimica. Nuces vero maturæ *Vt dicit Isa.* quædam sunt recentes, quædam antiquæ, quædam inter has mediocres. Recentes sunt magis humorosæ, mediocres vero sunt magis siccæ, sed antiquæ consumpta humiditate, per caloris intensionem, humorositatem digerentem magis sunt generaliter vnctuosæ, & ideo multum comestæ in humores cholericos de facili conuertũtur, & maxime quando à calidis complexionibus in vsum sæpius assumuntur, quia in talibus generant adustionem, & capiti vertiginem inferunt & dolorem. Qui vero eas temperate comedunt, & temperatæ sunt cõplexionis, bene eas digerunt, & eis congrue nutriuntur. Virtus autem earum attenditur penes effectum medicinæ. Nam generaliter contra rem venenosam corpora conseruant, quia sua ventositate meatus corporis opilant, & vim veneni ad vitalia penetrare non permittunt. Item nuces cum sale & ruta & alliis mixtæ æqualiter addito melle, morsui rabidi canis subueniunt, si interius sumantur, & exterius super locum vulneris apponantur. Venenum enim ad exteriora trahunt potẽtialiter & consumunt. Item contritæ cum melle, melancholica apostemata & phlegmatica mire dissoluunt. Contritæ insuper & cataplasmatæ super vmbilicum, interiora apostemata, interius in corpore nascentia, destruunt, *Vt dicit Isa. in diætis.* Figura autem nucis est varia, quia alia est rotunda, alia pyramidalis & oblonga, alia interius plana & cõcaua, vt patet in auellanis & muscatis, alia lateraliter diuisa, sed in summitatibus ad modum crucis tecta gnomaliter, id est, per formam trianguli distincta, vt patet in nucibus maioribus gallica-

nis, in quibus generaliter forma crucis interius est impressa, vt patet sensibiliter intuenti, &c.

CAP. CIX.

De Nuce auellana.

NVx auellana, respectu nucis gallicanæ agrestis & syluatica est, nam sine cultura crescit in corylis, quæ sunt arbores crescentes in nemore siue sylua, *vt dicit Isidor.* & ideo, quia in loco publico crescens, à transeuntibus auellitur & colligitur, merito auellana nuncupatur. Auellanæ autem, *vt dicit Isaac.* aliis nucibus sunt minus calidæ, & in substantia magis ponticæ atque grossæ, minus raræ in substantia & vnctuosæ, & ideo ad digerendum sunt duræ, & ad exeundum de corpore magis tardæ, tamen quando digeruntur multum sunt corporis nutritiuæ, si sumantur cum interiori pellicula, multum sunt generatiuæ inflationis, & ideo vt eorum nocumentum auferatur, est vtile, vt aqua calida perfundantur, & exteriores pelliculæ auferantur, & sic erunt cõtra multas passiones vtiliter iuuatiuæ, quarum succus melli admixtus, valet contra alopeciam, & fluxum capillorum, & facit pilos in corpore germinare, *vt dicit Isa. & Constant.* Sunt & aliæ nucum diuersitates, quæ congruunt medicinæ, sicut nux muscata & nux Indica, & nux vomica & huiusmodi. Et est muscata fructus arboris in India nascentis, crescentis infra testam duram, quodam corio siue folliculo tectam ad modum auellanæ, cuius cortex macis vocatur, & est multum medicinalis, maxime enim confortat cor, & depurgat in cerebro spiritum animalem, stomachum infrigidatum calefacit, & confortat appetitum, & est cortex ille subrufus, habens saporem acutũ & aliquantulum subamarum, qui autẽ niger est vel terreus non habẽs acumen in sapore, abiiciendus est. Nux autẽ muscata à cortice & teca extracta, circumdatur quadam pellicula tenuissima & plana, quæ quanto est ponderosior & in odore suauior & sapore acutior, tanto melior: vnde eligenda est, quæ grauis & solida est interius, quæ cum frangitur non puluerizatur, & subrubicundum colorem prętendit, cum odore forti & suaui, virtutem habet confortandi, & stomachum calefaciendi

& extenuandi ventositatem, & auferendi dolorem capitis ex frigida causa, applicata enim naribus confortat cerebrum & membra spiritualia, *vt dicit Plin. Diosc. & Plat.*

CAP. CX.

De Nardo.

NArdus est herba modica & spinosa, calida & odorifera: vnde & à Græcis Nardi spica nardostactes appellatur, *vt dicit Isidorus libro* 17. Est & eius species triplex, scilicet. Indica, Syriaca & Celtica, non tamen crescit in Syria, sed in quadam terra montosa, quæ in vno latere tangit Syriam & in alio Indiam, melior autem est illa, quæ est leuis & fusca, comosa & sphærica, parua odoratissima cyprum similans, quæ masticata linguam desiccat. Nardus autem Celtica à regione Galliæ vbi crescit, est dicta, & etiam est similis nardo siue spicæ nardi, sed est magis alba. Habet autem *vt dicit Dioscorides & Platearius*, virtutem confortandi ex aromaticitate sua, valet contra syncopim & defectum cordis, & contra stomachi debilitatem, naribus applicata cerebrum cõfortat, frigidum rheuma compescit, contra surditatem valet & aurium apostemata, malum odorem oris amputat, & gingiuas putridas mundat, opilationes splenis & epatis soluit, prouocat menstrua, & matricem mundificat & adiuuat conceptionem, lapidem frangit in renibus & in vesica. Est enim herba diuretica, *vt dicit Plate.* scilicet incisiua & diuisiua & vsque ad intima penetratiua. Item valet contra linguæ paralysim, & confortat neruos & consumit humorem linguæ organa occupantem, valere etiam dicitur contra morbum epilepticum, si debito modo patientibus ministretur. Ad multa alia multum valet, ex qua fit oleum nardinum, quod ad omnia prius dicta & ad alia maxime est necessarium.

CAP. CXI.

De Olea.

OLea est arbor *secundum Isidorum*, cuius fructus dicitur oliua, succus vero oleum nuncupatur, *vt dicit Isidorus lib.* 17. sæpe tamen arbor oliua appellatur. Est autem

arbor oliua pacis & insignis, *vt dicit idem.* Nam vt dicit Romanorum historia, sine oliuarum ramis non mittebantur legati pro pace aliqua obtinenda, siue aliis offerenda. Vnde *secundum Remigium* patet huius arboris excellentia, quia in signum reconciliationis & fœderis Dei cum Noe columba non cum alterius arboris ramusculo, sed solum cum oliuæ intersigno ad archæ fenestram est reuersa, immo *secundum Plinium lib.* 15. victores apud Athenas quondam olea coronabantur, Græci vero tandem oleastro suos coronari iudicabant, *vt dicit idem.* Est itaque olea arbor coma, & virore & ramorũ multitudine speciosa, frondes habens subalbidos & molles, viroris pulcritudinem in æstate & in hyeme retinentes, flores etiam habet minutos, & multos suauiter redolentes, durum corticem & radicem amaram, fructum pinguem, sapidum atq; dulcem. *Nam vt dicit Isidorus* ex amaritudine radicis surgit oliua in pabulum luminis, & medelam vulneris, ac in refectionem esurientis. In lucernis enim ponitur ad ignem nutriendum, membris languidis ponitur ad medendum, in cibo apponitur ad reficiendum & ad condiendum, *vt dicit idem.* Est enim oleum ignium & luminarium nutritiuum morborum remedium, & cibariorum suauissimum condimentum, *vt dicit Isidorus.* Est ergo oliua siue olea arbor fructifera & medicinalis, cuius cortices, folia & fructus conueniunt medicinæ, cuius lignum maximæ est soliditatis & compactionis, & quasi imputribilis puritatis, quamuis sit multæ duritiei in exteriori substantia, multum tamen habet humorositatis & vnctuositatis interius in medulla. De oleis autem & de oliuis *dicit Plinius libr.* 15. arboris olearum fructiferarum multa sunt genera, in regionibus non multum calidis, sicut & nec in regionibus nimis frigidis, sed potius in temperatis, magis tamen se habentibus ad calorem quam ad frigiditatem, & ideo iubet Cato, *vt dicit idem Plinius*, oliuas seri in solo calido, non nimis pingui, nec nimis macro radiis Solis opposito, nam cœlum eis maxime confert & multum diligunt rorem cœli & aeris serenitatem, vnde si fiunt copiosi imbres, quando oliuæ maturescunt, vitiatur oleum & consumitur, nisi sequatur serenitas, quæ extenuet liquorem, *dicit Plin. ca.* 3. nec indiget olea falce vel rastro, vt putetur sicut putantur

vites,

vites, sed Soli & rori cœlesti committitur, verno gaudet tempore & incipit tunc florere, cuius fructus primo circa hyemem colliguntur, collectis fructibus solent oliuantes terram aperire circa radicem, & quasdam tuberositates & adulterinos ramusculos circa veras radices crescentes caute præscindere, & huiusmodi superfluitates circa radicem solent aliqui Italici rustici podagram oleæ appellare, vnde præscissis illis radicibus falsis, melius fructificat olea, & mirabiliter emendatur, nec vult olea percuti grauiter cum perticis pro suo fructu colligendo, sicut faciunt aliqui minus cauti, quia talis percussio cedit ad iniuriam ipsius arboris, & damnum anni subsequentis, minus enim fructificat sic percussa, *Vt dicit Plinius*. Multæ autem sunt huius arboris species, quæ per diuersitatem fructuum discernuntur. Oliua itaque *secundum Isidorum* arboris oleæ designat fructum, cuius multiplex differentia inuenitur, *Vt dicit Isaac* oliuæ autem aliæ sunt domesticæ & aliæ sunt syluestres, domesticæ fructus faciunt quandoq; maturos, quandoque immaturos, quandoque inter hos mediocres. Inter istos autem fructus oliuares primi sunt terrestres, pontici & virides, secundi sunt subrubei, *Vel secundum Dioscorid.* Hyacinthini, vltimi vero videntur esse nigri, & quanto sunt nigriores exterius, tanto sunt maturiores & interius vnctuosiores & ad exprimendum oleum aptiores, *& sicut dicit Aristoteles* nunquam perfecte maturescunt in arbore, etiamsi per multos annos ibi essent, sed vt veram & completam consequantur maturitatem, oportet vt baccæ collectæ de arbore per plures dies in vna congerie coaceruentur, & sic per compressionem mutuam ac nimiam, confortato calore & reuocato, ad interiora ad plenam maturitatem perducentur, *secundum Vero Isaac in dietis*, oliuæ cum fuerint rubeæ nondum bene maturæ, nec dum plurimum vnctuosę, stomachi sunt valde confortatiuæ & constrictiuæ, & appetitus excitatiuæ, maxime si cum aceto, vel aqua salsa fuerint præparatæ, tamen duræ & difficiles sunt ad digerendum, & minus aliis nutritiuæ. Nigræ vero quæ iam sunt quasi maturæ, calidæ sunt & inter siccum & humidum temperatæ, multum quidem nutritiuæ, sed stomachi mollificatiuæ, & ad digerendum magis duræ, quia vnctuositate sua in stomacho supernatant, & ad de-

coctionis locum inferius non descendunt, & ideo in humorum corruptionem citius transducuntur & minus laudabiles sunt aliis ad edendum vtiles tamen sunt in medicina, quia & tritæ & positę supra loca, quæ igne vel aqua calida sunt exusta, vesicam reprimunt ibi nascituram, poros enim aperiunt & exhalare faciunt fumositates, quæ inclusæ sub cute sunt causa vesicæ & tumoris. *Hucusq; Isaac in diatis. Dicit autem Plinius libro* 15. *cap.* 3. quod baccæ siue grana oliuæ quamdiu sunt in arbore non pereunt, & quanto diutius in arbore permittuntur, tanto meliores fiunt, semper enim nouas vires resumunt, & difficilius cadunt. Constant autem oliuæ, *Vt dicit idem*, ex nucleo, carne, oleo & amurca, quæ sanies siue fex oliuæ dicitur, & est amara, vtilis tamen in medicinis, sed nuclei cum folliculis oleo eliquato vtiles sunt ad ignem nutriendum. Porci etiam dicuntur inde impinguari.

Cap. CXII.

De Oleo.

OLeum succus est oliuæ, *Vt dicit Isidorus*, & tanto est nobilius, quanto recentius, & facilius à suis folliculis eliquatur, *Vt dicit Plinius libro* 17. *ca.* 2. *Vbi dicitur.* quod oleum per vetustatem vitiatur. *Et dicitur ibidem* quod oleum in torcularibus extorquendum melius eliquatur, si oliuæ siue oleæ baccæ prius cum molari lapide vehementius contritæ feruentissima aqua perfusæ fuerint & respersæ. Nam per talem aquam calidam vnctuositas ab amurca & nucleis separatur, quæ superenatans tandem ab ipsa aqua artificialiter separatur. *Et Vt dicit idem*: quanto oleum citius de torculari exit, tanto oleum laudabilius iudicatur. Nam pinguius est & suauius, quod minus cum terrestri substantia admiscetur. Præter hæc *dicit Pap.* quod si quis inter aquas mersus oleum in ore prius inclusum in aquam emiserit, clariora facit omnia, quæ in fundo aquæ continentur, & patent oculis ipsius facilius omnia, quæ in aquæ inferioribus absconduntur. Cuius natura est, vt cibos condiat & fomentum luminum administret, & corpora fessa recreet & confortet, neruos contractos & induratos ac spasmatos remollit & relaxat, apostemata dura mol-

ta mollificat & maturat, & maxime oleum lini. Multiplex enim est oleum, & ex multis rerum generibus est expressum: aliud autem est simplex, vt oleum oliuarum: oleum nucum: oleum papauerum: oleum amygdalinum: oleum raphani: oleum lini: oleum canopi & huiusmodi. Aliud est compositum, & ex hoc genere aliud est frigidum, aliud calidum, aliud est stipticum & constrictiuũ, aliud laxatiuum. Nam ex appositione calidorum efficitur calidum, & ex frigidis frigidum, & ex stipticis stipticum, & ex laxatiuis laxatiuum. Et ideo secundum diuersas causas morborum sunt adhibenda diuersa genera oleorum, vt oleum laurinum, nardinum, pulegium in causis frigidis. Oleum vero rosaceum siue violaceum in calidis causis apponatur. Potest autem oleum ita fieri calidum, vt febrem inducat si inde venæ pulsatiles & nates & volæ manuum ac plantæ pedum inungantur, vt oleum in quo decoquitur caro leonina, *Vt dicitur in compendio Salernitani.* Potest etiam fieri ita frigidum, quod inducat membro inde peruncto stuporem & insensibilitatem, vt patet in oleo mandragorino, quod fit ex oleo, in quo poma mandragoræ sunt decocta vel diutius reseruata. Sed inter olea sic composita magis laudabilia & magis in medicina vtilia sunt temperata. Simplex autem oleum quoad medicinam, & quoad cibum primum locum obtinet oleum oliuarum, deinde nucum & amygdalarum, tertio oleum papaueris, quod tamẽ aliis oleis prædictis est magis frigidum atque siccum, maxime quod fit de semine eius nigro, & habet virtutem inducendi somnum. Valet contra calida apostemata in principio, & contra epatis calefactionem, *Vt dicit Plat.* Alia autem olea minus conueniunt cibo propter odoris grauitatem & saporis horribilitatem, congruunt tamen vtiliter medicinæ, *sicut dicit Isaac in diætis.* Habet autem omne oleum generaliter multum aeritatis & aereæ leuitatis, & ideo omni liquori superfertur & aliis liquoribus subesse dedignatur. Penetratiuæ est virtutis & sui diffusiuæ, & ideo in vasis vitreis vel vitreatis vasculis melius quam in ligneis vel porosis vasculis aliis custoditur. Vestes quas tangit, inficit, & in eis odoris sui vestigium quasi inseparabiliter derelinquit. Diffusum in aquam in superficie in guttulas orbiculares se recolligit, & vt totaliter quo ad pinguedinẽ & sapo-

saporem separetur, ab eius superficie vix permittit. Oleum autem sapore asperum, & odore horridum, cum amurca siue fece mixtum, ad cibum non est aptum. Nauseam enim & vomitum prouocat & stomachi orificium corrumpit & immutat, oleum etiam apes & animalia annulosi corporis interficit & extinguit, si inde perfundantur, *Vt dicit Arist.* sed aceto post infusa reuiuiscunt. Item oleum purum, ferrum politum à rubigine seruat, quando ferrum inde inungitur, sed si fuerit corruptum vel aquosum & cum fece mixtum, destruit ferrum & corrumpit, *Vt dicit Plin. libr.* 15.

Cap. CXIII.

De Oleastro.

OLeaster est syluestris olea, sic dicta, eo quod in foliis similis sit oliuæ, sed eius folia sunt latiora, & est arbor inculta, sterilis & amara, cui insertus oliuæ ramus vim mutat radicis, & conuertit in propriam qualitatem, *Vt dicit Isidorus libro* 17. Cuius lacryma est duplex: alia est similis gummi sine vllo qualitatis morsu: alia est mordax seu similis guttæ ammoniaci, *Vt dicit Isidorus.* Et quamuis oleaster arbor sit syluestris, tamen eius cortices, gummi & frondes conueniunt medicinæ. Nam eius folia cum sint stiptica & amara, melle addito sanant vlcera capitis atq; oris, *Vt dicit Dioscorides.* Succus corticis & frondium stipticus est & constrictiuus: vnde valet ad intercipiendum humorum omnium fluxum, *Vt dicit idem.* Gummi eius valent ad multa, & illud quod est mordax maxime. Nam vulnera mundificat & sanat, gingiuas corrosas & corruptas adiuuat, & dentes motos roborat & confortat. Erysipelam, id est, sacrum ignem ex cholera furiosa carnem & ossa corrodentem reprimit atque sanat. Valet contra alopeciam, & fluxum capillorum, & tingit crines, & caniciem vel palliat vel retardat, *Vt dicit Plinius.*

Cap. CXIV.

De Olere.

OLus ab olendo est dictum, eo quod *secundum Isidor.* homines primo oleribus alerentur, antequam fruges

& car-

& carnes ad esum hominibus præberentur. Pomis enim & oleribus nutriebantur homines, ante diluuium, sicut animalia graminibus atq; herbis, *Vt dicit Isid. lib.* 13. & quamuis omnia graminosa in terra nascentia, quæ sunt coquibilia & esui hominum apta generaliter olera dicantur: tamen vulgariter caules olera dicuntur, quorum frutices & thyrsi amplius crescere cæteris oleribus arbitrantur, *Vt dicit idem.* quorum summitates dicuntur timæ quasi comæ, in quibus maxime est vigens virtus naturalis, & ideo in timis tam herbarum quam olerum maxime consistit efficacia medicinæ, *Vt dicit idem.* Est autem herba frigida & sicca, turbidum quidem & melancholicum generans sanguinem, horribilem etiam odorem facientem, *Vt dicit Isa. in diætis*, & sunt etiam quidam caules æstiuales, & quidam hyemales, quorum herbæ sunt compositæ ex contrariis. Nam substantia est grossa & dura ad digerendum. Ius vero succus est colatiuus, & inde desiccatiuus & ventris humectatiuus & laxatiuus, sed substantia sine iure est constipatiua.

Tollitur aũt eorum nocumentum si in aqua elixentur, & aqua proiecta in alia decoquãtur & cum pinguedine optime condiantur, *Vt dic. in diæt.* Est autẽ herba quæ proficit per transplantationẽ, nam quando in vno loco fuerit seminata, si postquam creuerit in plantam ad humum meliorem transferatur, multum crescit, & tam in quantitate quam in qualitate seu virtute melioratur. In æstate quoq; folia eius tenera ab erucis & ab aliis vermibus corroduntur. In hyeme vero gelu & pruina constringuntur, & sic efficiuntur magis tenera ad coquendum & ad comedendum meliora. Nam reuocato calore ad interiora foliorum melius digeritur substantia eorum, & sic efficiuntur magis sapida & sunt molliora. *Plin. Vero lib.* 20. *cap.* 10. multis laudibus extollit caulem, quo ad vsum medicinæ, & dicit, quod eius triplex est species. Quædam est crispa, vtilis stomacho, aluum modice molliens. alia lata, habẽs folia spissa, & ista minus valet ad medicinam, tertia tenuia habet folia & simplicia, & cæteris amarior, sed vtilior medicinæ. Folia eius trita & apposita bis in die sanant canum vulnera recentia, & inueterata mire sanant. Caulis parum coctus soluit, multum coctus stringit. Vino & ebrietati resistit,

neruos

neruos cõfortat, & ideo vtilis est paralyticis & tremulosis. Lactis vbertatem præbet puerperis. Succus eius valet contra venenum. *Dicit etiam idem*, quod valet contra morsum canis rabidi. Odorem seminis eius cocti fugiunt serpentes. Multas numerat alias eius virtutes, quas præ tędio, hic omitto. *Dicit etiam*, quod bractea syluestris, scil. caulis per se nascens, habet effectus fortiores, &c.

Cap. CXV.

De Hordeo.

Hordeum est dictum, eo quod cito fit aridum, *vt dicit Isidor.* vel ab ordine, eo quod eius spica, quandoque sex ordines continens inuenitur, & illud genus hordei melius pascit animalia quam triticum, & salubrius homines quam malum triticum vel siligo, *vt dicit Isidor.* Aliud est genus hordei, habens duos ordines in spica sua. Tertium dicitur trimense, eo quod iactum in terra, verno tempore celeriter recolligitur, *vt dicit idem.* De hordeo *dicit Plin. lib.* 18. *cap.* 7. primum inter frumenta seritur hordeum, apud multas enim nationes panis inde fit præcipuus, & polenta fit ex hordeo apud Græcos, & illi primo hordeum aqua perfundunt, quod postea desiccat, & sic molis confringunt & à cortice farinam purgant. Alii vt Italici hordeum siccum in subtilem farinam molunt sine perfusione aquæ præcedente. Hordeum frugum omnium mollissimum est in medulla, & seri non vult, nisi in sicca & solida terra, vnde propter suæ substantiæ molliciem multum cito rapitur ad maturitatem. Nec videtur aliquid semen minus calamitosum quo ad corruptionem, quia citius crescit & recolligitur, & antequam triticum inuadat corruptio vel rubigo. Inter omnia vero crescentia frumenta viliorem habet paleam: & humiliorem stipulam, sed multum habet laudabilem medullam, quando modo debito paratur, & farinam accuratissimam seu polentam, *vt dicit Plin.* Est autem, *vt dicit Isa. in diat.* hordeum granum frigidum & siccum, virtutem habens colatiuam & mundificatiuam & exiccatiuam, & parum habet ventositatis respectu fabæ: minus tamen nutrit faba quam hordeum, quamuis etiam sit magis naturaliter inflatiua. Nec enim bene semper cor-

pus

pus nutriunt, quæ per ventris folliculos siue corporis se extendunt, *vt dicit idem*. Multa autem sunt, *vt dicit Plin.* qui plus vtuntur hordeo in medicina quam in cibo. Inde tamen fit potus mundificans, corpus nutriens & restaurans, spiritualia membra recreans & mundificans. De hordeo etiam contuso, de cortice mundato & cum aqua munda decocto, fit medicinalis potus, quam physici ptisanam vocant. Cuius virtus est sitis extinctiua, sanitatis custoditiua, febrilis caloris alteratiua. *Sed de ptisana quære infra litera T.*

Cap. CXVI.

De Palma.

PAlma est arbor victorialis, sic dicta, *vt dicit Isid. lib. 17.* quod manus victricis siue obtinentis victoriam, est ornatus: vel quia est ad modum palmæ hominis habens ramos. Est autem arbor nobilis & insignis, sempiternæ pulcritudinis & viroris, diuturnis vestita frondibus, sine vlla successione conseruans folia sua tempore hyemis & æstatis. Et quia est arbor annosa, durans in virtute & virore per multa tempora: ideo ad similitudinem auis phœnicis, quę multis viuit annis, palma à Græcis φοίνιξ est vocata. Et cum sit arbor fructifera, fructus ferens delectabiles & suaues, non tamen in omnibus locis, vbi crescit, percipit fructus maturitatem. Frequenter tamen in Syria & in Ægypto fructus eius dactyli, à similitudine digitorum, sunt vocati. Quorum nomina variantur. Nam alii vocantur palmulæ, similes myrabolanis in formæ dispositione. Differunt tamen penitus in sapore, cum isti sint saporis dulcissimi & iucundi: myrabolani vero saporis sunt horribilis & amari. Alii vocantur Thebaici qui & Nicolai. Alii mutales, quos Græci canathos vocant. *Hucusque Isid.* Est autem palma, *vt tangit glosa super Psalmistam*, arbor magnæ proceritatis & altitudinis, sed tamen ad cedri altitudinem non pertingit. Cuius radix est aspera & rotunda, in profundo ipsius terræ valde fixa. Truncus autem eius solidus est & compactus, & imputribilis firmitatis. Cortex eius circa truncum durus & rugosus, & quodammodo pungitiuus, & maxime versus terram: & ideo difficilis est ad scandendum, & cum difficultate pertingitur ad eius fructum. Folia eius

pyra-

pyramidalem habent formam, ad modum gladii. Quamuis autem palma dura sit circa stipitem & aspera, in superioribus tamen iucundi est aspectus in ramorum pulcritudine & in coma. In summitate ramorum portat fructus suos, & non in medio foliorum, *vt dicit Plinius lib.*18. Cuius fructus est tanto vnctuosior, dulcior & sapidior, quanto immediatius Solis radiis appropinquat. In multis siquidem regionibus crescit, sed non ita fructificat, sicut in regione feruida, Solis spiculis continue repercussa, & leni terra sabulosa & vitrosa. Et ideo palmis Iudæa est inclyta, *vt dicit Plinius libro* 18.*capit.*5. *Item idem:* palmarum duplex est species, masculus & fœmina. Masculus primo floret, fœmina post in germen prorumpit. Nec fructificat fœmina, nisi ita sit propinqua masculo, vt saltem mediante vento odore masculi fœmina perfundatur. *Idem etiam dicit Aristotel. libr. Vegetabilium.* Et quando seminantur, oportet vt masculi & fœminæ semina pariter seminentur, & bina & bina sint composita. Et ex singulis erumpit planta: vnde quaternę plantulæ ex eis coalescunt, quæ ad inuicem tandem coadhærent, & ad modum alicuius retis mutuo miro naturæ artificio se connectunt. Nec bene crescit nec etiam fructificat fœmina sine masculo, imo si arbor abscindatur mascula fœmina post biduum sterilescit, sed aspersis foliis & floribus, masculi circa radices fœminæ, fœmina ex vicinitate masculi, quasi ex coitu, iterum vires recipit & resumit. Nec diligunt huiusmodi plantaria locum humidum, pinguem & fumosum, immo potius locum salsum & arenosum, & ideo vbi non est tale solum, oportet aspergi salem, non iuxta radicem, sed aliquantulum in vicinio, vt salis siccitate humorosa terræ superfluitas consumatur. *Et dicit Plinius*, quædam est species palmæ in meridiano orbe, quæ traditur esse vna, & non multiplicatur alia ex ipsa, sed quando præ vetustate omnino perit & deficit, iterum ex se renascitur & reuiuiscit, & ideo putatur phœnix auis Arabiæ ex huius palmæ argumento nomen accepisse, quia moritur & renascitur ex se ipsa, sicut facit palma supradicta, *vt dicit Plinius ibidem. Item ibidem dicit idem.* In Æthiopia sunt variæ palmarum species, non raritate magis quam suauitate mirabiles, inter quas sunt illæ, quæ dicuntur Caryotæ meliores & succo & cibo,

cibo, nam earum fructus succo sunt vberrimi: vnde & ex eis vina præcipua exprimuntur. *Hucusque Plin. lib. 18. ca. 5.* Est igitur palma arbor singularis, gracilis stipite & hirsuta respectu soli, à quo exit. Pulcra autem est dilatata in ramis & comis, respectu cœli, ad quod superius in cacumine se extendit, cuius folia sunt longa, in superficie quidem plana ac spissa & flexibilia, diuersus connexionibus, vt puta sportulus, valde apta, *vt dicit Hieron.* nihilominus in angulis lateralibus sunt incidentia & peracuta, cuius rami dicuntur elatæ, se scilicet eleuantes sursum, seruantes vi-torem continuum, & se nunquam ad infima inclinantes. Et secundum hoc media huius dictionis, *elatæ*, in penultima produci habet, *vt Cantic. 5.* vbi dicitur, *Coma tua sicut elata palmarum.* Ελάτη tamen siue elates græce, dicitur abies latine, & secundum hoc penultima corripitur, & sic videtur ponere alia litera, quæ dic. *Cant. 5. Crines eius sicut abietes*, & sic media corripi habet non produci. Variatur autem fructus palmæ tam in forma quam in virtute, secundum diuersitatem ligni, à quo exit: & secundum diuersitatem soli in quo palma crescit: & secundum variam receptionem caloris cœlestis, qui diuersimode secundum diuersos situs ad palmarum cacumina se diffundit, *vt dicit Plin. lib.* 18. Primum patet. Nam in multis palmis raro vel nunquam inuenitur fructus propter malam vel minus sufficientem dispositionem ipsius arboris, vt patet in palmis Italicis, in quibus raro vel nunquam fructus aliquis inuenitur, & si crescat, nunquam tamen pertingere ad maturitatem & completionem debitam reperitur, *vt dicit Plinius.* Secundum patet ex prædictis, quare in humo siue solo nimis frigido & humido, pingui vel fumoso de facili non proficiunt, imo sine remedio nullatenus conualescunt, *vt dicit idem.* Tertium autem patet, quia in locis vmbrosis à radiorum solarium præsentia absolutis, nec crescere possunt palmæ, & si forte alicubi creuerint, nullatenus tamen poterunt fructificando ad palmarum gloriā peruenire. Et hoc est quod tangit *Isaac. in diætis*, Dactyli, inquit, fructus scilicet palmiferi calidi sunt & humidi in secundo gradu, & diuersas habent actiones, secundum regionum varias qualitates. Nam quidam nascuntur in regione frigida, id est, remissæ calida: quidam in feruida: &

quidam in feruida: & quidam inter hæc temperata. Qui vero in regione feruida vbi sol continuus est, fructus sunt dulcissimi, sapidi, & præ viscositate quadam aliquantulum vnctuosi: & tamen cum sint dulces valde, si quis eis nimis vtatur, aliquando poterunt sic vtentibus inferre corporis læsiones. Nam tumores & inflationes generant, dolorem oris & stomachi & etiam capitis præstant, splenis & epatis meatus obstruunt & opilant, ex quo patet, quod omnibus dulcibus vti continue non est bonum, immo sæpius animæ & corpori est nociuum. Fructus vero crescentes in terra frigida siue remisse calida ad maturitatem non perueniunt: & ideo in sua ponticitate & siccitate permanentes velut crudi, corpus non multum nutriunt, quoniam potius obsunt multum, quia sunt ad digerendum duri, quamuis aliquantulum stomachum confortent, tamen de stomacho de facili non recedunt: vnde diutius ibi facientes moram, torsiones ibi generant sæpius ac inducunt, *vt dicit idem.* In crescentibus vero in regione mediocriter calida, quamuis sint maturi, tamen tanta inest eis aquosa humiditas superflua, quod non possunt in maturitate conseruari: vnde & corpora replent crudis humoribus, qui sunt materia diuturnæ febris, *vt dicit Isa. in diat.* Est autem fructus palmæ compositus ex molli substantia & carnosa, ex nucleo duro & quasi lapidoso, in cuius medio semẽ continetur. Tamen aliqui dactyli inueniuntur in Syria & in Ægypto omnino sine nucleo, & tales spadones nuncupantur, quia in eorum substantia non est ratio sementina, *vt dicit Plin.* Quanto autem palma natura & genere annosior: tanto fructus eius melior est, non enim fructificat ante centum annos, & tunc primo habet completas vires & perfectas. Valet enim fructus palmæ, *secundum Dioscor.* vtiliter in medicina, habent enim virtutem leniendi asperitatem arteriarum, & clarificandi vocem, & maxime quando bene sunt maturæ. Nam virides sunt stiptici, *vt dicit Plin.* quosdam milites Alexandri fuisse palmis viridibus strangulatos, vnde quando omnino sunt virides, non conueniunt cibo, sed solummodo medicinæ. Valent etiam contra dysenteriam & alios fluxus, quando more debito apponuntur.

CAP. CXVII.

De Palmite.

PAlmes tis, dicitur propriæ ramus vitis, *Vnde dicit Isid. lib.*17. palmes est vitis materia mollis, qui per nouella brachia emissus fructus affert, cuius folium pampinus dicitur, eius enim subsidio palmes ab arbore & frigore defenditur, atque aduersus omnem iniuriam præmunitur. Qui ideo alicubi intercisus est, vt solem ad maturandũ fructus admittat & faciat, *Vt dicit Isidor.* Totam autem virtutem suam & nutrimentum attrahit à radice, & quia propter inclusum calorem in substantiæ suæ porositate fortis est attractionis, multum attrahit humoris, quem transmutat in substantiam ipsius palmitis, & quod residuum est, conuertitur in materiam germinis, frondis, fructus atque floris, *Vt dicit Plin. lib.*13. Qualis autem fuerit humor nutrimentalis in radice, talis ostenditur in palmite: *Vnde docet compendium Salernitani*, facere vuas diuersi coloris ex eadem vite. Si enim dum vitis inseritur viti in Martio fiat insertio in tribus ramis pręcedentibus, ex vno stipite ipsius vitis, si cum vno surculo, insertionis loco, apposueris colorem rubeum, & in alio colorem blauium, & in tertio colorem croceum, singuli palmites, ex prædictis ramis procedentes, tales proferunt fructus, quales in inserendo appositi sunt colores. Sed quia in his partibus raro vitis viti inseritur, quamvis aliquoties palmes vitis aliis arboribus inseratur, ideo solet fieri fructus mutatio isto modo. In Martio quando incipit humor ascendere de radice, aperitur cortex vitis caute circa radicem, quo aperto, fit coloris intermissio in circuitu inter lignum & corticem, & tũc diligentius custoditur, ne humor ascendens de radice exeat in scissuram: vnde humor, quem paulatim attrahit palmes, à radice mutatur transiens per colorem, cuius pars vnctuosior transiens in fructum, in fructu ipso coloris vestigium derelinquit. Eodem artificio potest immutari quælibet plantula in sapore & colore, & sic fiunt arbores, quæ naturaliter sunt constrictiuæ, artificialiter laxatiuæ, & econuerso, *Vt dicit idem. Hoc idem dicit etiam Alphre. super lib.* 5. *plantarum*, secundum quod species variæ earum corticibus insertionis seu plantationis tempore arti-

ficiosius supponuntur. Palmes autem vitis, *vt dicit Isidor.* quædam ex se emittit vimina siue vincula, quibus arboribus se vinciunt & connectunt, quorum adminiculo freti ventis & turbinibus resistunt, ne laxati palmites ventorum flatibus dissipentur, & vt sine lapsus periculo suos fructus sustineant, & vaga proceritate se diffundant, multum enim in principio sunt fragiles, & ideo talibus indigent tenaculis quousque efficiuntur successiue, Solis beneficio fortiores. Singulis annis indigent palmites resecatione, à superfluorum debita expurgatione, sic enim plus fructificant & diffusius se dilatant. Non amputati autem degenerant & in labruscæ speciem se transmutant. Dignoscitur autem palmes generosus per nodorum & germinum vicinitatem. Nam, *vt dicit Plin. lib.* 20. *cap.* 25. palmes raros habens nodos & distantes, signum est infœcunditatis, densitas vero germinum fertilitatis indicium est. *Quære infra de natura vitis.*

CAP. CXVIII.

De Propagine.

PRopago propaginis est nouellus vitis ramusculus prorumpens & surgens ex flagello prius terrę infixo & immerso. *sicut dicit Isidor.* Dicuntur autem flagella vitium, summitates siue extremitates, eo quod ventorum flatibus agitentur, quæ vel propter vitis delatationem vel propter renouationem terræ immerguntur, ex quibus nouæ plantulæ egrediuntur, & vitis propagines appellantur. Propaginare est idem quod flagellum terræ immersum sternere, & inde nouas vites producere, & sic vineam dilatare. Nam propagare, extendere & producere idem est, *vt dicit Isido.* Palmites itaque vineæ siue rami ad terræ concauitatem incuruati, & in quibusdam foueis à terra cooperti, quandam concipiunt vim germinandi, & nouas propagines producendi, vnde virtus germinatiua existens in flagellis sursum, vi caloris, erumpens paulatim transmutatur exterius in propagines: pars vero eiusdem virtutis depressa inferius, admiscetur terræ, & conuertitur in radices à quibus nouellæ propagines attrahũt nutrimentum, & tandem radices totaliter efficiuntur, à quib. propagatæ

pagatæ

pagatæ vites, velut filiæ à matre continuo nutriuntur, & sic fit quod primo à nutrice, scilicet radice, nutriebatur conuersum per propagationis artificium in radicem habet, vt viceuersa nutricis officio fungatur, quia palmes siue flagellum quod primo nutrimentum à radice hausit, nunc per conuersionem in radicem omnes alios à se crescentes, veluti mater nutrit, *Vt dicit Gregor.*

CAP. CXIX.

De Platano.

PLatanus est arbor à latitudine foliorum sic dicta, eo quod patula sint & ampla, nam πλάτος Græci patulum vocant, *Vt dicit Isido.lib.*17. Cuius pulcritudinem exprimit Scriptura, dicens: *Quasi platanus exaltata sum. Eccles.* 24. Mollia quidem habet folia & tenera, vitis folio similia, *Vt dicit idem Diosco.* ad ista addit, quod platanus est arbor frigida & sicca, cuius folia in causis calidis & humidis sunt vtilia. Nam, *Vt dicitur*, rheuma compescunt, & tumorem calidum oculorum. Decoctio corticum eius & foliorum reprimit dolorem dentium, & vt dicitur, ossium aliorum. Virtutem dicitur habere leniendi, & acutos dolores mitigandi: vnde valere dicitur cõtra combustiones, si cum aliis lenitiuis apponatur. Eius etiam decoctio in vino valere dicitur contra venenum. Hanc arborem laudat *Plinius lib.* 12. *cap.* 3.

CAP. CXX.

De Populo.

POpulus est arbor à multitudine dicta, eo quod ex eius calce, id est, fine vel radice, multiplex ramorum densitas oriatur, *Vt dicit Isidorus lib.* 17. Cuius genus duplex est, nam altera est alba, altera autem nigra. Alba quidem habet folia ex vna parte alba, ex altera viridia, & hic est bicolor, habens quasi diei & noctis notas. Nam alio modo variat colorem in Solis ortu, & modo alio in occasu, *Vt dicit idem.* Ab hac autem arbore, *Vt dicit idem*, effluit resina iuxta Eridanum fluuium in Italia, & etiam in Syria. Et hæc resina *à Dioscoride & ab aliis* iudicatur medicinalis, nam sanguinem stringit, sudores & alios fluxus noxios com-

pescit. Ex eius siquidem summitatibus & comis solet fieri vnguentum frigidum, opilatiuum & caloris mitigatiuū, tumoris repressiuum, somni prouocatiuum. Et hoc vnguentum populeon à medicis nuncupatur, & in multis causis necessarium iudicatur. *Dixit etiam Isido.* quod populus & platanus & salix mollis sunt materiæ, & ad sculpturam aptæ, & tales arbores præcisis ramis plus crescunt & in latum & in longum amplius se extendunt.

Cap. CXXI.

De Pino.

Pinus est arbor picea, à foliorum acumine sic vocata. Pinum enim antiqui acutum appellabant. Hæc arbor dicitur picea, eo quod desudat picem, *Vt dicit Isido. libr.* 17, Ex pino in insulis Germaniæ gignitur lacryma siue gutta, quæ defluens, frigore vel calore indurescit, & gemmam facit, & dicitur electrum, *Vt dicit Isidorus ibidem.* Hoc autem electrum alio nomine dicimus succum, eo quod arboris sit succus. *Dicitur etiam ibidem* pinus prodesse cunctis, quæ sub ea seruntur, sicut omnibus dicitur nocere ficus. Est autem pinus arbor procera & valde recta, leuis & porosa, & tamen multum fortis, cum sit nodosa, & ideo ex pino optimi in nauibus fiunt mali. Pini etiam ædificiis sunt valde apti, de facili tamen inflammantur & incenduntur, quando igni casu aliquo applicantur. Et hoc accidit, quia multum habent pinguedinis & vnctuositatis, quia picem desudat. Hæc arbor corticem habet durum extrinsecus & rugosum, sed interius habet humorem pinguem & viscosum, qui à calore Solis attractus exterius in æstate conuertitur in resinam, quæ quidem primo ex se est subalbida & per decoctionem quando pix efficitur redditur valde nigra. Est autem valde odorifera & odoriferum facit fumum, sed per multam decoctionem diminuitur odor eius, folia habet multa sed gracilia & acuta, & viret hyeme & æstate. Et cum sit arbor pinguissima, in locis tamen crescit montosis, valde aridis & lapidosis, & cum sit arbor multæ pullulationis, tanto plus in altum crescit, quanto inferius plures ramos perdit, vnde ramis præscissis versus terram plus se dilatat in coma versus cœlum, lente crescit pro-

ptē

pter viscositatem humoris & grossitiem qui cito se digeri non permittit, à suis corticibus spoliatur & nudatur vt plus duret, nam inter corticem & lignum generantur vermes, quando incipit desiccari, & illi vermiculi corrodunt lignum, & ideo corticem extrahunt, ne ex corrupto humore generentur vermes, ad ligni conseruationem dicitur esse præcipua medicina. *Dicit autem* Plinius *libro* 16. quod pinus sicut & alnus sub terra profunde coopertus diu durat, & ideo si cauetur pinus ad aquæ ductus & obturatur profunde in terra, multis durat annis, & super terram iacens, & in loco humido ac pluuioso corrumpitur citius & senescit, quæ totaliter in aqua occultata sub terra, ex aquæ fluxu indurescit, diu itaque durat sub tecto, nec de facili admittit cariem nec teredinem, nisi per stillantem pluuiam corrumpatur, sed sub terra profunda diutissime ab omni putredine conseruatur. E conuerso autem abies sub terra in aqua cito putrescit, firmissima vero est infra tectum, *Vt dicit* Plinius *lib.* 21. *cap.* 10.

Cap. CXXII.

De Pinea.

Pinea dicitur pini fructus, *Vt dicit* Plinius in imo, iuxta stipitem grossus & rotundus, in summo vero pyramidalis & acutus, in principio est viridis, sed quando bene maturus est, alterius coloris efficitur, & colore castaneæ coloratur. Et est pinea nux maxima continens in se pro fructu grana multa, quæ in testis durissimis sunt inclusa, quæ quidem per ordinem sibi inuicem sunt connexa, & tamen ne vnum tangat aliud testarum suarum folliculis quasi quibusdam parietibus miro naturæ artificio sunt distincta. Sunt autem sic ordinata grana, vt maiora maiorem & grossiorem partem occupent, & minora minorem teneant ordinatissime, & ad graciliorem locum & acutiorem sub maiore pondere sese inclinent, nam pars grossior superius per quandam caudulam adhærens arbori, depresso ad terram acumine inferius aliquantulum se inclinat, & est pinea fortis adhærentiæ & magnæ conglutinitatis quam diu recens est, & à sua pingui humorositate nodum vetustate aliqua desiccatur, consumpta pingue-

dine siue humore viscoso desiccata pinea dissoluitur, & sic pars à parte, & nucleus à nucleo separatur. *Et ideo secundum Dioscoridem & Platear.* quando est vtendum nucleis pineæ, oportet vt integra pinea ponatur supra carbones & leniter exuratur, & sic duplex cortex eius, interior scilicet & exterior auferatur, & tunc valde medicinalia sunt grana ista, habent enim virtutem leniendi & humectandi & aliquantulum aperiendi & mundificandi membra spiritualia, & tussim mitigandi, hecticis & consumptis subueniendi, & sanguinem augmentandi. Cortices etiam eius sunt medicinales, habent etiam sua stipticitate virtutem sistendi sanguinem, maxime menstrualem, & etiam dysentericum fluxum ventris restringendi, *Vt dicit Platearius & Plinius lib.* 15.

Cap. CXXIII.

De Pice.

Pix pini lacryma est, per coctionem ignis cum nigredine indurata, *Vt dicit Isidorus.* Picis autem duplex est species, scilicet naualis quia naues inde liniuntur, & earum rimæ ne subintret aqua, picis beneficio obstruuntur, & liquida & vtraque calida est atque sicca. Alio tamen modo componitur dura, & alio modo liquida, & à multis colophonia vel pix græca dicitur, quia in Græcia in quantitate maxima inuenitur. Vtraque est medicinalis, virtutem enim habet dissoluendi & consumendi, vnde valet contra vitia splenis & eius opilationem, & in multis aliis ponitur malagmatibus & emplastris. *Et dicit etiam Dioscorid,* quod valet contra venenum, & morsibus venenatis succurrit cum sale trita, pix autem ignem inflãmat, manum tangentis inquinat maxime calefacta, vestes mundas & candidas sordidat & maculat, cuius macula quo ad calorem & odorem vix à vestibus deletur.

Cap. CXXIV.

De Pyro.

Pyrus est arbor fructifera, sic dicta, quia in specie ignis est formata, nam eius fructus à lato incipit, & ad modum ignis in angustum finit, *Vt dicit Isidorus libro* 17. Pyrus dici-

dicitur arbor, sed pyrum eius fructus est, & fructus eius est cæteris fructibus ponderosior, *Vt dicit idem*, vnde pauca pyra videntur ponderosiora esse, quam multa poma, *Vt dicit idem*, etiamsi dorso iumenti apponantur. *De pyris autem sic loquitur Isaac in diætis, dicit enim:* Pyrorum duæ sunt species alia est syluatica seu agrestis, alia domestica & hortensis, vtriusque autem pyri frondes & rami sunt stiptici & constrictiui, sed fructus inter se multum differunt. Nam pyra agrestia magis sunt pontica & terrestria, magis frigida & sicca quam domestica, magis insipida & dura gustui, quia plus generaliter indigesta, & ideo cibo non conueniunt sed solummodo medicinæ, quia vehementer constringunt ventris fluxum & reprimunt cholericum vomitum, si decocta in aqua fluuiali super stomachum apponantur. Domestica vero pyra immatura sunt, pontica, grossa & dura, & ad esum insipida atque mala, tamen per elixationem & decoctionem in aqua dulci & mellis seu alterius dulcis appositionem eorum potest terrestreitas aliquantulum digeri, & asperitas temperari, nec sic tamen multum conueniunt cibo sed potius medicinæ. Pyra domestica matura, frigida sunt & sicca, quorum stiptica substantia cum aquosa dulcedine est admixta. Et ideo conueniunt cibo & medicinæ, melius tamen conueniunt vtroq; modo post cibum quam ante, nam post cibum laxant & comprimendo cibaria depellunt ad locum decoctionis, & neruos orificii stomachi confortant, ante prandium vero sumpta, constipant, & si in multa quantitate à ieiunis sæpius assumantur vermes in ventre generant, & cholericam duram & intolerabilem alias incurabilem prouocant passionem, & illa pyra, quæ sunt dulcia, temperatioris sunt complexionis, & minus sunt frigida aliis, ideo frigidis & siccis plus conueniunt. Hoc autem pyra habent proprium quod cocta cum fungis malitiosis omnem ab eis auferunt læsionem, & maxime syluestria propter suæ ponticitatis intensionem, *Vt dicit Isaac.* Puluis siue cinis pyri syluestris valet bibitus contra fungos, *Vt dicit idem.* Semper autem post esum pyri debet subsequi vsus vini. Nam *Vt dicit quidam:*

--sine Vino sunt pyra Virus.

Cap. CXXV.

De Prino.

PRinus est arbor, quam Latini Prunum vocant, & cum illius arboris multa sunt genera, melior est Damascena, à Damasco oppido primitus asportata, *Vt dicit Isidorus* cuius fructus stomacho conuenit & medetur. Hæc sola arbor gummi glutinosum & compactum distillat, quo vtuntur medici & scriptores. *Vt dicit Isidorus lib.* 27. Fructus autem prini dicuntur prina, quorum quædam sunt alba, quædam rubea, quædam nigra, quæ nigra sunt & aliquantulum dura & acida, sunt stomacho vtiliora, qualia sunt Damascena, frigida sunt enim & humida quãdo bene sunt matura, humectant ac infrigidant & dantur contra febrilem calorem, & siccam ventris constipationem. *Papias tamen dicit* quod prunus est arbor idem quod lentiscus. *Sed glossa super Danielem dicit*, quod prunus & lentiscus sunt eadem arbor, sed cum ex lentisco non fiat prunus, non erit eadem arbor prunus & lentiscus.

Cap. CXXVI.

De Papyro.

PApyrus dicitur quidam iuncus, qui desiccatus ad nutrimentum ignium in lucernis & lampadibus est valde aptus, & dicitur quasi pabulum ignis. πῦρ enim ignis dicitur, quia in cereis ponitur ad ardendum, & est herba viridis & rotunda, & exterius valde plana, interius habens mollem medullam, albam, siccam, bibulam & porosam, decorticatur autem papyrus vsque ad medullam & sic desiccatur, parum tamen derelinquitur de cortice in vno latere: vnde medulla tenera sustentetur, & quanto minus habet de cortice, tanto clarius ardet in lampade, & facilius inflammatur. Locus autem vbi crescit in paluſtribus & pratis, & aquarum ripis, hic papyrio onis nuncupatur, *Vt dicit Isidorus*, & dicitur hæc papyrus. De papyro autem fiunt vasa papyria, nam papyrium est, quicquid potest fieri de papyro, tantæ autem sunt magnitudinis papyri circa Memphim & in Iudæa, vt ex eis fiant naues, *sicut dicit glossa super* 18. *cap. Isaiæ, & hoc testatur* Plinius *& idem testatur historia Alexandri*. De papyris etiam fiunt chartæ in quibus

bus ſcribebantur epiſtolæ, quæ per legatos mittebantur, fiunt etiam ſportulæ, pyxides & capſæ de papyris in quibus literæ & alia reponuntur. *Sicut dicit gloſſa. Secundum Plinium autem* multum valet medulla papyri ad aquam de aure extrahendam, illam enim naturaliter imbibit & ad ſe trahit, & ideo aqua extrahitur à vino cum papyro. *De papyris dicit Plinius lib.*13.*cap.* papyri, inquit, creſcunt in paluſtribus Ægypti & aliis quieſcentibus Nili aquis, vbi aquæ in altitudine duos cubitos non tranſcendunt, habent autem radices papyrorum in illis ſtagnis creſcentia ſpiſſitudinem vnius brachii, & ſunt triangulares in lateribus, ex quibus creſcunt iunci, non amplius in altitudine decem cubitorum, & illis radicib. incolæ pro lignis vtuntur ad comburendum, & ex ipſo papyro fiunt varia vtenſilia & ex eis nauigia texunt, & nauium vela, funes & etiam veſtimenta, & inde faciunt vſum chartæ, *hucuſq; Plinius.*

CAP. CXXVII.

De Paliuro.

PAliurus eſt carduus aſperrimus & ſpinoſus, creſcens in terra aſpera & inculta, *Vt dicit Iſidorus*, habens quædam capitella ſpinoſa, & ad tangendum difficilia, nam manum lędunt tangentis, & in illis capitellis continetur ſemen diureticum valens, *Vt dicit Dioſcorides* morſibus venenatis & ad calculum confringendum. Paliurus itaque eſt herba aculeata, pedes vulnerans tranſeuntis, cuius haſtulæ ita ſunt ſpinoſæ quod etiam præ aſperitate contingi ſe vel comedi ab aſinis non permittunt.

CAP. CXXVIII.

De Papauere.

PApauer eſt herba ſomnifera, ſoporem enim languentibus facit. Et eſt duplex, ſcilicet vſualis & agreſtis, ex qua fluit ſuccus, quem phyſici opium dicunt, vſuale autem aliud album, quod eſt frigidum & humidũ, aliud nigrum, quod eſt frigidum & ſiccum, aliud eſt rubeum, & agnoſcuntur hæ ſpecies per flores albos, purpureos ſiue roſeos & ſubalbidos. Capita habent magna ad modum mali granati, in quibus recolligitur ſemen ſuum, ſemen autem

eſt

est vnctuosum, vnde ex eo fit oleum ad vsus multos, ex succo foliorum & capitellorum fit opium, vnde somnus febricitantibus prouocatur, debet dari cum cautela quia multũ opilat, infrigidat & mortificat, & maxime papauer nigrum in multis antidotis & medicinis salubriter adhibetur, *vt dicit Platear. Plinius Dioscorid. & Macer.*

Cap. CXXIX.

De Plantagine.

PLantago est herba frigida & sicca, quæ à Græcis dicitur arnoglossa, id est agni lingua, *vt dicit Isidorus li.* 17. Eius enim folia sunt plana, & aliquantulum neruosa sunt sicut lingua, & cum rotunditate sunt oblonga, in quorum medio surgit vna hastula fortis & angulosa, in cuius summitate recolligitur eius semen in modum clauę. Et ad huius herbæ similitudinem formatus erat ornatus in infula summi sacerdotis, *sicut dicit magister super Exod. in historia* Et est herba maxime conueniens medicinæ, nam vulnera sanat etiam canis rabidi & eius tumores sedat, Hydropicos iuuat, veneno repugnat & maxime araneatum, eius succus lumbricos necat, & vehementem dolorem ventris mitigat, vulnera saniosa mundat & desiccat, sanguinis fluxum & menstruorum amputat, tumores apostematum in principio repercutit & dissipat, masticata gingiuas tumidas & sanguinifluas reprimit atq; mundat, *vt dicit Dios.* qui multiformiter laudat virtutes magnificas arnoglossæ.

Cap. CXXX.

De Petrosilino.

PEtrosilinum est herba hortensis odorata, sic dicta, eo quod in petris & locis petrosis sæpe oriatur. Cuius species sunt plures, sed optimum est Macedonicum, suaue gustu & odore aromaticum, *vt dicit Isidor.* cuius vsus conuenit esui & etiam medicinæ. Est enim herba calida & sicca, & multum diuretica, apertiua, diuisiua & consumptiua, ac humorum grossorum subtiliatiua, stomachi confortatiua & appetitus excitatiua, & ideo lapidem frangit, menstrua educit, hydropicis subuenit, opilationes splenis & epa-

& epatis aperit, & multas alias passiones, *vt dicit Plin. Dios. & Plat.*

CAP. CXXXI.

De Pipere.

PIper est semen vel fructus arboris aut fruticis, in meridionali parte Caucasi montis crescentis, contra feruidum æstum Solis, *vt dicit Isidor. lib.* 17. cuius folia iunipeto sunt similia. Cuius syluas serpentes custodiunt, sed incolæ regionis illius cum syluæ naturæ fuerint, eas incendunt, & serpentes ignis violentia effugantur, & ex huius combustione grana piperis, quæ naturaliter erant prius alba, efficiuntur nigra accidentaliter & rugosa. Cuius triplex est species, *vt dicit idem.* nam est piper longum, scilic. quod est immaturum, & piper album, scil. quod ab igne est incorruptum, & piper nigrum, quod scil. torrido calore ignis nigrũ est superficie & rugosum. Piper autem nigrum efficacius est longiori tempore quam aliud, potest in magnã efficacia custodiri, & quanto est ponderosius, tanto est recentius & etiam melius, *vt dicit idem.* Sophisticatur autem mercatorum fraude, nam vetustissimo piperi humefacto, superaspergunt spumam argenti vel plumbi, vt sic videatur ratione ponderis esse recens. *Hucusque Isid. Plin. autem lib.* 12. *cap.* 8. dicit quod piper per longam adustionem. Solis nigrum redditur & rugosum, & hoc non sine piperis iniuria, cum deberet esse album, sed ex cœli intemperie sic nigrescit, hoc etiam permittunt incolæ, vt possit diutius & melius conseruari, *sed Dios.* dicit quod Saraceni, quando de nouo colligitur, illud ponunt in clibano, & sic torrent, vt virtus germinatiua à pipere auferatur, ne in aliis partibus valeat fructificare aut iterum pullulare. Est autem piper calidum & siccum in quarto gradu, *vt dicitur in Plat.* habet autem virtutem dissoluendi, consumendi, attrahendi, cuius puluis habet vim sternutationem prouocandi, & cerebrum à superfluitate phlegmatica expurgandi, & carnem superfluam corrodendi, & pannum in oculo consumendi, & spiritualia membra à frigidis & viscosis superfluitatibus emundandi, maxime si cum ficubus siccis assumatur, habet insuper vim calefaciendi stomachum & confortandi, & appetitum prouocandi, sanguineis tamen

& cho-

& cholericis non est vtilis vsus piperis, nam sanguinem dissoluit, desiccat & exurit, & tandem lepram & alias passiones pessimas generat & inducit, *Vt dicitur in Plat.* Piper itaque granum est vile in aspectu exterius, atque nigrum, interius album, sapore acutum, odore aromaticum, in quantitate modicum, in virtute maximum, actu frigidum, potentia calidissimum, cuius virtus non sentitur quamdiu est integrum, sed cum masticatum fuerit vel contritum. Cuius virtutes dicere ad plenum esset longum, & quamuis sit multum ponderosum apud nos preciosumque propter eius raritatem & efficaciã, apud Indos tamen propter eius copiam pulegio vilius reputatur, *Vt dicit Isidor. & etiam Platearius.*

Cap. CXXXII.

De Pulegio.

PVlegium est herba multum aromatica à pullulando dicta, quæ, *Vt dicit Isid.* apud Indos pipere preciosior est. *Est autem secundum Plat.* pulegium herba calida & sicca in tertio gradu, cuius virtus consistit in foliis & in flore, & debet colligi, quando est in flore, & est duplex, scil. domesticum, quod vocatur sisimbrium & agreste, & vtrumque est multum vtile & medicinale, virtutem enim habet dissoluendi, consumendi & confortandi, & rheuma frigidum constringendi & desiccandi, & tussim frigidam amputandi, & matricem mundificandi, & coarctandi ventris vulnam, menstrua educendi, confortandi stomachum, & appetitum excitandi, ventositatem extenuandi, & dolorem interiorum, scilic. intestinorum ex frigiditate mirabiliter mitigandi, frangendi calculum & conceptum adiuuandi, *Vt dicit Plinius.*

Cap. CXXXIII.

De Porro.

POrrum nomen est heteroclitum, quod in singulari dicitur hoc porrum & in plurali porri. Versus:

Dat rastrum rastros porrumq; facit tibi porros.

Et etiam in lib. Numeror. 11. *cap. dicitur. In memoriam nobis veniunt,* porri, *cæpa & allia, &c.* Porrorum autem duo

duo sunt genera, scil. capitatum & sectile. Sectile autem dicitur paruulum nondum transplantatum. Capitatum vero maius quod de loco ad locum translatum est, *Vt dicit Isid. lib.* 17. Porrum sectile plus conuenit medicinæ quam esui, capitatum vero econuerso. Est autem caput album, carnosum, pelliculis siue tuniculis circumuestitum, habens in fine plures radices loco capillorum, quibus terræ adhæret, & suscipit nutrimentum, de medio autem capitis erumpit planta, *Vt dicitur in libro Vegetabilium*, habens in stipitis superficie caput in quo semina colliguntur, & habent singula grana singulos pediculos, per quos adhærent plantæ. Non facit semen primo anno sed secundo, *sicut etiam dicitur in lib. Dios. & Macri.* Hippocrates in multis medicaminibus porro vtebatur, nam illius succum dedit solum ille bibendum contra vomitum sanguinis, vnde valet contra sterilitatem si à puellis sæpius comedatur. Succus eius cum vino bibitus, valet contra morsum serpentis, & cuiuslibet venenosi animalis. Contritum cum melle, sanat vulnera, si super ea emplastretur. Succus eius cum lacte mixtus vetustam sanat tussim, & etiam sanat vitia pulmonis. Succus eius cum felle capræ mixtus addita tertia parte mellis, auri infusus tepidus eius sanat dolorem, & iuuat cõtra surditatem. Cum vino bibitus, soluit lumborum dolorem, vulnera recentia cum sale mixtum porrum cito claudit & sanat, duricias relaxat, & fracturas cito consolidat. Porrum etiam crudum comestum valet contra ebrietatem, stimulat Venerem, & mollit durum ventrem. *Hæc omnia dicit Plinius libro 20. cap. 7. Vbi multa iam dictis superaddit.* Dicit etiam quod odore solo scorpiones abiicit & serpentes, sanat morsum canis cum melle. Valet etiam contra dentium dolorem, & eorum vermes interficit, somnum prouocat, morbum regium interficit & hydropicum curat. Habet tamen quædam vitia, quia aciem oculorum hebetat & inflationem generat, grauat stomachum, sitim prouocat, sanguinẽ incendit & inflãmat, si frequenter & nimium comedatur. *Hucusque Plinius.*

CAP.

CAP. CXXXIV.

De Quercu.

QVercus est arbor glandifera, annosa, solida & compacta, duri corticis, medullam modicam habens interius siue nullam, super folia generans quandam stipticam & insipidam materiam, quam medici vocant gallam, portans fructus qui vocantur glandes, quibus porci & etiam capreoli in nemoribus saginantur, radicem habet fortem & tortuosam, in terra multum se profundantem, & ei fixione fortissima adhærentem, cuius cortices, fructus & frondes cum sint frigidi, stiptici & sicci, sunt vtiles medicinæ. Dicitur quoque quercus à quærendo, eo quod in ea solebant dii gentium responsa dare, *Vt dicit Isidorus lib.* 17. vel ideo quia in ea solebant antiqui quærere glandes ad edendum, *sicut etiam dicit Poeta.*

Mortales primi ructabant gutture glandes.

Fuit autem hæc arbor Ioui antiquitus consecrata. *Vnde dicit Ouidius.*

Et quæ desiderant patula Iouis arbore glandes.

Crescunt autem quercus in locis montosis & saltuosis, & maxime in terra Basan: vnde quercus glandiferę in magnitudine, duricia & fortitudine alias arbores præexcellunt, *Vt dicit glossa Hieronym. super Amos cap.* 2. Est autem quercus idem quod ilex, *quare supra eodem in litera I.* Quercuum fructus glandes dicuntur, quæ crescunt inter folia, nullo flore penitus præcedente, & sunt glandes rotundæ exterius & oblongæ & multum planæ, & speculares aliquantulum, sublucidæ sicut vnguis, *& sicut dicitur in diatis*, glandes frigidæ sunt & siccæ, & ideo difficiles sunt digestioni, & inobedientes, & ventrem constipantes, & tardæ de stomacho descendentes, & dolorem capitis generantes, propter fumos grossos, ex glandibus resolutos, de stomacho ad cerebrum ascendentes. Sunt autem in principio virides, sed efficiuntur quasi fuluæ ad maturitatem pertingentes, crescentes in quibusdam capsulis rotundissimis planis interius, sed callosis exterius aliquantulum & hirsutis Habent autem interius medullam spissam & plenam quadam pellicula circundatam, quæ diuidit inter corticem & medullam, & est cortex cum medulla & capsula

capsula sua magnæ stipticitatis & siccitatis, & non boni saporis, maxime adhuc viridis, sed quando bene maturantur & assantur in igne vel in dulci aqua elixantur, meliorantur in sapore ex aquę dulcedine & calore. Valent enim contra venenum, quia opilant poros, ne ad cor venenositas se diffundat. Humores putridos desiccant, & fluxum menstrualem valde cohibent atque sedant, *vt dicit Isaac in diætis*.

CAP. CXXXV.

De Quisquiliis.

QVisquiliæ dicuntur purgamenta frumenti, *sicut dicit Amos cap.* 8. quæ cadunt quando frumentum purgatur. Quæ quidem inutiles sunt hominibus ad comedendum, porcis tamen & altilibus præbent cibum, admixtæ frumento ipsum inficiunt, & ei nihil afferunt nisi pondus. Quisquiliarum tamen grana leuia sunt & vacua, cauata à vermibus & corrosa, quorum medulla interius consumitur, ideo ipsorum teca vacua inuenitur, propter quod non tantum ventrem satiant quam aggrauant atque inflant.

CAP. CXXXVI.

De Rosa.

ROsa, *vt dicit Plinius*, est arbor spinosa & parua, cuius virtus maxima est in flore, secundario vero est in foliis & semine. Nam arbor est medicinalis quo ad florem, quo ad folia, quo ad semen. Est autem rosa duplex, quia quædam est domestica siue hortensis, & quædam est syluestris. Hortensis plantatur & colitur sicut vitis, quæ si remanserit inculta & à superfluis non purgata, degenerat in syluestrem. Agrestis vero rosa per frequentem mutationem & culturam efficitur vera rosa. Differt autem rosa hortensis à syluestri in florum multitudine, in odore, in colore & in virtute, quia folia syluestrium sunt plana, lata, subalbida, pauco rubore admixta, minus odorifera, & minus operantia in medicina. Folia autem hortensis rosæ sunt multa mutuo cohærentia & connexa, omnino rubea vel omnino albissima mire redolentia, in sapore stiptica & quodammodo mordicantia, & magnæ efficaciæ in medi-

cina. Quanto magis conteruntur & confringuntur, tanto magis efficacia & aromatica sentiuntur. De spina quędam dura & aspera oriuntur, sed tamen spineam naturam nullatenus imitantur. Decore & odore nobilitant spinam suam. Quando autem primo germinant, includitur flos in granoso cortice viridi seu virente, quo tumescente, erumpunt quædam folia dura & acuta, in quorum medio erumpunt alia folia mollia, & se mutuo complectentia & paulatim rubentia, quæ completa contra Solis ortum se expandunt, & quia tenera sunt, & adhærentiæ debilis in principio, ideo illis paruis foliis virentibus inferius rubea, folia tenera & mollia in circuitu innituntur vel muniuntur, in quorum medio apparet semen minutum, croceum, & valde odoriferum, quod adhæret super rosæ fructum. Primo autem formatur rosæ fructus antequam folia ad plenum se expandant. Et eius fructus sunt quidam noduli parui, duri cum quadam villositate, quibusdam granulis pleni, qui primo sunt virides, sed post casum seminis & foliorum in autumno rubescunt, quando plene sunt maturi mollescunt circa hyemem & nigrescunt, & eorum sapor stipticus est & aliquantulum acetosus, sicut sapor mespilorum. Sed inutiles sunt ad manducandum propter villaginem interius latitantem, & comedentis guttur interius offendentem. Nascitur autem arbor rosæ quantum per seminationem: quandoque per plantationem, quandoque per insertionem, & proficiunt rosæ per translocationem & per incisionem. *Hucusque Plin. lib. 20. cap. 4.* Flos rosæ inter flores obtinet principatum, & ideo solet principalis pars hominis, scil. caput, rosarum floribus coronari, *vt dicit Plin.* & hoc ratione decoris, odoris, suauitatis & virtutis. Nam sua pulcritudine aspectum reficit, suo odore olfactum afficit, suauitatis mollicie tactum delinit. Sua virtute multis languoribus & morbis obuiat & succurrit, *vt dicit idem*, viridis enim & sicca competit medicinæ. De viridibus autem foliis rosarum fiunt multa, *vt dicitur in Plat.* nam rosæ minutatim incisæ decoctæ in despumato melle mel reddunt aromaticum & medicinale. Istud enim mel confortat & mundificat, & mundificando dissoluit, & digerit humores viscosos, phlegmaticos atque grossos, cum frigida aqua stringit & constipat, cum calida laxat.

laxat. De rosis autem bene contritis, & cum saccaro bene incorporatis, fit saccarũ rosaceum, quod habet virtutem confortandi & constringendi, valet etiam contra fluxum dysenteriæ & contra vomitum cholericum, & contra syncopim & cardiacam passionem. De rosis etiam in oleo maceratis, fit oleum rosaceum in multis causis necessarium, valet enim contra calefactionem epatis, si inde epatis regio inungatur, valet contra dolorem capitis ex calida causa, si inde frons & tempora liniantur, & valet contra caloris distemperantiam, in acutis etiam somnum prouocat & inducit. Ex rosis etiam viridibus fit aqua rosacea per decoctionem ignis siue Solis, & hæc aqua valet ad supradicta omnia, valet etiã in collyriis oculorum, & in vnguentis dominarum, quia pannum superfluum & maculas faciei abstergit & cutem subtiliat. Ex rosis etiam siccis, fiunt plurimæ medicinæ, nam odor siccarũ rosarum cerebrum reparat & confortat, eius decoctio in aqua cœlesti omnem fluxum ex calida causa sedat, puluis earum sanguinem sistit de naribus profluentem, desiccat & consumit putridum humorem, gingiuas & radices dentium corrumpentem, confortat dentem mobilem casum comminantem, puluis eius cum croco contritus, & albugini oui mixtus, sanat efficaciter dolorem oculorum, & stringit humorem & sanguinem ad oculorum venas defluentem, reprimit tumorem vuluæ, & ipsam releuat descendentem. Has & multas aliæ rosæ virtutes *tangit Plin. 20. cap. 19.*

CAP. XXXVII.

De Radice.

RAdix à radio dicitur, quia quasi quibusdam radiis fixa terræ demergitur in profundum. Vel dicitur à radendis, quia si eradatur, non repullulat. Est ergo radix tam principium herbæ quam arboris, & est mollis in substantia, porosa, villosa, tortuosa, mollis siquidem & pinguis est substantiæ propter faciliorem humiditatis attractæ incomparationem, porosa est propter faciliorem & copiosiorem humoris ad nutrimentum foliorum & frondium transmissionem, villosa est propter abundantis nutrimenti attractionem. Quod enim facit os in animalis corpo-

re, hoc facit radix in corpore arboris siue herbæ, per villos enim adhæret terræ, & quod sibi conueniens est, attrahit de humore, & attractum per poros quasi per venas, transmittit ad nutrimentum plantæ, tortuosa est propter fortiorem adhærentiam & in terra fixionem, variatur autem radix in figura & dispositione, secundum diuersam actionem caloris operantis in substantiali materia radicis, quæ aliquando est subtilis, aliquando grossa, aliquando mediocris, *sicut dicit comment. Alphred. super lib. de plantis*, nam si fuerit materia aquosa, aerea, subtilis, & calor fortis, erit radix oblonga & recta in figura & acuta, & si humiditas nutrimentalis fuerit grossa & terrestris, erit radix dura & sicca, quia talis humor vi caloris fortius coagulatur, si vero fuerit materia mediocris & calor fortis, æqualiter ab omnibus partibus à calore attrahitur, & propter partium æqualium coadunationem rotundatur, & sic fit radix rotunda in figura. Si vero fuerit calor debilis & materia viscosa, non potest multum materiam eleuare nec etiam dilatare, tamen eleuat partes eius leuiores, grauiores proprio pōdere, hinc inde diffunduntur. Et sic etiam in eis relinquitur forma inæqualis cum quadam nodositate & asperitate, radix ab humore terræ actione caloris generatur, à calore cœlesti penetratur, cuius virtute nutrimentum conueniens sibi attrahitur & incorporatur, ex situ & dispositione terræ radix dispositionem consequitur & cōplexionem, nam quæ in terra dulci & mediocriter sicca nascuntur, & aqua nutriuntur pluuiali, sunt meliores, & cæteris laudabiliores, quæ vero nutriuntur in terra molli & palustri, vbi aqua stans est & putrida, de qua hauriūt nutrimentum propter malignitatem & corruptionem aquæ cæteris sunt deteriores, & minus salubres, tam in cibo quā in medicina, *Vt dicit Isa.* Radix occultatur sub terra & latitat ab aspectu, & suam virtutem & efficaciam manifestat in fronde, & in flore & in fructu, in terra occultata viuit, proficit & melioratur, quæ extracta à terra, moritur, deficit & desiccatur. Totius arboris siue plantæ pars despectior est ipsa radix, & tamen sicut vtriusque mater est & principium, sic vtriusque nutrix est & maxime necessarium sustentamentum, & quando profundius terræ visceribus se infigit, tanto efficitur solidius, & firmius arboris fundam en-

lamentum. Radix cum sit in sua substantia valde mollis, virtute tamen & subtilitate innati caloris lapides duros penetrat, & vsque ad eorum intima se profundat, tempore hyemali calor naturalis fugiens frigiditate aeris, ad interiora radicis se recolligit & ibi multiplicatur, ad sui temperamentum & nutrimentum à ramis exterioribus ad se attrahit humorem, & tunc hyeme ex attracto humore radix materiam accipit, quam parturiendo frondes & flores verno tempore post emittit, vnde herbæ quæ prius erant aridæ & siccæ & quasi mortuæ, in hyeme humore euaporante ad superiora in vere reuiuiscunt. Item qualitas scili. bonitas vel malignitas radicis ad ramos deriuatur, & sæpe ostenditur in fructu & flore, quid virtutis vel vitii lateat in radice, sæpius tamen ponticitas siue amaritudo humoris radicis digeritur & dulcoratur beneficio aeris subtiliantis & caloris cœlestis materiam depurantis. Vnde frequenter accidit, quod radix amara fructum dulcem procreat & producit, quod patet in radice vitis & oliuæ. *Hucusque Isaac in diatis Vniuersalibus. Dicit etiam Aristotel* quod arbores, quando infirmantur & non fructificant, solet eis mederi in radice, quia inciditur radix, & lapis ponitur in scissura, & sic effluit grossus humor & corruptus, veluti de coctura, & sic post humore extracto & aere nouo radicem interius subintrante, renouatur arbor & sanatur. *Item dicit Isaac & Galenus* & Musæum alias mysticū Atheniensem dixisse, omnis herba cuius radix est multi nutrimenti, eius semen non est nutrimentum, vt patet in pastinaca, in rapa & huiusmodi, & è conuerso quarum semen nutrit, radices eius non sunt nutritiuæ Est autem quædam herba cui radicis nomen appropriatur, quæ calida est & sicca, & est similis raphano in virtute, habet autem virtutem incidendi, dissoluendi, consumendi & aperiendi poros. Vnde valet contra febres, quæ ex causa frigida procreantur, splenis opilationem aperit, & eius etiam duritiem soluit, hydropicis subuenit & succurrit, redarguentem & acrem habet saporem, & ideo plus conuenit medicinæ quam cibo, sicut rapa è conuerso plus conuenit cibo quam medicinæ. Est enim calida & humida & cæteris herbis & radicibus plus nutrit, *Vt dicit Isaac in diatis*, mollem ac dulcem & inflatam carnem facit, propter sui ventositatem & in-

flationem: vnde cocta melius nutrit, cruda vel male co-cta difficile digeritur, & in venis & in poris facit opilatio-nem, valet etiam secundum medicinam, nam in iure eius pedes podagricorum & arteticorũ loti, doloris recipiunt mitigationem. De semine autem rapæ sicut raphani fit oleum vsibus multis necessarium & maxime in lucernis, non tamen licitum fuit tale oleum apponere in lucerni candelabri in domo Domini, *Vt patet in glossa super Exod.* 27. *Vbi dicitur*, cum distinctione iubetur offerri oleum non raphaninum non myrteum vel myrtinum sed purissi-mum de lignis oliuarum, quia aliud offerre non erat lici-tum, sicut nec accendere ignem alienum quam qui de cę-lo descendit, &c.

CAP. CXXXVIII.

De Rhamno.

RHamnus est arbor multum dura & nodosa, ramosa spinosa. Nam folia habet aculeata, spinis acutissim consita in lateribus & munita, & ideo suis aculeis sol manum lædere contingentis & pedes pungere ipsa foli conculcantis, in principio quando nascitur, folia hab mollia & lenia, & quanto plus crescit, tanto asperior eff citur, & in acutiorem aculeum indurescit *Dicit magist in historia super Iudic.* 20. *quod testante Iosepho* rhamnu habet singulariter hanc virtutem ignem ex se proferend Nam eius folia quando cadunt & desiccantur, multæ d cuntur esse siccitatis & cuiusdam lentę vnctuositatis, & i eo quando adest ignis fortis in calidis regionibus impre sio caloris solaris, folia illa disposita inflammationi modicum calidi & sicci venti flatum incenduntur, cui incensionis occasione aliquando vicina nemora mirab liter exuruntur. *De rhamno etiam dicit Plinius libro* 24 I ter genera arborũ frutex spinosus est rhamnus, habens r mos & folia in quibus sunt aculei recti non adunci, h bens in ramis quosdam folliculos rubentes siue fructu in quibus est semen habens virtutem attractiuam, nam secundinas ab vtero trahit. Est autem arbor magnæ am ritudinis tam in radice quam in foliis & in ramis, est t men vtilis medicinæ. Nam ex succo radicis & thyrsoru per decoctionem fit medicamen, quod medici licium v

can

cant, & in quibusdam aculeis lucidum dicitur, quia oculos reddit claros, nam maculam oculi delet, & valet contra lippitudinem & alia vitia palpebrarum, & ad aures purulentas & gingiuas putridas, & sanguinis exscreationes, & contra mulierum profluuium, quando abundant humores superflui in matrice, quam optime purgat & inanit, *vt dicit Plin.* sanat vlcera labiorum, & valet ad scissuras linguæ, *vt dicit idem*.

CAP. CXXXIX.

De Resina.

RESina *vt dicit Plinius lib.* 28. est lacryma sudore lignorum exhalata, vt balsami ferulæ pini, lentisci & arborum, & etiam virgultorum, quæ sudare perhibentur, ῥέζιν enim Græce emanare dicitur vel sudare, sicut ligna odorifera orientis, sicut gutta balsami aut ferularum, quarum gutta durescit in gemmam scilicet in electrum. Prima autem resina dicitur terebinthina, & est præstantissima præ aliis, & defertur de Arabia, Iudęa, Syria, Cypro & Affrica & ab Insulis maris. Secunda est lentiscina, quæ mastix vocatur, hæc de Chio Insula deportatur. Tertia est pinealis, & hæc nunc est liquida, nunc dura inuenitur. *Hucusque Isidor.* Resina igitur dicitur quodlibet gummi liquidum vel aridum, liquida resina vt balsami & terebinthina dura, vt mastix, thus & myrrha & huiusmodi. Omnis autem resina primo est mollis & liquida vel viscosa, in prima sui emanatione & aliqua remanet liquida, & aliqua calore vel frigore induratur. Omnis autem resina est vtilis in medicina, & ideo ponitur in nobilibus antidotis & vnguentis. Naturas autem & virtutes singulorum quære in locis suis.

CAP. CXL.

De Rubo.

RVbus est densitas spinarum, veprium & aliorum fruticum aculeos habentium, quando in aliquo loco crescunt simul, *vt dicit Isidorus*, & est rubetum siue rubus, nomen appropriatum spinoso frutici ferenti mora agrestia, quibus pastores releuant famem suam. Cuius fructus primo est rubeus, & ideo à rubore fructuum est dictus rubus, in ramos longos, graciles & rotundos, spinosos & densa-

tos,subrubeos,& in se reflexos se diffundit,cuius folia sunt breuia, & in lateribus sunt scissa, aliquantulum & acuta habentia exterius quosdam aculeos paruulos, parum curuos & aduncos valde pungitiuos. Vnde totus rubus à radice vsque ad summitatem aculeatus est & spinosus cuius aculei versus terram parum recurui ad similitudinē dentium sunt formati,cuius fructus primo est viridis,durus & valde stipticus, deinde fit rubeus parum acetosus, vltimo efficitur niger & dulcis, quādo penitus est maturus. Cuius succus est rubeus & inficit sicut sanguis, & fructus exterius tenuissima pellicula & molli circundatus, folliculis quibusdam distinctus, & cum quadam rotunditate parum eleuatus, sed plenus est quadam carnositate humida interius & granosus, & est arbor medicinalis cum fructu suo. Est enim rubus frigidus & siccus, *secundum Platear. Vt dicit idem. Dicit etiam Constantinus* summitates esse eius stipticas, & valere contra calida apostemata & vsturas, & contra rubores oculorum, si cimæ eius cum albugine oui conterantur & apponantur, succus etiam Turionum eius & cimarum valet etiam contra dysenteriam cum aqua hordei. *Hucusq; Platearius, de fructus autem eius vtilitate quære supra in litera M. de moris agrestibus*, in terra quidem sterili crescit, & est optimum circa hortos & etiam vineas munimentum. Nam sua spissitudine bestias & transeuntes homines arcet ab ingressu, leporum & huiusmodi minutorum animalium est receptaculum, auium in eo nidificantium defensaculum & latibulum. Nam ad hoc dati sunt ei aculei à natura, vt eis quasi cum mucronibus se defendat, & ideo manus inuadentium fructus suos vulnerat & pungit, & ad sua interiora aduersarios ingredi non permittit. Rubus etiam vmbrosus est & obscurus, sua densitate Soli non peruius, & ideo colubris & aliis venenatis reptilibus est amicus, & ideo à rubo dicitur rubeta, quædam rana venenosa, quæ rubos inhabitat & frequentat, vnde iuxta rubos dormire non est tutum propter eius venenosa, *vt dicitur in historia super Exodum.*

CAP.

Cap. CXLI.

De Ruta.

RVta est medicinalis herba dicta eo,quod sit feruentissima,cuius duplex est species,scilicet agrestis & domestica, & vtraque est feruida,sed agrestis magis, *Vt dicit Isid. libro decimoseptimo capite Vltimo,*hanc venenis contrariari & repugnare docent mustelæ, quæ primo rutam comedunt & eius odore se muniunt & virtute antequam dimicent cum serpente, *Vt dicit idem,* immo mustela vim rutæ noscens,post ipsius esum inuadit secure & interficit basiliscum,*Vt dicit Plinius,Dioscorides & Constantinus. Multis siquidem laudibus eam extollit Plinius lib.20.cap.28.fere præ cunctis herbis,* dicit enim virtutem habere calidam scil. & siccam, stomachi confortatiuam si sæpe potetur. Item vim habet partus mortui expulsiuam, & immunditiarum matricis eductiuam & consumptiuam, & per consequens purgatiuam. Item virtutem habet humoris venerei consumptiuam, & ipsius appetitus in masculis repressiuam, quia in eis intendit siccitatem & calorem complexionalem in masculis dominantem, ex quarum qualitatum intensione desiccatur humor, & consumitur, qui solet esse in viris causa venerei appetitus, in mulieribus autem frigidis & humidis operatur ex causa contraria contrarium supradictis, decoctio etiam rutæ sedat dura tormenta ventris si potetur, hæc herba calida si super ventris regionem cataplasmetur,mundat & iuuat pulmonem,& pectora ab omni causa humida & frigida membrorum spiritalium infectiua, decocta cum oleo, vermes ventris necat, cruda comesta acuit visum, oculorum caliginem dissipat atque curat, fluxum sanguinis per nares eius succus naribus instillatus desiccat & sedat,comesta vel potata venenis omnibus potenter obuiat,& omnium venenatorum morsibus cum alliis, sale & nucibus contritis pariter curat, mire succus eius naribus instillatus, à phlegmate caput purgat, & epilepticos multum iuuat, dolorem dentium eius decoctio releuat,membra paralytica ad sensum reuocat & poros prius clausos deopilat, ventositatem intestinorum potenter extenuat,& omnem interiorem dolorem sedat,lippitudinem oculorum & ruborem cum cymino in

aqua rosacea, ruta mixta, mundat mirabiliter atq; sanat. Cuius odor omnia venenosa de hortis fugat, & ideo plantatur circa saluiam quam serpentes diligunt & bufones, vt eos fuget. De ruta quoque *dicit Plinius lib.*19.*cap.*9. ruta vult seri in æquinoctio autumnali, odit hyemē, fimum & humorem, siccis gaudet temporibus, terra latericia ac cinere vult nutriri, & cinis eius semini debet misceri, vt careat erucis, mustum rutatum bibebant antiqui Romani contra venenum, & alias multas passiones. Vim seminatiuam habet in semine, in stipite, in surculo & in radice: nam incuruato rami alicuius cacumine statim fixa in terra radicatur & difficilime arescit, amicitia est ei cum fico in tantum, vt nusquam lætior conualescat quam sub fico vel iuxta ficum, *item dicit idem lib.* 20. Errauit Pythagoras qui putauit oculis noxiam esse rutam, quia sculptores & pictores comedunt rutam causa oculorum, & acuitur eorum visus, præcaueant autem grauidæ ne comedant rutam, quia partus interficitur cibo tali, contra profluuium genitale datur, & venerem crebro per somnia imaginātib. succo rutæ inuncti à scorpionibus & araneis ab apibus & vespis non punguntur, nec à succo cicutæ qui est venenum venenorum, inficiuntur. *Hucusque Plinius lib.*20.*cap* 14.

CAP. CXLII.

De Saltu & eius proprietatibus.

SAltus est vastus & syluestris locus, vbi arbores in altum exiliunt & crescunt, *Vt dicit Isidorus lib.*14. *Dicit etiam idem lib.* 14. saltus est densitas arborum alta, vocata hoc nomine, eo quod exiliat in altum & consurgat, & differt à sylua. Nam in sylua crescunt arbores plures & breuiores, & spissius & vicinius sibiinuicem propinquantes. In saltu vero arbores sunt pauciores, sed altiores sunt & maiores: vnde sylua est spissum nemus & breue, & dicitur à ξύλον quod est lignum, quia multa ligna ibi ceduntur & nascuntur, & est idem Sylua nemus & lucus, sed Sylua dicitur à ὕλη quod est vastitas vel silentium, quia Sylua est vbi loca sunt vasta & deserta, & silentia plena. Nemus vero à numine nuncupatur, quia ibi, scilicet in syluis idola statuebant & pro numine adorabant. Sunt autem nemora arbores maiores

maiores vmbrosæ frondibus. Lucus autem dicitur densitas arborum Solis lumen detrahens, & dicitur per antiphrasim à luceo ceslucus quasi lucens minime, sicut piscina dicitur quasi minime pisces habens, *Vt dicit Isid. libr.* 17. Saltus & syluæ siue nemora sunt loca vasta & deserta, vbi crescunt ligna infructuosa multa, & fructuosa pauca & sunt infructuosa maiora & altiora generaliter quam fructuosa paucis exceptis, scilicet quercubus atque fagis, à feris & auibus syluestribus frequentantur, gramina & pascua in syluis & saltibus generantur, herbæ medicinales in nemoribus & syluis præcipue montosis reperiuntur, in æstate virore frondium & graminum decorantur, in syluis est locus deductionis & venationis, nam venantur in eis feræ, & in eis multiplices insidiæ à canibus & venatoribus præparantur. Idem est locus occultationis, nam in syluis sæpius prædones & latrunculi occultantur, in quorum incidentes insidias transeuntes spoliantur sæpius aut iugulantur. Item in syluis propter viarum multitudinem & semitarum incertitudinem sæpius deuiant ignoti, & viam incertam & ignotam præcognita eligentes sæpe ad latronum latibula non sine periculo deducuntur, & ideo fiunt nodi & signa in arbustis, siue arborum ramis, vt viæ tutæ & certæ viatoribus ostendantur, à latronibus autem in biuiis aliquando immutantur huiusmodi nodi siue signa, & sic per signorum falsitatem multi deuiant, & à rectitudine viæ abducuntur. Item ad syluas aues confugiunt & apes, illæ vt nidificent, istæ vt mellificent, aues vt ac aucupe tueantur, apes vt mellis fauos in arborum concauitatibus componentes secretius abscondantur. Item cum syluæ propter earum densitatem sint frigidæ, consitæ, & vmbrosæ, viatores æstu Solis fatigati in vmbroso vacare refrigerio delectantur. Ex syluarum autem multitudine vel magnitudine regionum termini ab inuicem distinguuntur, & per arborum mutuas compressiones & indagines ab hostibus defensantur.

Cap. CXLIII.

De Salice.

SAlix arbor est quędam sic dicta, eo quod celeriter saliat, postquam in aliquo loco figitur vel plantatur, *Vt dicit*

Isidorus

*Isidorus lib.*17. arbor quædam lenta est & mollis, vitibus id est vinearum palmitibus vinciendis apta & colligandis, *vt dicit idem*. Hæc arbor fructum non habet, sed solum semen siue florem. Cuius seminis dicunt hanc esse virtutem, vt si quis illud in poculo hauserit filios non generet, immo etiam filias efficit infœcundas, *hucusq; Isidorus lib.*17. *De salice autem dicit Plinius libro* 16. *capite* 36. salicum diuersa sunt genera: nam quædam in magnam proceritatem virgas emittunt, crescunt quoque in altum & pariunt perticas vinearum, quarum cortices longi sunt & spissi, ac fortes interius albi & exterius virides, ex quibus vincula componuntur, & tales salices quamuis sint fortes, non tamen sunt ita flexibiles, vt minores, & ideo citius confringuntur, quam ad ligandum circumtorqueantur. Sunt & salices minores & cæteris graciliores ductiles supra modum, ac flexibiles, ita quod per circumflexionem non rumpuntur, immo ad instar fili torti fortificantur, & inde fiunt vimina ad vites, & ad dolia colliganda. Est & tertia species salicis inter duas primas, & est in quantitate & in flexibilitate mediocris, nam maior inflexibilior cortice & rigidior est minori, immo & illius rami cortice detracto sunt colore candidi, & contactu lenes atque plani, non nodosi, ex quibus fiunt varia suppellectilia, vt sedes, sportulæ & canistra, per complexionem autem & tonsuram densior fit in ramis. Omnis enim salix quamuis sit quoad fructum sterilis, tamen in frondibus & in ramis fertilis est, & maxime si tempore debito, scilicet in Martio vel Aprili tondeatur, *vt dicit idem. In libr. autem* 17. *ca.* 20 *dicit idem*. Inter acciduas arbores quæ plantantur, propter alias salices obtinent principatum, quæ si binis pedibus à terra putentur, coerceantur, ne in altum crescant, sed in latitudinem se diffundant, vt vlterius sine scala tondeantur, &c. Omnis vero salix tanto in ramis est fœcundior, quanto quidem terræ est propinquior. Processu quoque temporis, quando multum antiquatur, salix deficit paulatim & putrescit, & eius putredo & corruptio incipit interius à medulla, & ideo remanet interius sæpe tota, concaua & vacua, & tamen naturaliter exterius viridis atque pulcra. In cuius concauitate sæpe latent venenosi vermes, vt colubri & serpentes, & ideo dormire sub aliqua salice non est tutum. *Hucusq; Plinius*. Quamuis autem inutilis arbor sit salix

lix quo ad fructum, vtilis tamen est medicinæ. Est enim frigida & sicca, *vt dicitur in Plate.* & habet vim constringendi & consolidandi, & febrilem calorem mitigandi, si detur in potu succus foliorum eius, valet etiam contra dysenteriam puluis corticis eius cõbusti & in potu sumptus. Idem etiam puluis consolidat vulnera vlcerosa. Idem etiam puluis curat verrucas interius in potu sumptus, & exterius cataplasmatus, rami & folia aspersa aqua, aerem infrigidant, circa febricitantes & eos recreant & confortant & somnum prouocant. *Hucusq; Plat.*

Cap. CXLIV.

De Sambuco.

Sambucus vel sambuca est arbor mollis & parua, ex qua componitur quædam species symphoniæ, quæ dicitur tibia vel sambuca, *vt dicit Isidorus lib.* 12 *in tractatu de Musicis instrumentis.* Arbor enim est habens longos ramos, rotundos & planos, exterius valde solidos & compactos, intus vero valde concauos, quadam molli medulla plenos, cuius folia sunt plana & crassa, ac grauis odoris. Flores autem habet multos, candidos, valde aromaticos & minutos, corticem etiam habet duplicem, exteriorem fuluum, & interiorem viridem, & ille cortex viridis valde humidus est actualiter, & eius succus conuenit medicinæ, plures in anno flores & fructus facit, nigri est coloris, & odoris horribilis & saporis, & ideo inutilis est ad comedendum. Est autem sambuca arbor calida & sicca, cuius cortices, folia & flores conueniunt medicinæ, *vt dicitur in Plateario*, diureticam habet virtutem & diuisiuam & attractiuam, & phlegmatis purgatiuam, & ideo valet contra quotidianam febrem ex phlegmate procedentem, succus eius per se vel cum melle lumbricos interficit, decoctio corticis mediani cum vino duriciem splenis & epatis soluit. Idem faciunt folia in oleo decocta & cataplasmata, folia eius & cortices ac fructus decocti in aqua salsa, tumorem pedum dissoluunt, si pedes inde fomententur, succus valet contra hydropisim ex frigida causa, decoctio etiam florum & fructuum in vino fortissimo multum confert contra lepram ex phlegmate, si frequenter fiat, nam phlegmaticos humores corruptos vel corruptioni dispositos mire purgat.

Mirum

Mirum autem est videre in sambuco, nam si cortex medianus stipitis vel radicis radatur versus superius per regionem superiorem purgabit, & si inferius per partes inferiores, soluet, *vt dicit Plinius, Dioscorides & Platearius.*

Cap. CXLV.

De Saliunca.

Saliunca est herba, *secundum Hug.* spinosa & modica à saliendo dicta, eo quod facit saltare se calcantes, & ideo dicitur Gallice cauchetrape, quia capit & lædit pedem se calcantem. *Et hoc videtur dicere Virgilius, decens:*

--- Puniceis quantum saliunca rosetis.

Et secundum hoc est herba, cuius radix est magna & longa, pinguis, mollis & carnosa, sicut pastinaca, & solet poni in electuariis, & dicitur alio nomine Iringis, & emittit quasdam hastulas duras & angulosas, in quarum summitatibus crescunt quædam capitella, circumquaque aculeata sicut calcaria, & crescit in terra sicca, sterili & arenosa, & ab aliquibus scorpio vocant, quia ad modum scorpionis pungit se tangentem, *secundum Plin. autem lib.* 20. *cap.* 7. saliunca est breuis & modica, foliosa & ramosa, & densa quasi manu pressa, multum aromatica fere, vt nardi spica, & quibusdam radicibus minutis adhæret terræ. In Pannonia regione nascitur in locis duris & lapidosis, & est herba calida & sicca, subtilis in substantia, & multum diuretica, cuius radix decocta in vino, sistit vomitum, & stomachum multum confortat, *vt dicit Plin. lib.* 21. *cap.* 20.

Cap. CXLVI.

De Stacte.

Stacte dicitur gutta myrrhæ arboris, & est idem quod ipsa myrrha, *vt dicit glo. super Gen.* 37. Et declinatur hoc stacte huius stactes, inuenitur autem stacten indeclinabile. *Vnde Isa. cap.* 3. *vbi loquitur de odoribus dicit.* stacten est incensum quod ex pressura manat, & est Græcum nomin, quære supra de myrrha in litera M.

CAP. CXLVII.

De Storace.

STorax, *vt dicit Isid.lib.*17. est arbor Arabiæ, similis malo cidonio, cuius virgulæ circa caniculæ ortum cauernatim & lacrymatim lacrymam fluunt, cuius distillatio in terram cadens munda non est, sed cum cortice proprio seruatur. Illa autem quæ virgis & calamis inhæserit, albida est atq; munda, sed primo efficitur fulua calore Solis, quædam autem eius species dicitur calamites, quæ est pinguis & resinosa, humecta, & velut mellosum, odoris iucundi liquorem mittens, cuius gutta profluens & coagulata simili nomine appellatur, nam Græci stiriam dicunt guttam, Græce vero stirax, Latine storax appellatur, vt *dicit Isidor. idem dicit glos. super eccles.*24. Storax itaque arboris stiracis est gutta, & est multum efficax in medicina. Nam *secundum Dios. & Plat.* calida est & sicca, substantiam habens glutinosam, & virtutem habet attractiuam, cuius triplex est maneries, scil. calamita, id est, bona gutta & prima, quæ prius ab arbore effluit & emanat. Alia est storax rubea, quę fluit post primam quæ est purior. Tertia est storax liquida in colore rufa, in odore suauis, in sapore pontica, in substantia magna, & in manibus malaxari potest. Quæ autem dulcem habet saporem, sophisticata est. Discernitur autem sophisticata, quia si vetus est dum malaxatur, puluerisatur & in frusta cadit, si recens est humectatur nimium inde manus, & non satis inuiscatur, & plus habet dulcedinis quam deberet, liquida non sophisticatur. Inter has tres species calamita maximæ est virtutis, cerebrum mire confortat, fumus eius omnem rheumaticum fluxum sedat. Caphala ex ea facta, gingiuas & dentes motos roborat & confirmat, menstruis imperat, contra tussim & raucedinem bene iuuat. vtiliter vero ponitur storax in emplastris contra tineam & pustulas capitis, & multas alias passiones. *Hucusque Dios. & Plat.* fumus storacis, *vt dicit Isidorus*, purgat aerem corruptum, & fugat omnem vaporem & fumum pestilentem.

CAP.

Cap. CXLVIII.

De Sycomoro.

SYcomorus est ficus fatua, in foliis moro similis, in aliis ficus speciem tenet, *vt dicit Magister in historiis lib.* 27. Sycomorus & morus Græca nomina sunt. Et dicta est Sycomorus, quia in foliis moro est similis. Hanc Latini celsam vocant, moro enim longe procerior & maior est. *Vel secundum alios* dicitur à σύκ☉, quod est ficus, & μόρ☉, quod est fatuus, quasi fatua ficus, *sicut dicit glo. super Lu.*19. *Et est secundum Dios.* Sycomorus ficus syluestris, fructus quosdam proferens subdulces, sed nunquam perueniunt ad maturitatem, sicut *de caprifico dicit Plinius lib.*15. *ca.*19. syluestris ficus nunquam maturescit, aliqui tamen comedunt tales fructus, *dicit etiam Dios.* quod Sycomorus lapide contusus, emittit lacrymam ad modum gummi & idem est medicinale, nam succurrit morsibus venenatis, si bibatur, tumoresq; splenis compescit, dolorem stomachi tollit.

Cap. CXLIX.

De Spina.

SPina dicitur arbor aculeata sic dicta, quia spinarum acumine velut quibusdam spiculis contra tangentium iniurias est armata, *vt dicit Isidor.* à cuius similitudine dicitur spina dorsi propter radiolos ossium, quæ sunt acuta, sicut spinæ. Spina autem propriæ dicitur ipse aculeus, qui à stipite exiens, spissus & grossus in sua extremitate pyramidalis efficitur & acutus. *Cuius rationem potes inuenire supra eodem libro, vt dicitur de arbore in generali & dispositione arborum, vbi dicitur,* quod non est de intentione naturæ, ꝙ arbores sint spinosæ, sed accidit ex raritate plantæ per quam attrahitur humor frigidus parum coctus, qui per poros ad exteriora attractus, à calore Solis ad spinam coagulatur, & propter paucitatem materiæ, quæ attrahitur, in fine acuitur, & pyramidaliter figuratur, & hoc aliquando cum quadam inclinatione, vt est videre in rubis & in rosetis, aliquando in erecto acumine ad modum spiculi siue teli. Spinarum autem frequentia signum est terræ sterilis vel incultæ, & est quasi generale, quod omnes frutices & arbores, quę multum sunt spinosę mutuo se connectunt

& al-

& alterutrum se muniunt & defendunt, & contra manus sibi resistentium pugnant & vulnerant, nunquam tamen inuicem sese lædunt, propter suam densitatem radios solares intercipiunt, & rorifluas cœli guttas ad ea quæ sub eis sunt, descendere non permittunt, & ideo quæ iuxta spinas vel intra seminantur, non de facili conualescunt, spinarum punctura manus vel pedes sæpius vulnerantur, & non cessat dolor nisi de locis læsis totaliter extrahantur propter sui acuitatem & puncturam, vix sine falce vel sarculo ferreo euelluntur, & cum fuerint auulsæ, alligatæ per fasciculos in clibano exuruntur, sæpe etiam inter spinas apparent flores & etiam fructus multi. Sed propter florum mollitiem non mollificantur spinæ, imo deficientibus foliis remanent spinæ, & amplius indurantur propter eorum naturalem siccitatem, de facili in igne accenduntur & vehementer inflammantur, & scintillantes ac crepitantes sonitum non modicum faciunt, sed statim postmodum adnihilantur, *sicut dicit glossa super 7. cap. Eccles.* non tamen spinæ penitus inutiles sunt, imo multis vsibus congruentes, nam ex spinis fiunt sepes quibus homines se & sua muniunt, multiplices etiam generant fructus vtiles quos defendunt, *quære supra de rubo in litera R.*

CAP. CL.

De lignis Setim.

Ligna Setim esse dicuntur quædam arbores spinosæ, leues, imputribiles, similes albę spinæ quæ gręce ἄκαντις dicitur, *sicut dicitur super Exodum 25. Vbi dicitur.* Setim nomen est regionis, montis & arboris, quæ albæ spinę in foliis est similis, & est leuissimum lignum imputribile, incremabile. *Vnde dicitur in aurora.*

Ligna Setim torpent nulla putredine iustos.
Signant in cœlis qui sine fine nitent.
Spinam setim vocant quia vi quia pœnis acerbis.
Et quia tormentis itur ad astra DEI.

Secundum Dioscoridem & Plinium virtus est illi stiptica & constrictiua, & fluxus sanguinis sedatiua, folia autem aspera, spinosa & albida, florem habet purpureum & virgulas longas ad grossitudinem manus digiti, in quarum

summitatibus habet capitella spinosa, semine rotundo plena, & valet contra venenum, & fugiunt serpentes odore eius, & potatum valet, quia putrida membra fouet & iuuat, &c.

CAP. CLI.

De Sentice.

SEntix senticis, genus est herbæ vel fruticis, habentis aspera folia, pinguia & diuisa, vt eruca, virgas habet duorum cubitorum, & dicitur sentix à situ vbi crescit, quia inter dura & inculta crescunt sentices sicut spinæ, *vt dicit Isidorus*, capitella habet vt carduus, cuius radix est rufa, longa, pinguis, & etiam medicinalis, & subuenit combusturis, *vt dicit Dioscorides*, & valet contra intrinsecã com puncturam, vbi alii habent, contra venarum intrinsecam compactionem.

CAP. CLII.

De Sepe.

SEpes pis est genus munitionis factæ ex sentibus, spinis atque lignis, nam sudes siue pali in terra figuntur, circa quos spinæ & virgulæ circumnectuntur, & sic domus vel segetes sepis beneficio muniuntur, & dicitur hic sepes huius sepis *Vnde Ecclesi.36.* vbi non est sepes diripietur possessio. Circa sepes etiam latitant venenosi vermes vt ranæ, colubri & serpentes: vnde à sepi dicitur seps, serpens cuius venenum non solum corpus, verum etiam ossa destruit & consumit, *vnde Lucan.*

Ossaq; dissoluens cum pectore tabificus seps, &c.

Et ideo iuxta sepem dormire periculosum est propter latentia venenosa. Sepes imbribus & caumatib. exponuntur cito deficiunt nisi renouentur, & dũ res alienas custodiunt, Soli expositi paulatim se consumunt, & tandem exsiccati & putrefacti, non nisi incendium promerentur. A sepi autem siue à sepio sepis dicitur septum septi, id est ambitus locus scilicet circumclausus, dicitur enim intra septum templi, id est intra ambitum seu clausuram.

CAP.

CAP. CLIII.

De Sude.

SVdes sudis est palus vtraque extremitate exacutus, à suo suis dictus, quia sepes quasi consuta sudibus videtur, eo quod sudes per eam ex transuerso figuntur, *Vt dicit Isidor. secundum Hugut.* vero sudes dicitur à sudo sudis, vel à sudus, da, dum, quod est mundus & purus, eo quod sudes mundantur & purificantur, prius quam terræ infigantur, quæ tanto fortiorem faciunt sepem, quanto plus in terra profundantur, & virgis eas consuetibus fortius constringuntur, & est sudes fœminini generis, & dicitur hæc sudes huius sudis, *Vt dicit Hug. & Ouidius metam. dicit, qua coniuncta est humeris ceruix sude figitur combusta, &c.*

CAP. CLIIII.

De Siliqua.

SIliqua est genus leguminis, sonoris follibus & vacuis, quod magis onerat, quam reficit, *Vt dicit gloss. super Luc.15. secundum Hug.* siliqua dicitur folliculus cuiuscunque leguminis & purgamentum, ex quo porci nutriuntur. *Isid. autem lib.* 17. dicit siliquon, quam Latini incorrupte siliquam vocant, ideo tale nomen à Græcis accepit, quia est arbor, cuius fructus est dulcis. Ξύλον quippe lignum dicunt, liquon dulce, & huic sententiæ concordat *glos. super Exo. c.* 24. *Vbi dicit*, quod fructus siliquæ sunt prædulces, & habent longitudinem vnius digiti, & pollicarem latitudinem, quorum cortex manducatur, *Vt dic. idem lib. cap.*20. quod aliqui dixerunt eam esse ficum Ægyptiam, sed hoc est error manifestus, quia in Ægypto non crescit, sed in Syria.

CAP. CLV.

De Sinapi.

SInapis dicitur à σύν, quod est simul, & napos, eo quod in foliis napo sit similis, *Vt dicit Isidor. lib.*17. De sinapi dicit *Plin. li* 20. *c.*24. Inter has quas Pythagoras laudauerat herbas, asseritur primam laudem tribuisse sinapi, & dicit eam inter herbas obtinere principatum. Calida est & sicca

in quarto gradu, humores grossos & viscosos extenuat atq; purgat, serpentum & scorpionum ictus addito aceto sa... nat, fungorum venena superat, dentium dolorem miti... gat, ad cerebrum penetrat, & ipsum mirabiliter purgat, confringit lapidem & menstruis imperat, appetitum pro... uocat & stomachum confortat, epilepticos iuuat, & hy... dropicos curat, lethargicos excitat, & eos multum iuuat... capillos mundat, & eorum casum compescit, incongruo... autem sonos aurium & tinnitus tollit, oculorum caligi... nem detergit, & asperitatem palpebrarum lenit, paralyt... cis subuenit, quia poros aperit, & humorem infundentem neruos & laxantem & insensibilitatem inducentem disso... uit, & inducit & consumit. Has & multas alias ipsius lau... des prædicat Plinius, & virtutes, & dicit quod maior e... virtus in semine. Semen tamen minimum in quantitate & maximum in potestate. Multum enim est calefactiuum... apertiuum & consumptiuum & sui multiplicatiuum. E... vno enim grano minimo maxima planta producitur, qu... fronde, flore & germine in immensum dilatatur. Semen e... ius in quibusdam folliculis siue tecis oblongis & rotundi... crescit: & illa tecarum beneficio vsque ad maturitatẽ con... seruatur. Flores autem sunt multum crocei & odoriferi, &... cum tota herbæ substantia feruida sit & austera, flores eius maxime ab apibus diliguntur & frequentantur, *Vt dicit Plin.* & tamen nunquam contingunt flores oliuarum, *Vt dicit Plin. lib.* 20. *cap.* 12. ita etiam se multiplicat, vt vbi se... mel seminatur, vix locus inde vlterius liberatur, & vbi se... mel cadit protinus viret, *Vt dicit idem lib.* 18. *cap.* 9.

CAP. CLVI.

De Semine.

SEmen est quod in agro spargitur, ad gignendum fru... ctum, quamuis per quandam appropriationem dica... tur animalium, quod emittitur ad procreandum fœtum *Vt dicit Isidor.* Sementis vero est semen frugum, quando est tempus seminandi, scil. actus seminationis. A multis et... iam dicebatur quondam dea vel domina seminationum. Seminarium vero est vniuscuiusque rei exordium vel vas in quo semen ponitur seminandum. Sed seminium dici...

tur

ur quod à semine est lucratum, *ita dic. Hug.* Et ponun-
ur versus differentiales in Græcismo:

Est animatorum semen campique satorum,
Sementis propriè sementinum quod in area.
Clauditur atq; suo spargetur tempore in agro,
Seminium cuiusque rei dicatur origo.

emen autem, *vt dicit Plin. lib.* 18. *cap.* 24. semen bonum
t anniculum bimum vel trimum, sed vlterius parum va-
t, & ideo illud granum, quod in area subsedit, semini ser-
andum est, est enim optimum, quoniam grauissimum, &
t illud semen optimum, quod est magis ponderosum, &
lterius magis album. Secundum qualitatem autem ter-
e est semen densius vel rarius seminandum, similiter ci-
us vel tardius. Nam in locis humidis celerius, ne semen
nbre putrescat: in siccis vero tardius, vt pluuiæ sequan-
ur, nec diu iacens semen vltro euanescat. Est autem seren-
um minus de semine in terra pingui & humida, quam in
acra, quia in terra pingui in principio nimis crescit, &
er sui multiplicationem nimiã in fine mutuo se destruit,
pprimit & confundit. Quod celerius & citius seminatur,
ebet esse densius, quam quod tardius solo commendatur.
emen enim serotinum debet esse rarum, ne nimia densi-
ate necetur. Artis quoque est semen æqualiter spargere.
am manus cõgruere debet cum gressu semper, quia cum
extro pede. Nec est transferendum semen de locis frigidis
d calidiora, nec è conuerso, nihilque in contrarium præ-
piendum est. Semen seminatum in macro solo raro fa-
t culmum, spicam minutam generat & inanem. Pinguia
ero arua ex vna seminis radice fundant segetem numero-
m. In autumno vero circa æquinoctium est tempus con-
ruum seminationi, similiter & in vere, sed in recta bru-
a serendum non est. Quod patet per hyberna semina,
am ante brumam seminantur, septima die erumpunt, sed
ost brumã vix infra quadraginta. *Hucusque Plin. cap.* 24.
emen itaque est granum modicum & rotundum, habens
 se virtutem suæ speciei multiplicatiuam & conseruati-
am: vnde cum semen terræ committitur ex humore tur-
escit, & ex calore terræ incluso partes rarificante, & hu-
ores circumstantis terræ ad sui temperamentum attra-
ente inualescit & grandescit, & sic cuticula seminis scis-

ſa, germen paulatim emittit, & radices inferius in terra fi-
git, quibus continue nutrimentum ſibi haurit, & ſic tan-
dem vi caloris terram inſenſibiliter aperit & erumpit, ex ſe
producens culmum, frondem, florem, ſemen & fructum.
Et quamuis modicum ſit quod ſeminatur, maximum ta-
men eſt quod ex ſemine generatur. A ſtultis putatur per-
ſemen quando ſeritur, & tamen meliori modo quam pe-
ſeminationem nullatenus cuſtoditur. In ſemine etiam v-
get ſeminalis ratio, in qua operatur calor naturalis, & a-
eius augmentum pariter & nutrimentum, humor nutr-
mentalis attrahitur vi caloris. De ſemine autem median-
te culmo ſurgit ſpica, quæ *ſecundum Iſid. lib.* 17. à ſpicul-
dicta eſt, eo quod in ſpica producantur ariſtarum culm-
na, quæ ad modum ſpiculorum ſunt acuta. Ad hoc enim
facit natura aculeos in ipſis ſpicis, vt contra ſubitos auiu-
minutarum & vermiculorum morſus in ſpicarum ſummi-
tatibus eſſent arma, *Vt dicit idem.* Spica autem ſecundum
diuerſorum ſeminum naturam, ſe diuerſificat in figur-
Nam quandoque eſt lata vt in hordeo, quandoque trian-
gula, vt in ſpelta, quandoque tetragona ſeu quadrangul-
vt eſt in tritico, aliquando eſt rotunda, *Vt dicit Plinius &*
Ariſtot. Eſt autem ſpica in culmi ſummitate multis folli-
culis circumdata, in quibus velut in matrice grana ſemi-
nalia nutriuntur, & vſque ad maturitatis tempora conſer-
uantur. Qui quidem folliculi erumpentes cum grano pr-
mitus manent clauſi. Deinde paulatim turgeſcentib. gra-
nis maxime in tritico fiunt ſciſſi, *Vt dicitur ſup. lib. Ariſto*
de plantis. Spicarum capita generaliter in principio calo-
re eleuante ſurſum eleuantur, ſed quando tendunt ad ma-
turitatem ex granorum pondere inferius aliquantulum
inclinantur. Præterea quando ſunt ſpicæ in vitore ex co-
rupto aere & rore perfuſæ in corruptelam & auruginem
conuertuntur. Imbre vero & rore congruo perfuſæ, & calo-
re cœleſti modo debito circumfotę citius matureſcunt, &
propter roris humectationẽ grana ſua de folliculis cade-
re non permittunt, *Vt dicit Plin. lib.* 17. *Item dicit Conſta.*
& Iſaa. & Alphre. Ex bonitate autem terræ cognoſcitur
bonitas ſpicæ, quia in terra bona & pingui generatur ſpi-
ca bona, quantitate magna, & granorum numeroſita-

mult

multiplex ac referta: in terra vero ſicca & macra è conuerſo, *vt dicit Plinius libro eodem.*

Cap. CLVII.

De Stipula.

STipula ab vſto eſt dicta quaſi vſtipula, collecta enim meſſe ſtipula vritur propter culturam agri, *vt dicit Iſid. libro* 17. vel ſtipula dicitur à ſtipulo ſiue à ſtipo pas, quia ſtipula facit culmum quem ſtipat, *vt dicit Hug.* Eſt proprie ſtipula idem quod ſtramen vel palea cum foliis & vaginis quod relinquitur in agro ſpicarum multitudine præciſa falcibus & à meſſoribus collecta, & hæc ſtipula a multis recolligitur ad diuerſos vſus. Nam quidam inde domos contegunt, quidam loco ſtraminis ſtipulam ſibi ſternunt. Alii palearum vice animalia inde reficiunt: alii vero ſtipula ignes nutriunt & panes & cibaria inde coquunt, *vt dicit Plinius libro* 18. *capit.* 30. *quare ſupra de palea in litera P.* Stipula quidem eſt res leuis, concaua, ſicca, & hiſpida, & vento ſubdita & ab igne facilime inflammata, *vt dicit idem.*

Cap. CLVIII.

De Simila.

SImila tritici eſt medulla, farina ſcilicet puriſſima & delicata, vnde fit panis nobiliũ, qui ſimilago prope nuncupatur. Et eſt flos tenuiſſimæ formæ, mundiſſimæ & albiſſimæ & molliſſimæ ac diuerſis cibis aptæ & etiam medicinis. *Quare ſupra de farina in litera F. & de polenta in litera P.*

Cap. CLIX.

De Scopa.

SCopa eſt arbor à ſcopando dicta à ſcopo pis, vel à ſcopo pas, quod idem eſt quod purgo purgas, eo ſic dicta quod ex eo ſcopentur tecta, *vt dicit Iſidorus lib.* 17. Hæc à multis dicitur Birck/ & habet folia leuia ſicut tremulus, eo quod eius folia cum ſint tenuiſſima leuiſſimo ventorum agitatu tremere videntur. Multas habet virgulas duras & nodoſas, quibus pueri dorſis denudatis ſæpius caſtigantur.

Ex eius etiam ramusculis fiunt scopæ, quibus purgantur domus à puluere & aliis sordibus euacuãtur. Semina quædam facit vacua ad modum quisquiliarũ siue siliquarum, quibus vtuntur homines syluestres loco panis. Habet autem hæc arbor multum de succo acido aliquantulum pungitiuo, vnde solent homines in vere & in autumno cortices incidere, & humorem effluentem recolligere, quem bibunt loco vini, talis siquidem potus sitim sedat & compescit, multum inflat, vt dicunt, sed non reficit nec inebriat neque nutrit. Idem etiam succus in aliquo vase sub dio diu à calore Solis decoctus, corrumpitur & putrescit, & conuertitur in pinguedinem, & efficitur vt vnguentum. Multi etiã detrahunt per ignis decoctionem ad modum picis, & quamuis sit horribile & nigrum fœtidumq;, tamen multis vsibus est necessarium, & ideo syluani homines in desertis semine & succo istius arboris vtuntur pro annona, pro vinea, & etiam pro oliua, *vt tangit Plinius vbi agit de arborum succis, lib.* 20.

CAP. CLX.

De Stuppa.

Stuppa est purgamentum canopi siue lini. Et dicitur secundum antiquos stipa, eo quod ex ea rimæ nauium stipentur, vnde etiam & stipatores dicuntur, qui eam præparant in vallibus & componunt, *vt dicit Isidor. lib.* 19. vbi agit de lanis, per multas autem carpinationes & pectinationes stuppa à lini vel canopi substantia separatur, separata grossior, nodosior, hispidior & breuior inuenitur, & ideo ad vendendum & filum componendum non est multũ apta, fiunt tamen inde fila multum grossa & inæqualia nodis plena, ex quibus fiunt elychnia necessaria vsib. candelarum. Nam cum sit magnæ siccitatis de facili inflammatur, vnde subito accenditur, & citissime redigitur in cinerem & fauillam, & quando extinguitur, amarum reddit fumum, tetrum oculis, & naribus nociuum. Vtilis autem est stuppa medicinæ, quando à suis hastulis est bene purgata, valet enim ad vulnera desiccanda & sananda ad mitigandam arsuram & reprimendum tumorem oculorum, *vt dicit Plinius lib.* 19. *cap.* 10.

CAP.

CAP. CLXI.

De Taxo.

TAxus est arbor venenata, ex cuius succo venena toxica exprimuntur. Arbor est fortis & procera, habens ramos grossos, flexibiles & longos, ex quibus faciunt Parthi arcus, *sicut dicit Isid. libr.* 17. *Vnde Poeta:*

Taxi torquentur in arcus.

Eius vmbra est nociua & dormientibus sub ea mortifera. Cuius succus nimis laxat, cuius carbo ignem græcum seruat inextinguibilem, *Vt dicit Dioscorid.*

CAP. CLXII.

De Tabula.

TAbula à teneo tenes est dicta, & est in vna significatione mensa diuitum quasi tenabula, eo quod bolos teneat & vasa & mensalia, quæ desuper apponuntur, super pedes erigitur & quodam limbo circumducitur & ambitur. Alio modo dicitur tabula alea, in qua luditur, & hæc duplicatur & diuersis coloribus insignitur. Tertio modo dicitur lignum planum & tenue, in quo posito colore literæ inscribuntur. Quandoque cõplanantur breues asseruli, & attenuantur atque concauantur ex vtraq; parte parum, & artificialiter compaginantur & replentur cera nigra, viridi vel rubea ad scribendum. Et dicuntur tales asseres tabulæ, eo quod teneant literas, quæ in eisdem tabulis sunt conscriptæ. Tabulæ autem tanto sunt meliores, quanto ex ligno planiori, leniori & duriori componuntur. Alio modo dicitur tabula à tegendo, quasi tegula, asser longus, latus, serris diuisus & sectus cum securibus vel dolatus, nam huiusmodi ligna ad domorum tecta sunt vtilia, quia ex eis fiunt tabulata, scilicet laquearia & ædificia alia ex talibus tabulis artificialiter composita & compacta, arte mira & multiplici castratura, disponuntur post multiplicem superfluorum resectionem, vt tales tabulæ inuicem æqualiter coniungantur. Domus ornant & tamen positæ in salariis cum omnibus deseruiant, ab eisdem tamen quibus seruiunt continue cõculcantur, trabes quidem per latum sibi inuicem habent, quasi æquali distantia

suppositas, quarum sustentaculo se defendant, vt minus incuruētur, quando à pauimento vel aliis rebus superpositis ipsa tabulata nimiū onerantur, nauibus componendis, pontibus construendis, cistis & aliis vtensilibus fabricandis, tabulæ necessario reparantur & dolantur, clauiculis & aliis artificiis compaginantur, ad tabulas etiam confugiunt naufragantes, & à periculo sæpius liberantur.

Cap. CLXIII.

De Trabe.

TRabs est lignum transuersale, quod ponitur per latitudinem domus, ex vtraque extremitate parietes tangens & tenens, ne lapsum vel incuruationem propter suam altitudinem patiantur. Et dicitur hæc trabes vel trabs à traho trahis, quia ab vno pariete ad alium trahitur, cui infigitur & vnitur, *vt dicit Huguicio*. Oportet autem vt trabs sit longa, fortis & spissa, & maxime circa medium, ne forte si fuerit nimis gracilis in medio incuruetur, vnde propter incuruationis periculum sæpe oportet vt columna vel statua sustentetur. Nam lignum si ponitur per transuersum sustentaculo indiget, quod erectum alia sibi superposita de facili sustineret.

Cap. CLXIV.

De Terebintho.

TErebinthus, *vt dicit Isidorus libro* 17. arbor est resinam sudans omnibus aliis præstantiorem, cuius resina dicitur terebinthina, & est multum medicinalis. Nam *secundum Dioscoridem* eius folia, fructus, cortices & semina stiptica sunt, & simili diligentia colliguntur sicut tini, & sunt contraria morsibus venenosis. Eius resina est bona, quæ est munda, lympida & aromatica, in colore rufa & habet virtutem dissoluendi, laxandi & maturandi, & ideo prodest contra apostemata dura & alias collectiones tam in capite quam in membris. De terebintho autem *dicit Plin. li.* 13. Syria, inquit, terebinthum habet, & est species eius duplex, scilicet mascula & illa quæ est sine fructu, scilicet fœmina, & hæc est duplex, vna habet fructum rufum, magnitudine lenticulæ, alia pallidum, magnitudine fabæ, & est fructus

odore

odore iucundus, & tactu pinguis & resinosus. Et est in Syria arbor magna & est ei materies lenta admodum & durabilis, quando vetustate nigrescit & splendescit. Eius folia sunt densa, & habet quosdam folliculos quædam animalia, vt culices emittentes, quæ corticem terebrant, & sic cortice perforato guttæ resinosæ effluunt & emanãt. *Item Plinius libro 24. cap. 6.* terebinthina radix & folia in vino decocta, stomachum confortant, contra dolorem capitis iuuant, placet terebinthina odoratissima tam Syriaca quam Cypria, pura, perlucida & subalbida cum aliquo rubore, & illa, quæ est montana potius quam campestris, vulnera sanat & purgat.

CAP. CLXV.

De Thyinis.

THyina sunt ligna quædam preciosissima ad modum hebeni, ex quibus Salomon fecit gradus & fulcra in domo Domini, *Vnde dicit glossa 3. Regum* 10. *cap. super illum locum. Attulit autem Hyram ex Ophir ligna thyina*, & ligna thyina sunt imputribilia & spinosa in similitudine albæ spinæ rotunda & candida, & valde fulgentia, & polita instar speculi siue vnguis, vnde in eis resultant imagines sicut in vngue, in igne non comburuntur, neque in aqua resoluuntur, sicut nec ligna Sethim & multi crediderunt eadem esse ligna.

CAP. CLXVI.

De Thyrso

THyrsus est tam arborum quam olerum & herbarum frutex medius, sic dictus quod de terra sursum est erectus, *Vt dicit Papias.* Est itaque pars planæ superior, tenerior, viridior, mollior ac pulcrior, cœlo vicinior, à terra remotior, rore cœli perfusior, foliis & ramusculis tenerrimis plenior, & est melior in medicina nam in Thyrsis maxime viget virtus herbæ.

CAP. CLXVII.

De Tigno.

TIgna sunt ligna, quæ â parietibus vel muris vsq; ad cacumen ædificii sunt erecta, supportantia totum tectum,

ctum, ad modum coni vel pyramidis sursum tendunt, & paulatim se inclinantia ad alterutrum in cacumine mutuo se contingunt. Et dicuntur tigna à tegendo vel à tegula, quia tegulis ad sustentationem tecti supponuntur, tegulæ autem dicuntur ligna quædam longa valde & aliquantulum lata, plana & tenuia, quæ ex transuerso tignis multis clauiculis affiguntur, & in eis etiam asseres vel lateres suspenduntur. Sunt autem tigna fortia, dolata & quadrata & complanata, sunt autem tigna fortia & grossiora versus domum & exiliora, & minus fortia versus tectum, exterius lateribus & asseribus vel straminibus onerantur, interius vero pulcris laquearibus decorantur, & in ipsis laqueantur & figuntur. Et dicuntur laquearia asseres, quæ interius ad decorem cameræ tignis coniunguntur, & a tignis dicitur tignarius, qui tectoria tignis inducit, *vt dicit Papias*.

CAP. CLXVIII.

De Tritico.

TRiticum a tritura est dictum, vt purissimum in horreo seu granario recondatur, vel quia granum eius commollitur vel teritur, vt edatur, *vt dicit Isidorus lib.*17. Est autem duplex triticum, scilicet rubeum exterius, in vtraq; extremitate acutum, in latere scissum, interius albissimum graue & ponderosum, & illud genus est optimum, *vt dicit Plinius*. Aliud est colore croceum exterius, interius vero album, in superficie lucidum & leue, frangi difficile. *De proprietatibus autem & generibus eius quare supra de frumento in litera F. Sicut dicit Isaac in dietis,* diuersificatur triticum ex diuersitate soli in quo seminatur, nam quod crescit in terra pingui atque putribili, crassius est, pinguius atque ponderosius & nutribilius, quam id quod crescit in terra macra siue sicca, vnde bonitas tritici intenditur ex bonitate soli, & è conuerso. Triticum autem ex diuersitate temporis variatur, nam quod nascitur tempore moderato in quantitate & qualitate, erit perfectum, ac medullæ multæ & corticis valde pauci & peroptimi nutrimenti. Immoderato vero tempore exortum imperfectum. Item differt secundum vetustatem & nouitatem & mediocritatem, nam quando est vetustum longo tempore conseruatum,

uatum, nimis efficitur ſiccum, & durum ad digerendum, & modice nutritiuum, quia tunc eius humiditas ſubſtantialis à calore aeris minuitur, & nimium deſiccatur. Nouũ vero paruo tempore reſeruatum pro humiditate ſuperflua & viſcoſitate terræ humidum eſt ac viſcoſum, denſum ad digerendum durum & inflatiuum, ventoſitatis & rugitus ventris generatiuum. Medium vero inter nimis nouum & vetuſtum, inter multam humiditatem & paucam temperatum magis laudabile eſt & amplius nutritiuum, nam exhauſta humiditate accidentali ſubſtantialem humiditatem in parte calor aeris temperat, & ideo tale triticum magis eſt laudabile & melius nutrit, & bene digeritur, perditque viſcoſitatem terræ & denſitatem. Eſt autem triticum, *vt dicit Iſaac* calidum & inter humidum & ſiccum temperatum. Sed panis ex eo factus eſt calidior propter calorem ignis & coctionem. Intenditur enim in eo calor naturalis per calorem ignis actualem. Item hanc proprietatem habet triticum præ cunctis granis, quod nutribilius eſt cæteris, & hoc propter ſimilitudinem humanæ complexionis, *vt dicit idem.*

Item triticum eſt colatiuum & mundificatiuum & laxatiuum, & ideo ius de eius farina factum purgatiuum eſt pectoris & pulmonis. Idem facit ptiſanũ de eo factum, ſicut de hordeo, quia mundificat & plus quam de hordeo valet etiam contra tuſſim & ſanguinis fluxum. Item triticum coctum cum oleo & poſitum ſuper durum apoſtema, diſſoluit illud. Item coctum triticum in ſucco rutæ diſſoluit coagulationem lactis, ſi mamillæ inde liniantur. Item temperatum cum ſucco iuſquiami, & poſitum ſuper neruos, prohibet humores noxios, ne deſcendant. Item eius granum maſticatum valet contra morſum rabidi canis, nam venenum extrahit, *vt dicit idem.* De tritico autem fit oleum, quod valet ad multa, ſed maxime contra pruritum, ſerpiginem & impetiginem, ſi cum panno albo bene confricetur, quod fit vt virtus olei poſſit melius ſubintrare. Item cortex tritici ſiue furfur habet virtutem colatiuam & mundificatiuam, plus quam farina eius, ſed modicum vel nullum exhibet nutrimentum. Item *vt dicit idem*, triticum recens & nouum parui eſt nutrimenti, & quando comeditur crudum, phlegmaticum eſt & inflatiuum, & in lateri-

bus

bus dolorem commouet & rugitum, cito etiam conuertitur in putredinem, & ideo lumbrici & alii vermes nociui ex tali cibo sæpius generantur. Assatum autem magis nutrit & minus ventositatem facit, & multum constipat & cōstringit. In aqua coctum grauissimum est & multum inflatiuum, & viscosi humoris generatiuum. *Hucusque Isaac in diatis.*

Cap. CLXIX.

De Ptisana.

PTisana, *sicut dicit gloss. super 2. Regum* 1. hordeum dicitur siccatum, pila tunsum & decorticatum, & fit inde cibus aptus illis, qui carent dentibus, ex ptisanis fit etiam potus vtilis patientibus febres, & alias calidas passiones, *quære supra de hordeo in litera O.* Calorem mitigat & alterat, sitim sedat. Et declinatur hæc ptisana huius ptisanæ, & penultima est producta. *Vnde Alexander nequam sic ait:*

Cortice nudato ptisanas hordea dicas.

Et dicitur à πτισσω, quod est percutio, quia percutitur in pila, dum decorticatur, potus autem inde factus ptisanum dicitur *ab Isa. in diat.*

Cap. CLXX.

De Tribulo.

TRibulus est frutex spinosus, qui mollior est, quam sit arbor & durior, quam sit herba. Cuius duæ sunt species, scil. maior, quæ crescit iuxta sepes, *vt dicit Plin. lib. 21. cap. 16.* Tribulus dura res est septa villarum obtinet, in altum crescit, sed cum non habeat vires, vt directe se extollat, incuruatur & versus terram se reflectit, dentes habet acutissimos, aculeos acutos & dentatos, & singulæ eius virgulæ à summo vsque deorsum ad radicem aculeis sunt munitæ. Alia est species tribuli minor, & crescit in locis palustribus, & in campis, & est minor in longitudine & grossitudine, quam sit maior. Folia habet minuta & rotunda, hastulas proiicit, longas, teneras, rubeas, sparsas, per terram diffusas, aculeatas per totum & spinosas. Florem faciunt album & fructum, primo viridem, deinde rubeum, tandem nigrum, & hunc fructum diligunt serpen-

tes,

ntes, colubri & bufones, & ideo talem fructum comedere hominibus non est tutum, & cui ipsum comedere libuerit, eligere debet illum, quia terra magis est eleuatus, & non nimis maturus, qui integer est & intactus, à muscis vel à vermibus non corrosus. Tribulus autem campestris, *vt dicit Plin.* aratro & frugibus est inimicis, viuax enim est & multum se multiplicat, & vix eradicari potest, quando in aliquo radicatur agro, & ideo messem comprimit & confundit pedes & crura transeuntium & manus se tangētium multum lædit, & transeuntes sæpe cadere vel cespitare facit, vestes hominum dilaniat & discerpit, & ouium iuxta se pascua quærentium lanam rapit, & ideo dicitur tribulus a tribulando, quia tribulat & lædit sibi appropinquantes.

CAP. CLXXI.

De Thymo.

THymus est herba valde aromatica. *Vnde Virgilius:*

--- redolentq; thymo fragrantia mella.

cuius flos dicitur epithymum, & est flos medicinalis. Habet enim virtutem melancholicam purgādi & phlegma, & ideo valet contra quartanam & alias melancholicas passiones.

CAP. CLXXII.

De Thymiamate.

THymiama est quædam confectio preciosissima ex onyca & stacte, galbano & thure præparata, *sicut dicitur Exod.* 30. & est dicta à thymo flore odorifero, quia olet suauiter, sicut thymus, *sicut dicit Isid. lib.* 4. *Vbi tractat de odoribus*, talis autem confectio in vsus hominum non debuit fieri, quia dominus offerre in templo super altare thymiamatis hanc præcepit, & ideo in ecclesia nō debet sponsus & sponsa thurificari odore thuris. Inde etiam est quod oblato thure benedicto super altare, si descendat thuribulum ad chorum, aliud thus sine benedictione apponēdum est, & offerendum hominibus.

CAP. CLXXIII.

De Thure.

THus est nomen arboris & etiam gummi inde emanantis. *Vnde Plin. lib.* 17. *dicit*, Thus est arbor Arabiæ

immen-

immensa atque ramosa leuissimi corticis ad aceris quantitatem, succum aromaticum & album modo amygdalæ generans & effundens, & masticatione in puluerem resolutum, est intus pingue & igni appositum, facile ardens, & appellatur apud nos masculus, eo quod natura sit rotundum ad modum testiculorum, reliquum vero est planum & plene scabiosum, & est masculo minus bonum, adulteratur autem admixtũ resinæ albæ siue gummi, sed sua cognoscitur propria qualitate, nam thus igni appositum, ardescit, resina vero fumescit, gummi autem calefactum resoluitur & liquescit. Arbor autem vnde fluit thus, dicitur libanus, & eius gumma à naturalibus ac medicis olibanum nuncupatur, à monte Arabiæ sic vocato, sed à libano arbore fluens olibanum, libanus nuncupatur, *vt dicit Isidor. Et dicit glo. super eccles. 24. super illum locum. Ego quasi libanus non incisus, &c.* Libanus, vt aiunt, arbor est in Arabia, cortice & folio lauro similis, fructum emittens bis in anno, scilic. in vere & in autumno, sed quod per se fluit in principio æstatis melius est, quod vero in æstate cortice inciso paulatim exire cogitur, in autumno vero nec ita candidum est, nec ita purum, sed hoc quod primo adhæret ramis & corticibus, in æstate induratur, & à ramis ferro recolligitur. Thus optimum est quod album, solidum & mundum, odoriferum & rotundum ad modum testiculi ac oblongum, & ideo dicitur masculinum. Thus vero quod apertis corticib. in autumno vel hyemis principio effluit non est alteri simile in virtute, nec etiam in colore, quia illud album est & translucidum, odoriferum valde atque mundum. Thus vero secundarium & rufum est tenue & scabiosum, *vt supra dicit Isidor.* Regio autem vbi crescunt thura, est montosa, & præ altitudine rupium & scopulorum, quasi inuia & inaccessa, *vt dicit glos. eccles. supra dicta. Hæc omnia dicit Plin. lib. 15. cap. 10. & dicit glo.* quod Arabia est regio thura gignens, Sabæa eiusdem regionis prouincia, maxime thurifera, & est terra ex vna parte mari & scopulis, ex altera vero montibus & rupibus vix accessa, vnde thuris arbor sine cultore crescit, & terram argillosam diligit. Dicunt autem Arabes, quod thus non debet recolligi, nec eius arbor incidi, nisi a sacris & religiosis, tempore collectionis contactu mulierum non pollutis, & sic putatur

pr

et religionis obseruantiam merces augeri. *Item ibidem idem cap.* 16. prima naturalis vindemia est circa canis ortum, in fortissimo æstu, nam tunc eius cortex tenuissimus laxatur, & prosilit inde spuma pinguis, quæ concreta denatur, vbi loci natura poscit, hoc purissimum est & candidum. Secunda vindemia versus hyemem, corticibus incisis rufum hoc exit, nec comparabile est priori. Creditur autem nouellæ arboris gummi esse candidius, sed veteris efficacius & quidam putant in insulis melius gummi. Alii negant in insulis nasci. Collectum thus in camelis, defertur in ciuitatem, quæ Sabotriam dicitur, porta ad hoc patente, nec per aliam viam digredi licet, ibiq; decimantur Deo quem inuocant, ibique in mensura & pondere accipiunt sacerdotes, nec ante inde licet mercari, nisi prius DEO debita portio offeratur, candore probatur, & carbone si statim ardeat & inflammetur, si dentem non recipit, sed statim frangitur vel redigitur in puluerem vel in micam. *Hucusq; Plinius. Secundum Dioscoridem vero & Platear.* Thus est gummi cuiusdam arboris in Alexandria, & dicitur olibanum Alexandrinum, quod est purius & melius, aliud inuenitur iuxta Damascum, & dicitur Damascenum & non est ita bonum nec ita purum sicut primum. Est autem calidum & siccum, multum aromaticum, multum pingue & glutinosum, virtutem habet confortandi ex aromaticitate sua consolidandi & constringendi & conglutinandi ex gummositate sua, potenter stringit lacrymas, & fluxum humorum descendentium de capite, præcipue quando fluunt per venas exteriores faciei, si circa tempora eius peluis cum vino albo & cum albugine oui emplastretur, sic etiam sedat dolorem dentium & gingiuarum, masticatum thus prohibet fluxum humorũ à capite ad membra spiritualia ad pectus videlicet & pulmonem, contra indigestionem & acidam eructationem multum valet vinum, in quo fuerit thus decoctum, matricem confortat & mundificat, & conceptum iuuat fumus eius, mixtus puluis eius cum aceto, graciliat & attenuat mammas turgidas puellarum, conquassationibus cum pice subuenit, dolorem aurium mitigat, mixtum cum vino tumoribus intestinorum subuenit si cum vino bibatur. *Hucusq; Dioscorides & Plat.* Dicitur autem thus *secundum Isidor.* a θεὸς, quod

est Deus, quia in Deorum sacrificiis adoletur, & secundū hoc habet aspirationem, vel dicitur à tundo dis, quia habile ad tundendum & sæpe tunditur, & quanto plus tunditur, tanto plus redolet & facilius inflammatur, & tunc caret aspiratione, ex thure incenso procedit aromaticus fumus ad modum virgulæ, & est inferius gracilis, multum mobilis, multis circumuolutionibus anfractuosus, & se ad partes oppositas motu leuissimo circumuoluens, versus superiora se dilatans, immutans aera & obumbrans, odoris sui fragrantia fœtorem cadauerum auferens, ad cerebrum directe penetrans, spiritum animalem confortat, & recreat, per cerebri ventriculos se diffundens.

CAP. CLXXIV.

De Vimine.

VImen viminis dicitur virga mollis, & dicitur vimen eo quod habeat vim multam viroris. Nam eius natura est talis, vt etiam arefactum, si in aqua abluatur, iterū reuirescat, *& dicit Isidorus lib.* 17. ex viminibus fiunt necessaria vitibus vinciendis, & doliis religandis ligamenta, vt patet supra eodem in litera S. *Quære de Salice.*

CAP. CLXXV.

De Virga.

VIrga proprie est, quæ de ramis nascitur, & dicitur à virtute eo quod in se vim multam habeat, & dicitur à virore, nam virtus, quæ latitat in radice se prodit in virore virgæ. Et dicitur virga quasi vi regens, virga enim vtuntur magi ad placandos serpentes, & idcirco in virga sustinent hos alligatos, virga etiam vtuntur philosophi, reges & magistri, *vt dicit Isidor. lib.* 17. virga etiam vtuntur viatores agrorum & arearum seu pratorum dimensores, legati, nuncii ac pastores. Virga siquidem ex triplici componitur substantia, scil. ex cortice, ligno & medulla, mediante medulla nutritur & vegetatur, mediante ligno erigitur & sustentatur, corticis vero beneficio tegitur, & ab exterioris aeris iniuria defensatur. Nam, *vt dicit commentator supra lib. de plantis.* Corticem habet pro pelle arbor, lignum pro osse, medullam loco venæ. Nam calor naturalis

talis existēs potissime in medulla virgæ mediante ramo, à quo pullulat, humorem attrahit à stipite & radice, & quod grossius & terrestrius est in attracto humore transmutatur in lignum & in corticem, quod vero aquosius est, conuertit in frondium multitudinem, & quod vnctuosius est & purius, transmittit ad virgæ superficiem, vt inde producat florem, vt tandem fructum generet atque semen. Nascitur autem tam flos quam fructus de substantia virgæ, sine ipsius corruptione & aliqua violatione, nam flos insensibiliter de virga egrediens & erumpens, virgam non violat nec deflorat, sed fœcundat eam potius, ac perficit & decorat, virga itaque non percipit fæcundationis gratiã, nec potentiam generandi ex commixtione seminis sicut animantia, sed ex rore cœlesti pariter & calore Solis. Virga autem ex quo ascendit, sursum semper tendit, & suam summitatem versus cœlum erigit, quousque perueniat ad perfectum incrementum, & est media inter ramum & stipitem, seu radicem, a qua concipit fructum, & inter fructum, quem producit, ex substantiæ suæ teneritudine flexibilis est valde, & de facili inclinabilis in quamuis partẽ. Item virga extrinsecus est arida & sicca, aspera & nodosa, sed interius mollis est in medulla, & sub cortice humorosa, quanto autem virga plus crescit, tanto a terra plus recedit, & quanto sursum altius sustollitur, tanto in eius acumine gracilior & acutior inuenitur. Item virga ex se debet esse erecta, sed quando est nouella, si casu aliquo ad terram incuruetur, difficile est vt indurata in illa curuitate ad rectitudinem reuocetur, imo sæpe facilius frangitur quam rectificetur. Quando vero virga inuenitur curua, in igne ponitur, & per calorem eius rigorem & duriciem resoluentem & remollientem ad formam rectitudinis facilius reducitur. Item virga canibus est odiosa & paruulis, quia virga eorum insolentia coercetur.

CAP. CLXXVI.

De Virgulto.

Virgultum a virga est dictum, *secundum Hug.* Est enim locus vbi multitudo crescit virgarum. *Secundum autem Isid. lib.* 17. virgultum est ramus, qui de robore ipsius

arboris pullulat. Sed virga dicitur, quæ de ramis oritur & procedit. Virgultum autem sine commixtione seminum procedit. In hyeme vilescit, in vere vero placet, quia tunc virescit & florescit, præcisum rursum pullulat & reuiuiscit, a terra in suo ortu elongatur, & quanto plus crescit, tanto plus versus cœlum eleuatur. Aliquando dicitur virgultum viridarium vel virectum, locus scilicet viridis & amœnus, plantis & herbis virentibus consitus, sicut supra de horto patet. *Quære in litera O.*

Cap. CLXXVII.

De Vite.

Vitis dicitur a vinciendo, quia vincitur & ligatur, *secundum Isidor.* autem vitis est dicta, eo quod vim habeat citius radicandi, vel ideo dicuntur vites, eo quod vim habeant, vt inuicem vitis se innectant, vicinisque arborib. reptando religentur. Est enim earum natura flexibilis quasi, scilicet brachiis quibusdam, quicquid comprehenderint vi teneant & constringant, & illa ligamina quibus arbores vel palos capiunt, capreoli dicũtur, sic dicti eo quod arbores capiunt vel mutuo se connectunt, quorum adminiculo freti palmites ventos sustinent & turbines, ne frangantur. Dicuntur etiam corymbi, quia sunt sicut anuli, quibus proxima quæque ligant, ne longius laxati palmites ventorum flatibus dissipentur, & sine periculo fructus suos sustineant. Vitibus autem ista maxime conueniunt oblaqueatio. Oblaqueari autem est terram circa radicem aperire, & velut lacus efficere, vt radix humore abundantius humectetur, & caloris solaris radio facilius penetretur. Item conuenit eis putatio, & est putare virgam ex vite superuacuam resecare, cuius flagellum luxuriat. Item eis cõuenit propaginatio, & est propaginare flagellum vitis supersternere & quasi porro pangere, & hinc propagines dicuntur primæ, scilicet vitis extensiones. Item eis conuenit fossio, & est fodere terram mouere fossorio vel ligone, vt radices & herbæ superfluę amoueantur, & sic vites melius foueantur. Item eis conuenit pastinatio. Pastinare autem est paxillare, id est palos figere circa vites, vt sustententur, *Vt dicit Papias.* Et dicitur a pango gis, quod

dem est quod palos figere vel plantare, *Vt dicit idem. Secundum Isido.* autem pastinare est fimo vel terra pingui vitem pascere vel nutrire, vt amplius fructificet. Item eis conuenit pampinatio. Est autem pampinare pampinos, id est, folia superflua de vite amouere, vt vuæ liberius aerem purum capiant, & foliis non obumbratæ citius maturescant. Pampini autem, *Vt dicit Isido.* sunt folia, quorũ subsidio fructus vitis ab ardore & frigore defensatur, & aduersus omnem iniuriam præmunitur, qui pampini, *Vt dicit Isidor.* ideo sunt intercisi, vt solaris radius ad maturitatem fructus facilius admittatur. Et sunt dicti pampini, eo quod de palmite pendeant, *Vt dicit idem lib.*17. Item eis conuenit vindemiatio. Et est vindemiare, de vite vuas demere, quod fit, quando fructus vineæ præciduntur & recolliguntur. De vitibus autem *dicit Plin. lib.* 17. *cap.* 22. Vitis quando præciditur tempore congruo & modo debito, ex præcisione vires recipit, & concipit materiam, ex qua fructus vel flores imposterum pariuntur, nisi enim præcisione castigaretur superfluorum, tota infæcunda & sterilis redderetur, nihil enim auidius nascitur, & ideo nisi vires ad pariendum seruentur, non est paritura fructus. In vite autem est natura vt malit parere quam viuere, & ideo quicquid de materia superflua à vite demitur, fructui accedit. Vites vero putationis tempore quanto citius putantur, tanto plus effundunt de materia, & quanto serius, tanto ferunt fructum vberiorem, ita tamen quod putatio tempus debitum non excedat: vnde vites graciles & tenues citius oportet putare, validas autem nouissime. Debet autem præcisio fieri oblique inter duas gemmas, ita vt in parte opposita gemmæ præcisionis fiat vulnus. Ideo autem debet fieri oblique & non directe, vt cito descendant & defluant guttulæ pluuiales, per quarum frequentiam & permanentiam super planam incisuram vitis summitas læderetur, & quanto vitis est gracilior & macrior, tanto plus est de ea putandũ. Quando autem pampinatione indiget, non debet remoueri folium, quod est circa vuam, nisi vinea sit nouella, sed potius alia quæ magis sunt remota, hoc enim vuam supplantaret. Quicquid vero erumpit & pullulat alias quam ab oculis siue gemmis spurium & inutile iudicatur, & statim est rumpendum. *Item idem cap.*24. Vi-

tibus accidit morbus ſpecialis, ſcilicet quando germina nimis tempeſtiue auferuntur, aut quando in ſupinum inciduntur, aut quando noxio rore vel imbre florationis tempore perfunduntur, aut quando nouella germina pruina aut frigore decoquuntur, aut quando ab imperitis cultoribus, aut circumfoſſoribus radices vulnere iniurioſo læduntur, & quando deſquamantur, id eſt, à ſuo cortice totaliter ſpoliantur. Inter omnia autem maxime læditur, quando fortis imber percutit palmitem floreſcētem, quia ſimul defluit ipſe fructus. Ex aere autem corrupto & rore vel imbre noxio creſcunt quidam vermes vt erucæ & teſtudines, vitis germina & folia depaſcentes, & eam ſic depaſtam facile derelinquunt. Naſcitur autem hoc malum in tempore nimis humido atque lento. Accidit etiam eis alius morbus, quem araneum vocant vinitores, quia ex flatu venti noxio & imbre corrupto generantur quædam telæ quaſi aranearum, quib. obuoluuntur fructus & conſumuntur & aduruntur. Lædit etiam vitem raphanus, odit etiam & caulem & omne olus. Odit etiam & corylum, vnde quando talia vitibus ſunt vicina, triſtes & egræ efficiuntur. Nitrum quidem & alumen & aqua marina & fabæ ac viciæ putamina vltima & maxime interimentia vitium ſunt venena. *Hucuſque Plin. lib. 14. c. 2.* Dicit idem, quod apud priſcos vites inter magnas arbores numerabantur. In aliquibus enim partibus ſunt vites ita magnæ, vt ex earum truncis ſtatuæ fiant & columnæ, vt patet in ſimulacro Iouis in vrbe Populonia. Super tectum etiam templi Epheſiæ Dianæ vna vite antiquitus ſcandebatur. Columnæ quoque de talibus vitibus factæ, diutiſſime permanent incorruptæ. In paucis enim lignis natura æternior eſt quam in vite, nullo fine creſcunt, & circa domos & villas circumduci poſſunt. Leuantur etiam in multis partibus ad vlmi vel populi arboris ſummitates, & eorum rami quaſi maritali affectu ſuis brachiis ſe connectunt.

Arbor eſt vtilis & medicinalis, tam in foliis quam in fructu, & emittit & reddit liquorem ſuccis omnium arborum meliorē. Quando præciditur lacrymā emittit puriſſimā, & illa lacryma vtiliter collyriis adhibetur. Per illius lacrymæ emulſionem depuratur eius ſubſtantialis humor in radice: vnde fructus poſtea ſurgit dulcior & purior ex

ipſa

ipsa vite. Folia vitis sunt lata, interius plana, viridia & mollia: exterius autem valliculata & villosa in extremitate, lateribus intercisa & acuta, multum obumbrantia, quorum umbra æstuantibus & quiescere cupientibus est iucunda, & sunt multum medicinalia. Nam vulnera mundant & munda sanant, in aqua decocta refrigerant, calorem febrilem mitigant, æstuationem & tumorem stomachi cataplasmata mire sedant, prægnantem adiuuant, somnum prouocant & cerebrum recreant & confortant. Eius lacryma potata sæpe calculos frangit, *vt dicit Dioscorid*, visum acuit, lippitudinem oculorum tollit, morsibus venenatis & vexationibus succurrit, ventrem sistit. Cinis etiam eius valet ad prædicta, qui succo rutæ & oleo admixtus tumorem splenis spargit, *vt dicit idem Plinius lib. 24. cap. 1. vbi dicit.* Folia vitium dolores capitis amputant, inflationes sedant, cum farina hordei calidam arteticam curant, dysentericos valde iuuant, si eorum succum bibant patientes. Lacryma eius cum oleo super locum pilosum illita modo psilotri, pilos amputat, & hoc facit maxime lacryma, quam ramus vitis viridis emittit & resudat. Verrucas tollit. Cortex vitium & folia arida vulnerum sanguinem sedant, ipsumque vulnus conglutinant & sanant, cinis vitium mox fistulam purgat atque curat, neruorum dolores & contractiones mitigant, scorpionum & canum plagas cum oleo sanant citius. Cinis corticis per se pilos ablatos restaurat & multiplicat. *Hucusque Plinius.*

Cap. CLXXVIII.

De Vite agresti.

Vitis agrestis est labrusca, sic dicta, quia in terræ marginibus crescit. A labro enim dicitur labrusca, scilic. ab extremitate terræ vbi nascitur, *sicut dicit Isidor. lib. 17.* Est autem similis viti viniferæ in foliis sed non in fructu. Nam fructum facit modicum aut nullum, & si quem fecerit ille durus est, stipticus & amarus. Vitis vinifera degenerat sæpe in labruscam, quando non colitur nec putatur, & è conuerso, de labrusca fit vitis vinifera per culturam debitam & tonsuram, *vt dicit Plin.* Et quamuis labrusca non sit quoad cibum vtilis, est tamen quoad medicinam. Nam eius ra-

dix elixa in aqua pluuiali & mixto vino hydropicos curat, & omnes maculas tollit, tussim compescit, puluis radicis eius contra defectum stomachi mire subuenit, *vt dicit Dioscorides. Plinius autem libro 23, cap. 1. dicit sic.* Labrusca græce ampelos agria appellatur, spissis foliis, vinoso cortice, fert vuas rubentes modo cocci, quarum succo mulieres cutem faciei purgant, & illæ vuæ cum foliis & succo tritæ, vtiliter apponuntur, vitiis coxarum & lumborum: tritæ cum aceto scabiem hominis & quadrupedum curant. *Hucusq; Plinius.*

Cap. CLXXIX.

De Vitulamine.

Vitulamen à vite dicitur illa planta bastarda siue spuria & infructuosa, quæ nascitur à radice vitis siue alias non procedens ex ipsis gemmis, & tales plantæ degeneres sunt & innaturales, & ideo non fructificant, sed vitem onerant & grauant, & fructum impediunt ac retardant. Nam humorem attrahunt à radice, qui deberet transferri ad fructum nutriendum & augmentandum, & ideo debent citius extirpari, ne diutius crescentes diminuant fructum vitis, & ideo tales plantæ adulterinæ dicuntur spuria vitulamina, id est, degenerantia & non naturalia, *vt habetur libro Sap. capit. 4. Et est hæc litera Rabani & antiquorum. Quamuis Augustinus in libr. de doctrina christiana dicat,* quod melius dicerentur adulterinæ plantationes, quod quidem verum est quoad simplicium intellectum, vera tamen litera est & bona, quoad intelligentes scilicet spuria vitulamina.

Cap. CLXXX.

De Vinea

Vinea, *vt dicit Papias*, est locus vbi plantantur vites: vnde & vinetum vocamus locum, vbi consita est multitudo vitium. Vinea diligenter excolitur, & ab omnibus superfluis expurgatur, & à cultoribus sæpe visitatur, & ne lædatur à bestiis, maceriis & sepibus circundatur, & ne diripiantur fructus eius, custos in ea super speculam ordinatur. In hyeme sine custodia relinquitur, sed in autumno à mul-

in multis frequentatur. In hyeme valde pallet, in vere & in æstate viret, floret ac redolet, sed in autumno fructu gaudet. Odor florentis vineæ omni venenoso contrariatur, & ideo ipsa florente fugiunt colubri & bufones, sustinere eius fragrantiam non valentes. Virore & amœnitate delectat visum, fragrantia & aromaticitate afficit olfactum. Saporis suauitate reficit gustum, foliorum lenitate demulcet tactum. Aerem diligit purum & serenum, *Vt dicit Plinius*, & minus diligit tempus nubilosum. Terram diligit calidam & siccam, mediocriter pinguem ac dulcem. Nam quando terra est nimis pinguis vel nimis humida, luxuriat in ramos & in folia, & paucos habet fructus: quando vero terra est arenosa & nimis macra, cito deficit & arescit, cùm non inueniat sufficiens fundamentum seu nutrimentum. Similiter si fuerit in terra amara vel salsuginosa, corrumpitur radix eius malitioso humore radicis substantiam subintrante, & ideo diligit terram dulcem, & in suis qualitatibus temperatam, & ideo montes alti soli bene expositi sunt optima loca ad vineam, quia in eis est humor dulcis & calor fortis, & quanto vinea Soli magis est exposita, tanto fructus reddit dulciores. Primo autem est fructus viridis, durus, stipticus & acetosus, deinde per decoctionem Solis dulcis efficitur & deliciosus, sub foliis enim ipsius vineæ latitant vulpes, vuas vineæ corrodentes auide & deuastantes, & maxime vbi custodes sunt negligentes, nec prodest quod aliqui minus sapientes ponunt & claudunt vulpium aduersarios, id est, canes intra vitium maceries siue sepes, nam plus demoliuntur & destruunt vuas vineæ sic inclusi pauci canes, quam furtiue facerent plures vulpes, *Vt dicit Isidorus*. Et ideo sapientes vinitores summa student diligentia, ne subintrent porci seu canes domestici seu vulpes, A muscarum autem & vermium corrosione non potest seruari vinea, nisi per ipsius manum, quia omnia in sua continet potestate, *Vt dicit Isidorus*, & saluat magnifice vniuersa.

CAP. CLXXXI.

De Vua.

VVa ab humeo humes dicitur, & est dicta quasi humida, eo quod intrinsecus humoris est plena, *Vt dicit Isido-*

*Isidorus lib.*17. Ex tribus autem componitur vua, scilicet e folliculis, glarea & arillis. Folliculi dicuntur vinaria siu thecæ, in quib. glarea continetur, & est glarea succus siu humor pinguis ipsius vuæ. Arilli autem dicuntur paruul grana, quæ sunt in racemo. Et dicuntur alio nomine acini ab aceo aces. Et debet dici hic acinus acini, *sicut patet in maiori Volumine Prisciani, Vbi dicitur illud Verbum Paulini:*

Exprimit humentes acinos succumq; liquentem.

Aliqui tamen dicunt hoc acinum. Vua enim est genera le nomen ad botros & racemos. Nam vua proprie es multorum granorum coadunatio. Racemus autem dici tur vnum granum. Botrus autem vuarum congeries ve congregatio, quæ Gallice dicitur moissine. *Secundum autem Papiam & Isidorum* racemus est botrionis pars siue ramusculus cum vuis præcisis: vnde à ramo dicitur racemus, *secundum Isidorum.* Vuæ autem à multis dicuntur suburbanæ, eo quod in vrbibus venduntur ad comedendum. Commendat enim eas & species & iucunditas saporis, quarum multæ sunt species, sicut præcoquæ sic vocatæ, quia cito maturescunt, & ante omnes calore solari decoquuntur, quas Græci lageos dicunt, quia festinant ad maturitatem sicut lepus. Item sunt purpureæ à calore purpureo sic vocatæ. Item sunt verticiariæ vel vernaciæ sic dicta à magnitudine, sicut dactyli à longitudine. Item sunt stephanitæ à rotunditate nuncupatæ. Item sunt cerauneæ sic dictæ, eo quod rubeant velut ignis. Sunt autem & amineæ vuæ, scilicet albæ, mineo, id est colore rubeo nō permixtæ. Item sunt Apianæ facientes vinum dulce, quas nisi cito colligas pluuiis & ventis & maxime apibus infestātur, pro quarū deprædatione Apianæ sunt vocatæ. Item sunt & bu tislatæ, alias bituricæ, à regione nomen sortitæ, turbines & pluuias & colores optime sustinent, & in terra macra non deficiunt huiusmodi, & dicitur esse Basilica. Item sunt Argitæ quas nisi primo tempore colligas aut in terram cadunt aut humore cōputrescunt. Item sunt & elboliæ, id est variæ, quæ neque purpureæ sunt neque nigræ, ab elbo colore sic dictæ, elbum enim inter album & nigrum est medium. Sunt autem multæ aliæ differentiæ vuarum, quam quæ dicta sunt, quæ differunt ab inuicem in sapore & colore

ore in magnitudine & virtute. Sed hæ sunt magis famo-
æ, *vt dicit Isidor. lib.*14. *Secundum Isaac vero in dietis*, Co-
r vuatum quadrupliciter variatur, Sunt enim vuæ omni-
o albæ, claræ & aquosæ, modicum carnis habentes, cor-
ces subtiles, ossa exigua. Sunt iterum vuæ omnino nigræ,
rossæ carnis, parui humoris & corticis, & ossium magno-
um. Sunt & citrinæ, quæ magis participant cum albedine
uam cum nigredine. Sunt insuper rufæ, quæ magis acce-
unt ad nigredinem quam ad alborem. Albæ leuiter nu-
riunt, facile digeruntur, venas penetrant & vrinam pro-
uocant. Nigræ sunt duræ digestionis, tamen stomachum
lus confortant, & etiam plus nutriunt, quando bene di-
eruntur. Citrinæ autem & rufæ sunt mediæ in potentia,
& *sicut dicit idem Isaac*. Quanto vuæ sunt maturiores, tan-
o sunt laudabiliores, & ad nutriendū & generandum bo-
num sanguinem meliores. Vuæ quæ minus habent carnis
quam humoris, laudabiliores humores generant, quam
llæ quæ sunt pluris carnis quam humoris, non tamē sunt
anti nutrimenti.

CAP. CLXXXII.

De Vua immatura.

VVa immatura est frigida & sicca, & multum acerba, & percutit neruos sua frigiditate, dentium & radices sua stipticitate intantum quod obstupescunt & videntur quodammodo congelari. Virtutem autem habet constringendi, & cholericum vomitum reprimendi, & calorem epatis extinguendi, sitim auferendi, acumen choleræ mitigandi, humores grossos in oculis, in palbebris desiccandi & pruritum oculorum & asperitatem abstergendi, *vt dicit Isaac.*

CAP. CLXXXIII.

De Vua passa.

VVa passa multis modis fit. Aliquando enim torquetur illud, per quod vua dependet à vite, ita quod non possit humidum vlterius ad vuam ascendere, & sic permittitur à Sole per dies aliquos desiccari. Et hoc dicitur vua passa propter calorem Solis, quem patitur, & hæc est opti-

ma ad

ma ad comedendum. Aliquando racemi inuoluuntur in pampinis vitis, & colligantur folia simul, ne racemi dispergantur, & postquam panis est extractus de clibano quando calor est temperatus imponuntur ibi racemi inuoluti & exiccantur. Simili modo dicuntur istæ vuæ passæ quia quandam violentiam à calore clibani patiuntur, similí modo quandoque in fumario fit vua passa. *Vnde dicit Alexander nequam.*

Dant vuas passas clibanus fumaria Phœbus.

De vua passa dicit *Isaac in diatis*, vua passa perfecta in dulcedine est calidior, maxime si nigra est, nec est nimis mollificatiua, nec nimis constipatiua sed media. Malos humores temperat & mitigat morsionem, maxime quando est pinguis & carnosa, & corticis est tenuis & eius ossa siue granula sunt exigua atque pauca. Huiusmodi vua passa contra dolorem pectoris adiuuat, pulmonem mundificat, tussim sedat, vesicam & renes purgat, spleni & epati non conuenit si habuerint duriciem & grossitiem. Vua autem passa habens acerbitatem cum quadam ponticitate minus est calida quam sit dulcis & minus humida maxime si sit alba, & ideo parum nutrit, calorem extinguit, ventrem constipat & constringit.

Cap. CLXXXIV.

De Vino.

VInum dicitur quasi in vite natum, vel à vena, eo quod potus eius venas sanguine cito replet, *vt dicit Isidorus libro 20. vbi tractat de potu.* Temetum autem dicitur forte vinum, eo quod teneat mentem & temerariè agere sæpe facit. Dicitur & merum quando est purum, & aquæ non admixtum. Dicitur & Bacchus, à Libero patre, qui vocabatur Bacchus, & dicitur fuisse primus repertor vitis, vel Bacchus dicitur ab effectu, quia fortitudine sua facit bibentes furere & in alios debacchare. Laudes autem vini non posset ad plenum describere, etiamsi viueret Bacchus ipse. Inter omnes enim liquores & succos arborum vinum obtinet principatum. Nam præ omnibus liquoribus vinum moderate sumptum corpora plus confortat, corda lætificat, morbos & vulnera euacuat atque sanat. *Vnde dicit Isaac*

in vi-

Vltimo diat. Vinum dat bonum nutrimentum corpori, hitatem reddit perditam ac custodit, calorem naturalem æ omnibus cibis & potibus confortat, & augmentat opter familiaritatis consortium, quod habet cum natu. .Vnde sanguinem purissimum generat & turbidum pu icat, & clarificat, venarum ora aperit, & ad interiora undificanda sua subtilitate penetrat, & tenebrosam fu ositatem tristitiæ inductiuam illuminat atque fugat, ci ıs corporis membra corroborat, & vigorem singulis ad inistrat, vini enim bonitatem actio animæ manifestat, ıcit in ea tristitiæ & doloris obliuionem, nec permittit ım sentire angustiam vel dolorem, acuit intellectum, & ıcit eum docilem ad inuestigandam rem difficilem & sub tem, animosam etiam ipsam efficit & audacem: vnde pa t vini excellentia, cuius vsus conuenit omnibus homini ıs, ætatibus, temporibus & regionibus, si debito modo cundum vires bibentis, à singulis assumatur, senibus im conuenit, quia calor vini eorum repugnat frigidita iuuenibus conuenit secundum cibum, quia in natura si ilis est naturæ & ætati iuuenum, & adolescentibus pue s est cibus & medicina, & eorum calori adhuc imper cto nutrimentum exhibet, & augmentum, & ipsam ımiditatem puerilem superfluam consumit & desiccat, frigida enim regione & in hyeme vinum forte & mul m purum conuenit, in æstate vero & in calida regione num purum & multum mixtum vtile est, corpus enim ımectat & refrigerat propter mixturam aquæ, quæ sub ıtate vini ad remotiora membra reducitur valde cito, id antiqui vocauerunt vinum theriacam magnam, quia ueneruntillud duarum rerum esse iuuatiuum, calefacit nim corpora frigida, & infrigidat calida, & humectat, cat, & humida extenuat & desiccat, sed eius calefactio & catio est naturalis, humectatio vero & infrigidatio est cidentalis, quia subtilitate sua portat aquam ad mem à, quæ necesse habent infrigidari & humectari, *Vt dicit em.* In vino autem considerantur ista, substantia siue li ıor, calor, sapor atque odor Nam secundum substātiam ni attenditur subtilitas & terrestreitas, siue grossities atq; ediocritas, vinum substantialiter tenue & subtile, album & clarū, & cōuenit stomacho, quia cito digeritur & ve-

nas perforat, mentem non percutit neque lædit, nec neruis nec cerebro aliquod infert nocumentum, vinum autem terrestre atque grossum subtile est & optimum, stomachum enim grauat & difficile penetrat. Color autem vini est quadruplex, scilicet albus, niger, glaucus, citrinus & roseus siue rufus, album vero & nigrum vinum cæteris est minus calidum, & album est magis humidum quam nigrum propter subtilitatem & aquositatem dominantem, nigrum vero magis siccum est propter grossitiem & terrestreitatem ei magis substantialiter dominantem, vina vero mediocres colores habentia, sunt aliis calidiora scilicet vinum citrinum seu aureum, & vinum rufum, & hoc secundum quod magis ab illis extremitatibus sunt remota, & quanto illis sunt viciniora tanto sunt minus calida.

CAP. CLXXXV.

De Vino rubeo.

Vinum rubeum valde intensum in rubore sicut sanguis fortissimum est, & multum lædit caput, & percutit mentem, & fortem facit ebrietatem, & ideo optime indiget aqua commisceri, vnde si commisceatur, quādo oportet, & bibatur, prout ætatibus, temporibus, regionibus ac consuetudini conuenit atque decet, multum est laudabile, quia grossos dissoluit humores, vias venarum à putredine mundificat, & sanguinem purificat, maxime si vicinum fuerit puritati, & ideo conuenit senibus, quia eorum calorem confortat & frigidorum humorum dissoluit abundantiam in senum corporibus collectorum, Vinum rubeum necesse est habere saporem ponticum siue dulcem, & liquorem inter grossum & subtile mediocrem, & odor eius inter aromaticum & grauem, & tale vinum est cæteris temperantius ad nutriendum, & mutatur facilius in sanguinem propter similitudinem, quam habet cum eo in liquore, in sapore & colore, vinum dulce & multum rubeum iuuat ad mundificandum vitia pectoris & pulmonis, valde enim est solutiuū, viscosi humoris & lenitiuum, & immundiciæ abstersiuum, vini autem consideratur odor, nam si vinum fuerit aromaticum, signat suum liquorem subtilem esse & temperatum, omnique sordicię emundatum

latum & optime digestiuum, & ideo clarum generat sanguinem atque mundum, & est cordis confortatiuum, lætificatiuum, & fumi grossi & obscuri, & turbidi expulsiuum, *Vnde Hippocrates*, vinum, inquit, odoriferum subtilius cæteris est & leuius, & digestibilius ac nutribilius, quia natura in eo suam compleuisse se signat actionem, vinum vero quod nullius est odoris siue ventositatis grossitiem insinuat, & ideo est illaudabilis nutrimenti, nec clarificat sanguinem, nec etiam confortat, sed generat humores grossos & fumum turbidum & obscurum, vnde horribilissimum habens odorem & saporem ponticum, pessimum est, quia infert corpori maximũ nocumentum, pessimum generat sanguinem & noxium confert corpori nutrimentum, & maxime si vinum fuerit valde nigrum, ad quod pertinet grossicies liquoris, & grauitas odoris, & ponticitas saporis, vinum itaque prædictis qualitatibus temperatum, si temperate & modo debito bibatur, naturam adiuuat, laudabilem sanguinem generat, saporem cibis & potibus administrat, desiderium & appetitum excitat, vitalem naturam & naturalem stomachum confortat, ad cibum appetendum & recipiendum ac digerendum iuuat, virtutem expulsiuam ad expellendas feces excitat, sitim sedat, passiones animæ de malo in bonum alterat & immutat, nam animam vertit ab impietate ad pietatem, ab auaritia in largitatem, à superbia in humilitatem, de timore in animositatem, & vt breuiter dicam, vinum moderate sumptum corporis & animæ sanitas est. *Hucusque Isa in diat. & Plin. lib. 14.9. cap. Vbi dicitur*, vini natura est ipso hausto accendere viscera intus, foris ipso fuso infrigidare membra, quæ eo ipso profunduntur. Viribus autem corporis nihil vino vtilius est, si adsit modus, nihilque perniciosius, si modus in sumendo non teneatur, vnde Andronides sapientia clarus, scripsit ad Alexandrum magnum, cohibens intemperantiam vini in bibendo. Rex, inquit, memento te bibere sanguinem terræ: nam bibere intemperate vinum, cicuta est homini seu venenum, quibus præceptis si ille obtemperasset, profecto amicos in temulentia non interemisset, *vt dicit Plin.* Item mala quæ facit vinum intemperate & immoderate sumptum, tangit *ibidem in eodem lib. cap. 40.* Mentem, inquit, mutat in furorem, in mali impetum, &

obi-

obliuionem boni. Ebrioso siquidem inest pallor in facie & genę pendulę, oculorum assunt vlcera & lippitudo, manus tremula, linguaque ligata, postera die eructant alitus fœdi velut de sepulcro, & grauissime sentiuntur in capite punctiones, amaricat frumen, scil. palati summitatem amicabilis, id est, cholerae, quae incenditur ex calido fumo vini & aestuans sitis torquet guttur. Nam haec necessitas vinum sequitur, vt bibendi consuetudo auiditatem pariat rebibendi, vnde more sanguisugae vinolenti, quanto plus bibunt, tanto plus sitiunt. *Ad haec verba Plin. addit Isa. dicens sic:* si vinum vsque ad ebrietatem saepe sumptum fuerit rationis lumen extinguit, & vim brutalem confortat, vnde permanet corpus velut nauis in mari non habēs gubernaculum aut rectorem, & sicut militia non habens principem neque ducem, propter quod fauet ebrius rei abnuendae, & laudat quod in se est illaudabile, de sapientibus facit stultos, de beneuolis peruersos efficit & malignos: nam ebrietas est omnium viciorum fomes atque causa, incidunt enim ebriosi in homicidia, adulteria & furta, & ideo volentes custodire familiam, oportet eos à vino custodire, ne vinum plus bibant quam eorum virtuti expedit & naturae.

Cap. CLXXXVI.

De Vino nouo.

Vinum nouum quod de lacu, id est, de cuppa nouiter est sublatum, vocatur mustum quando, scil. de torculari primo est expressum, & est sic dictum, quasi tenemus, id est, terram humefactam siue lutum. Mus enim Graece, terra dicitur Latine, vnde & humus terra dicitur humefacta, in musto autem partes terrae & faeculentae partibus aqueis & aereis sunt admixtae, in quas agens virtus ignis fortissimā facit ebullitionem. Nam partes igneae & aereae mouentur sursum, partes vero terreae deorsum, & ex tali perturbatione & rupugnantia fortis fit ebullitio, donec vincente calore puri ab impuro fiat separatio, & completa digestio. Inest autem musto tanta vis feruoris, vt vasa fortia ex eo plena, & absque spiramine mox dirumpat, *vt dicit Constan. & Greg. super Iob.* vnde per spiraculi aperturam spumosa vini immundicia ad vasis superficiem vi caloris eiec-

ecta continue euaporat, donec purissimum vinum fiat.
n principio autem quando mustum eliquatur valde est
urbidum atque spissum, & ideo, *Vt dicit Isa.* bibitum gros-
um generat sanguinem, & fumum terribilium somnio-
rum inductiuum, malos generat humores, rugitum facit
: inflationem in intestinis, mustum enim nouum valde
entosum & spumosum est propter resolutionem partium
i caloris, *Vnde Gal.* vinum quodcunque dum est recens,
on habet vim ducendi cibum per corpus, vnde ventosita-
em & inflationem ac fastidium generat, quanto plus au-
em durat post expressionem à torculari, tanto plus clari-
catur & depuratur & amplius intenditur calor eius.
Quando enim adhuc est mustum ab ebullitione nõ quies-
it, nec terrestria ad suum locum descendunt, nec aerea &
gnea suum locum sursum petunt, & remanet adhuc indi-
gestum. Et ideo quando bene est vinum defæcatum & lu-
idum atque clarum, laudabile est & amicum naturæ, quia
unc confortatur calor eius quotidie, tam in odore & sa-
ore quam in virtute melioratur, nisi forsan à corrupto
ere vel ab aliquo corrupto vase casu aliquo corrumpatur.
Nam si vas ipsum continens corruptum fuerit, & ipsum vi-
num corruptum erit. Ex aere corrupto & calore vel humi-
ditate nimis distemperata vinum sæpe corrumpitur, &
ideo nunc acescit, nunc pinguescit vel totaliter compu-
trescit, & tunc naturæ hominis est pessimum & maxime
inimicum, & est fugiendum simpliciter vt venenum. Vi-
num etiam vetustissimum in calore excedit temperamen-
tum, & ideo saporem mutat & colorem, & tale vinum suo
acumine lædit cerebrum & percutit mentem, & sua sicci-
tate & caliditate inflammat substantialem humiditatem,
extinguit calorem naturalem, & ideo nec nimis recens
nec nimis antiquum est laudabile, sed potius inter duo ex-
trema est mediocre, secundum quod ab extremitate noui
& veteris magis est remotum, quia illud est maxime tem-
peratum. *Hucusq; Isaac in diatis.*

CAP. CLXXXVII.

De Vino condito.

VInum conditum fit artificialiter ex admixtione aro-
matum tam specierum quam herbarum, vt patet in

vino saluiato, in vino rosato & charyopilato, & est illud vinum conueniens tam in potu quam in medicina. Virtus enim tam specierum quam herbarum immutat vinum, & sibi confert virtutem singularem, & ideo talia vina sunt salubriora & delicatiora, quando eis salubres species debito modo incorporantur. Virtus enim specierum conseruat vina ne de facili corrumpantur: vnde talia vina suo sapore delectant gustum, excitant appetitum, sua aromaticitate confortant tam cerebrum quam stomachum, mundificant etiam sanguinem & penetrant ad interiora tam venarum quam membrorum, *vt dicit Isaac.*

CAP. CLXXXVIII.

De Vino acetoso.

Vinum primo dulce & etiam temperatum in sapore, per Solis vel aeris decoctionem & longam ebullitionem corrumpitur, & in acetositatem conuertitur, quando non habet vim qua custodiatur, *vt dicit Isa. in dietis in cap. de aceto.* Nam per accidentalem calorem, virtutem caloris naturalis excedentem, extenuantem & vincentem, subtiliatur substantia liquoris per caloris accidentalis ebullitionem, & extinguitur calor naturalis: vnde vinum quod primo erat substantialiter vel naturaliter calidum, per corrumpentem calorem efficitur essentialiter frigidum, & conuertitur in acetum, magis autem siccum est quam sit frigidum, moderate enim infrigidat, scilic. in primo gradu, sed fortiter desiccat, quia in tertio gradu, *vt dicit idem.* Vnde propter subtilitatem suæ substantiæ & frigiditatis debilitatem perforat de facili corpus, & penetrat ad loca quæ valde sunt remota: vnde nullus alius liquor acetosus, vt maligranati & similium, habet vim penetrandi ad loca tam profunda, quia talis liquor in locis vicinis operatur efficacius quam in remotis. Vnde qui vult infrigidare calorem stomachi, aut alia sibi vicina membra, vtilius vtitur granatorum succo quam aceto, sed ad loca remota infrigidanda vtilius est acetum quam succus granatorum vel agresta. Habet enim vim viuacem qua dirigitur ad longinqua. Idcirco est dissolutiuum, extenuatiuum & incisiuum, & ideo sanguinem & lac coagulatum calefa-

ctum

ctum in stomacho dissoluit, si bibatur. Est etiam acetum, *vt dicit idem*, stomachi confortatiuum, appetitus excitatiuum & augmentatiuum, & malorum omnium ad stomachum descendentium, potenter repressiuum. Est etiam contra venena & venenosa mortem inferentia, vt est ipsum opium, iusquiamum & euphorbium iuuatiuum. *Hucusque Isaac. Secundum Plinium vero & Dioscoridem*, acetum forte positum super ferrum, vel frigidam humum mox ebullit, fluxum ventris & sanguinis sistit. Si inuenit ventrem plenum soluit, si vacuum, ipsum stringit. Lethargicis & phreneticis subuenit, vulnera recentia mundificat & abluit, & ipsa intumescere non permittit, fœtorem oris & gingiuarum abluit & abstergit, neruos dentium percutit, & ipsos hebetes & stupidos cito facit, vomitũ & nauseam reprimit & compescit gargarizatum, auribus surdis subuenit, & vias auditus aperit, oculorum aciem exacuit, corrodit metalla, & ex eis diuersi colores gignuntur, vt cerussa ex plumbo, æs viride ex cupro, lasurium ex argento. Ouum in aceto dimersum per plures dies mollificatur in testa, & eam ad modum pelliculæ mollem facit. Fex aceti valet contra morsus serpentis cornuti, qui dicitur cerastes, similiter contra morsus rabidi canis & crocodili. *Hucusque Plin. lib. 23. cap. 10.*

CAP. CLXXXIX.

De Vinacio.

Vinacium & vinarium dicũtur posterius vinum, quod compressis vuis vltimo eliquatur, & est quasi fex totius vini. Vinacia dicuntur pelliculæ & acini, quæ remanent expresso vino, & post collectionem vini extra proiiciuntur. *Vnde dicitur in Græcismo:*

Pelles vuarum vinacia dic fore tantum,
Et dicas acinum quod in vua cernis acutum.

Vinacia vero libenter comedunt sues, quamuis modicum aut nullum præbeant eis nutrimentum, nam plus inflant quam nutriant.

Cap. CXC.

De Vinaria.

HÆc vinaria riæ dicitur cellarium vel locus, vbi vinum occultatur & reponitur. Vnde quanto locus ille frigidior est & siccior, tanto est aptior ad vina, in doliis reposita, conseruanda, & ideo excauantur loca lapidosa & subsita, conseruanda, & ideo excauantur loca lapidosa & subterranea, vt in eis vina melius conseruentur à corruptione calidi aeris, ne acescant vel alio modo corrumpantur.

Cap. CXCI.

De Viola.

VIola propter violentiam odoris sic est nominata, *Vt dicit Isidorus*. Cuius tres sunt species, scilicet purpurea, alba & mellina. Sed omnium folia naturæ frigidæ sunt & aquosæ, & ideo solutiuæ: vnde violæ cum melle & aqua decoctæ, soluunt ventrem. Similiter si cum zucara macerentur, & in vase vitreo diu Soli exponantur, aluum laxant, inflationem mitigant, calorem febrilem alterant, sitim sedant. Semen earum partum mulierum eiicit & excludit, lumbricos occidit, calefactioni epatis subuenit. Herba quidem modica est viola in substantia, quæ recens est melior quam antiqua. Cuius flos maximi est odoris, vnde odor eius cerebri calorem mitigat, & spiritus animales recreat & confortat, somnum prouocat, quia cerebrũ refrigerat, temperat & humectat. Quanto flos eius est virtuosior, tanto plus inferius caput deprimit & inclinat. Item flores vernales prius oriuntur, & se citius manifestãt, paruitatem eius in substantia magnitudo odoris pariter & virtutis nobiliter recompensat, *Vt dicit Diosc.*

Cap. CXCII.

De Vlmo.

VLmus nomen accepit, eo quod in locis vliginosis & humidis melius proficit. Nam in montanis & asperis minus læta est, *Vt dicit Isidorus lib.* 17. Radices in terra profundius figit, & de profundis terræ visceribus ad nutrimentum ramorum & frondium humorem sugit. Ramos multos & nodosos ex se mittit, & foliorum suorum densi

densitate vmbram viatoribus gratam facit. Est autem arbor sterilis, etenim inter glandiferas à Plinio computatur. Flores habet subalbidos & odoriferos, ad modum tiliæ & quædam grana vt cubebæ. Sed ille fructus est inutilis. Eius flores frequētant apes ex eis mellis dulcedinem colligentes, & quamuis quasi sterilis sit in se, tamen vtilis est viti fructiferæ, cuius fructus & palmites sursum erigit & sustentat. Corticem habet durum & rugosum, sed lignum molle, interius lenissimum ad sculpendum valde aptum, sicut tiliæ, *vt dicit Isido.*

Cap. CXCIII.

De Vrtica.

VRtica ex eo est vocata, quod tactus eius corpus adurat. Est enim igneæ naturæ, *vt dicit Macer.*

Feruida non modice vis illi dicitur esse,
Vnde nec immerito nomen sumpsisse videtur.
Tacta quod exurat digitos vrtica tenentis.

Vrtica autem est duplex, scilicet vrens & mordens, pustulas & pruriginem etiam gignens. Aspera quidem habet folia & acuta & subrubea, hastulas habet angulosas & villosas, & manus tangentis vritiuas. Et est grauis odoris & subamari saporis. Alia est vrtica mortua, folia habens albiora, & molliora magis rotunda, & tangentes non exurit, florem habet nunc rubeum nunc album, & valde grauis odoris pariter & saporis est. Vtraque vrtica est medicinalis, nam succus eius cum vino bibitus, valet contra ictericam & contra cholericam passionem, cum melle curat antiquam tussim, & mundat pulmonem & ventris inflationem sedat & tumorem, folia eius cum sale contrita vulnera sordida mundant & curant, similiter morsum canis, sanat etiam cancros, radix eius contrita cum vino & cocta in oleo, valet contra tumorem splenis, succus eius fluxum sanguinis de naribus sistit, cum myrrha menstrua stringit, semen eius cum vino bibitum præcipue mixtum melli & piperi mouet venerem, & prouocat vrinam, herba recens cocta ventrem mollit, si comedatur, *vnde dicit Plinius & præcipit*, vrticam recentem, cum primo crescit in Martio, decoquere per modum oleris & comedere, con-

tra multas corporis passiones, vtilior tamen est in medicina quam in esca.

Cap. CXCIV.

De Zizania.

Zizania herba quædam est, *de qua Isidor. lib.14.* quam poetæ infelix lolium dicunt, eo quod sit inutile & infæcundum, & est fœminini generis in singulari, & neutri in plurali, *vt dicit idem.* Nascitur autem inter triticum temporibus corruptis atque siccis, quamdiu est in herba, similis est tritico, & ab eo poterit vix discerni, suffocat autem ipsum triticum atque lædit, nisi ab eo cautius separetur, cum cautela magna est zizania, quando adhuc recens est, eradicanda, ne propter similitudinem quam habet cum tritico, vel zizaniis parcatur, vel triticum sub zizaniæ specie euellatur. Cautius est ergo, vt quando triticum à zizaniis non discernitur vsque ad messem, vtrunq; crescere permittatur, & tunc zizania per semen cognita, a tritico discreta per falciculos colligantur, & tritico quidem in horreis collecto, zizania per fasciculos comburantur. Habet autem zizania vim acutam & quodammodo venenosam, inflatiuam & ventosam, & ideo inebriat & mentem percutit, & caput lædit, immutat saporem panis, cui admisceatur, & inficit, & si in multa quantitate comedatur valde lædit, imo quandoq; interimit & occidit, quãuis autem noxia sit interius in corpore ad edendum, vtilis tamen extrinsecus est ad medendum, nam si cum farina hordei & puluere thuris ac croci immisceatur, conceptum adiuuat in mulieribus atque partum, mixta cum sulphure & aceto, valet contra impetiginem, serpiginem & pruritum, mixta cum semine lini & in vino cocta, dissoluit apostema scliroticum siue durum, decocta cum semine, cortice & radice sanat vulnus, & mundificat putrefactum, valet etiam contra fistulam & contra cancrum, mire prouocat menstrua & mundificat matricem, & disponit ac præparat ad conceptum, *vt dicit Plin. & Dios.*

CAP. CXCV.

De Zingibere.

ZIngiber est radix herbæ, & est calidum & humidum, *vt dicitur in Platear.* & est aliud domesticum, aliud syluestre. Syluestre acutiorem habet saporem domestico, & est solidius, colore non adeo album sed facilius frangitur, valet contra frigidas causas pectoris & pulmonis, stomachi dolorem & intestinorum ex inclusa ventositate venientem mitigat & dissoluit, si vinum decoctionis eius cum cymino calidum assumatur, stomachum confortat, & digestionem procurat, visum acuit & pannum siue telam in oculis extenuat, & consumit, & hoc melius facit domesticum quam syluestre, quanto albius est & recentius, tanto est acutius & melius, per duos vel tres annos seruatur in bona efficacia, sed post arescit & à vermibus perforatur. Propter humiditatem enim suam putredini est apparatum, *vt dicit Isaac.* vnde qui vult illud diutius reseruare, oportet vt ponatur inter piper, vt piperis siccitate humor zingiberis temperetur, *vt dicit idem.*

CAP. CXCVI.

De Zedoario.

ZEdoarium est calidum & siccum, & est domesticum magis eligendum, & illud quod est magis citrinum, tenue & longũ, in sapore acutum non perforatum. Syluestre est subalbidum & stipticum, cum acumine modico, valet ad illa quæ zingiber, sed stomachum & corpus confortat & appetitum prouocat, *vt dicit Plat.*

CAP. CXCVII.

De Zucaro siue Saccaro.

ZVcarum vel Saccarum fit de quibusdam cannis & arundinibus, quæ crescunt in stagnis iuxta Nilum, & illarum cannarum succus dicitur canna mellis, de qua fit saccarum per decoctionem, sicut solet fieri sal de aqua. Cannæ enim pistatæ ponuntur in lebete, & decoquuntur ad lentum ignem, vsque ad spissitudinem, & primo videtur

ex toto transire in spumam, sed post facta residentia, spissius & melius petit fundum, superius autem manet quod est vacuum & spumosum, & est minus dulce & foraminosum, & inter dentes non crepitat quando masticatur, sed euanescit subito, bonum autem è conuerso, bonum enim positum in vasis rotundis ad Solem, durum efficitur atque album. Aliud autem citrinum, & est calidius alio, & ideo non debet in acutis febribus exhiberi, zucara autem bona est temperata in qualitatibus suis. Et ideo *Vt dicit Isaac in dietis.* habet virtutem colatiuam, dissolutiuam, extenuatiuam, & ventris absque vlla morsura humectatiuam, & stomachi mundificatiuam, asperitatis pectoris & pulmonis lenificatiuam, vocis clarificatiuam, tussis & raucedinis ablatiuam, humiditatis consumptæ restauratiuam, ponticitatis & amaritudinis specierum aromaticarum temperatiuam, & ideo summe vtilis est in medicina vt in electuariis, in pulueribus, in syrupis, *Vt dicit Isaac*, tamen aliquantulum ventrem inflat, præcipue post cibum sumpta, quia omne dulce est inflatiuum de natura, de facili etiam in rubeam choleram transmutatur, si cholericis tribuatur, sicut n. acetositas acumen choleræ rubeæ reprimit & extinguit, sic dulcedo quasi ei contraria choleram excitat aque nutrit, *Vt dicit Isaac in eodem cap.*

BARTHOLOMÆI ANGLICI de proprietatibus Animalium liber decimusoctauus.

PROOEMIVM.

COmpleto tractatu de terræ ornatu, quoad mineralium & vegetabilium proprietates, quarũ facit mentionem scriptura diuina: vltimo de proprietatibus rerum sensibilium & præcipue animalium est tractandum, & primo in generali, deinde in speciali de singulis animalibus bestiis, scilicet iumentis & reptilibus, quorum nomina in textu & in glossis inseruntur. Dicitur autem animal omne quod consistit ex carne & spiritu vitæ animatum, siue sit aereum, vt volatilia, siue aquaticum, vt natatilia, siue terrenum, sicut sunt agrestia & gressibilia, scilicet homines,

reptilia,

reptilia, bestiæ & iumenta. Ponit autem Moyses tria animantium genera, scilicet iumenta, bestias & reptilia, *vt patet in Genes.* 1. *Vnde dicit Basilius in hexamer.* Iumenta sunt animalia in vsum & adiutorium hominum mancipata, & quædam sunt deputata ad laborandum, vt equi, boues & cameli, & huiusmodi: quædam ad lanificium, vt oues & huiusmodi: quædam ad vescendum, vt sues & porci.

Reptilia autem sunt illa, quæ corporis contractione & extensione nituntur, & mouentur in anterius, vt vermes, serpentes & colubri: & sunt tria genera, scilicet trahentia ore vt vermiculi, qui se ore trahunt: & sunt serpentia vt colubri, qui vi costarum sese rapiunt, sunt etiam & repentia, quæ in pedibus repunt, vt lacertæ & ranæ & huiusmodi. Bestiæ autem dicuntur, quasi vastiæ, quia naturam habent feritatis, nunc enim vngue sæuiunt, nunc cornu nunc dente, vt apri, leones, lupi atque tigrides, communiter tamen dicuntur bestiæ animalia in domestica, quæ iumentis sunt ferociores naturaliter, sed sunt sæuientibus bestiis mitiores, vt cerui, & huiusmodi. Inest autem cunctis animalibus virtus motiua & sensitiua, sed secundum magis & minus, nam secundum puriorem sanguinem & subtiliorem, quædam sunt viuacioris sensus, fortioris æstimationis & pluris sagacitatis, hinc est quod bos piger est & stabilis, asinus stolidus, equus feruens in concupiscentia fœminarum, lupus indomitus, leo audax, vulpes astuta & dolosa, canis gratificus & memor amicitiæ, & sic de aliis, vnde bonitas vel malitia morum in animalibus bonitatem vel malitiam sequitur complexionis, *vt dicit Basilius. Idem etiam affirmat Aristoteles in libro de animalib.* dicit enim quod differunt animalia secundum mores, quia quædam sunt magnæ mansuetudinis, vt vacca, ouis, & quædam indomitæ feritatis, vt tigris & aper agrestis, & quædam magnæ audaciæ & magnanimitatis, vt leo, & quædam magnę fortitudinis & astutiæ, & malarum operationum, vt lupus, vulpes & huiusmodi. Et ista diuersitas accidit ex diuersitate virtutis agentis dissimiliter in diuersis. Nam *vt dicit idem in libro primo* animalia quædam habent sanguinem & quædam non vt apes, & omne animal rugosi corporis, sed alium habet humorem loco sanguinis. Habentia autem sanguinem, sunt maioris corporis & virtutis. Hinc est,

quod quædam animalia diligunt societatem & gregatim incedunt, vt cerui, onagri & cameli, & quædam societatem fugiunt & simul socialiter habitare non possunt, vt aues vncorum vnguium, & bestiæ quæ de præda viuunt. Ad hoc *dicit Auicen. 1. lib.* Animalia quædam sunt vrbana, quædam agrestia. Et inter omnia animalia homo non potest viuere solus, & grues & apes & formicę communicant homini in hoc. Discrepant etiam animalia plurimum in nutrimento, *Vt dicit idem.* Quædam vescuntur solis carnibus, sicut leo, tigris, lupus & huiusmodi, quædam vescuntur indifferenter omnibus, vt canis, muriceps & huiusmodi, quædam graminibus & frugibus nutriuntur, vt equi, cerui & huiusmodi. Et *Vt dicit Aristoteles libro primo*, quædam animalia habent proprium gustabile, sicut apes, quarum gustabile est mel, & planta. Quædam de numero dulcium sicut araneæ gustabile est musca, viuit enim de venatione muscarum, & quædam sunt venantia alia animalia, vt leo, lupus, & similia, & quædam sunt accumulantia suum nutrimentum, sicut hericius & formica. Causa autem quare omne animal indiget nutrimento, *Vt dicit Auicenna*, est humiditas substantiæ, & calor dissoluens humiditatem & aer calidus circumstans: vnde quia continua fit per calorem humidi deperditio, necessaria est beneficio nutrimenti deperditi restauratio. Et quædam quærunt victum suum de nocte, vt aues lucifugæ, & quædam de die. *Dicit autem Aristotel. sicut & Auicenna*, quod quædam animalia omni tempore sunt syluestria, & quædam semper domestica, vt homo, mulus & capra, & quædam cito domesticantur, vt elephas. De omni autem genere animalium domesticorum inueniuntur agrestia, sicut syluestris homo, syluestris bos, syluestris equus, syluestris canis, agrestis porcus. Et quædam animalia sunt magnæ impetuositatis & bellicositatis, & maxime tépore coitus & amoris. In omnibus n. animalibus est appetitus delectationis, & tunc masculi zelant & pugnant pro fœminis. Et quægam animalia ingeniant, vt sint illo tempore eorum coria dura, vt porci agrestes, qui confricantes se arboribus intrant lutum & desiccant, & ideo tunc pugnant, *Vt dicit Aristoteles.* Et quædam animalia sunt magnæ refrenationis, & quædam magnæ iræ & tenacis memoriæ, sicut canis,

lis, camelus & asinus. Et quædam sunt debilis memoriæ, ut struthio & columba, & solus homo memorat oblita, *ut dicit Auicenna.* Multa tamen animalia retinent memoriam eorum, quæ vident & addiscunt, *Vt dicit Arist. libr.* 1. In solis autem hominibus est memoria, prout memoria subiacet rationi. *Et ideo dicit Augustinus in lib. de Ciuitate* DEI *vndecimo.* Est, inquit, admiranda quædam in brutis prudentia. In quibus tamen nulla sit proprie loquendo scientia, quædam tamen in eis similitudo scientiæ reperitur. Euidentem enim habent solertiam in educatione fœtuum, in ædificatione latibulorum & mansionum, in inquisitione nutrimentorum, in medicatione vulnerum, in fuga nociuorum, in præsagio mutationis temporum futurorum, in cognitione & amore parium suorum. Nam ceruus ceruam diligit, & leo leænam & vrsus vrsam. Et sic de aliis. *Dicit autem Arist.* quod in omni animali est radicabile membrum, quod principium est omnium virtutum naturalium & spiritualium & animalium. Et hoc est cor vel aliquid loco eius, à cuius radice, *Vt dicit Auicen.* incipit omnium animalium creatio, formatio & figuratio. Formato animali bruto & perfecto, faciem habet reflexam ad suum materiale & originale principium, scili. ad ipsam terram. Sola enim statura erecta est à naturæ principio homini reseruata, in quo natura hominis supra cuncta animantia est nobilitata & mirabiliter sublimata, *Vt dicit Poeta.*

Os homini sublime dedit cœlumq; videre, &c.

Propter quod dicit Basilius, *si homo corporis voluptate fœdatur obediendo ventris luxuriis, comparatus est iumentis insipientibus, & similis factus est illis. Item dicit Basilius,* omnia fere terræ animantia genitali calore stimulante, ad propagationem sui generis & successionem prolis animamantur. Et hoc potissime accidit tempore vernali, quando virtus caloris cœlestis incipit in animantium corporibus quodammodo dominari. *Simile dicit Arist, & etiam Auicenna.* Omne, inquit, animal habens semen, generat animal sibi simile, & ideo animali non valenti seruare seu saluare speciem suam in se dedit natura membrum, vt semen expellat, & aliud membrum vt semen recipiat, sicut in fœmina est matrix. Et hoc est generale omnibus animalibus, in qui-

in quibus est discretio sexus, quia masculus habet se per modum formæ, fœmina per modum materiæ. Et ideo omne fœmininum habet matricem vel aliud loco matricis, in quo suscipiat fœtum suum, & hoc accidit diuersimode in diuersis, quia alio modo in ouantibus, & alio modo in aliis animalibus interius perfecta animalia concipientibus, *sicut de multis exemplificat Auicenna*. Præfert autem Auicenna, sequens Aristotelem, omnia animalia habentia sanguinem non habentibus, & dicit, quod illa simpliciter sunt nobiliora & maiora in quantitate & virtute, exceptis paucis beluis aquaticis & marinis. Et subdit: quod omne animal habens sanguinem nobilem, quatuor mouetur instrumentis, quia quatuor pedibus, vt patet in brutis, aut duabus manibus & duobus pedibus, vt patet in hominibus, similiter & duabus alis & duobus pedibus, vt patet in auibus pennatis. Multa tamen inueniuntur animantia plures pedes habentia, vt patet in cancris & in erucis, & in aliis similiter & plures alas, vt patet in papilionib. apibus & locustis, in istis minus viget sanguis, qui naturæ est thesaurus, propter quod plus & efficacius operantur quatuor organa in primis quam multiplicia in secundis, & habiliora sunt membra & efficaciora multum animalium ad operandum in parte anteriori quam in posteriori, quia calori sanguinis cordis plus participant & eis vicinius appropinquant. Generales autem animalium proprietates *tangit Auicenna sic dicens*: Communicant autem quædam animalia in membris, vt homo & equus in carne & in neruo. Discrepant autem inte se in multis, primo in qualitate & habitudine membrorum tam simplicium quam compositorum, vt testudo habet conchas & hericius spinas & homo non, & equus habet caudam & homo non. Item discrepant in quantitate, vt os siue apertura oculi noctuæ est magna & apertura oculi aquilæ parua. Item discrepant in numero, quia quædam sunt bipedalia, quædam quadrupedalia, & quædam multipedalia, vt patet in araneis, quarum quædam habent pedes octo & quædam habent decem. Item in qualitate, in colore & in figura, aut in mollitie & duritie, vt pes bouis est valde durus, pes vero hominis valde mollis. Item discrepant in situatione, vt patet in mamillis equæ, & elephantis. Nam mamillæ elephantis

phantis sub pectore & equæ sub inguine situm habent. Item discrepant in actione, vt patet in naribus elephantis, cum quibus pugnat, & in naribus suis quibus etiam pugnat. Item differunt in passione, vt patet in oculis vespertilionis, qui sunt valde debiles, & hirundinis è conuerso sunt valde fortes, *vt dicit* Auicenna. Item differunt in animi appetitu. Nam quædam sunt fortis appetitus ad coitum, & quædam debilis, vt turtur & elephas, & quædam appetunt cum omni specie & quædam tantum cum sua & quædam sunt semper continentia, vt apes. Item quædam sunt magnæ auiditatis & voracitatis in edendo, & ideo quædam venantur de nocte, vt lupi, qui dicuntur hahala, & quædam de die, vt accipiter & aquila, & quædã vtroque tempore scilicet de die & nocte, sicut catti. Item in omni animali necessaria sunt diuersa membra sibiinuicem subministrantia, propter diuersitatem operationum. Vnde & ossa sunt necessaria, vt sint totius corporis sustentamentum. Cartilagines necessariæ sunt ad defensionem carnis ab ossium læsione. Nerui etiam necessarii sunt ad membrorum coniunctionem, & sensus ac motus per membra deportationem, & sunt duri ad incisionem, & flexibiles propter incuruationem. Caro fuit necessaria propter vacui impletionem & caloris vitalis conseruationem. Cor necessarium est propter principium vitæ & spirituum generationem. Pulmo propter necessitatem respirandi & frigidi aeris attrahendi ad caloris cordis mitigationem. Stomachus propter ciborum primam digestionem. Epatis substantia est necessaria ad sanguinis generationem. Venæ sunt necessariæ ad sanguinis per membra deportationem. Intestina fuerunt necessaria ad fæcis depurationem & euacuationem. Renes & genitalia ad speciei conseruationem. Fel necessarium est propter digestionis confortationem. Splen propter superflui humoris melancholici recollectionem. Caput cum suis contentis fuit necessarium ad totius corporis sensificationem & gubernationem. Collum fuit necessarium propter corporis & capitis coniunctionem & vocis formationem, & ad cibi ac potus ad stomachum transductionem. Pectus necessarium est ad cordis & spiritualium membrorum defensionem. Brachia & manus ad operationem. Latera & costæ ad natura-

lium

lium membrorum conſeruationem. Crura & pedes ad corporis ſupportationem, & voluntariam de loco ad locum corporis motionem. Cutis eſt neceſſaria ad omnium interiorum ab extrinſeco nocumento munimen. Et pili neceſſarii ſunt ad cutis conſeruationem. Vngulæ fuerunt neceſſariæ ad extremitatum cuſtoditionem, & etiam in multis animalibus ad defenſionem.

Ingeniata eſt enim natura in ſingulis animantibus, vt aliquid habeant munimenti contra læſionem, & ideo cerui habent cornua, apri culmos, & leones vtuntur vnguibus pro mucrone, & ſic patet, quod in animalibus nihil ſuperfluum, nihil diminutum, minora autem animalia, quæ carent dentibus acutis & vnguibus & cornibus, agilitate & membrorum habilitate ad fugam muniuntur, vt patet in leporibus & damulis, & huiuſmodi. Item omne animal generans animal aliud, habet oculos præter talpam, quæ oculos clauſos tela, & hæc tela data eſt ei propter debilitatem viſus. Et omne animal habens aures mouet eas, præter hominem. Et omne animal ſpirat, ſed quædam per vias manifeſtas, vt per os & per nares, & quædam per vias occultas, ſcil. per occultos poros, vt apes & muſcæ, & animalia annuloſi corporis. Et omne animal quadrupes habens ſanguinem, habet medullam, & maxime homo multum habet de medulla reſpectu ſui corporis, & hoc fuit neceſſarium propter eius multiplices operationes. Et omne animal habens cornua, habet ſoleas pedis ſciſſas, excepto animali vnicorni, quod vnum cornu habet in fronte, & vnam ſoleam in pede, ſicut equus. Et omne animal cornutum habet cornu vacuum, præter ceruum & vnicornem. Et omne animal cornutum eſt quadrupes, habens ſcil. cornua naturaliter, excepto ſerpente quodam in Ægypto, qui cornutus inuenitur, & ceraſtes à multis nuncupatur, & dico de animalibus cornua habentibus, quæ ſunt de natura oſſis, nam teſtudines quædam habent cornua mollia & viſcoſa, tamen cornua non ſunt, ſed potius quædam additamenta, cum quib. teſtudines, quia debiles ſunt, vias ſibi quærunt, & ſi qua occurrerint eis, dura ſtatim cornua retrahunt, & inter ſuas conchulas ſe recondunt, nam ſuis conchulis vtuntur pro domibus & pro caſtris. Item quædam animalia habent dentes in vtraque mandibula, &

quæ

quædam inferius tantum, & quæ non habent dentes in superiori mandibula, sunt cornuta, quia materia illa transit in cornua. Nullum animal habens dentes recuruos siue culmos vt aper, habet cornua, quia materia illa transit in culmos, culmus enim & cornua simul non conueniunt. Et animalia deputata prædæ habent dentes diuisos & acutos, vt melius possint intrare prædam & euellere frustum, vt lupi & leones. Animalia vero domestica, vt vacca, & domesticabilia vt elephas & camelus, dentes habent æquales & continuos, quasi sint vnum, vt melius comedant herbam, & æqualius præscindant eam circa terram. Nec habet aliquod animal plures ordines dentium in ore quam duos, exceptis piscibus, qui præter dentes maiores quos habent serratos & distantes in mandibulis habent interius dentes quodammodo insitos, quibus *vt dicit Ari.* recolligunt cibos, ne aquæ liquiditate de ore citius diluantur, vt patet in lupis aquaticis, id est, luciis, & etiam in multis aliis. In India tamen dicitur esse animal monstrosum simile corpore vrso, & in crine homini & in facie, & habet caput rubeum sicut minium, os maximum & horrendum, & in vtraque mandibula tres ordines dentium inuicem distinctorum, cuius extremitates sunt, vt leonis, & cauda eius est similis caudæ scorpionis agrestis habentibus aculeum, & percutit pilis suis, sicut porcus agrestis suis setis, & habet vocem horribilem sicut vocem tubæ, & est velocis cursus & comedit homines, & inter omnes bestias terræ nulla crudelior, nulla monstrosior inuenitur, *vt dicit Auicen.* Et hæc bestia Græce vocatur Baricus, *vt dicit idem. Plin. autem li.* 8. *ca.* 22. apud medos, *inquit*, vt scribit Hesyas est bestia perniciosissima quam Manticoram vocant, habens triplicem dentium ordinem, pectinatim sibi alterutrum coeuntem, auriculis & facie homini similis est, glaucos habet oculos & colorem sanguineum, leoni similis, cauda scorpionis modo spicula ingerés & insigens, & vocem habet voci homini similem, vt si misceatur voci hominis, fistulæ & tubæ videtur in concentibus conuenire, &c. Vnde idem est animal *de quo Auicen. loquitur & Plin.* Item omne animal generans animal habet duos renes & vesicam, sed animalia ouantia non habent renes vel vesicam, superfluitas enim humidi in auibus transit in vngues & in pen-

nas in

nas in natatilibus tranſit in conchulas & in ſquamas, & ideo non indigent membro ſuperflui humidi receptiuo. Item omne animal habens cornu, & non habens dentes ſuperius ruminat, & habet plures ventres, vnum valde magnum & alium minorem, vnum longum & alium amplum. Et cauſa quare habent multos ventres, eſt multiplex digeſtio, quia ſuus cibus eſt ſiccus & non bene maſticatus, in principio propter auiditatem comedendi, & ideo debet iterum maſticari, de maiori autem ventre attrahitur cibus ad os, vt iterum maſticatur, & ſic maſticatus tranſmittitur ad ſecundum ventrem, vt ibi digeratur, & ſic maſticare vocatur ruminare, *Vt dicit Auicen. Item dicit Auicen. lib. 2. c. 1.* Ego dico quod omne animal habens ſeuum, habet cerebrum pingue, & quod non habet ſeuum, non habet medullam vnctuoſam. Et omne ſpirans habet pulmonem, vel aliquid loco pulmonis, ſicut piſcis branchos, per quos aquam cum aere attrahit, & poſt emittit. Et omne animal habens ſanguinem, habet cor & epar, quæ vero carent ſanguine, carent corde, habent tamen loco cordis aliquod, in quo eſt ſedes vitæ. Item omnia animalia generantia habent fel, quædam occulte, vt ceruus, equus, mulus, & quædam manifeſte. Solus delphinus caret felle, licet generet & ſpiret. Animalia autem ouantia habent fel magnum ve paruum, ſicut piſces & ſerpentes. *Item dicit idem* quod omne animal habens ſanguinem, habet ſemẽ, & omne ſanguinoſum generans aliud, habet quinq; ſenſus, niſi quoddam genus muris cuius oculi ſunt cooperti, & habet pupillam ſub corio. Et viæ ſenſuum in aliquibus ſunt occultæ, vt aures & nares, in piſcibus qui audiunt, videlicet qu fugiunt ſtrepitum, & olfaciunt, aliter non venirent ad ret propter lac & carnes aſſas, propter quas cancri intran ſportulas piſcatorum.

Et ideo dicit Ariſt. Vt dicit Auic. quod delphini & vnum aliud genus piſcium ad tonitruum & alium motum magnum & ſonitum repentinum cadunt ad fundum, ſicuti i cis eſſet epilepſia, & tunc capiuntur, ac ſi eſſent ebrii, & fugiũt à loco ablutionis, vel habitionis alterius piſcis inte fecti, & fugiunt à ſanguine alterius piſcis, & fugiunt ſo dida retia & ſportulas immundas, & libenter ſubintra nouas, & animalia annuloſi corporis habent acutos ſen

ſi

...ıs, quãmuis occultos vt apes, & formicæ. Vnde audiunt ...remotis & olfaciunt, & in quibusdã odoribus delectan...ur, & in quibusdam interficiuntur, vt odore sulphuris & ...ombustæ pellis, & combusti cornu cerui, vnde apes non ...nanent in loco mali odoris, sed quiescunt in loco odori...ero, & vbi est dulcedo, *vt dicit idem*. Item *vt dicit idem* dif...erunt animalia in modo vociferandi, quia quædam ha...ent vocem fortem & acutam: quædam debilem & remis...am: quædam autem valde modicam siue nullam, & sola ...nimalia habentia tracheam arteriam & pulmonem, & re...pirantia, dant vocem. Sed quæ non respirant, aliquando ...aciunt sonitum, aliquando sibilum, & animalia facien...ia vocem, facit tonos, & animalia maxime vociferant & ...garriunt tempore coitus & amoris, & per proprias voces ...e cognoscunt, & ad amplexus se inuitant. *Item idem.* Omne animali habens sanguinem quod ambulat, vigilat & dormit, & omne habens palpebras, claudit eas cum dormit, & omne animal ouans facit somnum tenuem. ...tem omne animal indiget nutrimento sibi conueniente, & suæ complexioni respondente, & hoc est necessarium propter indiuidui sustentamentum, vel propter eius augmentationem, vel propter deperditorum per calorem præhabitum restaurationem. Sed in modo sumendi cibum est magna differentia, similiter in sumendo potum. Nam animalia gressibilia quæ sunt completi & æqualis labii, sugendo bibunt, vt homo, equus, vacca & mulus, &c. Animalia vero quæ sunt inæqualis labii, in quibus scilicet labium inferius non respondet æqualiter superiori, sed est breuius, lambendo bibunt, vt canis, cattus, & huiusmodi. Vnde secundum dispositionem labiorum per æqualitatem vel inæqualitatem quædam sugunt, & quædam lambunt. Et ideo ingeniata est natura, vt canis & cætera lambentia teneriorem ac longiorem habeant linguam ac flexibiliorem, vt sit habilior ad aquæ comprehensionem, & ipsius ad os deportationem. Multa tamen sunt animalia quadrupedalia, quæ non bibunt nisi raro, vt lepores & cuniculi, & huiusmodi, quia talium animalium cibus est valde humidus, & eius humiditas est eis loco potus, & sufficit ad cibi deportationem per membra, & ad caloris physici mitigationem. Cætera vero animantia, quæ sunt multæ

caliditatis & ficcitatis, complexionalis vel accidentalis, & vtuntur cibo ficco aut calido, potu indigent ad prædam, & hæc eft caufa quare columbæ & cæteræ volucres, quæ non rapaces prædæ bibunt, quia comedunt grana & huiufmodi, & earum cibus eft groffus, calidus atque ficcus. Aues enim prædæ vtuntur cibo humido actualiter. Et ideo non bibunt nifi raro, & quando bibunt, fignum eft infirmitatis, & quod in eis eft exceffus caloris innaturalis, *vt dicit Ariftoteles & Auicenna. Item dicit etiam Auicen.* quod animalia parui corporis magis funt ingeniofa, quam illa, quæ funt magni corporis, vt patet in araneis, apibus & formicis, quorum opera funt ita fubtilia, quod ad fimilia facienda fenfus hominis non attingit. Supplet enim in eis natura in fenfu & ingenio, quod illis videtur deficere in fortitudine & virtute, *vt dicit idem.* Item, *vt dicit Solinus in lib. de mirabilib. mundi circa fin.* Omne animal habens dentes ferratos eft gulofum & belliculofum, vt patet in cane, panthera, leone, & vrfo, & fœminę talium animalium filios generant incōpletos, vt canis cæcos, & vrfa generat frufta carnea per lineamenta nōn diftincta, quæ cubat illa fub afcellis fuis, ficut gallina fuper oua, & lambendo paulatim format ea, donec formā recipiant debitam & figurā. Panthera fimiliter & leęna filios procreant, fed non perfecte effigiatos nec completos. Item omne animal faciens multos filios, primo nafcentem magis diligit, & magis fibi reputat naturalem. Et ideo quædam animalia deuorāt fœtus fuos propter primum, ficut quædam porcæ facere funt confuetæ, *vt dicit idem. Item idem,* in omnibus animalibus facientibus filios incompletos, caufa incompletionis eft gulofitas, quia fi expectaret natura vfq; ad complementum, fugendo interficerent matrem propter immoderantiam appetitus, & ideo celer in talibus eft natura, vt citius nafcātur, & vt citius oriantur, ne parientes nimis aggrauentur. Item quia animalia taliter generata funt bellicofa & propter mictum, *vt dicit Auicen* fibi inuicem odiofa. Ingeniata eft natura remedium ad fpeciei faluationem, vt multi filii pariter pariantur, vt fi forfitan multi pereant in bello, faltem in paucis fpecies conferuetur & faluetur, & ideo lupa parit multos filios, ficut & canicula. Similiter & vipera dicitur 20. filios parere fimul, *vt*

dicit

dicit idem, & ideo cum filii viperæ multi simul viuant in ventre, ex auiditate nutrimenti multum sugunt & attrahunt de humore. Vnde mater tot nutrire non sufficiens deficit, & moritur antequam possit ad plenum filios suos parturire. *Item dicit Aristoteles & Auicen.* quod animalia habentia dentes coniunctos & sotulares sunt paucorum filiorum: habentia vero dentes diuisos & acutos, & pedes multæ fissuræ, sunt multorum filiorum & multi spermatis. Et animalia habentia paruum corpus, pluris generationis sunt quam animalia magni corporis. Et animalia quæ paucioris sunt generationis, pauciora habent opera & differentia quo ad situm, & ideo canicula habet multas mamillas, similiter & porca, quæ sunt multorum filiorum. Item animalia superflui coitus & continui sunt breuioris vitæ quam illa, quæ raro coeunt & temperate, & propter hoc eunuchi diutius viuunt, quia neruus eis præsciditur, per quem descendit semen. *Idem dicit Galenus li. de spermate.* Et huiusmodi rationem assignat Auicen. *libro de animalib.* vbi dicit: Sperma, inquit, est de sanguine bono & plene digesto, quod iam est conuertibile in membrorum nutrimentum, & ideo quando homo eiicit eum humorem seminalẽ, multum discoloratur, & debilitatur corpus eius magis quam si quadragesies exiret tantus sanguis de corpore, quia sperma est res habilitata ad transeundum in membra, & ideo quando exit, aufertur membrorum nutrimentum naturale, & fit magna deperditio spirituum & virtutum in corpore animalis. Vnde frequens coitus & immoderatus est causa quare corpus dissoluitur, & sic vita per consequens breuiatur, & ideo elephas diutissime viuit, quia castitatem amat, & libidini raro vacat, *vt dicit idem. Hucusque Aristoteles, & Auicenna, & Solinus. Isaac autem in dietis* vniuersaliter tractat de animalibus, prout sunt humani corporis nutritiua. Nam quædam animalia conueniunt humanæ complexioni vt agni, hædi, oues & porci inter domestica. Cerui & capreoli inter syluestria. Et quædam omnino contrariantur, & hoc in nimio calore, vt tyri & serpentes, vel in nimia frigiditate, vt araneæ & scorpiones. Quædam vero naturæ hominis dissimilia sunt, sed tamen non omnino repugnantia nec mortifera sicut sunt hericii, lepores atque vulpes, &

cætera animalia habentia grauis odoris carnes. Talia enim animalia pessima præbent humano corpori nutrimenta. Syluestria autem animalia sunt calidiora, sicciora & macilentiora quam domestica, tum propter motus continuitatem, & propter inhabitati aeris caliditatem: tum etiam propter nutrimenti sui siccitatem, & ideo carnes habent duriores & indigestibiliores, quod patet quia earum carnes occisæ non ita cito putrescunt sicut domesticæ. Vnde omnia syluestria minus sunt sapida & minus nutribilia quam domestica, exceptis capreolis syluaticis, qui cæteris sunt saporosiores, laudabiliores & nutribiliores. Corpora enim eorum ex motu rarificantur, & humores subtiliantur, & pori aperiuntur & humores, qui sunt causa grauitatis odoris, dissoluuntur, & sic saporosiores ratione motus & laboris accidentaliter efficiuntur. Nam per huiusmodi discursus temperatur eorum naturalis frigiditas, & ideo in animalibus syluestribus magni exercitii & multi motus, grauitas saporis & odoris amputatur, & tenerior efficitur caro apertis poris & resolutis humorib. & eorum caro facilius & citius digeritur & membris incorporatur, & ratione suæ siccitatis naturalis tardius à membris dissoluitur. Inter ista autem animalia quædam nutriuntur in locis humidis & aquosis, & eorum carnes multum sunt nutritiuæ & velociter digeruntur, sed cito à membris dissoluuntur. Quædam vero pascunt in locis siccis & montosis, & ideo eorum carnes sunt laudabiliores in custodienda & regenda sanitate conuenientiores, & in fortitudine & duratione in membris perfectiores. Animalia autem quæ domesticantur & pascuntur in domibus, carnes habent viscosiores & grossiores, propter multas comestiones & cibi sui corruptiones, & ideo durioris sunt nutrimenti, & ad digerendum in stomacho & epate tardiores. Nam, *Vt dicit Hippocrates*, ad cognitionem bonitatis naturæ animalium, quo ad corporis nutrimentum confert scire loca & pascua vbi nutriuntur. Aerem humidum vel siccum in quo conuersantur, & quantitatem motus & quietis, qualiter scilicet in exercitio vel otio naturaliter vel accidentaliter disponuntur. Animalia autem quæ naturaliter sunt domestica, minoris caloris sunt & maioris humiditatis quam syluestria, & ideo eorum carnes sunt
mollio

colliores, & ad digerendum faciliores. Ex multa enim quiete pori clauduntur, & per inclusum calorem humores grossi dissoluuntur, vnde carnes mollescunt & attenuantur, & quia nimium comedunt & bibunt, augmentantur eorum superfluitates, & pinguedines multiplicantur, & ideo talium animalium corpora sunt multum nutritiua & tepida, & per corpus & venas facile penetratiua. Ex multitudine enim viscositatis & humiditatis corruptioni & putrefactioni sunt vicina, & humoris superflui generatiua. Et quamuis naturaliter nutriant, tamen propter excessum humiditatis cito à membris dissoluuntur. Et sic accidentaliter minus quam syluestria nutrimenti corpori administrant, quia syluestria, & si parum nutriant, veruntamen quia dura sunt & ad dissoluendum tarda, in membris, quibus assimilatur, diutius perseuerant, & ideo accidentaliter Antiqui ea nutrire asserebant. In omni etiam genere animalium masculina sunt calidiora fœminis & minoris humiditatis, & ideo subtilioris & laudabilioris nutrimenti sunt carnes masculorũ quam fœminarum, excepta caprina, quæ in fœmina laudabilior est naturaliter quam in mare. Nam in fœmina eius humiditas temperat siccitatem complexionalem, sed masculina caliditas intendit siccitatem masculi naturalem, & ideo laudabilior est caro fœminea in hac specie quam masculina, quia magis est temperata, & à siccitatis excessu elongata amplius, & hoc siue sit recens siue antiqua, & maxime quando lacti adhuc est vicina, quia tunc eius naturalem siccitatem temperat, & laus lactis & laus fœmineitatis. Animalia vero castrata inter complexionem maris & fœminæ sunt mediocria. Nam carnes castratorum minus calefaciunt masculis, plus fœminis, tardius maribus & citius fœminis digeruntur, & ideo minoris sunt nutrimenti & deterioris masculis, & maioris fœminis bonitatis. Et est regula quod inter animalia naturaliter humida, meliora sunt masculina fœmininis, & meliora sunt ætate perfecta quam imperfecta. Inter sicca autem naturaliter fœminea sunt meliora masculis, & hoc in ætate imperfecta potius quam perfecta, *vt dicit idem.* Item variatur bonitas animalium ex diuersitate ætatum. Nam animalia valde lacti vicina, sunt magnæ humiditatis, viscositatis & lubricitatis, & ideo

eorum carnes phlegmaticas superfluitates generãtes sunt, nisi siccæ sunt naturaliter, sicut bouinæ & caprinæ, & talium animalium carnes in tali ætate sunt laudabiliores, maxime si nutrita fuerint bono lacte. Meliores sunt autem carnes animalium à lacte separatorum, quia minoris sunt humiditatis & viscositatis & temperatę soliditatis. In ætate vero iuuencula, quando animalia sunt in statu, tunc sunt eorum carnes duriores & ficciores, & maxime si animalia siccæ fuerint complexionis: & ideo ad digerendum sunt eorum carnes duriores, in membrorum tamen confortatione sunt laudabiles, & in duratione plus quam in regenda sanitate, *Vt dicit idem.* In quarta vero ætate, scil. in decrepita, quo ad esum plus sunt inutilia, duplici de causa, quia vicina sunt caloris naturalis extinctioni & humiditatis substantialis consumptioni, & ideo eorum carnes sunt durissimæ, & omnino indigestibiles, maxime si siccæ fuerint complexionis. Et ideo est generalę inter omnia animalia volatilia & gressibilia, dum sunt crescentia, quod sunt quo ad nutrimentum laudabiliora, quam quando post declinationem ad senium magis sunt annosa *Vt dicit idem.* Item est diuersitas ex parte nutrimenti. Nam quæ pascuntur in montib. sunt melioris sanguinis, & subtilioris & acutioris propter paucitatem cibi. Quę vero nutriuntur in palustribus, sunt sanguinis grossioris, & maioris pinguedinis, & minoris caloris, & amplioris opilationis. Animalia autem pascentia maiores herbas, vt boues, macilentiora sunt in hyeme, quam in vere vel æstate, quoniam in hyeme eis deficiunt nutrimenta, & ideo post medium veris vel ante incrassantur vel augmentantur, & eorum carnes saporosiores & laudabiliores efficiuntur, propter abundantiam congrui alimenti. Animalia vero minutas herbas pascentia, ab initio veris vsque ad medium æstatis sunt crassiora & teneriora, bonitate carnis laudabiliora, quia tunc competentia inueniunt nutrimenta.

Sunt & alia animalia pascentia ramorum & virgularum extremitates, & ista sunt bona ab initio æstatis vsque ad hyemem, quia tunc sunt rami teneriores & humidiores: vnde animalia quæ minutis vtuntur herbis & siccis, meliora sunt quam illa, quæ humidis herbis nutriuntur, & illa quæ teneros ramos comedunt atque frondes meliora

liora

liora sunt quam illa, quæ domi fructibus aluntur, & quæ parum comedunt vel bibunt, sunt multum comedentib. & bibentibus meliora. Nam tam montosa quam campestria animantia, ex frequentia sui exercitii atque motus, domi nutritis sunt meliora. Nam subtilior & siccior aer à talibus attrahitur ratione discursus, vnde minuuntur humorum superfluitates & desiccantur & sic suæ complexionis temperantur. E conuerso animalia quæ domi nutriuntur, ex paruitate puri aeris & defectione motus & multitudine cibi & potus, in cibi complexione minus laudabilia inueniuntur. Diuersificantur iterum animalia secundum pinguedinem, maciem & mediocritatem. Nam quæ sunt crassissima quoad esum, sunt pessima, nocent enim digestioni, quia super cibum natãt, & cibum inflant, & villos stomachi emolliunt, & lubricitatem & viscositatem tribuunt stomacho & inducunt. Et ideo nimia pinguedo humidum stomachum dissoluit, deficiente contentiua & confortatiua & virtute expulsiua: stomachum vero calidum nimis incendit, sicut ignis exterius accendi pinguedine consueuit. Et ideo præceperunt Antiqui, vt etiam de crassissimis animalibus sola caro rubea pinguedine denudata, communiter comedatur. Animalia vero macerrima sunt neruosa, parum sanguinis habentia & parum humida, & ideo etiam parum nutrimenti corpori humano ministrantia. Sed animalia quæ inter maciem & grassitiem sunt media, sunt temperatiora & laudabiliora, cum non tantum pinguedinis habeant, vt calorem incendant, & villos stomachi lubricent, nec tantum maciei, vt naturam infrigident, & à sanguine eam depauperent siue priuent. Item inuenitur diuersitas in animalibus secundum temporum mutationem. Nam quædam animalia in vno tempore à medulla & sanguine depauperantur, quæ in opposito tempore plena inueniuntur. Et hoc sensibiliter patet in in conchylib. maris, & in cerebro hominis & forsan cuiuslibet animalis, *vt expresse dicit Aristoteles libro de proprietatibus elementorum.* Et ideo multi in vna parte mensis vel anni infirmantur, qui in tempore opposito tuti ab omni infirmitatis impetu cognoscuntur, vt patet in lunaticis, maniacis & caducis. *De hoc quære supra in capite de Luna. Simile dicit Auicenna de simia*, quæ

ſecundum mutationem temporum, & maxime ſecundum lunæ curſum lætatur vel triſtatur. Sic & quædam animalia in vno tempore macerantur, quantumcunque victualia tunc abundant, & eadem in tempore oppoſito dormiendo impinguantur, *ſicut dicit Auicenn.* Glires, inquit, tempore hyemali non mouentur, ſed iacent ſicut mortua, & nihil comedendes dormiendo impinguantur. Repunt vero in tempore æſtatis & ſe mouent in æſtate contra æſtum Solis. *Simile narrat de hirundinibus & quibuſdam aliis auibus*, quæ quaſi mortuæ inueniuntur in arborum concauitatibus tempore hyemali, quæ poſtea vires reſumunt, & quaſi dormiendo fortiores effectę agiles ſe oſtendunt tempore æſtiuali. Et ſic vrſæ, *ſecundum Auicennam Ariſtotelem & Solinum*, poſt conceptum multo tempore in locis abditis ſe abſcondunt, & tunc temporis penitus cibum non aſſumunt. *Quære infra eodem de Vrſo.* Sic & piſces vno menſe impinguantur, & ſtatim in ſequenti tempore macerantur, & quidam impinguantur vento ſeptentrionali vt piſces longi, & quidam meridionali vt piſces ampli, & quidam in tempore pluuiali, *ſicut ibidem dicit Ariſtoteles.* Aqua, inquit, pluuiæ conuenit omnibus teſtei corei, præter piſcem qui dicitur Coyteam, qui ſi guſtauerit de aqua pluuiali, ipſo die morietur. Item quibuſdam nocet pluuia quoniam excæcat eos, ſi fuerit multa. Similiter quædam animalia vno tempore ſe renouant, & ſua etiam ſuperflua deponunt & immutant, vt cancer deponit & immutat ſuas teſtas, cerui cornua, & accipitres plumas ſuas. *Sicut etiam dicit Iſaac.* Carnes animalium in quibus dominatur ſiccitas & etiam caliditas vt camelinæ in æſtate ſunt illaudabiles, ſed in hyeme ſunt conuenientes. Et carnes animalium, quæ ſunt calidæ & humidæ vt pecorinæ, in vere ſunt bonæ & in autumno competentes. Frigidæ autem & ſiccæ ſunt illaudabiles vt caprinæ. Frigidæ & humidæ vt porcinæ à medio æſtatis vſque in finem ſunt optimæ, in hyeme peſſimæ, in vere autem & autumno ſunt mediocres. *Vnde dicit Hippoc.* Caro, inquit, porcina in æſtate eſt bona, in vere & autumno minus bona, ſed in hyeme maxime illaudanda. Caprina in æſtate bona, pecorina in vere, bouina in fine veris & in principio æſtatis eſt laudabilis. Carnes autem animalium prout ſunt ordinatæ ad huma-

humanum esum, variantur secundum diuersam præparationem. Nam *Vt dicit Isaac*, animalium carnes aliquando assantur, aliquando frixantur, aliquando cum sale & aqua elixantur. Assatæ & frixæ sunt grossiores in nutriendo & sicciores, ad digerendum duriores, quia humiditate earum consumpta, ab igne contrahunt siccitatem: vnde non sunt carnes multum pingues comedendæ, nisi assæ, vt humiditas illaudabilis ab earum substantia extrahatur. Carnes autem elixæ sunt humidiores & ad digerendum faciliores, quia aqua temperat eas & humectat: aliquando autem in aqua, in qua elixantur, apponuntur species, & fiunt diuersa condimenta, quæ carnes custodiant in natura & bonitate sua, & eas reddant tam in odore quam in sapore meliores, & ad diuersos morbos expellendos amplius efficaces. Decet autem carnes animalium siccorum & macrorum elixari, humidorum vero & pinguium assari, mediocrium autem inter istas diuersis condimentis præparari. Fit autem ista præparatio multipliciter, quia aliquæ inueniuntur carnes animalium quæ sunt salubres & conuenientes assaturæ, & sunt illaudabiles elixatæ, melior est enim caro caprina & bouina elixa quam assa, porcina & pecorina est melior assa quam elixa. Nam per elixationem siccæ carnes humectantur, & per assationem humidæ desiccantur, & ideo porcinam propter suam humiditatem bonum est assare, & caprinam seu bouinam propter siccitatis excessum elixare. Eorundem etiam animalium carnes secundum huiusmodi accidentia variantur. Nam caro porcina assa & per assationem melioratur, & minus bona efficitur per elixationem. Caprina vero melior est elixa & peior quando est assata, & sic de aliis est videndum. *Hucusque Isaac in diætis.* Item ordinantur animalia non solum quoad corporis nutrimentum, verum etiam quoad remedium morborum, & multiplicem medicinam. Omnium animalium tam iumentorum quam reptilium & bestiarum genera creata sunt propter optimum hominis vsum, *Vt dicit Plin. & Ioh. Dama.* sed horum quædam propter esum vt pecudes, cerui, & huiusmodi, &c. quædam propter hominis ministerium, vt equi, asini, boues, & cameli, & huiusmodi: alia ad hominis iucunditatem vt simiæ, merulæ atq; paui: alia autem creata sunt ad hominis exercita-

tionem, vt suam cognoscat homo infirmitatem & Dei timeat potestatem. Ideo enim creati sunt pulices & pediculi, sicut leones, tigrides atque vrsi, vt in primis recurrat homo ad propriæ infirmitatis recognitionem, & territus a secundis, scilicet reptilibus & feris, refugium habeat ad Dei nominis inuocationem. Sunt insuper creata animalia ad subleuandam multiplicis infirmitatis humanæ necessitatem, vt carnes viperæ ad theriacam, & fel tauri & aliorum animalium & auium ad oculorum caliginem amouendam. Pellis serpentis decocta in oleo, dolorem aurium mitigat miro modo, *vt dicit Dios. In lib. Aesc. de occultis membrorum virtutib. dicitur*: patiens hæmorrhoidas si sederit super pelles leonis recedent ab eo, & qui linit corpus suum sepo renum leonis aut qui inungitur eius fimo, fugiunt ab eo lupi. *Item ibidem dicit idem*, si quis suspendit caudam senis lupi ad præsepe vaccarum, non appropinquant ei lupi. *Item dicit Dioscorides*, oculi vrsi eruti & supra dextrum brachium hominis ligati, mitigant quartanam eius. Item dentes canini lupi curant illos in principio, qui lunaticam sustinent passionem, *vt dicit idem. Simile dicit Pythagoras & Plinius, & dicunt*, quod si oculum lupi erutum viderint quadrupedalia domestica fugiunt atque timent. *In libro viatici dicit Constantinus.* Pili canis albi nullam maculam nigredinis in se habentis, si fuerint suspẽsi circa collum patientis, iuuant epilepticum, & prohibent eius casum. Simile dicit *Pythagoras in libro Romanorum*, fiat, inquit, anulus ex vngula samur asini nigredinem non habentis, & induat eum epilepticus, prohibet eius casum. Et dicit, fel taurinum sub vmbilico inunctum, soluit vẽtrem. *Dicit etiam idem*, dens serpentis eradicatus dum vixerit suspensus super quartanarium soluit quartanam eius, & si subfumigaueris domum cum pulmone asini, mundas eum ab omni reptili & serpente. Has & multas alias virtutes admirandas *dicit Plinius* in membris animalium latitare, sicut in naturis animalium particularium post dicetur, quia nihil est in corpore animalis, quod careat manifesta vel occulta medicina, nam pellis & pilus, & cornu, vnguis caro & sanguis non sunt sine remedio, nec etiam ipse fimus, sed hæc ad præsens dicta generaliter hic sufficiant.

CAP.

Cap. I.

De Animalibus in speciali.

DEscriptis animalium proprietatibus & naturis in generali, restat (cooperante Dei gratia) quorundam animalium & reptilium recitare proprietates in singulari, & hoc per ordinem alphabeti.

Cap. II.

De Ariete.

ARies est pecus laniferum animo placidum, naturaliter mansuetum, *vt dicit Isidorus libro* 12. *capit.* 1. Est autem dux & princeps ouium, & ideo dedit ei natura fortitudinem cæteris ouibus præstantiorem, decuit enim arietem ducem cæterarum ouium & tutorem aliis esse viribus fortiorem, & ideo *vt dicit Isidor.* aries aut veruex à viribus est dictus, eo quod tanquam vir ouium, cum sit masculus cæteris bidentibus sit amplius virtuosus. Vel *vt dicit idem Isidorus*, veruex à vermie est dictus, eo quod habeat vermem in capite, cuius pruritu excitatus, caput concutit fortissime, & quicquid sibi obuiat, dure ferit, & ideo aries ab ἀρετῇ græce, quod dicitur virtus latine, est vocatus, quia in gregibus masculi dicuntur arietes, quia ad fœcundandas oues virtuosi sunt atque fortes, nam corporis magnitudine & virium fortitudine & animi virtute oues alias præexcellunt. Dicitur etiam aries ab aris, quia *vt dicit Isid.* hoc pecus primum fuit in aris à gentibus immolatum, vnde dicitur ideo aries, quia mactatur ad aram. Vnde secundum legem Mosaicam aries fuit animal potissime mundum, & ad sacrificium & ad esum, nam pro peccato populi communiter & conuenienter offerebatur, & quia findebat vngulam pariter & ruminabat, indifferenter à populo comedebatur, *vt dicit Isi. lib.* 12. bidentes quondam dicebantur, eo quod inter octo dentes quos habent, duos habent altiores, & ideo eos gentiles maxime in sacrificium offerebant, *vt dicit idem.* De ariete autem singulariter *dicit Plinius libro* 8. *cap.* 47. arietis, inquit, naturale est agnos fastidire, & oues senectas sibi obuias consectari, nam ipse melior est & vtilior in senecta, & cum respectu

ouium

ouium ferox sit animo, eius ferocitas cohibetur, si cornu eius iuxta auriculam perforetur, dextro teste præligato fœminas, sinistro vero præligato mares gignit, in vento aquilonari mares procreat, in flatu Austri fœminas generat, & quales venas aries sub lingua gestat, tales fœtus in vellere generat, nam si nigras habet venas, fœtus in vellere erit niger, & si albas albus, & si varias varius in vellere apparebit. *Idem dicit Aristoteles & Auicenna, quare infra de oue*, frontem habet aries durissimam, corneam, duritiem fere præstantem, sed tempora habet debilia, & quodammodo cartilaginosa, & ideo ad munimen partis debilioris dedit natura cornua magna circa temporum loca ad modum scuti rotundi reuoluta, quæ tamen in extremitate aliquantulum sunt acuta, vt cornuum duritie & fortitudine caput defenset, & eorundem acumine aduersarios impetat & impugnet, *Vt dicit idem.* Sine enim armorum defensione non decebat naturam gregis relinquere defensorem, & ideo duo dedit natura sibi cornua, ad modum circuli replicata, vt caput proprium, quod ex se est infirmum, protegat, & contra aduersarios armis munitus, se audaciorem ex armorum confidentia exhiberet, & ideo securius præcedit gregem, & erecto capite ex fixo pede vngula diuisa vestigio firmius terram premit, vellus habet pinguius & in villis prolixius, pilos diffundit, fortiori corio siue spissiori cute contra extrinsecas aeris calidi vel frigidi iniurias se defendit, & ideo suæ cutis superficies ratione suæ fortitudinis coriariorum violentas artes præ cæteris ouium pellibus sustinet, & ad diuersorum telorum recipiendam impressionem habiliorem se præbet, *Vt dicit idem.* Tempore amoris pugnat pro vxorib. suis, & aduersarios cornibus impetit, & vt melius pugnet & fortius contra resistentem incurrat, retrocedit ac resiliendo cum impetu hostem ferit. *De arietibus etiam dicit Auicenna lib.* 8. Arietes, inquit, & capri vadunt multum in vanum, & in hyeme non se abscondunt propter frigus, & aliquando exeunt de loco calido ad locum frigidum, & quando pluit, non fugiunt à pluuia, quousque moriantur, & arietes naturaliter sequuntur capras, & quiescunt omnes, quousque pastor accipit vnum ex eis & facit ipsum antecedere, & sequuntur alii, & timent naturaliter tonitrua, sicut oues,

quæ

quæ si imprægnatæ fuerint & audierint tonitrua, abortiunt præ timore,& ante mediam noctem stant simul cum ouibus & dormiunt, & post sparsim, & in dormiendo super latus alternant vices, nam à vere vsque ad autumnum dormiunt in vno latere, deinde vsque ad ver dormiunt in latere altero & dormiunt erecto capite, nisi quando infirmantur,& ruminant cibum,& masticant dormiendo, sicut & vigilando, & si contingat eos errare,non redeunt nisi à pastore reuocentur. *Dicit ad hoc Isaac in diatis*, quod arietes in iuuentute manentes minoris sunt humiditatis & viscositatis quam agni lactentes, & hoc propter ætatem eorum complexioni dominantem, & ideo ipsorum carnes sunt carnibus agnorum & ouium meliores, & meliorem sanguinem generantes, maxime si sint castrati, quia eorum caliditas humiditate accidentali temperata est, vnde sunt boni saporis, sed quando sunt decrepiti, in calore sunt defecti, si non sunt castrati ex ætate si vero sunt castrati & decrepiti, duplici carent causa caloris, scilicet testium & ætatis, & ideo eorum corpora sunt frigida ad modum ligni, & duriora & insipidiora, respectu caprarum & boum, & huiusmodi, quæ in decrepita ætate, sunt pessima, corpora arietum, quæ naturaliter sunt calida & humida, cæteris decrepitis naturaliter frigidis & siccis simpliciter sunt meliora. *Hucusque Isaac in diatis. Item dicit Aristoteles & Auicenna libro 6.* quod arietes & capri sicut & cætera animalia propriam habent vocem, per quam se clamant, & vocant fœminas tempore coitus & amoris, & potantes aquam salsam anticipant coitum, & citius mouentur ad amorem, & quando arietes senes mouentur, citius ad amorem & coitum quam iuuenes in tempore determinato, signum est bonitatis temporis in anno illo, & si in illo tempore excitentur iuuenes ad amorem, signum est pestis futuræ super oues in anno illo, *Vt dicit idem.*

CAP. III.

De Agno.

AGnus, *Vt dicit Isidor.* à Græco vocabulo dicitur, quasi pius, nam inter omnia terræ animantia maxime inuenitur innocens & mansuetus, nullum enim lædit dente,

nec cornu, nec vngue, & quicquid in eo reperitur, totum vtile est, quia caro ad cibum, pellis ad varium vsum, pilus ad indumentum, fimus ad terræ impinguationem, vngula & cornu ad medicationem, &c. vel, *Vt dicit Isidor. libr.* 12. Latini agnum ab agnoscendo putant dictum, eo quod præ cæteris animalibus matrem suam noscat adeo, quod si in magno grege errauerit, statim balatu vocem noscat parentis, *secundum Arist. & Aqui.* Agni quidam nascuntur in tempore vernali, quidam in tempore autumnali, vernales sunt corpore maiores, robustiores viribus & pinguiores, quam sunt autumnales vel hyemales, in aliquibus tamen regionibus multi hybernos agnos præferunt vernis, & dicunt hoc solum animal vtiliter nasci bruma, *Vt dicit Plin. lib.* 8. *cap.* 47. *& dicitur ibidem.* quod agni concepti flante vento aquilonari sunt meliores, quam cõcepti flante vento australi, tunc enim mares generant, talem autem colorem habent agni in lanificio, seu in vellere qualem habent parentes in venis linguæ, nam si venæ fuerint albæ & agni erunt albi, & si nigræ nigri, & si variæ varii, *Vt dicit idem.* In sugendo anteriores poplices flectunt, & vt mater ei plus lactis tribuat, capite matris vbera premit, balatu quærit matrem, qua inuenta, cauda matri blandiendo erecto capite mammas quærit, & nisi caput prius erigat nunquam sugit, pilum habet subtilem & crispum, multipliciter in sese reflexum, multum nocet agnis frigus, & maxime tempore pluuioso. De societate gregis gaudet, quando solitarius est, dolet plurimum atque timet, ante gregem salit, & saliendo ludit, quando videt lupum, timet vehementer & subito fugam arripit, sed post præ timore stupidus subito gradum figit, & fugere vlterius non audens, sibi non balatu, sed potius simplici vultu parci petit, captus ab hoste, ligatus à carnifice, nec cornu, nec dente se defendit, & siue spolietur vellere siue cute, sicut animal innocuum obmutescit, siue enim ducatur ad pascua, siue deferatur ad victimam, non gemit nec remurmurat, nec calcitrat, sed obedit. *Et Vt dicit Plin.* agnos dimittere solitarios est periculosum, quia si superuenerit forte tonitruum, de facili moriuntur, nam agnus naturaliter debile habet caput, & ideo remedium est eos simul aggregare, vt ex coniunctione mutua animentur, & potentia plurium confortentur.

CAP.

CAP. IIII.

De Agno anniculo.

AGnus anniculus ætate vnius anni est completus, qui infra vnius anni spacium tanto est melior, quanto à lacte remotior est. Nam à lacte eius humiditas complexionalis augmentatur, sed per separationem à lacte intenditur eius calor, & superflua humiditas temperatur, maxime si manserit adhuc non castratus, *vt dicitur apertissime in diat.* Agnus enim anniculus corpore integer, & carne mundus & aptus est ad sacrificiũ, ad esum, etiamsi fuerit vellere maculosus. Non enim reprobat à sacrificio agnum macula velleris, nisi sit fœditas vel corruptio in carne interius vel in cute, *vt dicit glos. super Exod. 12. & super Malac. dicit Hieron. & super Leuit.* Non impedit, inquit, sacrificium varietas maculosi velleris, si corpus fuerit integrum, & non subfuerit scabies in superficie ipsius cutis. Agnus ergo anniculus, *vt dicit Plin. lib. 8. cap. 47.* deorum aris fuerat aptus, & tam in vsu vellerum, quam in vsu carnium, vsibus hominum est necessarius, & ideo sicut propter sumptus hominum excoluntur & custodiuntur corpora boum, sic oportet vt habeatur diligentia circa custodiam ouium & agnorum. *Dicit etiam Dios.* quod agnus fimum habet nigrum, qui si cum aceto dissoluatur & cataplasmetur, nigras emundat maculas, clauos corporis tollit, ignem sacrum curat, mixtus cum cera & oleo combusturas sanat.

CAP. V.

De Agna.

AGna est arietis filia, quæ minoris est corporis pariter & roboris, quam sit agnus, & minoris caloris, & maioris humiditatis, quam sit agnus ratione fœmineæ complexionis, *vt dicitur in diæt.* cuius caro dum est lactens, maioris est viscositatis, propter humiditatis superfluitatẽ, tam ex ætate quam ex complexione eius corpori dominante, & ideo quod ex eius carne generatur, phlegmaticum est & viscosum, ac difficulter digeritur & digestum à membris vix dissoluitur ratione viscosi & glutinosi humoris,

ris, qui inde generatur, à stomacho tamen facile descendit ratione suæ lubricitatis & humoris, *Vt dicit Isa.* & eius carnes meliores sunt assatæ quam elixæ, quia consumitur superflua earum humiditas vi caloris. Maioris tamen simplicitatis & timiditatis est agna quam agnus, quia minus habet caloris naturalis fœmina, quam masculus, & ideo minus est animosa, propter quod etiam caret cornibus, quia essent ei superflua, cum propter defectum audaciæ eis nesciret vti, *Vt dicit Auice. Dicit etiam Arist. lib.* 3. Agnis accidit ægritudo quando nimis impinguantur circa renes, quia si operiantur seuo renes, moriuntur, & multiplicatur seuum propter bona pascua, & ideo arcentur a pascuis, ne nimis impinguentur, *quære supra de Oue*,

Cap. VI.

De Apro.

APer est porcus syluestris vel agrestis, quia sæuissimus est & immitis, *Vt dicit Isidor. lib.* 12. *cap.* 1. & dicitur aper quasi afer a feritate, quia secundum quantitatem sui corporis ferus est & crudelis, vnde & apud Græcos aper fiagres, id est ferus vulgariter nuncupatur. Dicitur autem a Latinis verres eo, quod grãdes habeat vires, *sicut idem dicit ibidem. Secundum autem Plin. & Auicen.* Aper est animal valde sęuum, quia vix castratus se exhibet mansuetum, cum cætera animalia ablatis testiculis amplius mansuescunt. Aper igitur *in Psal.* 79. dicitur singularis ferus, quia culmis perfecte productis audacior factus segregat & scorsitat se à grege, singulariter quærens pastum. Est itaq; aper tantæ feritatis, quod etiam mortem paruipendens, contra venatoris ferrum intrepide se infigit, & etiam iam transfixus contra sibi resistentem vires recolligit, vt culmis vindicet se de aduersario, etiam in mortis periculum contra hostis venabulum mira audacia se exponit, culmos duos habet in ore aduncos, fortes & acutos, cum quibus omne sibi resistens secat crudeliter & dilaniat. Culmis autem vtitur pro gladio ad pugnandum, in latere dextro habet os durissimum, latum & spissum, quod semper opponit venabulo persequẽtis, nam osse illo pro clypeo ad se protegendum vtitur, sentiens sibi imminere bellum acuendo culmos,

mos, contra arbores eos fricat, & sic an hebetatam aciem habeant, confricando ad arborem ipsos probat, si senserit hebetatos, origanum quærit & masticat, cuius virtute culmorum radices mundificat & confortat, *Vt dicit Auicen. Plinius in lib.28.cap.10.dicit*, quod vrina apri medetur vitiis aurium, si cum oleo rosaceo misceatur. Similiter eius fel valet contra calculum, *Vt dic.lib.28 cap.40.* Et est ei ita grauis sua vrina, vt nisi egesta fuerit, surgere non possit, imo opprimitur, vt defunctus, nam exuri traduntur ex vrina. Item idem ad coitum stimulat fel aprinum. *Dicit etiam idem lib. 5.* porcus agrestis multum diligit radices, & culmis incidit terram & fodit, & scindit radicem culmo, & impinguatur quando quiescit per septem dies, & maxime quando parum potat, & præliatur cum lupo, quia ipsum odit naturaliter, nam lupus insidiatur filiis suis, & sæpius rapit eos. Et ideo *Vt dicit idem libro 14.* Dedit natura apro culmos ad defendendum fœminas & filios suos, quia fœminæ sunt debiliores in se, & peioris complexionis, nam mares sunt audaciores, & vires habent fœminis fortiores. Fœmina tamen sæuit irata, & fodiendo lædit, & dentibus mordendo & dilaniando. Aper vero lædit culmis sursum feriendo, & ideo parum potest lædere prostratum & iacentem, & fœmina parum lædit stantem, & dum aper irascitur & pugnat, spumat ore. Similiter dum luxuriat cum vxore. *Omnia sup. dicta recitat Plin. & addit iam dictis in lib. 8. c. 2. Vbi dicit.* Apros & alios porcos dentatos nasci, *Enigidius tradit.* Inest autem maribus apris maxima asperitas & feritas animi, quando sunt in amore, quia tunc pro vxoribus atrociter pugnant, vngulis terram scalpunt, setas erigunt, culmos vibrant & quatiunt, & horrendo gemitu furiam pectoris tunc ostendunt, parum etiam tunc comedunt, discurrunt post fœminas, & ideo attenuantur plurimum & macrescunt. In horrendis & vmbrosis vallibus & nemoribus mansiones quærunt, vbi custodiunt fœtus suos, de radicibus & arborum syluestriũ fructibus viuunt, quando venatoru insultus vel luporũ impetus præsentiunt, filios suos præcedunt, & eis non patet locus fugæ pro filiorum defensione periculosè exponunt. Quando debent dimicare, attritu arborum indurant costas suas, & se inuoluunt in luto, & desiccant ad Solem, &

inter pilos lutum conglutinant & inuiscant, vt sic secu-rius aduersariorum ictus sustineant in conflictu. *Aristot. lib.* 6. Fœminæ aprorum post partum sunt asperę & crudeles, & crudeli morsu filiorum suorum dilaniant inuasores. *Hucusque Plin.* Est autem caro aprina, *vt dicit Isaa.* magis sicca & minus frigida, quam porcina domestica, & hoc est propter motus sui continuitatem & victus siccitatem, & aeris, cui continue exponitur, caliditatem, ideo eius pinguedo est durior, & caro delicatior ad edendum, & propter hoc verres domestici vehementer agitantur & verberantur antequam occidantur, vt eorum carnes teneriores & sapidiores ex motus violentia efficiantur. De apro etiam *dicit Dioscor.* quod eius fimus desiccatus, & cum vino & aqua bibitus, eiicientibus sanguinem singulare est remedium. Lateris dolores cum aceto curat, fracta ossa consolidat & confirmat. *Quære infra de porco.*

Cap. VII.

De Asino.

Asinus à sedendo est dictus quasi assedus, quia homines super asinos sedebant, antequam vsum equorum haberent, *vt dicit Isido. lib.* 12. Animal quippe est simplex & tardum, & ideo fuit de facili subiectum humanis viribus & prostratum: vel dicitur ab à quod est sine & sinos, quod est sensus, quasi animal sine sensu, inde dicitur asellus, id est iuuenis asinus, qui pulerioris est formæ ac dispositionis, quando ætate est tenellus, quam quando senex efficitur & antiquus, nam quanto magis fit annosus, tanto plus quotidie fit deformis, hispidus & villosus. Est autem animal melancholicum, frigidum scil. & siccum, & ideo naturaliter ponderosum, tardum atque pigrum, stolidum & obliuiosum, tamen oneriferum est, & patiens laboris, vili & modico vtens cibo. Inter tribulos enim & spinas ac carduos carpit cibum suum, *& ideo dicit Auicen. lib.* 8. *similiter Aristot.* quod asinus minutis auibus inter spineta & cardineta nidificantibus est exosus, & ideo minuti passeres pugnant contra eum, quia comedit spinas in quibus nidificant passeres illi, & confricat se ad spinas illas, vnde cadunt pulli eorum passerum siue oua, & quando

sinus rudit ex eleuatione capitis, & forti flatu mouentur spinę, & ex horrendo sonitu seu rugitu terrentur auiculæ, & fugiunt de nido suo, & propter ista saltant matres super ipsius faciem, & impetunt eius oculos atque percutiunt rostro suo, & si habet asinus vulnus in dorso vel in latere ex spinarum punctura vel quacunque alia de causa, pungunt eum cum rostro suo in vulnere, vt recedat à loco nidi sui, & cum talis passerulus habeat corpus minutissimum, vix potest asinus se defendere contra eius impetum atq; morsum. *Dicit etiam Arist. sicut & Auic.* quod coruus valde odit asinum, & ideo volat super ipsum, & temptat tangere oculos suos rostro suo, sed iuuat asinum profunditas oculorum & spissitudo corii ciliorum, quibus contra morsus auium claudit, & tegit visum suum, ei etiam cooperatur proceritas aurium & mobilitas, cum quibus terret auiculas, quando infestant visum suum. *Item Aristot. lib.* 8. Vrsus pugnat cum asino & tauro, quoniam comedit crudas carnes, & hæc est causa quare pugnat contra eos, quoniam eorum carnibus appetit satiari. De asinis autem *dicit Plinius lib.* 28. *cap. Vlt.* vngulæ asininæ fumigatæ partum adiuuant in tantum, vt etiam aborsus euocetur, nec aliter debet addi, quia viuum partum necant, si diu & frequenter apponantur. Eiusdem animalis fimus recens sanguinis profluuium mire sedat. Eius iecur valet contra caducos morbos paruulorum. *Plinius lib.* 28. *cap.* 10. Lac asinæ sicut & sanguis valet contra morsum scorpionis. Si quis etiam asino dixerit in aure se percussum à scorpione, transire protinus malum dicunt. A facie etiam fumigationis pulmonis asini fugiunt omnia venenata. *Dicitur etiam in eod. cap.* 9. Lac asininum valet cōtra gypsum venenosum, contra cerussam vel argentum viuum. *Item li.* 9. ossa asini contrita & decocta, valent contra venenum, si eorum decoctio bibatur. Item vrina maris asini cum nardo capillos multiplicat & conseruat.

De asinis autē *dicit Plin. lib.* 8 *c.* 44. Asinus est animal magni frigoris impatiens, & ideo in frigidis regionibus, vt in Ponto, non generantur. *Item dicit Arist.* cū asinus sit multæ frigiditatis & siccitatis, multæ tamen est luxuriæ, sed non mouetur ad coitum antequam sit triginta mensium ætate, sed non generat antequam sint tres anni completi,

aut duo & dimidius. *Vnde dicit Plin. ibidem*, partus asini à 30. mense est ocyssimus, sed à trimatu legitimus. *Idem dicit Aristot. lib. 5. & subdit Plin.* raro geminos parit, & quando fœtum est paritura, lucem fugit, & tenebras quærit, ne ab homine videatur. Partum suum amore nimio diligit in tantum, quod etiam per ignes ad fœtum vadit. Aquas transire & pedes in eis tingere multum horret, & quando cogitur aquam vel riuum euadere, in ipso mingit. Nec transeunt asini voluntarie per pontes, vbi per planicies pontis possunt videre aquam defluentem: debile enim habent cerebrum, & patiuntur de facili vertiginem, propter quod timent per rimas pontis cadere in aquam, quam conspiciunt sub ponte transeuntem, nec bibunt de facili nisi assuetos fontes qui sunt in pecuariis, ad quos possunt ire sicco pede. Et quod mirum est dictum, quamuis multum sitiant, si mutentur aquæ eius vix potant, nisi sint illis similes quas frequentant. *Item Plin. lib. 28. cap. 7.* si asina comederit hordeum intinctum sanguine menstruali, tot annis non concipiet, quot grana comedit sic intincta, & ex asino & equa mulus gignitur, sed ad tales partus eliguntur equæ, quæ neque quadriennibus sint minores, neque decennibus maiores, nec commiscentur passim ad inuicem. Horum animalium duo sunt genera, scil. equus cum asina, & asinus cum ipsa equa, imo vnum genus ab alio se coercet, nisi in infantia lacte hausto mutuo nutriantur, & propter hoc pastores mulos vel burdones ex disparibus animalibus gigni cupientes, dicuntur vti ista arte. Nam iuuenes equarum pullos in tenebris subiiciunt vberibus asinarum, & enutriunt eos lacte asinino, & tales pulli equorum adulti iam effecti, ad asinarũ coniunctionem tempore coitus commouentur, similiter pullos asinarum in tenebris subiiciunt mammis equarum, & aselli tali lacte iumentino nutriti, equas inuadunt quando adolescunt. Ex tali asini & equæ commixtione generatur animal quoddam, quod Antiqui vocabant hinnulum (alias humilum) nos autem dicimus eum burdum, sicut genitum ex asino & equa dicunt mulum. *Aristot. autem lib. 15.* si asinus coeat cum equa imprægnata, equæ corrumpitur conceptus propter frigus spermatis sui. Sperma enim asinorum est frigidissimum naturaliter, & materia eorum, mate-

materia autem equæ est calida, & ideo quando miscetur calidum cum frigido, fit temperamentum, tunc ex eis potest fieri conceptus & saluari fœtus, quando scilicet equi asinorũ fœminis cõmiscentur, similiter quando equæ asinis maribus supponuntur. Sed filius aselli & equæ, scilic. mulus, non conuenit generationi, nam vtriusque parentis frigiditas, scil. naturalis & complexionalis in ipso dominatur, & ideo ex mulis non generatur, *vt dicit idem. Item ibidem dicit idem*, si asina concipit ab equo, subsequens asini coitus cum eadem facit eam abortire. Cuius ratio est, *vt dicit Auicen.* quia frigiditas seminis asinini superuenientis corrumpit & destruit temperantiam seminis equini præcedẽtis, & semen asini frigidum est ex complexione & ex sexu, & corrumpit semen equæ ad temperantiam disponentis, vnde quando superuenit subito asini semen naturaliter siue complexionaliter frigidum, cum frigiditate sexuali intensa frigiditate corrumpitur præcedens temperantia ex calido equi semine & frigido asinæ introducta, & ista est ratio quare omnis mulus vel mula est sterilis, *vt dicit Auicen.* quia in patre muli scil. in asino est excessus frigiditatis complexionalis, & in matre, scilic. in equa, remissus est calor ratione sexus, & ideo quamuis calor seminis matris scil. equæ temperet semen frigidum asini, vt animal generetur, in genito tamen remanet generatiuum prædominans frigiditas, quæ naturaliter disponit ad sterilitatem. Est autem quædam species asini, quæ dicitur Indicus asinus, habens in capite in medio frontis cornu vnum, & non habet nisi vngulam vnam in quolibet pede. Omne enim animal habens duo cornua, habet in pedibus vngulam scissam, & ideo asinus Indicus non habet nisi vnum cornu, quia vngulam non findit, *vt dicit Aristot. lib. 2.* Non tamen omne animal findens vngulam habet cornua, sed potius è conuerso, si habet cornua findit vngulas, vt patet in tauro, ceruo, oue & huiusmodi, *vt ibi. dicit Arist. Item dicit Arist. lib. 7.* asinus & mulus sicut equus comedunt fructus, & pascuntur herbis & impinguantur ab aqua, & diligunt plus aquam turbidam quam claram. Vacca autem è conuerso plus diligit aquam claram quam turbidam. Item *Aristot. lib. eodem*, asini in maiori parte infirmantur vna infirmitate, & dicitur milide, &

est hæc infirmitas prius in capite, & currit à narib. phlegma multum calidum, & si descenderit ad pulmonem, asinus morietur. Et hoc animal sentit frigus plus omni animali, & propter hoc non inuenitur in terra septentrionis.

Sunt autem *Vt dicit idem* spondylia dorsi asini fortiora & neruis fortioribus compaginata, à parte posteriori circa clunes, i.e. renes quam à parte anteriori, & ideo in ipsius dorso potius circa renes quam circa humeros grauiora onera imponuntur. Post æquinoctium vernale mouetur ad libidinem, & tunc rudit horribiliter, & terribili sonitu fœminam excitat ad amorem. Ventum autem odorem fœminæ eius naribus deferentem attrahit, & eius attractu ad libidinis desiderium inardescit *Vt dicit Plinius*. Alias siquidem asinus habet conditiones miseras omnibus fere notas. Nam supra vires laboribus exponitur, fuste ceditur, stimulo pungitur, camo os eius constringitur, hinc inde circumducitur, & eiusdem cami refrenaculo ab illis pascuis, per quæ transit, sæpius coercetur. Post labores cassos in fine moritur, nec pro præcedentis laboris seruitio post mortem saltem ei cutis dimittitur, sed aufertur & cadauer sine sepultura aeri exponitur nisi in quantum in canum & luporum ventribus deuorationis gratia aliquoties sepelitur.

CAP. VIII.

De Angue.

ANguis vocatur omne serpentinum genus, quod torqueri & plicari potest. Ex hoc enim anguis est dictus, quod est angulosus, & nunquam incedit rectus, *Vt dicit Isidorus lib.*12. & dicitur anguis serpens, eo quod in occultis accessibus serpit. Non enim apertis passibus sed minutissimis squamarum nisibus siue cõtractibus repit, & computatur inter reptilia, eo quod pectore & ventre repat, *Vt dicit Isidorus lib.*12. Dicitur etiam coluber, eo quod colit vmbras, vel quia in lubricos contractus & flexuosos labitur. Nam anguis labitur dum tenetur. Sunt autem anguium seu serpentum multa genera, & quot sunt genera tot sunt venena, tot pernicies quot species, tot dolores quot colores, *Vt dicit Isidorus libro* 12. Et sicut differunt angues in quantitate, ita in veneni malignitate. Sunt enim

enim quidam angues maximi, *vt dicit Plinius lib.8.cap.17.* Scribit, inquit Megestenes, in India serpentes in tanta magnitudine coalescere, vt integros deuorent ceruos atque tauros: vnde & Punico bello iuxta flumen Bragadam à Regulo imperatore interfectus est cum ballistis & tormentis vnus anguis 120. pedes habens longitudinis, cuius pellis & maxillæ fuerunt suspensæ ante quoddam templum Romæ, & durauerunt vsq; ad bellum Numantinum sub Claudio Cæsare. In Italia fuit quidam serpens interfectus, in cuius aluo quidam puer integer est repertus, & tales serpentes maxime lædunt nunc morsu, nūc flatu, nunc caudæ ictu, nunc tortura, nunc punctura, nunc aspectu. Sunt & alii serpentes ita exigui quidem corpore, sed maximi sunt nocendi potestate, Διψὰς enim serpens est, *vt dicit Isidorus* tantæ exiguitatis, vt cum calcatur vix videtur, cuius venenum extinguit antequam sentiatur, nec inducit tristitiam morituro. *Vnde Poeta Lucan.*

Signiferum iuuenem thyrreni sanguinis Album,
Torta caput retro dipsas calcata remordit:
Vix dolor aut sensus dentis fuit, &c.

Ita dicit Isidorus, similiter tyrus minimus est serpentulus, & tamen *vt dicit Aristoteleles libro 7.* contra eius morsum vix inuenitur remedium, & differunt in figura & dispositione. Nam alii habent duo capita vt amphisbæna. *de quo Isidorus lib.12. dicit.* Amphisbæna est dicta, eo quod duo habeat capita, vnum in principio, aliud in cauda, currens ex vtroque capite tractu corporis circulato. Hæc sola serpentum frigori se committit, pruina omni procedens. Idem etiam dicit *Plinius libro 8.cap.* 24. habet, inquit, amphisbæna duplex caput, tanquam parum esset vno ore venenum fundi. Sunt etiam aliqui serpentes habentes plura capita vel duplicata, vel triplicata, vel quadruplata, *sicut idē dicit Isid.* Hydra est serpens multorum capitum, qualis apparuit in prouincia Arcadiæ in palude, & dicitur quod vno cæso tria capita crescebant, sed hoc fabulosum est. Nam constat Hydram fuisse locum euomentem aquas vastantes vicinam ciuitatem, in quo vno meatu clauso multi erumpebant. Quod Hercules videns loca exussit, & sic clausit meatus aquæ, & pro tanto dicitur Hercules Hydram serpentem quinque capitum occidisse, *vt dicit Isido.*

*libr.*12. Item differunt serpentes in coloris varietate. Nam quidam sunt nigri, & quidam sunt rufi vt tyrus, & illi sunt pessimi, & quidam maculosi, sicut scytalis serpens, qui *vt dicit Isidorus* tanta præfulget tergi varietate, vt notarum gratia in sui admirationem inducat intuentes, & quia reptando est pigrior, & quos assequi non valet, miraculo sui stupentes capit, & quanto magis est discolor, tanto est deterior, quia eius venenum acutissimum & calidissimum esse dicitur. Nam ille idem anguis tanti est feruoris, vt etiam hyemis tempore exuuiæ eius de corpore depositæ sint feruentes, *vnde Lucanus:*

Et scytales sparsis etiam nunc sola pruinis.
--Exuuias positura suas, vt dicit Isidorus, &c.

Similiter ophites est serpens maculis depictus, qui tot habet nocendi modos, quot habet colores varios & distinctos, *vnde Lucan.*

Quam paruis pictus maculis Thebanus ophites.
Concolor exustis, &c.

Item differunt in loci & situs diuersitate. Nam quidam latitant in cauernis terræ, & lingunt puluerem & sugunt terræ humorositatem, *vt dicit Plinius*. Alii sunt aquatiles, quia in aquis & aquarum ripis commorantur, vt enhydris serpens aquatilis, à quo percussi obturgescunt in hydropisim, quam multi bouam vocant quia fimo bouis remedietur, *vt dicit Isidorus libro* 12. Similiter est rinatrix serpens dictus, veneno aquas inficiens, omnem enim fontem in quo fuerit, veneno inficit, *vt dicit Lucan.*

Rinatix violatrix aquæ, &c,

Isidorus libro 12. Alii morantur in syluis & specubus vmbrosis, quorum venationes sunt volucres & bestiolæ minores, quarum sugunt humiditatem, *vt dicit Aristo. lib.*14. & tales serpentes insidiantur dormientibus, & si aliquorum hominum vel aliorum animalium orificia inuenerint aperta, illa subintrant, diligentes calorem quem inueniunt ibi pariter & humorem. Sed contra tales angues pugnat saura bestia scilicet modica, id est lacertula. Nam sentiens saura serpentis præsentiam, saltat super faciem dormientis, scalpens pedibus, vt eum excitet & præmuniat contra anguem *vt dicit Auicenna*. Et est saura, *vt dicit Isid. lib.* 12. lacertus, qui, quando senescit, eius oculi excæcantur

tur, & tunc intrat foramen parietis, aperiens oculos contra orientem, & orto Sole intendit & illuminatur. Dicuntur autem quædam anguium species habitare in igne, vt patet in salamandra, quæ numeratur ab Isidoro & Plinio inter venenosa. Salamandra enim, *vt dicit Isidorus lib.*12. est nominata, eo quod valens sit & potens contra incendia, cuius inter omnia venenosa vis maxima est. Cætera enim venenosa singulos feriunt, hæc plurimos simul interimit. Nam si arbori irrepserit, omnia poma inficit, & eos, qui ea ederint, perimit & occidit. Si etiam in puteo cadat potantes inficit vis veneni. Ista quidem contra incendia repugnans sola inter animalia extinguit ignes, viuit etiam mediis flammis sine consumptione pariter & dolore, nec adustionem ab igne recipit, sed ipsum incendium mitigat vel extinguit, *vt dicit ibidem Isidor.* Item per omnia dicit *Plinius lib* 10.*cap.* 47. Salamandra, inquit, est similis lacertæ in figura, nunquam apparet nisi quando multum pluit, in serenitate deficit. Huic est tantus frigiditatis rigor, vt ignem extinguat sicut glacies. Lacteam de ore saniem euomit, ex cuius contactu corpus hominis pilos perdit, quod inde contactum est in colorem vergit turpissimum. Item differunt in incessus qualitate. Nam quidam serpunt flexuose semper siue tortuose, & quidam semper recte *sicut dicit Isidorus libro* 12. Centris, inquit, est serpens inflexuosus, qui semper rectum efficit iter, sicut dicit Lucan.

Est semper recto lapsurus limite centris.

Similiter aliquis incedit curuus super pectus, & aliquis incedit à pectore sursum rectus, sicut quidam serpens aquatilis & terrenus nomine chelydrus, qui per locum per quem labitur, expirat virus & fumare facit, *sicut dicit Lucan.*

Tractiq; via fumante chelydri.

Hic semper ambulat directus & erectus capite. Nam si torserit dum cucurrerit statim crepat, *vt dicit Isid. libr.*12. Item differunt in velocitate & in tarditate. Nam quidam sunt valde tardi motus, vt scytalis, *de quo supra dictum est*, & quidam sunt ita velocis incessus & leuis motus, quod volare videntur, vt serpens qui dicitur iaculus, volat vt iaculum, exilit enim de arboribus, & dum aliquod animal

obuium fuerit, iactat se super ipsum & perimit illud. Vnde & iaculi sunt dicti, *Vt dicit Isidorus.* Similiter in Arabia sunt serpentes cum alis, quia à multis syrenę vocantur, quę plus currunt quam equi, & ideo volare dicuntur, quorum tantum est virus, vt morsum ante mors sequatur quam dolor, *Vt dicit idem.* Item differunt in maligna sagacitate, vt patet in ceraste, serpēte cornuto, qui se abscondit sub arena, & ostentat cornua sua, vt ex eorum ostentatione alliciat, velut ad escam, bestias siue aues. Cornua enim habet ad modum arietis, quæ nuda super arenam & directa dimittit, ad quæ dum volucres vel animal accesserit, non ipsum arietem sed virulentum anguem per experientiam comprobabit. Similiter boas anguis *Vt dicit Isidor.* immensa mole in Italia sequitur greges armentorum, vt bubalos, & callide vberibus irriguis lacte se innectit & sugens interimit, atque inde à boum depopulatione nomen accepit boas *Vt dicit Isidorus.* Multa sunt alia nomina serpentum & genera, vt aspides, viperæ & dracones, de quibus postea dicetur. Sed *Vt dicit Isidorus lib.* 12. tantus est numerus morsuum, quantus & nominum. Generaliter omnes angues pro maiori parte frigidæ sunt naturæ, nec de facili percutiunt nisi cum calescunt. Nam quando sunt frigidi, nullum tangunt, & ideo eorum venena plus nocent de die quam de nocte, torpent enim noctis algore & merito quia frigidi sunt nocturno rore. In hyeme in nodos se conuoluunt & torpent, in æstate se dissoluunt, & in malitia multum vigent. Vnde est quod quicunque veneno serpentis percutitur, primo obstupescit, & postea vbi in eo calefactum virus exarserit, statim interficit & extinguit. Et ideo dictum est venenum, quia per venas vadit, cuius pestis diffusa per corpus animam exigit de corpore & expellit, nec potest lædere nisi quando sanguinem tangit. *Vnde Lucan.*

Noxia serpentum est admixto sanguine pestis.

Vt dicit Isid. & subdit, omne venenum frigidum est, & ideo anima quæ est ignea, fugit venenum frigidum. Inter dona autem naturæ quæ hominibus & brutis sunt communia viuacitate quadam sensus anguis præcellit. *Legitur in Genes. Serpens erat callidior omnibus animantibus terræ.* Dicit autem Plin. *Vt idem recitat Isidorus*, quod caput serpentis.

pentis, si cum duobus digitis euaserit, nihilominus viuit: vnde & totum corpus obiicit ferienti pro capite defensando. *Item idem Isidorus.* Anguibus vniuersis hebes est visus, ex aduerso contuentur. Nec mirum cum oculos non in fronte habent sed in temporibus, adeo vt citius audiant quam aspiciant. *Item ibidem.* Nullum animal cum tanta celeritate linguã agitat sicut anguis, ita enim cito mouet eam, vt triplicem videatur habere linguam, cum tamen non habeat nisi vnam. *Item idem.* Serpentum humida sunt corpora, adeo vt vbicunque ierint, viam cuiusdam viscosi & limosi humoris inficiant & designent. Nam vestigia serpentum talia sunt, vt cum pedibus carere videantur, costis tamen & squamarum repunt nisibus, quas à summo gutturis vsque ad imum alui dispositas parili modo habent. Nam squamis quasi vnguibus repunt, costis quasi cruribus innituntur: vnde vbicunque læditur in corpore ab aluo vsque ad caput, debilior redditur ad suum cursum & motus circuitum peragendum, quia vbicunque ille ictus inciderit, spinam soluit, per quàm costarum pedes & motus corporis agebantur, *Vt dicit idem Isidorus ibidem. Item ibidem.* Serpentes diu viuunt etiam sine cibo, *Vt dicit Aristoteles*, & tantæ efficiuntur longitudinis dierum, vt deposita veteri tunica, senectam deponere & in iuuentutem redire perhibeantur. Vnde & serpentum tunicæ nuncupantur exuuiæ, eo quod quando senescunt eas exuunt, quibus exuti in pristinam redeunt iuuentutem, & ideo eorum pelliculæ sic exutæ dicuntur exuuiæ & induuiæ, eo quod exuuntur & loco ipsarum aliæ iterum induuntur, *Vt dicit Isidorus lib.* 12. Modus autem renouationis ipsius anguis satis videtur mirabilis. Nam *Vt dicit physiologus.* Anguis se sentiens morbo vel senio aggrauatum, pluribus diebus abstinet à cibo & ieiunat, vt sic pellis eius à carne facilius relaxetur: deinde gustata herba quadam amara, vi herbæ prouocatur ad vomitum, & sic euomit humorem virulentum, qui fuit causa suæ infirmitatis & defectus, tandem vt cutem rigidam temperet & mollificet in áqua se balneat ac humectat, & sic angustã rimam alicuius petrę seu cauernam quærens per rimæ angustiam intrat & cum quadam violentia transiens ab exuuia, penitus se decorticat ac denudat, & tandem Soli expositus se desiccat, & in

carnis

carnis superficie nouam cutem recuperat, sumptis viribus clarius videt, incedit ac repit fortius, ac comedit auidius, quam ante depositionem exuuiæ faciebat. *Istam renouationis formam exprimit Plinius & etiam Auicenna qui dicit cum Aristotele,* quod totus serpens deponit senectutem, id est, senectam pellem, primo vsq; ad oculos, deinde vsq; ad collum, & sic paulatim se expoliat totaliter infra diem, *vt dicit libro* 14. *Item Isid. libro* 12. *cap.* 4. Pythagoras, inquit, asserebat de medulla hominis mortui, quæ est spina dorsi anguem procreari, *quod & Ouidius tangit, dicens:*

Sunt qui cum clauso putrefacti spina sepulcro.
Mutari credant humanas angue medullas, &c.

Quod si creditur merito euenit, vt sicut per serpentem mors homini accidit, ita per hominis mortẽ moriturus serpens procreetur, *vt dicit Isid. Item dicit Pli. libro* 10. *cap.* 46. anguem, inquit, ex medulla spinæ hominis gigni accepimus, multa enim occulta & cæca origine proueniunt, etiam in quadrupedum genere, &c. *Item dicit Isid ibidem.* Fertur autem quod serpens timeat hominem denudatum, nec eum audet contingere, quamuis insiliat in vestitum. *Item secund. Plin.* Ieiuni hominis sputum serpentibus est venenum, quod si inde gustauerint, moriũtur. Sunt & aliæ proprietates anguis mirabiles & insignes, quæ ab aliis autoribus assignantur, specialiter à *Dioscoride Aristotel. & Auic.* aliquas ex eis hic interserere vtile iudicaui. *Dic. itaq; Dioscorides*, quod in hyemali tempore latitant serpentes in tenebris & cauernis, vbi ex diuturna obscuritate loci eorum visus hebetatur, vernali ergo tempore quando incipiunt exire de cauernis, sentiunt caliginem, sed pro remedio quærunt herbam fœniculi vel radicem, cuius pastu contractam excutiunt cæcitatem. Nec fraudatur à remedio testudo visceribus pasta anguis vel tortuca, cum enim aduertit venenum serpere quærit origanum, cuius gustu contra virus anguis inuenit medicinam. *Idem dicit Plin. Auicenna vero de serpente ait sic lib.* 2 Serpens, inquit, quãdo est vorax, parum bibit & odit odorem rutæ, & ideo fugit mustelam, quando sentit eam ruta fore pastã, & quando olfacit rutam, non potest fugere. Comedit autem serpens libenter carnem, & sugit eius humiditatem sicut aranea sugit muscas, & transglutit oua auium & pullos viuos,

& quan-

& quando transglutit ea, reducit ad posteriora & expellit ipsa, & non permittit vt in ventre morentur. *Item dicit Aristot.lib.2.* Interiora & intestina serpentum sunt similia intestinis animalium ouantium quadrupedum, non tamen habent testiculos sed habent vias, sicut sunt viæ piscium, & matrices habent longas & diuisas, & sunt eius interiora longa secundum londitudinem corporis sui, & linguæ serpentum sunt nigræ, longæ, subtiles, & in duo scissæ & ante acutæ, & propter hoc multum exeunt, & sunt faciles ad motum, & venter serpentis est longus & strictus, & similis intestino amplo, & illud intestinum assimilatur intestino canis, & habet post ventrem paruum intestinum, perueniens vsque ad exitum superfluitatis, & habet cor paruum iuxta collum simile reni in aspectu, & post cor est pulmo, in quo sunt partes neruosæ subtiles, & volutæ, dependentes à corde, & post pulmonem est epar longum & extensum, & super illud fel sicut in piscibus maioribus, sed in minoribus est fel super intestina, & splen in serpentibus paruus est & rotundus. Dentes autem serpentum sunt acuti, recurui aliquantulum & coniuncti, diuisi tamen secundum serram, & habent serpentes costas triginta, secundum numerum dierum mensis, & dicitur quod accidit serpentibus idem, quod accidit pullis hirundinum, vt si aliquis perforauerit eius oculos & eruerit eos, visus iterum reuertetur, & caudæ serpentum sicut & lacertorum crescunt, postquam sunt amputatæ. Item omnes serpentes ouant primo interius, deinde non simul, sed paulatim eiiciunt oua, ex quibus generantur animalia exterius, excepto tyro & vipera. Tyrus enim serpens *vt dicit Arist. libr.3.* non generat animalia interius, sed primo ouat interius, & ex illis ouis animalia generantur, *& ideo dicitur ibidem* quod matrix aliorum serpentum est longa, secundum creationem corporis, & incipit matrix eorum à parte inferiori, & procedit superius ex vtraque parte spinæ, & diuiditur in duas partes, quasi parietem habens inter illas, & ideo sunt oua secũdum acies in matrice, & non ouat serpens omnia simul sed successiue. *Item Arist.lib.5.* Serpentes tempore coitus ita ad inuicem se applicant & inuoluunt, vt patet aspicienti, quasi sint vnum corpus habens duo capita. *Item Arist.libro* 4. serpens & maxime tyrus, quando transglutit

glutit auem vel aliquid, primo se erigit & postea se restringit, quousque perueniat interius quod transglutit, & hoc est, quia eius stomachus paruus est & subtilis, & possũt serpentes diu viuere sine cibo, quod patet ex serpentib. quos custodiunt venditores.

Item Arist. lib. 8. Migalis, id est, mustela pugnat contra serpentes, & munit se pastu rutæ, & maxime pugnat contra serpentes comedentes mures, quia ipsa venatur mures & manducat eas. *Item lib.* 7. *dicit*, quod serpentes multum diligunt vinum, & ideo venantur cum eo. Similiter diligunt lac valde, & sequuntur odorem eius, & ideo si alicuius ventrem serpens subintrauerit, extrahi potest lactis odore, *vt dicit idem, vt etiam Dios. Item Arist. lib.* 14. serpentes habent proprium, quod possunt mouere caput ad posterius corpore quiescente. Et causa huius est quod armillæ spondylium serpentum creantur ex cartilagine, & propter hoc sunt bonæ flexionis, & hoc fuit necessarium ad aspiciendum retro, vt possint vertere caput ad aspiciendum corpus suum longum, atque strictum, aliter enim non possent regere corpus suum, nisi iuuarentur eleuatione capitis ad toti corpori præcauendum. *Item idem in eodem.* Serpentes natant in aqua per corporis inflexionem, sicut repunt in terra, non enim dedit natura serpentibus pedes ad gradiendum, cuius caussa est corporis nimia longitudo, quoniam si habuissent multos pedes, essent mali motus, quando essent super pinnulas, similiter si plures alas dedisset valde propinquas, essent grauis motus, & si ab inuicem essent remotæ ad sustentandum residuum corpus longum & flexibile, non sufficerent, & ideo quod faciunt pisces habentes pinnulas ipsarum contractione, & aues alarum extensione, hoc faciunt serpentes sola corporis flexione. Sunt & quidam pisces similes serpentibus in longitudine, qui eadem de causa habent pinnulas paucas vel nullas, natant corporis sola inflexione, sicut murænę & pisces fastaros, qui à nobis dicuntur congri, qui marinæ sunt anguillæ & huiusmodi, & ideo quia tales pisces sunt serpentibus in creatione similes, habent tantummodo duas alas vel pinnulas ante, & vtuntur corporis flexibilitate loco pennarum & alarum, & propter hoc repunt in terra, & viuunt longo tempore etiam sine aqua, sicut viuunt serpentes sine

-ibo. *Item idem in eodem*, ſerpentes autem habent vias & inteſtina, à quibus aliquādo exit ſuperfluitas, ſicut habent alia animalia generantia, ſed non habent viam exitus vrinæ, quia carent veſica. *Item ibidem in eodem*, ſerpentes inuoluuntur adinuicem, quando conueniunt ad coitum & amorem, quia non habent virgam neque teſticulos, carent enim virga, quia non habent crura, & carent teſticulis, propter longitudinem corporis, & ſi haberent eos, infrigidaretur ſperma propter tardationem ſui exitus, & ſic eſſet minus conueniens generationi. *Item idem* 18. Non accidit generationi ſerpentum error & monſtroſitas, niſi raro, & hoc accidit propter figuram matricis, quæ longa eſt & recta atque ſtricta, vnde & oua ſerpentum ſunt diſpoſita, ſecundum aciem propter longitudinem in matrice. Has & multas alias proprietates anguium & naturas, *recitat Ariſt.* quas proſequi per ordinem eſſet longum, ſed hæc dicta in generali nunc ſufficiant, de vſualibus proprietatibus & omnibus fere notis infra dicetur in litera S.

Cap. IX.

De Aſpide.

Aspis eſt anguis morſu & veneno pernicioſiſſimus, ab aſpergendo aſpis dictus, eo quod morſibus venena immittat mortifera atque ſpargat, ἰὸς enim Græci venenum dicunt, *vt dicit Iſidor. lib.* 12. *c.* 4. & ſequitur, aſpidis diuerſæ ſunt ſpecies, & habēt diſpares effectus ad nocendum, ſcil. διψὰς qui Latine ſitula dicitur, quia quem momorderit, ſiti interimit & occidit. Ypalis eſt genus aſpidis, qui ſomno necat, hunc Cleopatra ſibi appoſuit, & ita morte quaſi ſomno reſoluta eſt. Item hæmorrhois eſt aſpis ſic dictus, eo quod illius ſugit ſanguinem quem percutit, & qui ab eo morſus eſt, diſſolutis venis fluxu ſanguinis vitam finit. Græce enim αἷμα ſanguis dicitur. Item prꝰſter eſt aſpis horribilis, ſemper ore patente & virus euaporante incedens, *de quo Lucanus.*

Oraque diſtendens auidus fumantia preſter.

Quicunq; ab eo percuſſus fuerit diſtenditur & enormi infectione corporis necatur, *vt dicit idem ibidem.* Item ſeps eſt mortiferus aſpis & tabificus, qui cum hominem

momor-

momorderit statim eum destruit & consumit, ita vt morsu serpentis totaliter liquefiat, nec solum corpus, sed etiam ossa veneno dissipat & eneruat, *cuius Poeta sic meminit:*

Ossaque dissoluens cum corpore tabificus seps:

Vt dicit idem. Sunt & alia genera aspidis multa, quarum tanta est virulentia, quod etiam mediante lancea venenositate sua perimunt se tangentem, *Vt dicit Auicen. in lib. de Venenis, quare supra lib. 5. cap. de Venenis. De aspide etiam in genere dicit Isidor. lib.* 12. fertur, inquit, quod aspis cum ceperit pati incantatorem, qui eam quibusdam carminibus propriis euocat, vt eam de cauerna producat, illa cum exire noluerit vnam aurem in terram premit, alteram vero cauda obturat & operi, & sic illas voces magicas non audiens ad incantatorem non exit, & eius imperio non obedit. *Hucusque Isidorus. De aspide Vero dicit. Plin. lib.* 8. *cap.* 24. percussa membra ab aspide intumescunt, & vix sine partium amputatione quæ sunt contactę, aliquo remedio conualescunt, vnus autem huic pestifero angui est sensus vel effectus, compares suos coniugali affectu diligunt, nec sine comparis consortio bene viuunt, vnde alterutra interfecta, incredibilis vltionis cura altera persequitur interfectorem, & illum solum in quamtumlibet populi agmine agnoscens, infestat, nititur interrumpere omnes difficultates, permeat spacia, nec nisi veloci fuga aut amnibus, aut fluuiis coercetur quin vltio de morte comparis assumatur, sed contra eius malitiam natura dedit remedium & medelam, hebetem enim dedit ei natura visum, nam oculos habet in temporibus, & non in fronte, & ideo non potest videre aduersarium directe sed oblique, propter quod non potest bene persequi hostem visu, sed potius auditu persequitur vel olfactu, nam in his duobus sensibus magis viget, *Vt dicit idem. Item dicit Marcianus*, quod aspis non nocet indigenis Afris & Mauris, nam & illi pueros suos, quos de se natos habent suspectos, aspidi obiiciunt, & si de eorum semine fuerint, nihil ipsis penitus nocet aspis, sed statim moriuntur ab aspide, si fuerint adulterini, *& hoc expresse dicit Plin. lib. 8. cap. Vlt. Dicit enim*, sicut quædam animalia indigenis sunt innoxia quæ interimunt alienos, sic serpentes parcunt mirifice illis, qui de terra oriuntur, sic angues circa Euphratem terræ incolas non lædunt, nec infestant

dor

ormientes, alios autem cuiuscunq; gentis homines cruciant eos auide occidentes. *Dicit etiam ibidem Plin. quod Aristot.* tradit in quodam monte à scorpionibus hospites non lædi, sed indigenas interimi & occidi.

Cap. X.

De Aranea.

ARanea, *vt dicit Isidor. lib.*12. vermis est aeris ab aeris nutrimento nominata, quæ exiguo corpore longa fila deducit, & telæ semper intenta, nunquam desinit à labore, perpetuum sustinet in suo opere dispendium, quia sæpe ad modicum flatum venti aut pluuiæ stillicidiū rumpitur tela sua, & tunc totaliter prodit laborem suum. *Dicit autem Auicen.* quod aranea est modicum animal, reptile, multipes, sex vel octo habens pedes, quos semper habet pares, & nunquam impares, & hoc fuit necesse, vt semper esset eius incessus ęquus, sicut & ipsum onus, & hoc est generale in habentibus duos vel plures pedes, habet autem aliquos pedes longiores, & quosdam breuiores, propter diuersas, quas facit operationes. Nam cum quibusdam fila sua subtiliat, & in longum protrahit, cum quibusdam vero pariter fila nectit, cum quibusdam vero per fila reit, & quando vult, in telæ superficie immobiliter se suspendit, maxime autem inter animalia anulosi corporis viget in aranea sensus tactus. Vnde residens in telæ suæ medio, subito sentit muscam telam in parte remotissima contingentem, quam subito inuadit, & aggreditur tanquam hostem, de qua si triumphare potuerit, eam, ne euadat, inter telæ suæ fila multipliciter circumuoluit, & primo capiti insidens eius humiditatem sugit, & de tali muscarum venatione viuit, nam eius gustabile proprie est talis humor, sicut gustabile apis est mel, *sicut dicit idem Aristotel.* Item in genere aranearum est diuersitas sexus, *vt dicit Aristoteles lib.* 5. & est fœmina maioris corporis, quam masculus, & pedes habet longiores, flexibiliores & habiliores ad motum & etiam ad texturam. *Et sicut dicit idem lib.* 5. Tempore coitus & amoris fœmina attrahit marem per fila telæ, & post masculus fœmina, & non cessabit attractio, donec coniungantur, & masculus ponitur super ventrem

fœminæ, & iste modus est eis necessarius propter ventris rotunditatem, & ista coniunctio maxime est in fine veris, & in principio æstatis, & aliquando in autumno & in principio hyemis, & tunc maxime sunt nociuæ, & earum puncturæ amplius venenosæ. *Item Aristot. lib.* 8. Genera aranearum sunt multa, nam quædam sunt paruæ & diuersi coloris, & sunt acutæ, & velocis motus, aliæ sunt maiores, & colore nigræ, & earum crura anteriora sunt longiora, & sunt tardioris motus, nisi quando coitu stimulantur, & nigræ solent texere iuxta terram inter foramina, & manēt in textura sua, quousque aliqua inciderit bestiola sicut musca quam deprehendunt, & si habent famem sugunt eius humiditatem, & tunc deferunt ad locum suum, vbi deponunt & reseruant eam, donec iterum esuriem patiantur, & quando totam hauserit humiditatem, deiicit residuum, & reuertitur ad venandum, & non venatur, quousque reparet quod ruptum est de textura, & si quis ruperit texturam, incipiet ipsam reparare circa occasum Solis, vel circa ortum, & tunc maxime laborat, quia tunc plures bestiolæ incidunt in texturam, & fœmina patit & venatur, & masculus iuuat eam. Abscondit autem se in textura, vel sub tela, ne à bestiolis videatur, & maxime quando est magna, quia propter eius magnitudinem non de facili operitur. Facit etiam fœmina oua primo, ex quibus modicæ araneæ post formantur, & statim quando pariuntur, ponit eas in textura, & statim se mouent & disponunt ad texendum, ac si in vtero materno sint instructæ ad venandum, vnde statim aptāt retia conuenientia prædæ suæ, & est species quædam aranearum, quæ venātur lacertum paruum, & incipit texere super ipsum, quousq; liget eius orificium ligatione forti, & tunc saltat super eum, & pungit quousque moriatur. *Item in eodem etiam dicit idem*, quod sæpe inueniuntur quædam araneæ in aluearibus apum, & illæ corrumpunt mel, & sugunt liquorem, & sic circa fauos faciunt texturas & corrumpunt eos. *Item dicit Auicenna & Plin. de generatione aranearum lib.* 11. *cap.* 25. Aranearum natura præcipua admiratione est digna, cuius plura sunt genera, inter quæ est quædam, quæ dicitur spalangio, cuius corpus est exiguum, varium acuminatum, velox ad saltum, noxium habens morsum. Alia est species maioris

corpo-

corporis & nigri caloris, & cruris longioris, cauernas sibi texens in angulis iuxta terram. Tertia est species quæ eru-dita compositione conspicuas texit telas. Admirandum est tamen, qualiter tanto operi sufficiat materia lanige-ra, quæ de araneæ vtero ad tantæ telæ texturam paulatim, vt creditur, extrahitur, & tamen eius vterus vix à tali mate-ria vacuus inuenitur. *Nec videtur esse verum quod dixit Democritus*, quod tanta esset ventris araneæ corruptela, vt ex eius egestione tanta fertilitas lanifera generetur, *vnde & Democritum reprobat Aristo. lib. 8. quod dic.* eum in hoc veritatem non dixisse. Cuius videtur esse ratio, quia ara-neæ & alia huiusmodi anulosa modici sunt nutrimenti, & parui cibi, propter defectũ sanguinis & caloris, vnde cum aranea non tantum cibi capiat, quin incomparabiliter ad præparationem telæ continuę plus emittat, maior esset superflui emissio quam cibi sumptio, & maior est egestio superflua, quam digestio necessaria ad cõseruationem de-bitam animalis, *vt dicit Aristot. & Alber. Item Plin. dicit*, Moderato vngue rotundum & teres educit filum, & miro artificio deducit stamina ab imo ad supremum, & iterum reducit transuersaliter de puncto ad punctum lineari di-stantia filum suum, & omnes lineares tractus, quasi in punctuali medio, in æquali distantia à centro copulat & connectit, de ducto autem stamine, *vt ibidem dicit Plini.* texere incipit à medio circuato orbe adnectens subtegmi-na, & maculas adnectens semper, & quasi reticulariter per varia interualla, quæ interualliculata foramina miro ar-tificio sunt, nunc quadrata, nunc oblonga, nunc rotunda quanto strictiora quanto sunt viciniora medio, & tanto la-tiora quanto remotiora sunt extremo. Quo autem medio filum filo tam indissolubiliter iungat, & nodum nodo ap-plicet & connectat, visus nõ indicat & rationis iudiciũ vix affirmat. Mira autem leuitate per fila sua, quæ humanis visibus vix sunt peruia, se eleuat, & quasi volet, hinc inde se transferens, locum mutat. *Item dicit idem*, quod quam-diu extrema telæ fila durant, si casu aliquo rumpatur ipsa tela, semper à medio incipit resarcire quod ruptum est, quasi nihil iudicans in corpore telæ esse integrum, quam-diu medium non est firmum. *Item dicit idem*, quod in eis sunt auguria, nam secundum quod tempora sunt futura,

altius vel sublimius solent componere fila sua. *Item ibid. dicitur*, quod multitudo aranearum signum est inundationis pluuiarum. *Item lib. 14. cap. 3. de læsione ficuum dicit*, quod araneæ quædam circa germina vinearum, & etiam flosculos arborum faciunt texturas, ex quarum circumuolutione pereunt arbores & vineæ, quando sunt in germine vel in flore. Morsus spalangionis est mortiferus & venenosus, nisi ei citius succurratur. Sed eius venenum extinguit vis plantaginis, si debito modo apponatur, & ideo vermes alii vt lacertæ & batraces puncturam araneæ formidantes, succo plantaginis se tuentur, *vt dicit Plin. Dioscor. & Auicen. in cap. de venenis & Mac.* Aranearum autem tela, *vt dicit Aristot. & Plin.* ex earum visceribus quodammodo naturæ artificio generatur, subtilissima compositione contexitur more retis componitur & paratur, filis subtilissimis cōnectitur, & hoc, ne à muscis & aliis bestiolis quibus tenditur, propter grossiciem videatur. Cum labore quidem componitur, sed miro modo non faciliter dissipatur, ignem non sustinent, ventum timent, cuius impetu tela rumpitur & subito denudatur. Et quamuis venenosa sit aranea, de cuius egreditur visceribus tela venenosa non est, quoniam multis vsibus medicinæ vtilis reputatur. *Nam vt dicit Dioscorid.* Tela aranearum alba & munda, puluerulentis sordibus non admixta vires habet constringentes, conglutinantes & refrigerantes, ideo sanguinem restringit à vulnere defluentē, superposita vulneri prohibet fieri saniem, & sanat plagam recentem, & prohibet inflaturam, sanitatem vulneris retardantem. Est autem genus araneæ quam spalanam vocant, *vt dicit Plini. lib. 29. cap. 4.* & est hæc aranea similis formicæ, sed longe maior corpore, rufum habens caput, reliquum corporis nigri est coloris, respersum albis guttulis, acerbior est eius ictus quam viperæ. Viuit autem iuxta furnos & molas, cuius contra ictum est remedium, aliam eius generis ostendere sic percusso, & ad hoc conseruantur, cum mortuæ inueniuntur, quarum cortices contriti & potati, medentur morsui mustelæ. Est autem aliud genus lanuginosum grosso capite, & dolor puncturæ eius sicut scorpionis, & eius morsu genua labefactantur, & accidit caligo & vomitus. Est etiam aliud genus araneæ nomine Mirmicaleon siue

mirmi-

irmiceon, quod alio nomine dicitur formicaleon, formicæ milis capite albo, habens nigrum corpus, distinctum aculis albis, cuius morsus vesparũ dolore torquet, & dicitur formicaleon, quia formicas venatur vt leo, & earum gunt humiditatẽ, sed à passeribus deuorantur & ab aliis ibus vt formica. Remedium autem contra morsus omnium aranearum est cerebrum gallinaceum cum exiguo peris bibitum cum vino dulci. Item coagulum agni potum cum vino sanat morsus aranearum. Item facit cinis ngulæ arietinæ cum melle. Item muscę contritæ & postæ super morsum, extrahunt venenum & mitigant dolorem. Sunt & alia remedia quæ enumerat, sed hæc sufficiunt. *Dicit tamen lib. eodem cap. 6.* aranea longa & candida, tenues habens pedes, contrita in veteri oleo dicitur solere albuginem oculorum, &c,

Cap. XI.

De Ape.

APis est animal multipes & breue, inter omnia animantia anulosi & insecti corporis, in multis obtinẽs principatum, *Vt dicit Plin. lib.* 11. *cap.* 6. paruitatem sui corporis recompensat ingenii magnitudo, quamuis autem possit inter volatilia computari, tamen quia pedibus vtitur, in quibus est vis progressiua, merito potest inter gressibilia numerari. Præter vero proprietates superius *lib.* 12. positas sub litera A, aliæ sunt hic ponendæ, *quas recitat Plin. lib.* 11. *cap.* 6. *sic dicens:* Inter omnia est admiranda apum solertia, qua mella contrahunt, succumque dulcissimum, subtilissimum & saluberrimum in fauos componunt, & ceram ad vsus vitæ humanæ perutilem operando conficiunt, hyeme latent & reconduntur, quia vires non habent, vt niuibus pruinisque resistant ac flatibus aquilonis. In vere autem cum sentiunt fabas florentes, ad opera exeunt & labores, nullique licet vacare ocio per hos dies. Primo fauos constituunt, ceramque fingunt, domosque ac cellulas faciunt, deinde sobolem, & postea mella conficiunt & componunt, tectum autem aluearis sui lacrymis & succis arborum gummosam vim habentium, per totum liniunt, & contra aliarũ bestiarum auiditates se muniunt,

 prout

prout possunt, feces si fuerint nimis latæ confringunt, & eas succis prædictis liniunt, primo autem pro fundamento sui operis crustulam quandam ponunt amari saporis, quam multi commosim vocant, deinde faciunt aliam dulciorem, quæ ceræ est initium, quam multi dulices vocant, tertio ponunt materiam grossiorem, quæ fauorum est stabilimentum, & illam materiam propolim multi vocant, & ista triplici tela à frigore & aliis iniuriis muniunt fauos suos. Non insident fructibus, sed à floribus non marcidis, sed recentibus recolligunt materiam, ex qua mel & ceram componunt, quando autem flores vicini sunt consumpti, mittunt speculatores ad vlteriora pabula requirenda, & si apprehenderit eas nox, in expeditione excubant supinæ, vt alas suas protegant à pluuia & à rore, vt facto mane expeditius volent ad opus suum, habentes alas suas siccas & expeditas ad volatum. Ordinant excubias suas more castrorũ, de nocte quiescunt vsq; ad mane, donec vna omnes excitet, gemino aut triplici bombo, vt buccino aliquo, tunc vniuersæ peruolant, si dies fuerit mitis futurus, prædiuinant enim imbres & ventos, & tunc se continent infra tecta. Quando præsciunt cœli temperiem futuram, cum agmine procedunt ad opera, & tunc aliæ flores aggregant pedibus, aliæ aquam ore guttasque lanugine totius corporis simul portant, adolescentiores vero ad opera exeunt & conueniunt & afferunt supra dicta, seniores vero intus operantur. Quæ flores comportant primo onerant pedes anteriores, & post alios donec rostro pleno remeent totaliter oneratæ.

Excipiunt autem sic onustas trinæ vel quaternæ eas, quæ exonerant, secundum quod intus sunt ordinatæ, eorum enim officia sunt diuisa, aliæ enim domus construunt, aliæ poliunt, aliæ cibum parant ex eo quod allatum est, non enim separatim vescuntur, ne inæqualitas cibi temporis & operis fiat inter eas. Fauos linealiter & ordinate componunt, & in superiori parte suspendunt. Ceras cadentes fulciunt, primas lineas parum replent de melle, nouissimas autem maxime solent adimplere. Apes autem gerulæ, quæ necessaria conuehunt timent venti flatus, & ideo volant iuxta terram, & quando sunt onustæ redeunt, ne aliquo flatu impediantur, & quandoque lapil-

lis se

is se onerant, vt lapillorum grauitate sint contra vēti impetum magis fixæ. Mira inter eas est obseruantia disciplinæ, nam inertiam cessantium ab opere notant, & eos mox castigant, immo morte puniunt operari non curantes. Mira inter eas est munditia, nullęque inter opera sua spurcitiæ permittuntur. Egestiones apum, quæ operantur intus ne longe recedant, aliæ congerunt in locum vnum & eiiciunt de aluear. Quando aduesperascit, intrant in domos suas & strepunt, donec illa eadē, quæ eas excitauit, circumuolet, & eodem, quo excitauit bombo eas inuitet ad quietem, & tunc omnes repente conticescunt. *Idem in eod. c. 13.* Item per apes summa æquitas exercetur, feriunt enim omnes earum pacem dissoluentes & earum melle diripere cupientes. Regem siquidem habent apes, qui non aculeo armatus est, sed potius maiestate, *Vt dicit idem cap.* 18. vel si habet aculeum, vsum feriendi natura sibi negat, noluit enim natura ipsum sęuum esse ne cito peteret vltionem, & ideo ei telum detraxit & inermem dereliquit, vnde constat apum imperatorem aculeo non vti, miranda autem est circa regem plebis obedientia, nam cum procedit totum examen circa ipsum conglobatur & ab ipso agmine velut acie militum cingitur & vallatur, & prę multitudine obsequentium tunc temporis vix videtur. Cum populus apum in labore est, ipse intus est & circuit similis excitanti, solus à labore est immunis. Circa quem & apes assunt, quædam habentes aculeum tanquam lictores, qui autoritate assidua regis sunt custodes, & ipse raro procedit foras, nisi quando examen totum debet exire, cuius exitus intelligitur ante diebus aliquot exercitu murmurante, & quasi ad exitum se præparante, vnde siquis tunc regi apum pręscinderet alam, totum examen tunc temporis non exiret, & quando procedunt, singulæ regis obsequio se offerunt, & ei proximæ esse volunt, regem fessum humeris subleuant, & fatigatum totum portant, si qua lassa defecerit, vel ab acie errauerit, odore prosequitur, vbicunque rex præcedit, & vbicunque rex præsederit, ibi cæteræ figunt castra, rege viso totus animatur exercitus, ipsoque amisso, totum agmen dilabitur ad alium, quia sine rege esse non possunt, ad aluearia subintrant quædam falsæ apes, quæ fuci nuncupantur, habentes magnum ventrem, furtimque deuo-

rant mella, & has apes interficiunt, quando eas depræhendunt. Quando ver est humidum, fœtus apum multiplicantur, & mella depauperantur, & è conuerso, quando ver est siccum, deficiunt in prole & in melle multiplicantur, si autem defecerit in aluearibus cibus, impetum faciunt in proximas proposito rapiendi, & contra eas aliæ aciem dirigunt, si rectorem habent, & si quæ fuerint apes fauentes inuadentibus parcunt eis inuasores, nec eas impetunt, sed potius eas sibi associant & defendunt. Multis aliis de causis acies contrarias constituunt duo imperatores, cum multa rixa, quæ dimicatio in iactu pulueris aut fimo totaliter dissipatur. *Item idem cap* 19 Apes quædam sunt rusticæ ac syluestres, horridæ aspectu, & cæteris iracundiores, sed labore & opere sunt præstantiores, aliæ sunt vrbanæ, quarum quædam sunt breues & variæ ac rotundæ, aliæ sunt longæ, sicut vespæ & illæ sunt aliis deteriores, & sunt pilosæ. Et quædam ex his sunt albæ, quæ in messe mella faciunt, syluestres vero in arborum concauitatibus mellificant, aliquando in aliquo terræ specu, quibus natura dedit aculeum ventri consertum ad vnum ictum, quædam autem ex vindicandi ardore ita profunde figunt telum, quod consequitur subito intestinum, & tales cito moriuntur, aliæ quidem aculeum perdunt & viuentes vlterius mellificare non possunt, sed castratis viribus nocere pariter & prodesse desistunt. Odores fœtidos & cæteros fumos maxime odiunt & fugiũt, in renibus autem odoriferis iucundantur. Cancrorum odore si quis eos iuxta decoquat exanimantur, quando rex eorum moritur, tristitia torpent, funerantiumque more concomitantur exequias, & mœret plebs magno dolore, rege peste consumpto, non cibos tunc conuehunt, non procedunt, tristi tamen murmure glomerantur. Circa corpus eius luctum non minuunt, immo nisi subtrahatur mortuus fame & dolore moriuntur, hilaritate igitur apum & nitore sanitas æstimatur. *Dicit etiam idem* apes incurrere multas infirmitates, *nam vt dicitur cap.* 20. ægrotant quando non perficiunt fœtum suum. Inimicatur etiam vel aduersatur eis resultans sonus echo, nimis enim facit eas timidas, inopinato sonitu terrens eas, inimicatur etiam eis corrupta nebula, corrumpens flores quos depascunt, aduersantur & eis araneæ, quando

quando se sociant eis, & in alueatibus faciunt in texturas, pestifera est eis etiam musca quædam similis papilioni, qui insilit in candelas, nam papilio depascit ceras, & relinquit stercora, ex quibus generantur teredines, qui ceras præcipuas appetunt, nocet etiam eis auiditas pastus, quia nimia florum societate replentur, & maxime hoc accidit in vere, oleo quidem exanimantur sicut & omnia anulosa & insecta, præcipue si capite vncto in Sole ponantur, sed aspersæ aceto reuiuiscunt, aliquando etiam contrahunt sibi mortis & morbi causas, quando sentiunt sibi subtrahi mella nimis auide deuorantes. *Hucusq; Plinius.* Insignes etiam proprietates & notabiles *recitat Auicen. lib. 8. cap. 3.* Apes, inquit, cibantur ex melle & comedunt inde parum, sed quando infirmantur, tunc comedunt mel, & non exeunt de domibus suis, & quando inueniunt domos mundas siue aluearia faciunt in eis domos sextiles cereas, & quando orificia aluearis sunt nimis ampla, diminuunt amplitudinem cum quadam viscositate nigra, quę in odore est acuta, & ædificant primo domum regis, & illa domus similis est foramini, & post alias domos secundum diuersitatem maiorum vel minorum, masculi autem tantummodo operantur domos suas, & post non est operatio nisi ad comedendum mel & mellificandum, & apes primo morantur in fauis suis, & quando est tempus exeundi, ascendunt in altum secundum formam pyramidis, & postea redeunt & comedunt mel, & rex nunquam exit nisi cum exercitu, & masculi non habent acum nisi forte pauci, tunc appetunt pungere sed non possunt, & reges apum sunt duorum modorum, vnus rubeus & alter niger fere sicut carbo, & est in duplo maior quam apis quæ mellificat, & sunt apes masculæ magis pigræ quam fœminæ, & meliores sunt apes minores & rotundiores, habentes varios colores, & apes quæ pascuntur in montibus, pratis & hortis sunt minores & meliores, & faciunt mel consimile in partibus & leue, apes autem quæ non sunt bonæ, non faciunt mel æquale, nec consimile, sed apis, quæ semper adhæret foramini mellis, efficit mel melius, alter enim corrumpitur de facili & generantur in eo araneæ quę corrumpunt mel. Duplici de causa vtuntur apes mellificantes aculeo, scilicet ad defensionem, & ad humiditatis super-

fluæ consumptionē, vis n. ignea est in acu, & ideo cooperatur valde ad consumptionem superflui humidi & mellis immutationē & conseruationem. Item subintrant sæpe aluearia, quædam muscæ malę quæ faciunt aliis muscis paruis tædium, quas multi vocant grisanes, & illi grisanes perforant & corrodunt alas aliarum, sed veræ apes persequuntur illas muscas, & pungunt eas nec permittunt eas cadere super domos suas. Et apes mellificantes interficiūt masculos nocentes eis, & reges malos, quando eas non bene regunt, sed tantummodo de melle nimis comedunt, & præcipue hoc faciunt quando mel erit paucum, & apes paruæ pugnant cum longioribus, quando non operantur nec laborant, & nituntur eas eiicere de aluearibus, & per talium eiectionem melioratur mel & augetur. Est autem vnum genus apum, quod dicitur labion, & interficit apes mellificantes & destruit earū domos, & hoc est, quia sunt vigiles & bonæ custodiæ, & quando intrant aluearia, in melle subito se infigunt causa deuorandi intantum, quod non possunt euadere, & tunc statim à veris apibus huiusmodi interficiūtur, & antequā rex exeat rationabiliter per duos dies, ante sciunt aliæ quid rex sit facturus, vt obedire illi paratæ sint, & quando reges creantur, quilibet habet cateruam vnam, & illa caterua non vult habere alium regem, nisi quem primitus acceperunt, & si alius rex voluerit esse rex illius comitatus, ipsum interficiunt, & postquam exierint pulli & fuerint pauci expectabunt societatem alterius examinis, & sic simul securius proficiscuntur, & postquam ceperint volare pulli & fuerint æquales magnis festinant opus suum, & senioribus plurimum cooperantur. Nulla autem creatura ardentior est ad vindictam quam sit apis, quando ad iracundiam prouocatur, & ideo sæpe grandes prosternit exercitus multitudo apū, quando contra diripientes mella resistere compelluntur, fimum & fumum super omnia abhorrent apes, & ideo laborant proiicere feces & squibala sua, quando volant, quia earum feces fœtent valde, & ideo ab eis domos suas valde purgant, virgines apes & iuuenes melius operantur, & faciunt melius mel quam seniores & non tantum percutiunt, nec tantum lædit earum percussio sicut senum. Potant autem apes & bibunt, sed aquam tantum claram siue prope siue à remo-

remotis hauriatur, nec potant nisi prius proiecerit fecem suam, & maxime mellificant in autumno & in vere, & mel veris melius est propter florum nouitatem & ampliorem puritatem, & apibus placet harmonia scilicet sonitus, cantus & percussio palmarum, & ideo cum cantu & peluium aut cymbalorum tinnitu ad alueare reuocantur, & quando dimittitur apibus multum de melle pigrescunt, & minus operantur, & ideo oportet vt in aluearibus eis mediocriter dimittatur. *Hucusq; Auicenna libro 7.* Multa alia ponit in quibus concordat *cum Aristotel. libr. 8. Plin. in 11. quare sup. libro 12. in litera A, vbi inuenies multa, quæ ab Aristotele & Seneca & aliis autoribus sunt excerpta*, sed hæc sufficiant.

CAP. XII.

De Boue.

BOs Græce βοώτες nuncupatur, quem Latini trionem vocant, eo quod terram terit, cuius latitudo pellis à mento vsque ad crura palearia dicitur à pelle ipsa, scilicet dicta quasi pellearia, quod generositatis in boue est signũ, *vt dicit Isidorus libro 13.* Boum autem *vt dicit idem*, circa socios eximia pietas est, nam alter alterum inquirit, cum quo per collum aratrum ducere consueuit, & frequenti mugitu pium testatur affectum, quando ipsum citius inueniri non contingit. *De bobus vero dicit Plinius libro 8. cap. 45.* bobus Indicis camelorum traditur esse altitudo, quorum cornua sunt in latitudine quatuor pedum, *& sequitur ibidem:* Soli boues inter animalia retro ambulantes pascuntur, aquæ calidæ ablutione dicuntur pinguescere, quando cornibus capitis coniunguntur plus laboris possunt sustinere, quam quando ceruice inuicem copulantur. In Syria sunt boues, qui non habent palearia sub gutture, sed gibbos in dorso, boues quoque laxata habentes cornua, dicuntur esse in opere excellentes, boues nigri coloris parua habentes cornua, minus reputantur vtiles ad operandum, maiora cornua & spissiora habent boues quam tauri, & post castrationem bos in corpore & in cornibus augmentum recipit, pariter etiam proficit in robore & virtute, non tamen est tantæ animositatis, nec audaciæ sicut ante. Magis autem efficitur domitus, maturus &

quie-

quietus, patiens laboris, & motus tardioris & incessus grauioris. *Item Plinius ibidem.* Natura optima boum fit in trimatu, post trimatum autem nimis est sera, sed ante præmatura. Optime vero cum boue iuuencus imbuitur, socium enim laboris agriculturæ habemus hoc animal, tanta etiam fuit cura apud priores boues non lædere, vt qui procaci animo motus bouem occideret sine causa, puniretur grauiter tanquam colonum suum interemisset, *Vt dicit idem.* Est enim animal mite & mundum, non solum vsibus hominum necessarium, verum etiam immolandum, in aris Deorum est congruum & aptum, nam ex bobus optimæ fiunt victimæ & laudatissima fit ex eis placatio Deorum, bos aperit terram vomere & incidit & colit arua & ea gignendis fructibus apta reddit. Bos carnibus reficit & nutrit, pellis eius multis vsibus conuenit, eius etiam fimo terra impinguescit, eius cornua calefacta remolliuntur & rectificantur, ex quibus vascula diuersa & varia vtensilia præparantur. Ex cornibus enim bouinis fiunt arcus ballistæ, quib. tela contra hostem iactantur, fiunt & thoraces & arma, quibus infirmiora hominis contra hostium iacula defensantur, fiunt & lucernæ quibus fugantur tenebræ, fiunt & pectines, quibus capita à sordibus emundantur, bouinis etiam cornibus vtuntur venatores, nam cum eis terrent feras & incitant canes venaticos, vt fugientia animalia insequantur, cornibus insuper vtuntur scriptores & pictores in quibus varii colores optime conseruantur, vtuntur etiam cornuum vsu bellatores, quibus buccinando socii animantur tam pugnantes quam fugientes, ad aciem reuocantur, cornibus etiam vtuntur custodes turrium & castrorum, siue speculatores qui ipsorum sonitu ad vigilandum mutuò se hortantur, ad multa alia cornua bouina sunt necessaria. Vnde nihil est in boue quod diuersis vsibus non sit vtile, & etiam eius fimus, *Vt dicit Plinius libro* 28. *cap* 11, fimus, inquit, bouis cum aceto iuuat contra dolorem articulorum, hydropicis etiam remedium singulare est, si inde ad Solem perungantur. Intercutaneum enim consumit humorem, & sedat ac reprimit inflaturam hydropicam & tumorem. Dicit præterea *Plinius libro* 30. *cap.* 4 est, inquit, animal paruulum, simile scarabęo, nomine buprestis, hoc inter herbas fallit bouem

& ideo

&c ideo sic est dictum, quia premit eum. Nam inter herbas quas bos diligit, illud animal se abscondit, quod animal bos deuorat dum herbas incaute capit. Buprestis autem deuoratus iecur bouis subito sic inflammat, vt ipsum cum cruciatu maximo tandem rumpat. Vnde propter onus quo bouis ceruix premitur, & propter dolorem stimuli quo pungitur, bos buprestis veneno, dum eius ventrem subintrat inter cibos, cum interitu cruciatur.

Cap. XIII.

De Bubulco.

BVbulcus dicitur boum custos, qui ipsorum custodiæ ex officio est deputatus. Hic boues pascit & nutrit, & ad pascua eos ducit ac reducit, & dum sunt in pascuis per pedes eos colligat & connectit, eorum ceruices iugo premit & aratro eos iungit, cum stimulo pigritantes compellit ad labores, & vt vniformiter aratrum trahant, stimulando eos cogit sibilo, & cantilena eos demulcet, & vt libentius iugum ferant, vocis melodia allicit ipsos & inducit, naturaliter enim boues sicut & cerui diligunt melodiam, *Vt dicit Auic.* cum virga eos dirigit, & vt rectum faciant sulcum ipsos instruit, nec solum cogit ad arandum, verum etiam ad triturandum compellit, & ad confringendas fruges in area circumducit, finito labore à iugo eos soluit & ad præsepe, vt reficiantur, eos ducit.

Cap. XIV.

De Bubalo.

BVbalus est à boue diminutiue dictus, eo quod similis sit bobus. Est autem animal ita indomitum, quod præ feritate iugum non recipit in ceruice. Bubalos Africa procreat. In Germania autem sunt boues agrestes, habentes cornua in tantum protensa, vt regiis mensis, propter insignem eorum capacitatem, ex eis pocula fiant, *Vt dicit Isidor.* Est autem animal magnæ fortitudinis: vnde domari non potest nisi circulo ferreo naribus eius infixo, quo circumducitur. Nigri autem vel fului est coloris, paucos & raros habens pilos. Corneam habet frontem, cornibus validissimis circumseptam. Cuius caro non solum est vtilis ad

ad escam, verum etiam ad medicinam. Nam, *vt dicit Plin. lib.28.cap.*10. caro bubali cocta vel assa hominis morsum sanat, cuius medulla cum dextro crure assumpta aufert pilos palpebrarum, & medetur viciis oculorum. Sanguis eius cum aceto sumptus reiicientem sanguinem mire sanat. Cuius vngulæ vel soleæ bubalinæ cum myrrha confirmant dentes motos. Lac bubalinum valet contra viscerum torsiones, nam sua pinguedine delinit ea. Vnde contra dysenteriam multum prodest. Valet & contra ictus serpentũ & scorpionum, & contra venenum salamandræ & cicutæ. Vulnera recentia sanat. Fimus bubali calefactus sanat apostemata dura, & eorum duricias spargit. Fel eius valet contra caliginem oculorum. Sunt & quidam boues agrestes miræ magnitudinis, & tamen summæ sunt agilitatis. Intantum enim sunt agiles, vt fimum, quem proiiciunt, citius eleuẽt super cornu quam possit decidere super terram. Hi boues odiunt & prosequuntur omne rubeum siue rufum, & ideo venatores rubeis se induunt, vt eos prouocent ad eos insequendum. Venator iam videns bestiam appropinquantem retro magnam arborem & fortem se abscondit, bos vero cornibus ita fortiter impingit in arborem, quod propriis cornibus ab arbore detinetur, & sic detentus venatoris iaculis confoditur, prosternitur & necatur. Est autem aliud animal simile boui agresti, sed non est tantæ magnitudinis, maxima, tamen habet cornua multum alta & acuta, cum quibus deiicit arbores & arbusta, sed & si concaua est quercus robore suo deponit vsq; ad terram, qui gratia pastus tandem caput submittit inter frutices, subtilia & prolixa virgulta siue vimina habentes, quarum complexione & adhærentia cornua bestię circumligantur & obligantur, vnde diu luctans contra illas complexas virgultorum obuolutiones magis ac magis se intricat atque ligat, cumque diu luctans ab illis ligaminibus se non expedit, immo fortius se inuoluit, præ indignatione alte mugit, cuius vocem horridam audiens venator scit bestiam illaqueatam fore & detentam, vnde ipsam secure venabulis impetit, & occidit bestiam acerrimã in virgultis, quam in nemoribus magnis inuadere nullatenus ausus fuit, & hanc bestiam vocat physiologus aptaleonem. Cuius dictis si fides adhibenda est mirum videtur, qualiter tam fera be-

stia

ſtia de virgultis & nemoribus modicis cornua non eximit, quæ eiſdem cornibus ingentes arbores deiicit & proſternit. Eſt præterea quædam ſpecies bouis ſylueſtris, quam *Ariſt. in lib. 8. circa finem vocat* borricum, & dicit quod magnus eſt ſecundum quantitatem tauri, & eſt ſimilis tauro, & habet crines deſcendentes ad duas partes ſpatularum, ſicut in equo eſt videre, & eius pili ſunt magis molles pilis equi & breuiores, & crines eius continui vſque ad oculos, & eſt color eius vergens ad rubeum colorem vel citrinum, & vox eius aſſimilatur voci tauri, & habet cornua aliquantulum incuruata, & in vnoquoque cornuum ſuorum capere poteſt medietatem menſuræ, quæ dicitur bos, & non habet dentes ſuperiores, ſicut taurus, nec crura eius ſunt multorum pilorum, & aſſimilantur lanæ, & findit vngulas, habens in pedibus duos ſotulares, & cauda eius eſt breuis reſpectu corporis, & ipſe cauat terram, & erigitur in cauando ſicut taurus, & habet duram cutem multos ictus patientem, & carnem habet valde dulcem, & propter hoc venatur & percutitur, & quando venatur, fugit & quieſcit, & cum debilitatur pugnans proiicit ſtercus per quatuor paſſus, & hoc facit quando timet. Canes autem venatici odorant ſuper ſtercus, & dum circa talem odorem occupantur beſtia fugiendo elongatur. *Idem dicit Ariſt. de vacca agreſti. lib.* 10. & quando appropinquat animalis partus adunabuntur ex eis multi, & prius congregabunt ſtercus circa ipſum & ponunt ſicut murum, & hoc eſt animal multi ſtercoris, *vt dicit Ariſt. ibidem, & etiam Auicen.*

CAP. XV.

De Baſiliſco.

Βασιλίσκος Græce, Latine dicitur regulus, eo quod ſit, *vt dicit Iſid.* rex ſerpentum, ipſum enim videntes fugiunt, & timent etiam ſerpentes ipſi, olfactu enim ſuo eos necat, flatu & etiam aſpectu interimit omne viuum, ad eius ſiquidem aſpectum nulla auis illęſa tranſit, & quamuis procul ſit eius ore combuſta deuoratur, à muſtelis tamen vincitur, quas homines ad cauernas deferunt, in quibus reguli diliteſcunt. Nihil enim ſine remedio ille parens omnium dereliquit, vnde viſa muſtela baſiliſcus fugit, quem

illa

illa persequitur & occidit. Est autem in longitudine semipedalis, albis maculis lineatus, reguli autem sicut scorpiones arentia quæque sectantur, & postquam ad aquas peruenerint hydrophobos & lymphaticos faciunt, intoxicant enim ipsas aquas & mortiferas reddunt eas. Vocatur quoque regulus à multis sibilus. Nam sibilis occidit antequam mordeat siue pungat. *Hucusque Isidor. lib. 12. cap. 4. Plin. autem lib. 8. cap. 22. dicit sic*: Apud, inquit, Hesperios Æthiopas fons est, qui à multis æstimatur caput Nili, iuxta quem est quædam fera, quæ catoblepas appellatur, corpore quidem modica, omnibusque membris iners, prægraue caput gerens, & semper habet deiectum super terram, alias esset internecio humani generis, quia omnes, qui eius viderint oculos, expirarent. Eadem basilisci serpentis est vis, quem Cyrenaica prouincia gignit, habens in longitudine magnitudinem 12. digitorum, candida in capite macula velut diademate insignitur. Sibilo omnes fugat serpentes, nec flexu multiplici reliquum corpus impellit, sed celsus & erectus in medio graditur & incedit. Desiccat frutices, & herbas exurit, non solum tactu, verum etiam sibilo & afflatu circumadiacentia omnia destruit & corrumpit.

Tantæ etiam est venenositatis & perniciei, quod tangentem se cum hasta longissima sine mora interficit & consumit. Hunc mustela domat & vincit. Quia Deo naturæ nihil placuit esse sine pari. Mors itaque basilisci morsus est mustelæ, & tandem mors mustelæ dicitur esse fœtor basilisci, & hoc quidem verum est, nisi mustela pastu & fricatione rutæ herbæ contra tale mortiferum primitus muniatur, *vt dicit Aristoteles & etiam Auicenna.* Primo igitur mustela rutam herbam quamuis amaram, comedit, & sic virtute succi herbæ amaræ naturæ hostem intrepida aggreditur & deuincit, & quamuis basiliscus irremediabiliter sit venenosus quamuis diu viuit, in cinerem tamen combustus, veneni malitiam perdit, cuius cinis operationibus alchimiæ vtilis creditur, & maxime transmutationibus metallorum.

Cap. XVI.

De Botrace.

BOtrax quæ rubeta dicitur genus est ranæ venenosæ, habitans in terra pariter & humore, *Vt dicit Plin. li.* 18. senectutem, id est, vetustam & senem pellem dicunt eas reponere assiduo pastu quarundam herbarum, venena tamen sibi semper reseruantes, pugnant contra araneam & palangionem, & beneficio plantaginis earum venenum superant & puncturam, cuius venenum creditur esse frigidissimum. Et ideo omne membrum quod tangit, reddit insensibile & stupidum ac si esset congelatum. Animal siquidē est virulentū, & ideo ad iram se animat ad omnem tactum: vnde quanto plus tangitur, tanto turgescit amplius & inflatur, quot maculis sub ventre respergitur, tot nocumentis venenum eius obnoxium fore perhibetur. Oculos habet quasi igneos & lucentes, & est tanto perniciosior, quanto eius aspectus ardētior inuenitur, & quamuis claros habeat oculos, odit tamen Solis aspectum, & quærit latebras ac fugit ad cauernas quando Sol oritur & ipsius radiis terræ superficies refouetur. Herbas dulces diligit & earum radices comedit, sed comedendo eas inficit & corrumpit, & ideo in hortis ruta, quæ bufonibus & cæteris venenosis est inimica, plantari consueuit, cuius virtute arcentur, ne accedant ad alias herbas & radices, quæ ibi terræ commendantur. Loca fœtida, muscida & fimosa bufo diligit, odorifera autem loca multum odit. Vnde dicunt quod vineis incipientibus florere fugiunt, quia odorem ipsarum non possunt sustinere. De bufone autem *dicit Plin. lib.* 36 *cap.* 4 sunt ranæ multum venenosæ, quæ dicuntur rubetæ, quæ viuunt in vepribus & rubetis, quæ sicut sunt grandiores, sic & cæteris sunt perniciosiores, & sunt coloris alteri subnigri, alteri subrufi vel pallidi & subcitrini. Istas autem rubetas dicunt habere duplex iecur: vnum est summe venenosum, & aliud est remedium, & datur pro antidoto contra toxicum seu venenum. Oportet autem ipsa sic experiri: proiicitur autēm iecur in nido formicarum, & partem venenosam formicæ fugiunt, aliam partem appetunt, & illam oportet retinere & vsui reseruare. Mira de his certatim tradunt autores, *Vt dicit Plinius.*

Dicunt enim in eius latere dextro esse os occultum, quod proiectum in aquam feruentem, facit eam subito refrigerari, nec vas feruere postea, nisi os primitus eximatur, & illo officulo vtuntur magi ad amorẽ & odium concitandũ. Dicunt etiã inde quartanas posse saluari. Quantumcunque autem vermis ille sit venenosus, per incinerationem tamen & combustionem amittit vim veneni, & recipit maximam virtutem medicinæ. Valet enim miro modo ad carnis & cutis aliquo casu perditæ recuperationem, & neruorum consolidationem, & vulnerum desiccationem & curam, si debito modo illo cinere quis vtatur. *Quare infra de rana in litera R.*

Cap. XVII.

De Bombyce.

Bombyx est vermis quidam nascens in frondibus cypressi, fraxini, mori & terebinthi, *vt dicit Plinius lib. 9. cap. 24. Isidor. autem dic. sic:* Bombyx est frondium vermis, ex cuius textura bombycinium conficitur. Appellatur autem hoc nomine, eo quod euacuetur, dum fila egerat, & in eo remaneat solus aer, *vt dicit idem.* Miram autem recipit hic vermis immutationem, nam primo nascitur sicut vermis similis erucæ, quæ rodit folia olerum & pampinos vinearum. Hic vermis frigoris impatiens bombyceas telas aranearum modo texit, & primo sibi intexit corticem siue domum in qua habitet, & contra horrorem hyemis se defenset, texturam autem suam facit pedum suorum ministerio, quibus subtiliat filum & pectinat, & sic id in telam ordinat & componit.

Cap. XVIII.

De Camelis.

Cameli, *vt dicit Isido. lib. 12.* à Græco nomen sunt sortiti, eo quod quando onerantur se inclinantes & accubantes coram onerantibus humiliantur. Græci enim came humile & breue dicunt. Vel dicuntur à campter, quod græce curuum sonat, quia in tempore quando recipiunt super se pondera super anteriores poplices incuruantur. Cameli itaque animalia sunt onorifera & mansueta ad portan-

portanda hominum pondera deputata, & inueniuntur in multis regionibus, sed potissime in Arabia, & differunt cameli Arabici à camelis aliarum regionum. Nam Arabibici duos habent in dorso gibbos. Sed reliquarum regionum cameli in dorso habent vnum tantum, *vt dicit Isidor. in eodem. Plinius vero lib. 8. cap. 18. dicit sic:* Camelos, inquit, inter armenta pascit oriens, quorum duo sunt genera, Bactriani scilicet & Arabici. Arabici cameli bina habent tubera in dorso, in quo portant, & alium in pectore, cui incubant. Cameli superiori ordine dentium vt boues carent, & ruminant sicut bos & ouis, *vt dicit Isidor. lib. 5.* vngulam tamen nō diuidunt, vt post dicetur, veloces sunt multum, *vt dic. Plin.* & ideo valent in præliis committendis, & etiam in mercibus deferendis. Vltra assuetum camelus non procedit spacium, nec plus consueto onere suscipit ad portandum. Odium habent naturaliter contra equos, & sitim etiam per quatriduum tolerant, & quando bibunt, turbant aquam, aliter potu non gaudent. Viuunt quinquagenis annis, quidam etiam & centenis, & aliquando etiam rabiem incurrunt. Castrantur cameli qui bello præparantur, fortiores enim sunt coitu penitus denegato. *Hucusque Plin.* De camelo vero *dicit Auicenna sic:* Camelus, inquit, mouet primo pedem dextrum sicut & leo, & solus habet super dorsum additamentum, & habet pedes scissos, & in scissura habet pellem ad modum pedis anserini, & illæ scissuræ sunt carnosæ sicut scissuræ pedis vrsi. Et ideo etiam faciunt eis homines sotulares & abluunt eis pedes, ne pedum teneritudo subtus lædatur. Et aliquando etiam in corde illius inuenitur os, sicut etiam inuenitur in corde cerui, & habet quatuor conos in duab. mamillis, sicut vacca, & camela se inclinat & vadit super genua, quando appetit cum masculo copulari, & desiderium eius est feruens tempore amoris, & tunc parum comedit, & semper appetit coire iuxta locum illum vbi primo coiuit, *& vt dicit Aristot. lib. 5.* Appropriatur camelis quod solitarii sint in montibus amoris tempore, & nullus potest appropinquare eis nisi pastor, & virga camelorum est neruosa & valde dura, & ideo fiunt ex ea chordæ arcuū. *Item idem in eodem,* cameli habent tempus determinatum ad coitum & amorem. Fœmina alit fœtum in vtero per

duodecim menses, & non coeunt ante triennium, & post partum quiescit per annum. *Item dicit idem li.*8. quod sunt quædam genera camelorum, quæ castrantur, vt sint ad fugæ commodum aptiores, & dicit quod tales cameli sunt velociores equis, & hoc accidit propter amplitudinem passus. *Sed de hoc quære infra de dromedario.* Item nota contra incestuosos de camelo, quia camelus, *vt dicit Aristote. lib.* 8. non coit cum matre sua. Cooperiebatur enim mater cuiusdam cameli pallio in quadam ciuitate, & saltauit super eam filius eius, qui sentiens eam matrem suam descendit antequam coitus compleretur, & momordit ingeniatorem & occidit ipsum. *Exemplum est Aristotelis, & ponit simile de equo cuiusdam Regis. De camelo insuper dicit Plin. lib* 11. *cap.* 37. Cameli caluescunt inter quadrupedia, sicut homo & sicut struthio, & quædam alia inter volatilia. *Dicit etiam idem*, quod inter animalia non cornigera camelus in superiori maxilla non habet priores dentes, & ideo concordat cum animalibus ruminantibus in dentibus & in dispositione ventris, sed non in cornibus. *Item dicit Aristot. lib.* 14. Animal cuius cibus est materia spinosa, habet multos ventres, vt camelus, & animal habens cornua, non habet dentes in vtraque mandibula, & propter hoc camelus non habet dentes in vtraque mandibula, sed in vna tantum quamuis careat cornibus. Necessario igitur fuit venter cameli talis dispositionis, & assimilatur ventribus animalium carentium dentibus in mandibula superiori, & fuit creatio dentiū eius sicut animalis habentis cornua. *Et sequitur ibidem*: Et quia cibus cameli est spinosus, necessario fuit lingua eius carnosa, propter duriciem palati, natura ergo palato vtitur, sicut parte terrestri dentium, & propter hoc ruminat camelus sicut habentia cornua, quia ventres eius ventrib. habentium cornua assimilantur. Recipit itaque cibum in primo ventre penitus indigestum, in secundo autem incipit digeri, in tertio melius, in quarto digestio penitus completur, & ista ventrium diuersitas fuit necessaria propter grossiciem nutrimenti siue cibi, quia parum dentibus molit cibum. *Item Aristot. lib.* 14. Camelus non habet fel distinctum super epar, sicut nec elephas, quia epatis naturam habet valde sanam, & sanguinem naturaliter dulcem, & in talibus

anima-

nimalibus non inuenitur fel, aut si inuenitur, in venis alde gracilibus inuenitur. Et ideo dixerunt antiqui, sicut Anaxagoras, quod cameli propter priuationem fellis nt vitæ longioris, quia diutius viuunt animalia parum abentia fellis, quam illa, quæ habent multum. Et ideo osuit Anaxag. quod fel esse causa infirmitatum omnium cutarum, quando scilicet multipliciter ad pulmonem & d alias partes corporis se diffundit. Sed, *dicit Aristot.* hoc sse falsum, quia multa animalia, in quibus non inuenitur fel, acutas & mortiferas aliquando sustinent passiones, t patet in camelis, quibus accidit aliquando podagra & abies: vnde constringuntur pedes sui, & interficit eos ista nfirmitas, & tamen carent felle, *vt dicit idem. Hucusque Aristot. De camelo etiam dicit Constan. in diætis vniuersalibus:* Camelus est animal calidissimum ex natura, & ideo aturaliter est macilentum. Calor enim totam trahit sanguinis vnctuositatem, & ideo remanet sine multa crassiie, & camelinum lac subtilius est lacte aliorum animaium, & minus vnctuosum, & minus nutritiuum, magis utem est calefactiuum, diureticum, id est, apertiuum & diisiuum. Lac enim nihil aliud est, quam sanguis secundo octus, & ideo lactis sapor camelini salsus est & acutus, vne humorum grossorum est incisiuum & attenuatiuum, ui vaccinum lac est contrarium, est enim grossum, vnuosum & multum nutritiuum. *Alias proprietates quære nfra de dromedario.*

Cap. XIX.

De Cameleopardo.

Cameleopardus vel cameleopardulus est animal Æthiopum, *vt dicit Isidor. lib. 12. & Plin. lib. 8. cap. 19.* caut habens cameli & collum equi, crura & pedes bubali, maculas pardi. Est enim bestia maculis albis, rutilum olorem distinguentibus superaspersa, & ideo à capite caneli & maculis pardi cameleopardulus est vocata, *vt dicit Plin.* Est autem bestia magis aspectu quam feritate conpicua, intantum mansueta, quod etiam ouis fere nomen ccepit, *vt dicit idem.* Hoc autem animal fuit mundum cundum Mosaicam legem, quo ad esum, sed non quo ad

sacrificium, nam vngulam findebat vt bubalus, & ruminabat vt camelus, & ideo ipsum comedere erat fas, vt patet *Deut.* 14. *&c.*

CAP. XX.
De Chameleonte.

CHameleon, huius chameleontis, est bestiola parua, diuersa varietate colorum consperſa, cuius corpusculum ad varios colores, quos videtur facilima conuersione variatur, non inuenitur aliquid aliud animal, cuius corpusculum ita recipiat colorum oppositorum immutationem, *vt ibidem dicit Isid. Secundum autem Auic.* chameleon idem est quod stellio, quia lucet vt stella, & immutat colores, quia est animal timidum & pauci sanguinis, & ideo colores mutat, & est quadrupes, habens faciem lacertæ, & vngues acutos, & recuruos, & corpus asperum & duram cutem ad modum crocodili. *Aristote. sic dicit libro* 2. Chameleon, inquit, est animal in corpore simile lacerto, cuius latera sunt oblonga, peruenientia ad inferius sui ventris, sicut piscis, & medium spondylium dorsi eius prominet, sicut spondyliū piscis, & facies eius est sicut animal ex porco & simia, & habet caudam valde longam, & eius extremum est gracile, & habet pedes reflexos sicut lacertuli, & quilibet pedum diuiditur in duo, & comparatio vnius ad alterum est, vt pollicis hominis ad residuum manus, & quælibet istarum partium diuiditur in digitos, & habet vngulas similes vnguibus auium, totum corpus eius est asperum, sicut corpus pardan, oculi eius profundati, & sunt magni, rotundi, & continentur à corio simili corio totius corporis eius, & non cooperiuntur ab ipso, & gyrat oculos suos frequenter circumquaque, & alteratur color eius, quando inflatur corium eius, & habet colorem declinantem ad nigredinem, & sunt in eo maculæ nigræ, & hæc variatio est in toto corpore eius, & maxime in oculis & in cauda, & eius motus est grauis valde, & in morte eius turpis coloris, & id quod est in corpore suo est modicæ carnis, parum enim habet nisi in capite & radice caudæ, vbi parum habet sanguinis, similiter in corde & in venis exeuntibus ab eo, & in circuitu oculorum quamuis sit parum, & eius cerebrum est prope oculos, & si quis diuiserit

corpus

corpus in duo, permanebit in operationibus suis, per suum spiritum, & remanet modicus motus circa corpus, & non habet splenem, & manet in cauernis sicut lacerta. *Hucusque Aristot. Plin. vero lib. 28. c. 8 sic dicit:* Chameleon est animal simile crocodilo, sola curuatura dorsi & caudę amplitudine distans, nullum animal eo pauidius æstimatur, & ideo immutatur calor eius, vix eius maxima est contra accipitrum genus, detrahit enim accipitres ad se volantes, & præbet cæteris animalibus voluntarie lacerandos. Caput eius & guttur eius si cum quercinis lignis accendatur, imbres facere & tonitrua Democritus asserit, sed hoc deridet Plinius. Qualecunque sit animal, inter munda computatur, *vnde super Leuit.* 11. *dicit Esicius.* Miserescit & præ infirmitate mansuetum se fingit cum sit crudelis. Dicitur autem chameleon viuere solo aere, sicut talpa ex terra, & halec ex aqua, & salamandra ex igne, versus:

Quatuor ex puris vitam ducunt elementis,
Chameleon, talpa maris halec & salamandra.
Terra cibat talpam flammæ pascunt salamandram.
Vnda fit halecı cibus aer chameleonti.

Cap. XXI.

De Caprea.

Caprea est syluestris capra, à carpendo dicta, *vnde Isido. libro* 12. capros & capreas a carpendo virgultis quidam dicunt. Alii vero sic eas dictas putant, quod carpant aspera, nonnulli vero dicunt eas sic vocari à strepitu crurium, vnde vocantur capreæ syluestres capræ, quas Græci pro eo quod acutissime videant, dorcas appellauerunt, morantur enim in excelsis montibus, & quamuis de longinquo videant, non vident tamen venientes venatores, eædem dicuntur & ibices, quasi auices, eo quod ad instar auium ardua loca petant, ita vt de sublimitate vix obtutibus humanis pateant, *vt dicit Isidorus lib.* 12. *Et subdit.* Hæc itaque animalia in petris abruptis commorantur, & si aliquando hominum approximationem & persecutionem seu peruersitatem præsenserint, vel ferarum, de altissimis saxorum cacuminibus sese præcipitantes, in suis se cornibus suscipiunt illæsas, vnde dicuntur etiam & damę siue damu-

læ, *vt dicit Papias. Quære infra in litera D. de damula.* Est itaque caprea velocissima in cursu, leuissima in saltu, acutissima in aspectu, dulcissima quo ad gustum, tenerrima & suauissima quoad esum, sagacissima quoad pastum, nam visu, gustu & olfactu discernit inter herbas & arborum ramusculos, quorum extremitates teneras comedit & depascit, *dicit etiam Plinius* leopardus capræ syluestris bibit lac, vt vim languoris euitet.

Cap. XXII.

De Capreolo.

CApreolus, *vt dicit Auicenna*, est animal in India simile hinnulo siue ceruorum filio, qui apud nos etiam non mutat dentes, & quando eius dentes sunt magni, signant vitæ diuturnitatem in eis, & habet pulcros oculos & acutos, *& Aristoteles libro* 8.. Capreoli syluestres habent sapientiam, quando vulnerantur, quærunt pulegium ceruinum & comedunt ipsum, vt extrahant sagittas de corpore, si quæ in ipsis sunt infixæ, ex velocitate motus & assiduitate discursus, caro capreoli à superfluo humido exoneratur, & eius caro tenerior & digestibilior efficitur, & saporis ac odoris eius grauitas amputatur, *vt dicit Constant.* pastus gratia de locis altis ad altiora tendit, & inter herbas salubres & noxias odore diiudicat & discernit. Ruminat cibos & vngulā findit. Non vngue, non cornu, non dente, sed sola velocitate fugæ à canibus & venatorum insultibus se defendit. Vnde quando in campestribus persequitur, ad montana fugiens alta petit. In montibus Indiæ sunt quidam capreoli, qui ab herbis aromaticis & odoriferis pascuntur in quorum vnguibus sunt quædam concauitates, in quibus humores quidā ad apostemata colligūtur, quæ primo ad maturitatem per motum & confricationē rumpuntur, & à corpore cum pilosis folliculis abstrahuntur, & substantia quæ infra pelliculam continetur summe est odorifera, & inter aromatica maxime preciosa, in medicinis plurimum vtilis & virtuosa, *vt dicit Dioscorid. & Plat.* & illud muscum vulgariter nominamus.

Cap.

Cap. XXIII.

De Capra.

CApra ſicut & caprea à carpendis virgultorum & herbarum ſummitatibus eſt dicta, quia ſemper ſurſum tendit, vt ſummitates capiat, carpat & comedat foliorum, *Vt dicit Iſidorus. De capris autem dicit Plinius libro 8. cap. 1.* Capræ, inquit, pariunt fœtus plures, ſed raro quatuor, ferunt in vtero quinque menſibus ſicut oues, capræ etiam pinguedine ſterileſcunt, ante triennium minus vtiliter generant, & in ſenectute vltra quadriennium, concipiunt in nouembri, vt in Martio pariant, vel in Aprili turgentibus virgultis, non omnibus ſunt cornua, ſed quibuſdam ſunt in his indicia annorum per incrementum nodorum, auribus eas ſpirare & non naribus, Archelaus eſt autor, & raro ſunt ſine febre, & ideo tam capris quam ouibus, ardentior & calidior eſt concubitus, *Vt tradit idem*, nec minus dicimus eas videre de nocte, quam de die, dependet omnibus de mento villus, quem armitum vel aruncum vocant. Hoc villo ſi quis vnam ex grege trahat cæteræ ſtupentes expectant. Id etiam dicunt euenire cum quandam herbam aliqua ex his momorderit, morſus earum eſt arbori oliuæ maxime exitialis. Nam oliuam lambendo ſterilem faciunt & hac de cauſa quædam non immolabantur. Capræ ſolæ decliui ad occaſum (vt dicunt) ſimul non edunt, ſed poſt auerſæ ab inuicem iacent. In aliis autem horis auerſæ ſe conuertunt, & verſis vultibus ad inuicem in graminibus depaſcuntur. *Hucuſq; Plinius.* De capris autem dicit *Ariſtot. libr. 3. in fine.* In multis regionibus habent lac ſine imprægnatione, nec expectatur impręgnatio, ſed accipitur vrtica, & cum eo confricatur mamilla, & exibit primo ſanguis, deinde exit ſimile ſaniei, & poſt exit lac bonum non peius quam impręgnatarum. *Item idem libro 6.* Capræ viuunt per decem vel vndecim annos, & frequentant coitum vſque ad ſenectutem, & aliquando pariunt gemellos ſi habuerint cibum conuenientem, & maxime ſi caper bene nutritus erit. Et ſi impręgnata fuerit capra contra impetum venti ſeptentrionalis, pariet mares, & ſi contra meridionalem, fœminas, & debent vertere facies contra partem ſeptentrionalem, quando debent coire. *Item ibi-*

dem libro 7. Capræ ſicut oues comedunt herbas, ſed oues carpunt herbas vſque ad radices, & manent ſtabiles in paſcuis: capræ vero cito mouentur à locis, & accipiunt tantummodo herbarum extremitates & melius imprægnantur poſt potum aquæ ſalſæ, & quando mouentur capræ poſt meridiem potabunt plus aquæ, & quando comedunt ſal ante partum, habebunt multum fluxum à mamillis. *Item libro* 8. In capris ſicut in ouibus eſt priuatio intellectus in tantum, quod vix ſciunt egredi ad paſcua vel regredi, niſi ab aliquo deducantur, & ſi quis acceperit quandam capram & ſubito erexerit, eriguntur & aliæ, & reſpiciunt eam ſolido aſpectu. Vſus autem caprarum ſicut & ouium hominibus eſt neceſſarius, nam lacte & carnibus paſcit capra famelicos, pelle & pilis veſtit nudum, fimo & lotione, id eſt, vrina, impinguat humum. Nihil itaque eſt in corpore capræ quod non ſit vtile vel ad victum, vel ad veſtitum, vel ad vſum neceſſarium medicinæ. Nam *vt dicit Plinius libro* 18. *cap.* 10. cornu caprino incinerato & pilis accenſis, ſerpentes effugantur. Eorum remedio multa venenorum genera ſuperantur, corroduntur carnes ſuperfluæ, & recentes, ac viuæ generantur, reſtringuntur humorum immoderati fluxus, & vulnera putrida, corroſiua & incancriſata vel fiſtulata eorum beneficio remediantur. Pelle caprina recenti obducuntur vulnera & ſanantur. Sanguine caprino cum medulla decocto, toxicata venena excluduntur, & morſus reptilium & ictus ſcorpionum curantur. Pulmone calido capræ ſuper morſum venenoſum poſito, venenum extrahitur, dolorisque anguſtia mitigatur. Eius felle calido oculorum depellitur macula & corroditur, viſus acuitur & oculus clarificatur. Iecur caprinum aſſum contra elephantiam adiuuat, ſi in cibis ſæpius aſſumatur. Eius fimus contra multas infirmitates opitulatur. Nam *vt dicit idem* fimo caprino podagrici alleuiantur, ſi ſepũ hircorũ cum ſucco edere miſceatur. Vrina etiam caprarum calefacta tepida auribus inſtillata dolentes aures ſanat. Has & multas alias ponit medicinales proprietates *Vnde dicit Plinius ibidem.* Mille remedia ex hoc animali demonſtrantur, quod quidem, *vt ait*, miror cur febre non dicatur carere. *Ad hoc dicit Ariſtot.* quod eſt quoddam animal, quod ſugit lac caprarum, & quando ſugit mamil-

mamillas lac annihilatur vel corrumpitur quod est in eis, & exsiccatur (alias excæcatur) inde capra. *De capra quare infra de hirco.*

Cap. XXIV.

De Cane.

Canis à græco nomen sumpsit, *vt dicit Isidorus*. Græce enim κυνὸς dicitur, quidam enim eum à canore latratus dicunt sic vocatum. Nihil autem, *vt dicit idem* sagacius est cane, plus enim sensus cæteris animantibus habet. Nam sua nomina canes recognoscunt, dominos suos diligunt, dominorum tecta defendunt, pro dominis suis morti se subiiciunt voluntarie, cum domino ad prædam currunt. Corpus domini sui etiam mortuum non derelinquunt. Odore & sanguine prædæ vestigia depræhendunt, humanum consortium diligunt, sine hominibus etiam esse non possunt, *vt dicit Isidor. Vbi subditur*. Solent aliquoties canes lupis admisceri, ex quibus nascuntur canes sæui, qui lycisci à quibusdam nominantur. Solent etiam Indi caniculas nocte in syluis dimittere alligatas, quæ à tigridibus insiliuntur, ex quibus nascuntur canes acerrimi, tam fortes vt prosternant feroces bestias vt leones. *Hucusq; Isidorus lib* 12.*cap*.2. De cane autem dicit *Plin. libro* 8. *cap*. 40. de animantibus quæ nobiscum degunt fidelissimi sunt homini canes atque equi. Pugnasse enim canes pro dominis suis contra latrones accepimus, & conspeximus, confectosque plagis audiuimus eos volucres ac feras à dominorum suorum corporibus abegisse, laniatu atque lattratu homicidam domini sui scelus confiteri coegisse. Legimus etiam Garamantum regem ducentos canes ab exilio reduxisse, & contra resistentes mira audacia præliasse. Canis etiam Iasonis Ciliciæ noluit capere cibum domino suo interfecto, & sic dolore pariter & inedia consumptus est. Legimus etiam Calonum, alias Cælium, senatorem Placentiæ ab armatis oppressum canem defendisse, nec prius vulneratum quam cane perempto. Sic canis T. Sabini eum nec in carcere nec in morte dereliquit, sed mœstos edens vlulatus cũ mortuo mansit. Cui cum quidam cibum adiecisset ad os defuncti cibum tulit, & cadauere in Tiberim proiecto, vt corpus susten-

ſtentaretur, ſaliens intra fluuium innatauit, accurrente multitudine ad ſpectaculum fidi animalis. Itinera quamuis longa ad memoriam reducunt, & amiſſis dominis ad eorum domicilia ſoli per longa terrarũ ſpacia redire conſueuerunt. Canis mitigatur ſæuitia homine humi conſedente. In venatu eius præcipua ſagacitas ineſt, nam vento & odore etiam per quas feras fugientes perſequuntur & eorum depræhendentes veſtigia latratu & roſtro ferarum latibula abdita produnt. E tigridibus & canibus tam fortes generantur canes vt leones vincant & elephantes, ſicut expertus eſt Alexander Magnus in cane, qui ſibi à rege Albaniæ eſt tranſmiſſus, qui primo in eius præſentia leonem confregit, deinde adducto elephante, canis viſa belua horrentibus per totum corpus villis ingenti latratu primo intonuit: deinde artificiali dimicatione elephantem tam diu afflixit, quod in terram cadere coactus fuit. Poſt annuam ætatem canis gignit, octogenis diebus in vtero gerit, cæcos catulos parit, qui quanto longiori nutriuntur lacte, tanto tardius viſum accipiunt, nunquam tamen viſum accipiunt niſi poſt viceſimnm primum diem nec ante ſeptimum. Quidam dicunt, quod quando vnus ſolus naſcitur die nono videt, quando gemini decimo die, quando trini die vndecimo, & ita quanto plures pariuntur, tanto tardius oculi eorum ad videndum aperiuntur. Quot enim vni catulo numero adiiciuntur, totidem ad lucem diebus, vt videant, retardantur. Optimus eſt fœtus, qui nouiſſimus cernere incipit, vel quem primo defert mater in cubile. *Hucuſq; Plinius libro* 8 *cap.* 40. *Vbi multa alia dicuntur.* De canibus autem dicit *Ariſtoteles libro* 2. Canes non eiiciunt dentes niſi forſan duos, & quanto ſunt minores, tanto habent dentes albiores & acutiores, & per hoc cognoſcuntur canes antiqui à iuuenibus, quia ſenum dentes ſunt nigri & obtuſi, iuuenum vero è conuerſo. *Item ibi, lib.* 5. Canes maſculi mouentur ad generationẽ & coitum citius quam fœminæ, & citius generant leporarii quam alii, *Vt dicit idem libro 6.* cuius fœmina quando impregnatur per ſextã partem anni, i.e. per ſexaginta dies alit in vtero, & ſunt eius filii cæci per duodecim dies, & non accedit ad eam maſculus niſi ſexto menſe poſt partum. Et quædam impręgnantur in 73 diebus, quod eſt fere quinta

pars

pars anni, & filii istarum remanent cæci 14. diebus, etiam quædam per tres menses, & est quarta pars anni, & filii istarum erunt cæci per 17. dies. Vnde patet quod quanto fœtus citius in vtero perficiuntur, tanto citius gaudent visu, quando sunt editi huic mundo, & masculi mouentur ad coitum citius, quia quando incipiunt leuare crus ad mingendum, quod fit post sex vel septem menses, quando vigorescunt. Et accidit canibus leporariis quoddam proprium, quod plus possunt generare quando sunt in labore quam quando sunt in quiete, & possunt viuere masculi decem annis, & minus viuunt leporarii masculi quam fœminæ, propter laborem masculorum, & sic non est in aliis, quia magis viuunt mares quam fœminæ, *Vt dicit ibidem.* Alii autem canes vt custodes domorum & ciuium viuunt diutius, quia quatuordecim annis & aliquando viginti, *Vt dicit Homer. Item li.* 8. canes quando infirmantur, comedunt radices herbæ cuiusdam vt vomant, & sic sibi medentur. *Item dicit Plinius libro* 18. Vomitiones, inquit, id est, medicinas & purgationes vomitiuas, primo ostendit canis qui repletus cibo noxio gramen comedit, & per vomitum liberatus fuit.

CAP. XXV.

De Canicula.

CAnicula dicitur esse mater canum, cuius matrix est oblonga per longitudinem ventris collocata, habens per longitudinem vbera plura contra se inuicem ordinata, quæ imprægnationis tempore intumescunt, quæ parit plures filios sed semper cœcos, quos tamen tenerrime diligit, & morsu ac latratu eos defendit, & si de latibulo filii exierint, eos inter dentes sine omni læsione referre consueuit, & primo meliorem & formosiorem reportat, quia eum tenerius diligit, & ideo ei mamillam citius porrigit & extendit. Ante tempus coitus & conceptus, *Vt dicit Aristot. lib.* 5. per dies septem quandam menstruosam immunditiam eiicit, & tunc infirmatur & apostematur ei matrix, & tunc non appetit coitum sed fugit, sed post purgationẽ melius concipit, salubriusque parit. Post partum etiam multum humorem phlegmaticum & grossum eiicit, & ideo corpus caniculæ tunc marcescit, *Vt dicit idem.* Item inuenitur lac

in ca-

in caniculis ante partum per plures dies, & citius in leporariis quam in aliis, & primo est lac spissum, & post subtiliatur, & post partum est conueniens, & viuunt minus caniculæ quam canes communiter, sed canes venatici masculi propter laborem nimium & discursum minus viuunt, & quando ab vrinæ grauamine se exonerare desiderat, crus non erigit, sicut masculus, sed residens inferius se inclinat. Canicula igitur mare est minor corpore & gracilior, viribus debilior, circa fœtus educationem solicitior, animo mansuetior, nisi quando nutrit fœtus. Est autem ad instruendum masculo habilior, & etiam corpore propter membrorum flexibilitatem agilior, sed propter debilitatem neruorum in cursu minus durat. Canum igitur & caniculatum nobilitas attenditur in faciei & rostri protensa longitudine, & amplitudine pectoris & iliorum siue inguinis strictitudine. Nam canis nobilis circa renes & ilia & etiam ventrem restringitur, sed circa anteriora pectoris dilatatur, aures etiam longiores habet & flexibiliores, tibias autem ante habet exiliores & graciliores & etiam altiores, & hoc fuit necessarium, vt essent ad motum & ad cursum agiliores. Caudam etiam habent cæteris canibus proliziorem & recuruiorem, minus etiam habent de carne quam canes rurales, & habent etiam pilos breuiores, rariores & planiores, nam si essent multum pilosi & villosi, in cursu nimis incalescerent, si nimis carnosi, mole carnis oppressi minus currerent, & si caudas haberent longas inter crura dependentes, eorum cursum non modicum impedirent, per huius etiam caudæ dependentiã non animosi sed potius timidi apparerent. Sunt adhuc canes nobiles circa bestias & feras syluestres insequendas & capiendas feroces & sæui. Circa vero homines sunt valde mansueti, & si aliquando contra homines extraneos exilierint, statim à suo impetu se compescunt. Canes etiam nobiles cum ceruum vel leporem cœperint, non statim deuorant quod capiunt, sed potius prædam suam domino suo derelinquunt, viliori parte pro sua poritone vtputa ossibus & sanguine contenti sunt, imo si nihil portionis penitus habuerint, propter hoc prædam aliam insequi & inuadere non dimittunt.

CAP.

CAP. XXVI.

De aliis proprietatibus Canum.

SVnt & aliæ canum proprietates minus laudabiles, nam canes bolismum continuum, id est, appetitum immoderatum patiuntur, & tantum aliquando per famem cruciantur, quod insani & rabidi fiunt. Nam canibus accidunt infirmitates, sicut canicies, squinantia & rabies, *vt dicit Arist. lib.* 7. Omnia animalia quando sunt morsa à cane rabioso, in furiam rapiuntur, præter hominem, qui aliquando euadit beneficio medicinæ. Dicit autem Constan. *in Viat. lib. vlt.* canis est naturaliter frigidus & siccus, cui nigra cholera dominatur, quæ superabundans. Et putrefacta vel corrupta ipsum rabidum facit, & hoc contingit maxime in autumno & in vere, quem alii canes fugiunt tanquã pestem & semper est profugus & soliuagus, & vadit nutando & cancellando sicut ebrius, & currit ore aperto ac lingua dependente, saliua nimia & spumosa de eius orificio profluente. Oculos habet reuersos ac rubicundos, & aures retractas, & caudam inuoluit inter coxas, & quamuis oculos habet apertos, tamen offendit ad omne obiectum pedẽ suum. Contra quamlibet rem pugnat, & contra vmbram suam latrat, quem timentes canes fugiunt & latrant contra ipsum. Carnem autem intinctam in sanguine morsuræ eius nullus canis attingit. Et qui ab eo mordentur, somniant terribilia, & in somno ex putrefactione sunt timorosi, & irascuntur sine causa, stupidi fiunt, vndique circumspicientes & inspici à nullo patientes, & si inualuerit passio, incipiunt abhorrere omnem potum & timere aquam & latrant vt canes, & ita timent aquam quod cadunt præ timore, & hi moriuntur nisi medicando eis citius occurratur. *Curas autem & remedia quære sup. lib. de morbis cap. de venenis. Dicit autem Plin. lib.* 29. quod sub lingua canis iacet aliquando vermiculus, qui Græce dicitur lytta, qui facit canes rabidos, quo extracto cessat morbus. *Item dicit idem.* Tanta est violentia morsus canis, vt eius vrina calcata nocet homini, & maxime si habet vlcus vel vulnus. *Item ibidem.* Qui vrinam suam eiecerit super vrinam canis rabiosi, dicitur statim sentire dolorem ilium & lumbrorum. Item canis est iracundus & maliciosus, & ideo,

ideo, vt se vindicet, lapidem de quo proiicitur, sæpe mordet, & tanto furore & morsu lapidem arripit, quod dentes proprios in se frangit, & non lapidem, sed proprium dentem valde lædit. Item fraudulentus est & dolosus, vnde & sæpe transeuntibus blandiendo cum cauda quasi arridet, quos retro mordet, quando minime considerant. Item odit baculos & lapides ac virgas timet. Inter notos audax & animosus est, & omnes mordere nititur, omnes terret, sed transiens inter extraneos nihil audet. *Item auidus est & gulosus*, & ideo sæpe cadauera ita auide comedit, quod vomitu ea reiicit, sed post cum esurierit quod turpiter euomuit, turpius recomedit ac resumit. Item canis inuidiosus est, *& ideo dicit Auicen.* quod occulte herbas colligit, quibus vomitu se purgat inuidens & dolens, quod herbæ efficaciam quis recognoscat, dolens etiam peruersus canis, si quis alius canis ignotus hospitium subintroeat, timens ne propter eius præsentiam sibi aliquid depereat, & ideo pugnat contra eum. Item cupidus est & parcus, & ad reponendum superflua studiosus, & ideo ossa carnosa & medullata, quæ deuorare non potest, canibus non communicat, sed cum diligentia reponit in abscondito & occultat, quæ cum esurit solus vorat. Item immundus est & libidinosus. *Vnde dicit Arist. lib. 6.* Canes tam fœminæ quam mares coitu vtuntur quamdiu viuunt, ita enim immunditiæ libidinis se exponunt, quod inter matrem & sororem non discernunt quo ad coitum.

Et ideo *secundum legem Mosaicam* æquali immunditiæ subiacet oblatio de precio canis vel caniculæ, & de precio meretriculæ prostitutæ. Nam tales miseræ personæ omni libidini indifferenter deseruiunt canino more. Item antiquus canis piger solet esse & desidiosus. *Vnde dicit Aristoteles libro* 8. quod canibus in senio accidit podagra, & pauci ex eis euadunt, quin podagrici efficiantur, & ideo tota die dormitant super fimarium inter muscas & vermes, maxime autem à muscis tunc infestantur circa oculos lippientes & circa aures, in quibus est potissime vlcerosus, & quamuis aliquando terebrando perforant eius aures, præ pigritia non resumit vires, vt se excutiendo eos abiiciat & expellat, sed vix aliquoties quando contra faciem eius volitant post eas captando cum ore crepitando denti-

dentibus eas fugat. Tandem canis vlcerosus reste vel fune collo eius alligata, violenter de fimario trahitur, in fluuio submergitur, & tunc terminatur sic eius misera vita ac finitur, nec eius pellis detrahitur, nec eius caro comeditur, nec sepulturæ committitur, sed muscis & vermibus finaliter derelinquitur.

Cap. XXVII.

De Catulis.

Catuli sunt canis filii diminutiue sic dicti, sicut & cātelli. Nam abusiue sic vocantur filii aliarū bestiarum, *Vt dicit Isidorus libro 12.* Hi catuli nascuntur generaliter cæci, & quo ad videndi actum imperfecti. Nam catuli canum nascuntur cum dentibus serratis, quamuis valde paruis. Omnē autem animal habens dentes per modum serræ diuisos, est gulosum & bellicosum, vt canis, lupus, leo, panthera, & huiusmodi, & omnia talia animalia generant fœtus imperfectos, *Vt patet supra libr. eodem de animalibus in generali*, & in omnibus facientibus filios incompletos causa est gulositatis, quia si expectaret vsque ad complementum fœtus matrem sugendo interficerent, & ideo oportet vt festina sit in talibus natura. *Quare supra lib. eodem. Nam sicut dicit Solinus*: Catuli canum quondam apud veteres erant in summo honore habiti, *Vt dicit Plin.* Catulos, inquit, lactentes adeo puros æstimauerunt ad cibum antiqui, vt etiam eos placandis numinibus offerrent loco hostiarum, quorum sanguine nihil contra toxica putabatur vtilius, & adhuc in præsenti iubent autores contra morsus venenosos vulneribus salubriter adhiberi. Nam catuli aperti & ictibus serpentis appositi calidi venenum extrahunt, dolorem mitigant, & adhibitis remediis membrum saucium tutum reddunt, *Vt dicit idem*, & hi catuli quanto nascuntur citius, tanto visum videndi recipiunt tardius, *Vt sup. dicit Arist.* Similiter quanto vberiori lacte nutriuntur, tanto tardius in videndo perficiuntur. Matrem adhuc cæci diligunt, voce & odore eam recognoscunt, mammas eius requirunt, & si mater lac aliquo casu oppresserit, acutiori dente papillam comprimunt, & lac vberius effundere dentium acumine matrem cogunt,

quando esuriunt querulando & clamitando vbera materna quærunt, & ita dicuntur sugere mammas in ordine, prout iacuerant in matrice, & ille catulus, qui fortior est ac melior, prius ad lac admittitur, & à matre diligitur tenerius & fouetur, à catulis venaticis cibus ex industria debet subtrahi, ne eos cõtingat ex pastu supfluo impinguari. Ex nimia enim crassicie & impinguatione ad prædam segniores, & ad cursum fierent tardiores. Quamuis autem animalia sint melancholica ex complexionabili qualitate, ex dispositione tamen membrorum sunt agiles. Sunt enim læti plurimum ac ludentes, & hoc accidit ex ætate. Quando vero sunt separabiles à lacte, tunc sunt habiles ad instruendum, & hoc tam ad venandum quam etiam ad ludendum, & ad gregem custodiendum à lupis ac tuendum. Qui vero ad custodiam domus sunt deputandi, debent de die in loco obscuro includi & vinciri, & sic de nocte erunt contra fures magis sæui, nam talium canum est officium de die quiescere & dormire, de nocte vero vigilare, & contra fures curiam circuire. Vituperabilis enim est canis, qui de die vigilat, latrat & circuit, de nocte vero dormitat, & latitat & obmutescit. Malus etiam est canis, siue sit senex siue iuuenis, qui de die custodit oues à lupis, dum sunt in pascuis, de nocte eas strangulat dum sunt in caulis.

CAP. XXVIII.

De Castore.

CAstor est bestia mirabilis, quæ cum quadrupedib. viuit & graditur in terris, sub aquis autẽ natat & commoratur cum natatilibus, sicut piscis, & est castor à castrando sic vocatus, *vt dicit Isidor. lib.* 12. Nam eorum testiculi medicinæ sunt apti, propter quos cum præsenserint venatorem, ipsi se castrant, & morsibus sua virilia amputant & detruncant, *vt dicit idem de quibus Cicero ait.* Redimunt se ea parte corporis, propter quam maxime expetuntur, & Iuuenalis, qui se eunuchum facit cupiẽs euadere damno testiculi, dicuntur autem castores fibri, qui & pontici canes dicuntur. *Hucusque Isidorus. De castoribus autem dicit Plin. lib.* 11. *cap.* 3. Ponto, inquit, vnum dicunt genus animalium esse, quod nunc terrenam nunc aquaticam

eam ducit vitam in extremis aquarum & fluminum ripis, domos & cauernas sibi ædificat miro artificio in extremis aquarum, & fluminum ripis præparatas. Nam hæc animalia pariter in grege viuunt, suam speciem diligunt, pariter etiam congregati fibri dentibus ligna præscindunt, & præscissa de sylua ad latibula sua miro modo deferunt & deducunt, nam vnum pro vehiculo pedibus eleuatis supinum in terram sternunt, inter cuius coxas & cruta abscissa ligna ordinant & componunt, & eum trahentes ad suas mansiunculas, à lignis ipsum exonerant, & multa subtilitate ex comportata materia habitacula fortia sibi parant. Sunt autem earum domunculæ bicameratę vel tricameratæ, quæ quasi per tria tabulata seu solaria sunt distinctæ. Aqua crescente loca superiora inhabitant, decrescente autem in inferiori parte habitaculi sese locant, & per quoddam foramen in solario quolibet ex industria præparato, caudam suam, quæ pisceæ est naturæ, submittit aquæ, sine cuius præsentia non potest cauda eius sine corruptione aliqua permanere. Animal est mirabile & monstrosum, cuius cauda tantum piscis, & totum residuum sui corporis naturam habet quadrupedis animalis. Est autē in magnitudine ad modum parui canis, habens pedes quasi caninos à parte posteriori, cum quibus principaliter ambulat, à parte autem interiori duos habet quasi anserinos, cum quibus principaliter in aquis natat. Pellem habet valde preciosam, pro qua venatur, dentes autem habet acutos & serratos ad modum canis, nec est velocis motus, quia habet tibias valde breues. Habent autem castores duos testiculos in magnitudine, proportionem cum paruo corpore non habentes, & hos castoreum nominamus. Et de his *dicit Plinius lib. 32. cap. sic:* Castores, inquit, sibi amputant testiculos, quos castoreum dicimus, ne capiantur à venatoribus. Negat Sextius, diligentissimus medicinæ perscrutator, imo dicit eos sic esse obstrictos, & spinæ dorsi sic adhærentes, vt adimi non possint sine vita animalis. *Item idem dicit Plat. & etiam Dioscor.* quod non est tantæ discretionis, quod sciret se liberare taliter, & hoc quotidie patet in castoribus, qui in diuersis locis inueniuntur, *Vnde quod dicit Isid. & Physiol.* de eorum castratione, non de vsualibus fibris, sed de aliquibus aliis animalibus, quæ

castoribus assimilantur, in testiculis est forsitan intelligendum. Valet autem castoreum verum & non sophisticum contra maximas corporis passiones, *vt dicit Plinius ibid.* maxime si fuerit castoris, nec nimis iuuenis nec nimis senis, & sic sunt eligenda castorea duplicata, ex vno nexu dependentia, & vno neruo copulata, quia talia non possunt de facili adulterari. Multi enim accipiunt vesicam animalis, & replent eam sanguine castoris, addito modico vero castoreo propter odorem, & modico piperis propter saporem acutiorem, & colligant collum vesicæ, vt videatur esse neruus. Sed ab vno collo duas vesicas dependere est impossibile, & ideo illud castoreum est melius, quod duplicatum dependet ab vno neruo. Est enim eligendum quod mediocriter in sapore est acutum, quia si nimis est acutum & quasi terrenum, sophisticatum est maxime, si non habet neruos intricatos, *vt dicit Dioscorides*, vnde laudabile est, quod mediocriter est acutum & glutinosum, non habens saporem horribilem neque salsum, quia cum sale aromatico frequenter sophisticatur, *vt dicit Plin. ibid.* Quanto autem est recentius, tanto est melius & efficacius in medicina, & est signum quod non est adulteratum, quando duo testes habent quasdam pelliculas vel folliculos sibi essentialiter adhærentes, plenos pinguedine vnctuosa. Per septem annos potest in multa efficacia conseruari, & debet poni in medicina sine pellicula exteriori, & modo debito ponderari, virtutem enim habet dissoluendi, consumendi & attenuandi, & loca neruosa maxime confortandi, vnde valet contra multa mala, nam epilepticis conuenit, & subuenit contra capitis frigidas passiones, paralysim linguæ soluit, & loquelam reddit subito ablatam, si tantum sub lingua ponatur & resoluatur, contra vniuersalem corporis paralysim valet, si decoctum in vino cum ruta & saluia in potu sæpius assumatur, excitat cerebrum, & commouet & confortat, sternutationem prouocat, propter quod inde etiam lethargicus excitatur, somnum prouocat & conciliat, si cum oleo rosaceo caput & castoreo perungatur, contra venena fortissima, vt scorpionis, araneæ & cerastæ serpentis, & præsteris opitulatur, *vt dicit Plin. lib. 8. cap. 3.* Eius etiam vrina valet ad qualibet prædicta, *vt dicit idem*, & prouocat menstrua, adiuuat conce-

conceptionem, & multa alia, & eius pinguedo maxime est efficax in vnguentis.

CAP. XXIX.

De Ceruo.

CEruus à κεράτων Græce, id est, cornu dicitur Latine, *vt dicit Isidorus lib. 12. vbi subdit dicens*: Cerui, inquit, serpentum sunt inimici, qui cum se grauatos aliqua infirmitate præsenserint, spiritu narium eos extrahunt de cauernis, & superata pernicie veneni eorum pabulo reparantur. Diptamnum herbam ipsi primitus prodiderunt, nam eo pasti, excutiunt sagittas, quando à venatoribus vulnerantur, mirantur autem fistularum sibilum, & in harmonia delectantur. Erectis auribus acute audiunt, submissis nihil, flumina immensa & maria transeũt, & fortiores tũc in natando præcedunt, quorum clunibus debiliores in natando capita supraponunt, quæ sibi inuicem succedentes, laboris leuius pondus ferunt. *Hucusque Isido. Eadem verba dicit Plin. lib 8. cap. 33. vbi addit ad hac verba*: Ceruus, inquit, est animal placidissimum, qui vrgente vi canum ad hominem vltro fugit. Et quando cerua est paritura minus cauet semitas tritas ab hominibus, quam semitas feris cognitas & secretas. Post ortum arcturi sideris cõcipiunt, & octonis mensibus partus ferunt. Interdum etiam geminos in pariendo edunt. A tempore conceptus fœminæ à maribus se separant & discedunt, sed mares retenta rabie libidinis sæuiunt, glebas & scrobes vngulis fodiunt, & eorum rostra tunc nigrescunt, donec ab imbrib. aliquibus abluantur. Fœminæ autem ante partum purgantur, & vtuntur quibusdam herbis, quibus fœtus in vtero melius retinetur, & in partu facilius liberatur, post partum duab. herbis, scil. camo[?] & silosis pastæ redeunt ad fœtum, & illarum herbarum succo imbutæ, filiis lactis exhibent nutrimentum, partus editos ad cursum exercent, & se parare ad fugam eos docent, ad prærupta eos ducunt, & saltandi modum eis indicant & ostendunt, & tunc mares soluti desiderio libidinis pabula auide petunt, & vbi nimis pingues se senserint, latebras quærũt, quia incommodum ponderis corporis pertimescunt, & quando fugiunt, cursum non continuant, sed statim respiciunt, & quando ad

eos prope ventum fuerit, rursus præsidia fugæ quærunt, auribus erectis vocem canum audiunt & fugiunt, quibus submissis periculum non præsentiunt, tantæ sunt simplicitatis, vt omnem mirentur & stupeant nouitatem, vnde equo vel bubalo ad eos accedente, ita in ipsum respiciunt, quod hominem prius iuxta se venientem & sagittis impetere volentem non attendunt. Quando transnatant maria gregatim & recto ordine incedunt, & ope vicaria se iuuantes, non visu sed odore terras petunt, & cum ceruus animal sit cornutum, hoc inter animalia habet proprium, quod annis singulis in vere mutat cornu suum, & tunc, quia est inermis, de die sibi quærit latibula, & latet quousq; crescentibus cornibus iterato noua sibi adueniat armatura. Quando autem deiicit cornu dextrum ob inuidiam abscondit illud dolens, ne quis inde accipiat medicinam. Deprehenditur ceruorū ætas per cornuum ramos, quia annis singulis sibi additis ad viuendum superadditur vnum, vsque ad septem annos, & ab eo tempore annis singulis similia renascuntur, nec potest ætas discerni. Simili modo senecta dentibus declaratur, aut enim paucos aut nullos habet, nec in cornibus imis ramos, imo ante frontem præminent minoribus. Si fuerint castrati antequam habeant cornua, vlterius non nascuntur, & si post, nunquam amittuntur. Quamdiu carent cornibus, nocte procedunt ad pabula, non de die, calori Solis ea exponunt, vt indurentur. Ad arborem ea postea leniter fricant, eorum fortitudinem experientes, ac pruritum, quem ibi sustinent corticis duricie amouentes, & cum ea senserint roborata, prodeunt ad pabula in aperto. Quandoque ex attritu arborum, ab hedera arbori inhærente innodantur eorum cornua, & sic facilius capiuntur. Serpentibus contrariantur in tantum, quod odore cornu eorum exusti, ædes fugiunt, cuius coagulum omnium anguium sanat morsus. Diutissime viuit, plus quam centum annis, quod compertum est per ceruos captos, per centum annos post mortem Alexandri, ab eorundem torquibus aureis adopertos & insignatos. Febrium morbos non sentit hoc animal, quoniam sibi medetur contra morbum. *Hucusque Plinius libro* 8. *cap*. 33.

Secundum autem Aristotelem & Auicennam. Ceruus est

est animal non habens fel nisi in intestinis, & ideo habet intestina amara, & fœtida, & ideo non comedunt ea canes, nisi sint famelici supra modum. *Item dicit Aristoteles lib.2.* aliqui putant ceruos habere fel in auribus, *Vt dicit Aristot.* sed hoc est falsum, *Vt dicit Auicenna*, sed habent quandam humiditatem similem humiditati splenis. Item idem sanguis cerui sicut & leporis, nunquam coagulatur, sed semper manet liquidus contra naturam talium bestiarum & nullum animal mutat cornua, nisi ceruus, cuius cornua sunt solida, & ideo ponderosa, vnde ipsa abiicit propter pondus, & habet conos quatuor, magnos dentes in vna parte coni, & quatuor in alia, quibus molit cibos, & duos dentes alios quasi culmos, & mas habet maiores quam fœmina & declinat ad inferius, *Vt dicit Auicenna. Item Arist. lib.* 8. opinantur, inquit, de ceruo, quod inter omnia quadrupedia syluestria sit discretissimum, ex hoc parit iuxta viam vbi animalia propter homines quod non accedunt. Et fugit lumen Solis cum filiis, & quærit loca densa, sicut cauernas lapidum, quæ non habent nisi vnum introitum, quoniam ibi potest pugnare cum aliis animalibus. *Nam Vt dicitur ibidem.* Cerui pugnant etiam ad inuicem pugna forti & victus obedit obedientia forti, & timet maxime vocem vulpis & canis. Et ceruus quando impinguatur, latet, ne inueniatur à venatoribus, & propter pinguedinem interficiatur, *& subdit ibidem.* Venatio autem ceruorum sic fit, vnus venatorum sibilat & canit, & ceruus delectatur in cantu & sequitur ipsum cantum, & interim alius eum trahit cum venabulo & occidit, & quando agitatur ceruus fugit ad fluuium vel ad stagnū si potest transnatare aquam resumptis viribus, ex aquæ frigiditate euadit venatores, quando autem capitur, mugit & lacrymatur. Item quando canes ipsum insequuntur & inuenit biuium, non directis currit vestigiis, sed nunc istac nunc illac transuersaliter mutat saltus, & tunc conatur transilire per multos passus, vt sic per contrarios & ambiguos saltus eius vestigia à canibus odore ipsum insequentibus difficilius sentiatur. *Item Vt dicit idem*, ceruæ difficiliter pariunt fœtus suos. quod cognoscitur per incuruationem corporis & rugitum, & ideo comedit dracontium, vt facilius à partu liberetur, & cum pariunt, subito comedunt secundinam, ante

quam in terram cadat, & opinantur de ista secundina, fit venenum, *vt dicit idem. Alias cerui proprietates prosequitur Aristoteles libro 8. quas supra Plinius recitauit, dicit autem Plinius libro* 28. Ceruæ cum senserint grauitatem, lapidem deuorant cuius beneficio adiuuentur, & idem lapis in ipsa mortua, quandoque in eis excrementis reperitur, & hic lapis miro modo dicitur iuuare mulieres quando sunt prægnantes. Idem faciunt ossicula quæ in eius corde inueniuntur, *vt dicit idem*, & est illud os, quod inuenitur in corde ceruorum supra modum vtile, contra multas corporis passiones, & in omnibus nobilibus confectionibus admiscetur, *vt ait Dioscorides Plinius & etiam Constantinus.*

Cap. XXX.

De Ceraste.

Ceraſtes est serpens cornutus, *vt dicit Isid. libro* 12. habet enim quædam cornua ex vtraque parte capitis ad modum cornuum arietis circumflexa, totum autem corpus suum occultat sub arena, solis cornibus sine cooperculo derelictis, quæ videntes auiculæ credunt de cornibus quod sint vermes, & dum aues ea capere & inde refici nituntur, à doloso serpente ex improuiso subito rapiuntur, obsidet enim vias & semitas occultas, & tam homines quam equos quos incaute per semitas ambulare conspicit, occulto morsu interficit & occidit. *Glossa autem super penultimum caput Genes.* videtur dicere quod cerastes species est reguli, qui tantæ est perniciei, quod si eius venenum solummodo vngulam equi tetigerit, & equum & equitem subito perimeret & necaret, & ideo vbi nos habemus, fiat Dan sicut coluber in via, cerastes in semita, dicit alia litera, fiat sicut coluber in via, & sicut regulus in locato. Alii autem dicunt, quod genus est aspidum summæ virulentiæ & malignitatis. *Quære supra in litera A. de aspide quia ibi fit mentio de ceraste.*

Cap. XXXI.

De Cornu.

Cornu *vt dicit Aristot. lib.* 3. est de natura ossis osse mollius, cartilagine durius, sicut & vngulæ animalium, & omnia

omnia talia possunt mollificari ad ignem, *vt dicitur ibidem*, quod colores cornuum sicut & solearum erunt, secundum colorem pilorum corporis animalis, vnde si corium est nigrum, tunc pili & cornua erunt nigra & sic de aliis. Dantur autem animalibus cornua ad sui defensionem loco armorum, & ideo ponuntur in extremitate capitis, vt semper sint parata ad resistendum iniuriæ impugnantis, & omnia cornua sunt vacua, concaua & rotunda, præterquam cornua cerui, quæ dura sunt & solida, & sunt multæ ramificationis. Et nullius animalis cornua mutantur nisi solius cerui, qui omni anno semel proiicit sua & vnum abscondit, quod vix potest inueniri, *vnde dicitur in prouerbiis*, vade vbi ceruus proiicit cornu suum, *vt dicitur libro* 8. *Item dicitur libro* 4. fortior est continuatio cornuum cum cute quam cum osse, *& ideo dicit Aristoteles* quod quædam animalia mouent cornua sicut auriculas in regione, quæ dicitur austrage. *Et idem dicit Auicenna, quod hoc dicit Aristoteles de sua terra quæ dicebatur sic.* Eadem autem est materia cornuum & vnguium & solearum, quia fumus vaporosus à cordis calore resolutus, *vt dicit Constantinus*, & ideo animalia magni fumi à natura forti calore cordis resoluti vi caloris ad extrema corporis transfusi, magna habent cornua & fortia, & maxime si ista fumosa materia vel propter nimiam sui subtilitatem transeat in pilos, vel si nimis fuerit terrestris & grossa, in dentes transeat & in culmos, *& ideo optime dicit Aristo. libro 3. cap. de dentibus*, quod animalia habentia in vtraq; mandibula dentes & culmos, non habent cornua, vt patet in elephantibus & in apris. Omnia etiam quadrupedia dentes habentia in inferiori mandibula tantum, & vngulas scissas, habent cornua & ruminant, & habent duos ventres, imo plures, *vt supra dictum est*, vnde pluralitas cornuum se habet consequenter ad scissuram solearum, & ideo asinus Indicus habet cornu vnum tantum, & soleam integram sicut equus, sed non ruminat, *vt dicit Aristoteles & Auicenna*, tanta autem est affinitas inter vngulas & cornua, *quod iubet Arist.* vaccam patientem dolorem in vngulis pedum, vt cum oleo & aliis medicinis inter cornua inungatur. *De vtilitate autem cornuum & vnguium dictum est supra litera B. de boue.*

CAP. XXXII.

De Crocodilo.

CRocodilus à croceo colore est dictus, *vt dicit Isidorus*, animal quadrupes, *vt dicit Isidorus libro 12. in capite de piscibus*. In terra & in aquis valens, longitudine fere 20. cubitorum, dentium & vnguium immanitate armatum, tanta est ei duritia cutis, quamuis fortium lapidum ictus in tergo recipiat, nihil omnino curat, nocte in aquis, die in terra quiescit. Oua in terra fouet, quæ ouis anseris sunt maiora, masculus & fœmina vices seruant, hunc quidam pisces serratam cristam habentes, tenera ventris desecantes interimunt. Et dicitur quod solus inter animalia superiorem mandibulam mouet, *hac omnia dicit Isidor. Et dicit Plinius libro* 8. *capite 26.* Crocodilus est animal Nilum inhabitans, linguæ vsu inter animalia terrestria caret, sola superiori mandibula existenti mobili morsum imprimit venenosum. Dentes habet horribiles ad modum pectinis siue serræ, & culmos ad modum apri. Nullum autem animal ex tam parua origine crescit in tam magnum animal, sicut crocodilus. Animal est valde gulosum & multum comedit: vnde quando est satur, iacet iuxta littus ructans præ repletione, superuenit enim auis modica, quæ dicitur apud eos trochilos, apud Italos autem dicitur omnium auium rex, & volat ante os eius, quam aliquoties à se repellens, tandem fauces aperit aui, & eam intrare permittit, & hæc auicula primo eum leniter vnguibus scalpit, & ei facit quendam pruritum, in cuius dulcedine delectatus statim obdormit. Auicula autem cum sentit eum dormire, statim illabitur in eius ventrem, & quasi telum statim eum perforat & corrodit. In ventre enim est valde mollis & ideo à piscibus spinas & cristatas pinnulas in dorso habentibus de facili superatur. *Et subdit Plinius*. Hæc belua insequitur fugientes, & eis est terribilis, sed est fugax cōtra serpentes. Hebetes autem habet oculos quam diu est in aqua, sed extra aquam nimis acute videt. In hyeme per quatuor menses maxime se abscondit, sed in vere exit, & quamdiu viuit semper crescit, *vt dicitur. Hucusque Plinius libro* 8. *cap.* 15. *Dicit autem physiologus*. Crocodilus si quendam inuenit hominem iuxta littus, interficit eum

si potest, & primo plorat super eũ, & postea deuorat ipsum, *& dicit*, quod de eius fimo fit vnguentum, vnde facies mulierum sophisticantur, vt senes & rugosæ, iuuenculæ per tempus videantur. Herbas libenter comedit inter quas enhydris serpens paruulus, qui ei inimicatur, caute se inuoluit, & dum crocodilus herbas carpit, serpentem transglutit, qui intrans ventrem eius, omnia interiora carpit & sic interimit eum & occidit, & sic illæsus exit. *Item Isidorus libro 12. dicit* quod idẽ vermis insidiatur Crocodilo quando dormit, & tunc inuoluit se in luto, & intrat per dentes eius. *Dicit ad hoc Solinus*, quod insidiatur quibusdam paruis auibus, quæ generantur inter herbas Nili, quæ euolant propter calorem Solis, & intrant ventrem Crocodili & comedunt vermes ventris eius, & sic purificatur belua à vermibus. Habet autem corium ita durum, quod vix gladio perforatur. Habitat in aqua tam de die quam de nocte, quia aqua calidior est de nocte quam de die, retinet enim radios Solis & ibi agitantur, & sic fit calida ipsa aqua, & non habet linguam prominentem ad vociferandum, sed habet paruam linguam in parte inferiori, sicut habent pisces ad gustum, *vt dicit idem Solinus, Aristotel. & etiam Auicenna, &c.*

Cap. XXXIII.

De Colubro.

Coluber dicitur quasi colens vmbras, vel quia labitur in lubricos tractus flexibus sinuosis. Nam lubricum dicitur quicquid labitur dum tenetur, *vt dicit Papias*. Coluber ceruam fugit, leonem interficit, *vt dicit Isidor.* & rutam odit, pellem deponit, nemorum & arborum concauitates diligit, lac libentissime bibit, dentibus & cauda lædit & venena infundit, iuxta sepes Soli se exponit, canes fugit, muscas comedit, & puluerem lingit. *Quare de angue supra.* Dicit autem *Plinius libro 30. cap. 4.* Pinguedo colubri aquatici valet contra morsum crocodili, & si quis secum habuerit fel colubri, à crocodilo non lædetur contra ipsum belua nil audente.

Cap. XXXIV.

De Damula.

Damula siue dama, *sicut ait Papias*, caprea est agrestis, *vt dicit Isidorus libro* 12. damula est vocata eo, quod de manu effugiat, timidum enim est animal & imbelle ac imbecille: vnde nescit se defendere nisi fugiendo. Habent enim pro armis habilitatem membrorum, & ad fugam leuitatem *Vnde dicit Martialis.*

Dente timetur aper, defendunt cornua ceruum,
Imbelles damæ quid nisi præda sumus.

Montosa loca & nemorosa diligit, gramina medicinalia & aromatica comedit, ramusculorum thyrsos & extremitates carpit, quādo est vulnerata, dracontium comedit, & sic de corpore telum trahit, *Vt dicit Isidorus libro* 5. Sanguis eius est medicinalis *secundum Plinium libro* 28. neruos enim contractos remollit, & articulorum dolorem soluit, venenum excutit & expellit. Damulam odiunt serpentes & fugiunt, & eius anhelitum sustinere non possunt, *Vt dicit idem.* Acutissimi est visus & velocis cursus. *Quære supra de caprea agresti.*

Cap. XXXV.

De Dromedario.

Dromedarius est dromedorum vel dromedarum custos, dromedus autem est quoddam genus cameli, *Vt dicit Isidorus libro* 12. dromedus, inquit, est genus camelorum minoris staturæ quam camelus, sed longe velocioris cursus, vnde & nomen accepit, nam δρόμος græce cursus velox dicitur. Centum enim milliaria & amplius pergit vno die, & idem animal ruminat sicut bos & camelus, vnde dromedarii proprie sunt magistri dromedorum *Vt dicit Papias. Glossa tamen super Isa. 60. ait*, dromedarius vel dromas, vtrunque dicitur, est animal camelo minus sed velocius. Madian enim & Epha regiones sunt trans Arabiam, camelis & dromedariis abundantes, &c. Castrantur in iuuentute, vt sint ad cursum aptiores, *Vt dicit Auicenna*, & ne moti cupiditate fœminarum à suo cursu retardentur. Tantæ etiam sunt velocitatis propter passus amplitudinem,

nem, maximum enim & latissimum habet passum, *vt dicit Aristoteles & Auicenna & Plinius libro* 4. & etiam propter intensam caliditatem. Animal enim est calidissimum ex cõplexione naturali: vnde caloris fortitudo cõsumit in eis vnctuositatem omnẽ & pinguedinem, & non permittit eos mole carnea nimium onerari. Item veloces propter membrorum habilitates sunt. Nam gracilia & longa habent crura & multum neruosa, & ideo habiles sunt ad motum, & fortes ad continuandum cursum suum. Item leues sunt propter victus paucitatem, non enim animalia sunt magni cibi, immò paucissimis cibis sunt contenta. Fœnum enim & cortices comedunt, & dactylorum ossa valde diligunt, quibus etiam post longissimos terræ circuitus de vespere contenti sunt, *vt dicit Plinius*. Eorum enim sanguis valde est calidus, acutus & subtilis, & ideo eorum lac valde subtile & liquidum est plus quam aliorum animalium, *vt dicit Constant.* & minus nutritiuum & magis calefactiuum, & grossorum humorum incisiuum. *Quare suprà de camelo.* Eædem enim proprietates sunt istius & illius.

CAP. XXXVI.

De Dipsade.

DIpsas & dipsades fœminini est generis, & est idem serpens, qui latine dicitur situla, sic dicta, eo quod quẽ momorderit, siti pereat, *vt dicit Isidorus libr.* 12. Adeo autem sunt dipsades paruulæ vt cum calcantur, vix videantur, quarum venenum ante extinguit quam sentiatur, ita quod vix sentit tristitiam moriturus. Est autem species aspidis, *vt patet supra de aspide, quare ibi.*

CAP. XXXVII.

De Dracone.

DRaco maximus est cunctorum serpentum, *vt dicit Isidor. lib.* 12. Hunc Græci draconta vocant, vt qui sæpe à speluncis abstractus fertur in aerem, excitaturque propter eum aer, similiter & mare contra eius ventum intumescit. Est autem cristatus paruo ore, & arctis fistulis spiritum trahit, & linguam exerit vel erigit. Dentes habet acutos & serratos, vim autem habet non in dentibus sed in cauda, &

verbe-

verbere plus quam ictu nocet. Non habet autem tantum de veneno quantum & alii serpentes, quia ad mortem alicui inferendã non sunt illi necessaria venena, quia si quem ligauerit, occidit, à quo nec elephas tutus est corporis sui magnitudine. Nam circa semitas delitescens per quas elephantes gradiuntur, crura cauda sua alligat & innodat, & suffocatos perimit atque necat. Gignitur autem in India & in Æthiopia in ipso incendio iugis æstus, *vt dicit Isidor. lib.* 12. De draconibus autem dicit *Plin. lib.* 8. *cap.* 13. Draco, inquit, 20. cubitorum magnitudine nascitur apud Æthiopes. Solent autem quatuor vel quinque, 10. vel 15. mutuo se complecti, & erectis capitibus velificare per mare & flumina ad pabula meliora. *Item cap.* 13. Inter elephantes & dracones perpetua est dimicatio. Nam draco cauda constringit elephantem, & elephas pede & promuscide prosternit draconem. Draco autem nexu caudæ innodat pedes elephantis & cadere eum facit, sed non impune, quia dum interficit elephantem, interficitur casu eius. *Item c.* 13. Elephas vidẽs draconem super arborem, nititur eam frangere vt percutiat draconem, draco autem insilit in elephantem, & captat eum mordere inter nares, & impetit oculos elephantis, & quãdoq; excæcat eum, quandoq; insilit super eum à tergo & mordet eum & sugit sanguinem eius, tandem post longum conflictum elephas ex subtractione sanguinis debilitatur in tantum, quod cadit super draconem & moriens interficit suum occisorem. Causa quare ita appetit eius sanguinem, est frigiditas sanguinis elephantis, quo draco appetit infrigidari, *vt dicit Isid. Super illum autem locum Ierem.* 14. *cap. traxerunt ventum sicut dracones, dicit Hieron.* Draco est animal valde sitibundum intantum, quod vix potest aqua satiari, & ideo aperit os vento, vt sic extinguat ardorem sitis, vnde cum videt naues in mari, & maximus est ventus contra velum, volat ad velum, vt ibi hauriat ventum frigidum, & quandoque propter magnitudinem corporis & propter eius fortem impetum subuertit nauem, & nautæ quando vident appropinquare draconem, quod percipiunt ex tumore aquæ, contra ipsum statim deponunt velum & sic euadunt. *Idem dicit Solinus. Item dicit idem*, quod Æthiopes vtuntur sanguine draconis contra feruorem æstus, & vescuntur eius carni-

carnibus contra diuersos morbos, sciunt enim separare venenum ab eius carne, nam solum habet venenum in lingua & in felle, & ideo amputant eis linguas & fella, quæ receptiua sunt veneni, & sic abstracto veneno vtuntur corpore reliquo, tam in medicina quam in cibo, & hoc videtur tangere Dauid, *vbi dicit*, dedisti eum escam populis Æthiopum. *Dicit etiam Plin.* quod vi veneni semper erigitur eius lingua, & quandoq; ex calore veneni inflāmat aerem, ita quod videtur spirare ex se ignem, aliquando etiam emittit, dum sibilat flatum contagiosum, & inde corrumpitur aer & inficitur, & morbus pestilens inde sæpius generatur. In mari quandoque habitat, quandoque in fluminibus natat, in speluncis & antris latitat, raro dormit, imo vero semper vigilat, aues & bestias deuorat, acutissimum habet visum, vnde in altissimis montibus manens, à remotis videt prædam suam, morsu & ictu pugnat, de oculis & naribus animalis in pugna maxime captat, *vnde dicit Plin. Lib.* 8. quod ita lædit in oculis & ore elephātes, quod quandoque cœci inueniuntur, nec possunt comedere & ita moriuntur. *Item de dracone dicit Arist. lib.* 8. quod illorū draconum morsus est malus & periculosus, qui comedunt animalia venenosa sicut draco, qui comedit scorpiones, quia contra illorum morsum vix inuenitur medicina. *Item Plin lib.* 28. Draconum adipem omnia fugiunt venenosa; adeps etiam eius cum melle curat caliginem oculorum. *Item Aristot. libr.* 8. Pisces quando mordentur à dracone, moriuntur.

CAP. XXXVIII.

De Equo.

EQui sunt dicti, eo quod quando quadrigis iunguntur, pares æquantur, quia in forma & in cursu similes copulantur. Est autem dictus caballus à pede cauo, eo quod gradiens impressa vngula terram cauet, quod reliqua animalia non habent, *vt dicit Isidor. lib* 12. A multis etiam sonipes nominatur, eo quod pedibus sonet. Viuacitas equorum multa est, *vt dicit idem.* Exultant enim in campis cum odorant bellum, sono tubæ excitantur ad prælium voce accensi prouocantur ad cursum, dolent cum victi fuerint, gaudent cum vicerint. Quidam in bello hostes suos sentiunt

tiunt & cognoscunt adeo, vt aduersarios suos morsu petant, aliqui etiam proprium dominum cognoscunt, obliti mansuetudinis si mutentur, aliquando etiam præter proprium dominum in dorso aliquem non permittunt, multi etiam morientib. dominis suis lacrymas fundunt. Equum enim sicut & hominem lacrymari & affectum doloris sentire dicunt, vnde & natura in centauris equorum & hominum est permixta. Solent etiam ex equorum mœstitia vel alacritate euentum futurum dimicaturi colligere. Ætas longæua inest equis Persicis & Siculis, in annis vltra quinquaginta, breuior autem inest equis Gallicis, Numidis & Hispanis. *Subdit autem Isidor.* adhuc in generosis, inquit, equis, vt aiunt veteres, quatuor spectantur, scilic. forma, pulcritudo, meritum atque color. Forma, vt sit validum corpus atque solidum, & robori conueniens altitudo, latus longum & substrictum, maximi & rotundi clunes, pectus late patens, & totum corpus musculorum densitate nodosum, pes siccus & vngula concaua solidatus. Pulcritudo attenditur, vt sit exiguum caput & siccum, pelle prope ossibus adhærente, aures breues & acutæ, oculi magni, nares patulæ, erecta ceruix, coma densa, & cauda vngularum soliditate fixa rotunditas attenditur. Meritum vt sit animo audax, pedibus alacer, trementibus membris quod fortitudinis est indicium, qui ex summa quiete facile concitetur, vel excitata festinatione non difficile teneatur. Color etiam spectatur, quia color in pilis nunc est roseus, nunc niger, nunc albus, nunc canus, nunc varius, nunc guttatus, hic varius color equos multum decorat vel deformat. Vires etiam equorum & animos manifestat, sed de singulis prosequi nimis foret longum. *Hucusque Isid. lib. 12. De equis autem dicit Plin. lib. 7. cap.* 43. Equi, inquit, Scythici pro dominis suis pugnant, coitum maternum refugiunt, nam in eius quædam cognationis agnitio est, vnde *narrat Arist. lib.* 8. Rex, inquit, septentrionis habuit equam pulcram, & peperit equum pulcrum, & voluit ex illo equo & matre extrahere pullum aliquem, & ingeniabantur, vt equus saltaret supra matrem cooperiendo vultum eius, & cum discooperiebatur facies matris, & nouit ipsam equus, fugit & eiecit se ab alto præ dolore, & est mortuus. Atque in grege equus cum sorore libentius graditur, quam cum

matre,

matre, ad vocem symphoniæ & tubæ clangorem delectatur, saltat in hostem, præsagiunt pugnam, & amissos deflent dominos suos, & lacrymas interdum fundunt. Dicunt autem illos equos ad bella vtiliores, qui in bibendo profundius infigunt nares suas, quia tales equi, *vt dicunt*, in cursu vrinæ grauatione non impediuntur. *Item dicit Plinius libro 8. capite 9.* fel, inquit, equi computatur inter venena, & ideo sacrato flamini equum tangere non licebat, eius sanguis recens & crudus malus & perniciosus est, vt taurinus, spuma equi data cum lacte asinino, vermes interficit in ventre venenosos. *Item de equis dicit Aristoteles & Auicenna.* Equus pro iicit dentes suos, & quanto est senior, tanto habet dentes albiores. *Item Aristoteles libro 5.* equus masculus viuit 25. annis, & generat à tertio anno vsq; ad 30. annos. Fœmina autem diutius viuit & generat vsque ad 40. annos, & quando incipiunt equi generare, erit vox eorum maior, & fœminæ similiter & multum diligunt coitum plus quam alia animalia, *vt dicit libro 5. Item libro septimo dicit idem*: Equis etiam pascentibus accidit aliquando podagra, & eiiciunt sotulares & generantur eis noui. Et signum huius est tremor oui testicularis dextri, & equis, qui pascuntur in domibus, accidit dolor iliorum, & signum huius est quod membra posteriora adunantur per constrictionem. Et equus abscindatur à comestione, & si ei minuatur iuuabitur. Et equis accidit contractio neruorum, & signum huius est, quod omnes venæ extenduntur & similiter caput & collum & grauat eos ambulare. Accidit etiam equis aggregatio veneni, & accidit etiam eis alia infirmitas in ore, quæ dicitur foren, & signum huius infirmitatis est, quod cadit ei palatum & fit eius anhelitus calidus, & hæc infirmitas caret remedio nisi curetur per se. Et accidit equis rabies cuius signum est quod declinant aures eius ad partes colli, & hæc infirmitas non habet medicinam. Et accidit ei infirmitas vesicæ, & huius signum est quia non potest mingere equus, & trahit suas coxas & etiam sotulares, & morsus animalis quod dicitur mugelis, valde nocet equis & mulis, quoniam facit in eis ampullas siue pustulas, & multotiens moriuntur ex veneno, & equus cognoscit hinnitum illius, qui contra ipsum vult præliari, delectantur stare in pratis, & natare in

equa, & potant aquam turbidam, & si fuerit aqua clara, turbant eam pede. *Hucusque Arist. lib.* 6.

Cap. XXXIX.

De Equa.

EQua per deriuationem ab equo est dicta, nam equorum fœmina equa est vocata, *de qua Arist. lib.* 7. Equa imprægnata si olfecerit candelā extinctam abortiet. *Item idem:* Equæ pascuntur simul, & si moritur aliqua & dimisit pullum, nutriet eum alia, quoniam genus equarum diligit speciem suam. *Item dicit Plinius lib.* 8. *cap.* 43. Equa stans parit, & suam prolem præ cæteris animalibus diligit, & amissa parente, alienum pullum nutrit & diligit tanquam suum. *Item dicit idem*, quod in fronte pulli equi nascitur quidam folliculus niger ad quantitatem caricæ, quod mater lambit lingua, & abscindit, & nunquā pullum admitteret ad vbera, nisi illud primo abscindatur, & vocat illud Plinius veneficium amoris, quia mulieres incantatrices vtuntur illo in præstigiis suis, quando volunt aliquem stimulare ad amorem. *Idem dicit Aristoteles lib.* 7. Item equa, *Vt dicit idem*, gloriatur in iubis suis, & dolet quando ei præscinduntur, & retonsa iuba extinguitur libido earum, ac si in eis esset vis amoris. *Item dicit Aristot. lib.* 8. quod ibis pugnat cum equis, quoniam equi eiiciunt eum à pascuis, quia comedit herbas, & est ibis debilis visus, & imitatur vocem equi, & quando volat super ipsum, stupefacit ipsum, & cogit ipsum fugere, & quandoque interficit ipsum, &c.

Cap. XL.

De Poledro.

POledrus dicitur equę filius, siue pullus equinus, quamdiu matris vberibus est subiectus. In cuius fronte, *Vt dicit Arist. lib.* 7. inuenitur iconemor, id est, amoris veneficium, quando nascitur, & lambunt matres eorum lingua & comedunt illud, & mulieres incantatrices prouerbiant ex hoc, *Vt dicit idem.* *Item lib.* 14. Posterior pars pulli equini est maior parte anteriori, & cum iuuenescit, crescit pars superior, & propter hoc erit eleuatio anterioris par-

ris partis corporis multorum equorum maior quam posterioris, & ideo quando est pullus, potest pede posteriori tangere caput suum, quod facere non potest quando peruenit ad ætatem, quamdiu autem pullus est, matrem miro affectu diligit, & sequitur eam quocunque vadit, & si matrem casu aliquo perdiderit, hinnitu eam quærit. Pullus equinus stramentis non sternitur, strigile non tergitur, phaleris non ornatur, calcaribus non percutitur, sellę non subiicitur, freno non domatur, matrem libere sequitur, gramine depascitur, clauiculis in pedibus non clauatur, libere discurrere permittitur. Sed in fine labori exponitur & loris, & capistris coarctatur, à matre subtrahitur, vbera sugere non permittitur, suaues cursus facere multipliciter informatur, & *vt dicit Isido. lib.* 14. aurigis exponitur, quadrigis & curribus subiicitur, equestri militiæ deputatur, variis fortunæ sortibus pauper equi filius propagatur. *Et ideo dicit Isido. in eodem lib.* quod equi fuerunt quondam diuersis ritibus deorum consecrati, nam equos quadrigales Soli deputabant, propter quatuor Solis in anno mutationes, scilic. Veris, Æstatis, Autumni & Hyemis, virtute Solis alterantis omnia. Equos autem bigales dedicabant Lunæ, quia bino tempore, scil. nocte & die videtur, & ideo cultores Lunæ duos equos semper iungunt, scilic. album & nigrum. Equos vero trigales inferis diis ascribebant, quia dęmones per tres ætates homines ad se trahunt, scil. per infantiam, & adolescentiam, & senectam, hi diuersorum colorum equos pariter coniungebant. Vltra autem septem equos simul copulare de facili non audebant, referentes hoc ad cursum septem siderũ, quorum motu mundum regi generaliter supponebant, vel ad numerum septẽ dierum, quorum circulo vitæ præsentis terminum peragi concernebant. Ideo etiam colores equorum mirabiliter discernebant, *vt dicit Isid. ibid.* Nam equos rosei coloris dedicabant igni siue Soli, albos aeri, prasinos & fuscos terræ, venetos aquæ siue mari. Item equitabant equos roseos in æstate, quia tunc omnia calescunt, albos autem in hyeme, quia tunc glacie & frigore omnia canescunt, prasinos in vere, quia tunc omnia virescunt, fuscos vel nigros in autumno, quia tunc omnia desiccãtur, & quasi à prima pulcritudine deficiunt, *Item dicit idem ibidem*, equos roseos

Marti Deo belli consecrauerunt, vel quia Romanorum vexilla decorabantur cocco, vel quia Mars gaudet sanguine. Albos autem equos consecrauerunt Zephyris, partib. & serenis, prasinos flori & terræ; venetos aeri atq; aquæ, quia cœrulei sunt coloris. Glaucos autem & varios & purpureos deputauerunt Iridi, quem arcum dicunt, quia Iris habet colores plures. Hæc omnia superstitio hominum procuratione dęmonum circa elementa mundi aliqui antiquitus obseruabant, *Vt dicit idem Isidor.* & ideo mundus iste contemnendus est, quia plurimi ipsum specie Sathanæ repleuerant. *Hucusq; Isid.lib.* 8. Circa autem pullum equinum hoc vltimo animaduertes, quia passum suaue vel durum, quem assuescit in iuuentute, vix potest dimittere etiam in senectute.

Cap. XLI.

De Elephante.

Elephas, ntis, & elephantus dicitur, pro eodem animali. Dicitur autem sic ab ἔλφιον Græce, quod mons dicitur Latine, & hoc est vtique propter corporis maximam quantitatem, sed apud Indos barro vocatur, vnde & vox eius barritus vocatur. Cuius dentes dicuntur ebur, & rostrum promuscis nuncupatur, nam illo ori cibum admouet, *Vt dicit Isido.lib.*12. *& subdit:* hoc genus animantis in rebus bellicis aptum est. In his enim animalibus Medi & Persæ ligneis turribus collocatis tanquam de muro iaculis, dimicant, in intellectu & memoria præ cæteris animalibus vigent, gregatim incedunt, nutu quo valent, salutant homines, murem fugiunt, auersi coeunt, in aquis pariunt vel in syluis, & vbi fœtus pariunt, ibi fœtus dimittunt propter dracones, quia eis inimicantur, & ab ipsis implicatu necantur, biennio fœtus portant, nec amplius quam semel gignunt, nec plures quam tantum vnum gignunt, viuunt autem trecentis annis, *Vt dicit Isido lib.* 12. *Sed Plinius lib.* 8 *cap.* 1. Elephas, inquit, inter omnia animalia maximæ est virtutis, ita quod vix in hominibus tanta probitas inuenitur. Nam, *Vt dicunt*, in noua Luna conueniunt congregatim, & in flumine se abluunt & balneant, & nouo sideri communiter post inclinant, & sic redeunt

redeunt ad locum suum. Iuuenes suos eundo & reuertendo ante se ire faciunt, quos diligenti cura custodiunt & instruunt ad simile faciendum. Item quando ægrotant, quasdam herbas salubres eis congregant, & antequam eis vtantur, supino capite eas ad cœlum leuant, & quadam religione à numinibus sibi adiutorium postulant. Item boni intellectus & animalia ita docilia, quod regem cognoscere & quasi odorare instruuntur & nituntur, quia reuerentiæ gratia sua genua incuruant. *Item dicitur lib.* 5. si elephantes hominem errantem sibi obuium viderint in solitudine, primo ne ipsum terreant, aliquantulum de via se subtrahunt, & tunc gradum figunt, & paulatim ipsum præcedentes, viam ei ostendunt, & si draco eis occurrerit, pro homine defendendo cum eo pugnant, & viriliter se opponunt, & hoc potissime dicuntur facere quando habent iuuenes, timent enim quod homo quærat fœtus suos, & ideo se expedire de homine primo desiderant, vt sic securius possint nutrire filios, & eos cautius custodire. *Item lib* 8.*cap*.6. semper gregatim incedunt, ducit agmen maximus natu, cogit & cooperatur ætate proximus. Aquã vel amnem transituri iuuenes præmittunt, ne magorum ingressu impediatur alueus, & sic non possent conuenienter pertransire, *vt dicit ibidem.* Item mirandus est in eis pudor, nam quando vnus ab alio vincitur, victus vocem fugit victoris. In abdito coeunt masculus quando est quinquennis, & fœmina quando est decennis, & hoc nisi duobus annis, *vt dicunt*, & in istis duobus annis non nisi quinque diebus tantum, sexto die raro superaddito, *vt dicit idem.* Tempore coitus sunt periculosi valde & maxime agrestes, nam tunc domos Indorum & stabula prosternũt, & ideo domitas fœminas tunc abscondunt, & quando domiti sunt, optimi sunt in militia, nam ferũt turres ligneas, acies prosternunt conuertuntque armatos. Sed quod mirum est, qui armatas acies non timent, vocem minime suis fugiunt & formidant. *Item cap.* 40. fronte & rostro altas prosternunt palmas, & sic comedunt fructus earum. Item inter elephantes & dracones est perpetua dimicatio, vnde vnus inuidet alteri propter magnitudinem virium, & corporis quantitatem, draco enim sitit sanguinem elephantis, quia frigidissimus est, vt suam refrigeret æstuantem

caliditatem, vt patet supra eodem, vbi agitur de dracone, *Vide ibi.*

CAP. XLII.

De Naso Elephantis.

SEcundum *Aristot. lib.*1. *& Auicen.* Nasus elephantis est longus & fortis & bolisatus, quasi calceus, & vtitur illo loco manus, & per ipsum accipit cibum & potum, & reddit ori suo quod nullum facit aliud animal. Habet autem elephas mamillas in pectore, & habet in ore culmos fortes, & eius lingua est valde modica, respectu sui corporis, & apparet intus, & raro videtur extra, nisi quando lãbit labia post cibum & potum suum, & non inuenitur in eo nisi vnũ intestinum inuolutum multipliciter, & coniunctum est sibi pro stomacho, vnde post id non est aliud nisi vnum, per quod eiicit superfluitatem, & habet epar magnum quadruplum ad epar bouis. Sed splenem habet paruulum respectu sui corporis, & hoc est, *Vt dicit Auicen.* quia melancholia transit ei in nutrimentum. *Item Aristot. lib.* 2. quando generatur, apparent dentes generati in eo, cum rostro suo eradicant arbores, & cum natat, spirat cum eo & eiicit aquam, & ille calceus creatur cum cartilagine. Elephas autem quando sedet, flectit pedes suos, sed non potest flectere pedes quatuor propter pondus corporis, sed fulcitur super latus dextrum vel sinistrum, & dormit stante corpore, & pedes posteriores flectit sicut homo. *Item lib* 5. masculus coit post quinquennium, sed fœmina post decennium vsque ad 40. & postquam parit fœmina, quiescit post triennium, & postquam fuerit imprægnata, omnino à masculo non tangitur, & trahit in vtero per biennium, & quando parit, parit simile vitulæ duorum aut triũ mensium. *Item lib.*7. elephanti accidit infirmitas ex ventositate, & propter hoc non potest eiicere vrinam aut stercus, & si non comederit terram, morietur, nisi ad hoc fuerit assuetus, quandoque tamen deglutit lapides. Accidit etiam eis dolor iuncturarum, & iuuat contra hoc potus aquæ calidæ & herbæ submersæ in melle, quoniam istæ duæ res prohibent fluxum ventris, & quando vexatur dolore, quod non potest dormire, inunguntur spatulæ cum oleo & aqua calida, & sic curatur, idem facit caro porcina assata super

ta super dolentes spatulas colligata. Et si habuerit ferrum in corpore, datur ei bibere oleum, & extrahitur ferrum cum potu olei, & si non potest bibere oleum, ponuntur medicinæ in oleo & decoquuntur, & datur eis ad comedendum. *Item ibidem lib.* 8 Masculus est maioris corporis & animositatis quam sit fœmina, tamen domatur masculus per verbera quando percutitur, obedit quamdiu sedet super eum venator, & cum descenderit, ligantur pedes anteriores eius donec domesticetur. Et sequitur *in eod. lib.* domesticabilior est & obedientior omnib. animalib. agrestibus, habens sensum meliorē, & sentit frigus in hyeme & frigidū ventū, & est animal valde fluminale, & manet circa fluuios, & mergit se in aqua vsque ad mentum & natat, sed non potest diu durare in natando, propter corporis ponderositatem. Sunt autem elephantes naturaliter benigni, quia carent felle, *Vt dicit Aristot. lib.* 14. accidentaliter tamen efficiuntur sæui, quando nimis prouocantur, vel quando inebriati vino ad præliandum acuuntur. *Item dicit Aristotel. lib.* 8. nullum animal viuit ita diu sicut elephas, & hoc propter suam complexionem, quæ assimilatur aeri continenti, & ita oportet quod imprægnetur per biennium, propter magnitudinem conceptus fœtus, qui citius non potest perfici nec compleri.

Cap. XLIII.

De Elephantibus.

DE elephantibus autem *dicit Solinus.* Siderum, inquit, seruant disciplinam elephantes, & Luna crescente petunt amnes, & sparsi liquore Solis exortum salutant motibus quibus possunt, deinde in saltus reuertuntur. Candore dentium intelligitur iuuentus, quorum alter semper in ministerio est & alteri parcitur, ne assiduo repercussu hebetetur. Sed quando à venatoribus premuntur, simul percutiunt ambos & eos confringunt, vt damnato ebore & deturpato vlterius non persequantur. Hanc enim periculi sibi sentiunt esse causam. Raro coeunt, & tunc in aquis viuis se abluunt, nec ante ablutionem ad gregem reuertuntur, pro fœminis nunquam pugnāt. Nulla enim nouerunt adulteria, & quando casu aliquo dimicant, non me-

diocrem habent curam sauciorum, nam fessos & vulneratos in medio sui recipiunt, & ipsos plus quam se protegunt & defendunt. Quando capiuntur pastu hordei mansuescunt, fit enim fouea subterranea in via elephantis, in quam incidit ignoranter, ad quam veniens vnus venatorum percutit & pungit ipsum, alter autem venatorum superueniens primum percutit venatorem, & amouet eum ne percutiat elephantem, & dat ei comedere hordeum, quod cum ter vel quater fecerit diligit se liberantem, & ei deinceps obediens mansuescit. Si casu aliquo vorauerit vermem, qui chameleon dicitur, sumpto oleastro medetur pesti. Ventrem habet mollem & dorsum durum, & ideo pugnans cum vnicorne, opponit ei dorsum, cauens prout potest, ne per mollem ventris partem fodiatur. Pilos habet paucos & setas nullas. Aures habet amplas, tenues & longas, inferius dependentes, quas erigit & extendit, & inde grauissime percutit quando irascitur contra draconem quem odit, nec mirum, sitit enim sanguinem eius, & eum bibit quando potest. Quamobrem ipsum nunquam inuadit draco, nisi quando potu elephas est repletus, vt propensius irrigatus maiorem sumat de oppressi sanguine sacietatem. *Hucusq; Solinus qui multa alia ponit quæ supra dicit Plinius. In libro autem physiologi de elephante memini me sic legisse.* Elephas, inquit, est animal quod magnitudine inter omnia animalia quadrupedia præexcellit, intellectu & memoria multum vigens, nam elephantes inter alia eorum facta, nunquam dormiendo totaliter se inclinant, quando fessi sunt arbori & maxime palmæ quietis gratia accubant, & sic qualitercunque se sustentant, quorum quieti homines insidiantes occulte arborem concauant, cui se appodians elephas, & nesciens fraudem, pondere corporis arborem frangit, & frangendo cadit subito & succumbit, qui casum suum videns irreparabilem, miro modo barrit, id est, clamat & rugit, ad cuius barritum multitudo iuuenum subito accedit, elephantum qui paulatim seniorem pro viribus eleuant, & vt eum releuent, miro affectu se totis viribus inclinant. Coitum abhorrent nisi pro sola prole, *Vnde dicitur ibidem*, quod quando elephantes Indicos luxuria stimulat, vi amoris fœmina præcedit versus orientem, quam sequitur masculus

lus quosque in abscondito deueniant, qualitercunque poterit mandragoram quærit, cuius fructum primo fœmina gustat, deinde masculus eundem fructum comedens eam imprægnat & fœcundat, *Vt dicitur*, sed diu propter magnitudinem fœtus fœmina in vtero fœtum gerit, sed tempore partus in aquis & in insulis fœtum procreat, propter draconis metum, ne ipsum tenellum fœtum sorbeat aut deducat, & dum mater filium parturiendo laborat, masculus pro viribus ipsam protegit & defendit. *Item dicitur ibidem*, quod ossa elephantis combusta fugant serpentes & omnia venenosa. Item aliud dicitur ibidem valde admirandum. Dicit enim quod apud Æthiopes in aliquibus regionibus sic venantur, accedunt ad deserta, vbi duæ virgines omnino nudæ habitant & crinibus resolutæ, quarum vna fert alueolum, alia gladium, incipiunt autem alte cantare, quarum cantum audiens bestia venit ad eas & lingit earum mãmas, de dulcedine autem cantus mox obdormit elephas, & tunc vna perforat gladio guttur vel latus, altera vero colligit sanguinem eius, quo tingitur pannus, qui purpura appellatur.

Cap. XLIV.

De Hædo.

HÆdus ab edendo est dictus, paruus enim est & pinguis & iucundi saporis, *Vt dicit Isidorus libro* 12. eius naturalis siccitas ex humiditate ætatis temperatur, *Vt dicit Isaac in diætis*, vnde melior & digestioni est compotentior, maxime si est masculus, vnde eius caro bene nutrit, & sanguinem bonum gignit. Calorem habet vehementiorem propter ætatis beneficium, & ideo carnes hædulinæ exeunti ægritudinem propter suam temperiem sunt commodæ, & ideo conueniunt maxime humanæ naturæ, maxime his qui deliciose viuunt & quiete. Pilum habet longiorem & hispidiorem, quam habeat agnus, sed habet carnem meliorem, & digestioni obedientiorem, propter eius temperiem in humiditate & calore, *Vt dicit Constantinus.* Habet autem hædus visum valde acutum, & simplicem aspectum & obliquum, & balatu cognoscit & quærit parentem, *Vt dicit Plinius libro* 8. *capite* 1. Eius iecur si come-

datur, dicitur ſanare veſpertinam aciem oculorum his, quos nyctalopam vocant. *Item idem libro 28. capite* 10. dicit, pelles hædorum ſanant morſus venenoſos, ſi calidę deſuper alligentur, pili hędorum exuſti, ſuo odore fugant ſerpentes, vtuntur pelle eius recente ad plagas, ſanguis eius valet contra venenoſa, eius etiam coagulum valet contra virus bibitum & contra ſanguinem tauri bibitum ſiue ſumptum. *Hucuſque Plinius.* Eſt autem animal imbelle & innocuum, ruminans & mundum ſacrificiis antiquitus deputatum, petulans, ſaltans & laſciuum, intrinſecus pingue & carnoſum, extrinſecus hiſpidum & macilentum, thyrſos carpens & corrodens ramuſculorum, & diligit præcipue folia hederæ & conſimilium virgultorum.

Cap. XLV.

De Eruca.

ERuca eſt vermis multipes, creſcens in foliis olerum & pampinorum, frondes, fructus & flores corrodens & depaſcens. Et eſt eruca ab erodendo dicta, quia rodit folia arborum & herbarum, *Vt dicit Iſidorus libro* 12. *de qua meminit Plautus*, imitatur, inquit, nequam beſtiam & maleficam inuolutam in pampino, cui ſe implicat, nec aduolat vt locuſta, huc illucque diſcurrens, ſemipaſta dimittit, & remanet ſuper frondes, & tardo lapſu pigriſque morſibus vniuerſa conſumit. *Hucuſque Iſidorus libro* 12. *ſecundum Plinium libro* 8. Eruca eſt animal villoſum, & quaſi lanuginoſum, nam in arborum extremitatibus corroſis frondibus, viroreque conſumpto, texit de ſuis viſceribus quaſdam telas more aranearum, ex quibus ſe inuoluit & per totam hyemem cuſtodit peſtiferum ſemen ſuum. Eiicit enim quædam oua, ex quibus in vere erumpentibus gemmis naſcitur multa proles, ex cuius ingluuie læduntur & pereunt à ſuis fructibus arbores atque herbæ. Eſt autem eruca vermis mollis & ſanioſus, diuerſis coloribus diſtinctus, de nocte vt ſtella lucens, de die deformis & multicolor apparens, non caret peſte aliqua virulenta. Nam quando per membrum hominis calefactum ſerpit, cutem exurit & poſt ſe puſtulas derelinquit, ad modum autem bombycis ſericum facientis formam ſuam mutat, & ſe in formam

formam volatilis de reptili transfigurat, nam alas tenues & latas suscipit, quibus hincinde volitando libere per aera se extollit. Quot autem colores prius in corpore habuerat totidē in occulatis alis colorū differentias repræsentant, & tale volatile papilio nuncupatur, *Vt dicit Isidor. libro* 12. Papiliones dicuntur auiculæ, quæ maxime abundant in floribus maluæ, quæ ex suo fœtore faciunt vermes nasci, *Vt dicit idem*, nam ex erucis papiliones efficiuntur, ex papilionum stercoribus super folia derelictis erucæ iterum generantur, minus autem lædunt corrodendo, quando volant quam quando repunt. *Et dicit Papi.* Papiliones sunt minuta volatilia, quæ de nocte conueniunt accenso igne in candelis, quarum lumen cum extinguere nituntur igne exuruntur, & sic cum alienum lumen volunt interimere, ipsi in proprio corpore puniuntur.

CAP. XLVI.

De Faunis & Satyris.

FAuni quidem & Satyri dicuntur quædam bestiæ monstrosæ, effigiem quidem hominis habentes, sed ad plenum non sunt humanæ participes rationis: vnde nec arte nec natura sunt dociles ad loquendum. Ferum & beluinum habent animum & bestialem appetitum; vnde huiusmodi animalia sunt in Venerem valde prona, in tantum vt mulieres coitu interficiant, si quas errantes in nemoribus comprehendant. Ideo dicuntur Satyri, quia non possunt libidine satiari, *Vt dicit Isidorus*. Quamuis autem talia ratione humana non vtantur, in multis tamen actibus & etiam in voce homines imitantur, *Vt dicit isidor. libr.* 11. *capite de portentis*. Satyri, inquit, parui sunt homunciones, aduncas habet nares & cornua in frontibus, & in pedibus sunt similes capris. Talem vidit Sanctus Antonius in solitudine, & interrogatus quis esset, fertur Antonio respondisse: Mortalis ego sum, vnus ex accolis eremi: quos vario delusa errore gentilitas Faunos & Satyros ac Incubos colit. Satyri autem & q Fauni, fatui dicti sunt, à quibusdam creduntur esse homines syluestres, *Vt in eodem capite dicit Isidorus*. Et hi monstrose variantur Nam quidam sunt Cynocephali ex eo, quod canina capita habeant, quos ipse

latra-

latratus magis bestias quam homines confitetur. Alii dicuntur cyclopes, sic dicti quoniam vnum oculum habere dicuntur, & hunc in media fronte habere perhibentur. Alii omnino capite carent & ceruice, quorum oculi sunt in humeris. Alii habent faciem planam sine naribus, labium inferius ita prominens habentes, vt in solis ardoribus totam ex eo contegant faciem dormientes. Alii ita constricta habent ora quod super pectus vno tantum foramine, auenarum calamis potum haurientes, & hi sine linguis dicuntur esse, loco sermonis vtuntur nutu. Item sunt etiam alii in Scythia ita magnas habentes aures, vt ex diffusa earum magnitudine ipsis contegāt totum corpus, & hi Panthios dicuntur, πᾶν enim græce omne, ὦτα auris nominatur. Sunt & alii in Æthiopia proni ambulantes vt pecora, nequaquam sursum erigere se valentes, & hi Artabatici nominantur. Sunt & alii in Æthiopia habentes tantum vnum pedem ita magnum, quod resupini in terra iacentes adumbrentur pedis magnitudine contra æstum, & sunt tantæ celeritatis, quod canibus in cursu comparentur, & ideo à Græcis cynodopes appellantur. Item sunt alii, qui habent plantas versas post crura, & senos digitos in plantis, & tales in desertis Libyæ euagantur. Item in Scythia sunt animalia formam humanam habentia, & pedes equinos, & huiusmodi monstra à multis Lamiæ nuncupantur, *Vt dicit Pascasi super threnos.* Multa alia ponit *Isid.* monstra talia *libro* 11. & omnia accepit à Plinio *libro* 6. *&* 7. *& etiam à Solino.*

Cap. XLVII.

De Fœminis.

Foeminæ à partibus femorum vel feminum sunt dictæ, vbi species sexus distinguuntur ab ipso viro, vnde dicitur à φῶς quod est ignis, quia vim habet fœmina igneam qua vehementer concupiscit. In omni enim genere animalium plus concupiscit fœmina quam masculus, & ardentius mouetur ad amorem, *Vt dicit Isidorus libr.* 11. Fœminæ autem proprietates generales ponit *Aristoteles lib.* 8. *dicens.* Fœminæ maribus sunt debiliores præter vrsum & leopardum, nam horum fœminæ sunt audaciores & fortiores.

tiores. Et sunt fœminæ leuiores ad instruendum, & sunt magis solicitæ circa fœtum, sunt etiã maioris pietatis, &c. *Quare supra residuum lib. 6. cap. 1. de puella, ibi multa enim inuenies de hac materia.* Est enim fœmina naturaliter maioris iræ quam masculus: vnde de facili pugnat contra masculum, & ponit *Aristotel libro* 8. exemplum de phoca, nam phoca semper manet in eodem loco, & pugnat masculus cum fœmina quousque vnus interficit alium. Et est fœmina minoris cõstantię & fidelitatis eius masculo quam è conuerso. Et ponit Aristoteles exemplum de sepia, nam quando fœmina percutitur, iuuat eam masculus, sed fœmina fugit marem, quando percutitur & persequitur illum. *Item dicit Aristoteles libro* 15. Fœmina in generatione fœtus est sicut materia, sed masculus sicut forma, exit enim semen ab ambobus, ex quorum commixtione creatura fit, & propter hoc dico quod masculus & fœmina sunt principia generationis, & masculus vt forma, fœmina vt materia, & ideo datum est masculo, vt generet in altero, fœmina generat ex alio in se ipsa. Item fœmina generaliter est naturæ infirmioris & fluxibilioris quam mas, & hoc accidit propter remissionem caloris, & intensionem frigidi humoris, qui plus abundat in fœmina quam in mare, & ideo accidit mulieribus & etiam quibusdam quadrupedibus superfluitas menstrualis, *vt dicit idem*, sed nullius animalis fœmina in tantum subiacet illi morbo sicut mulier. *De his autem & aliis conditionibus fœminarum bonis & malis quare supra libro 6.*

Cap. XLVIII.

De Fœtante.

FOetans est pariens vel generans in quolibet genere animalium, vnde idem est fœtans fœtantis, & pecus pecudis. Vnde illud, *de post fœtantes accepit eum.* Habet autem omnis fœtans membrum proprium in quo concipit, & nutrit fœtum suum, & ad fœtandum, id est, ad generandum & parturiendum, disponit & cooperatur reuolutio orbium & influentia siderum seu stellarum, *vt dicit Aristoteles libro 18. in fine.* Naturaliter, inquit, erit terminus & numerus generationis & complementi secundum

reuo-

reuolutiones stellarum. *De hoc quære supra libro 6. capit. 5. de muliere pariente.*

Cap. XLIX.

De Fœtu.

FOetus fœtus fœtui, dicitur partus fructus, scilicet vteri hominis vel cuiuslibet animalis, sed proprie est in vtero adhuc subsistens, in quo fouetur. *Vnde dicit Isidor. lib.* 11. Fœtus vocatur, quia adhuc in vtero fouetur, cuius secundinæ dicuntur folliculi, qui simul cum infante nascuntur, continentque ipsum fœtum, & sunt sic dicti, eo quod fœtum sequuntur, moritur enim mater quando casu aliquo cum fœtu de eius vtero non eduntur. A fœtu autem dicuntur fœminæ fœtosæ, quo ad concipiendum & pariendum fœtum suum suetæ & fœcundæ, & quæ fœtu solent esse plenæ, *vt dicit Isidorus.* Distinguitur autem fœtus eiusdem vteri à fœtu potissime per sexus diuersitatem, quia vel est masculus vel fœmina, nisi in his in quibus vterque sexus inuenitur, vt in hermaphroditis, sed semper imperfectus, *vt dicit Isidorus lib.* 11. *De fœtu autem quære supra lib. 6. vbi agitur de hominis generatione.*

Cap. L.

De Ficario.

FIcarius in vna significatione dicitur ille, qui colligit vel vendit ficus, alio nomine dicuntur ficarii homines syluani, de ficubus viuentes, & sic sumitur ficarius in Ieremia, c. 50. *vbi dicitur: Habitabunt dracones cum fatuis ficariis, ibi Glo. id est, cum hominibus syluanis.* Alio modo dicuntur fatui ficarii Fauni & Satyri, qui inter agrestes ficus & alias arbores morantur, quales sunt pilosi onocentauri, & alia animalia monstrosa, de quibus dicit Isid. *lib.* 11. *in cap. de Faunis. Vide supra eodem de Faunis.* Et dicuntur sic fatui ficarii homines beluini, in quibusdam communem formam cum hominibus habentes, in aliis vero in formam bestialem degenerantes. Vt est videre in Lamiis, Simeis & in Sirenis, & huiusmodi sunt ficarii, quia sicut homines de fructibus victum habent. Fatui tamen sunt, quia rationis vsu carent, & ideo nõ approbatur litera aliquorum librorum,

qui

qui sic habent: *cum fatuis sicariis*. Nam sicarij sunt quidam latrones dolosi, qui cum sica, id est, breui gladio, interficiunt improuisos, sicut Aod, qui cum sica pendente in dextro latere, regem Eglon pinguissimum interfecit, *vt Iudic.* 3. Sed tales in Babylone destructa nũc nullatenus immorantur, cum non sit habitaculum hominũ loquendo proprie, sed potius monstrorum, *vt dicit Hiero. super Isa.* Posset tamen dici, quod ficarii sunt sicarii, nam συκῆ græce, ficus dicitur latine, & secundum hoc reddit primam expositionem, secundum Latinos ergo melius dicuntur huiusmodi homines monstrosi ficarii quam sicarij, *vt supra patet de Faunis & Satyris.*

Cap. LI.

De Formica.

Formica dicitur quasi ferens micas, id est, grana farris. Vnde Ouid. *Metamorph.*

Grande opus exiguo formicas ore gerentes.

Vel dicitur formica quasi ferens micas, id est, farris grana, quæ congregat. Granorum enim præscindit cacumina vel extrema, ne germinent, quarum solertia multa est, prouidet enim sibi in futurum Nam in æstate congregat, vnde in hyeme viuat, *vt dicit Isidor. lib.* 12. Congregat autem triticum, & non curat hordeum. Quando pluuia super triticum coaceruatum descendit, formica totum eiicit & soli exponit, vt iterum desiccetur. In Æthiopia dicuntur esse formicæ ad formam canis, quæ arenas aureas pedibus eruunt quas custodiunt, ne quis auferat, capientesq; ad necem persequuntur, *vt dicit Isid. lib. 12. in cap. de minutis animalibus. De formica etiam dicit Solinus.* Formicę (*inquit*) nigræ sunt valde paruæ, & tamen plus quam magna animalia sunt solertissimæ disciplinæ. Nam prouident sibi sapienter imposterum vnde viuant, gregatim viuunt, & cumulos componunt, in quibus habitant, grana solicite & solerter recolligũt, solertius decorticãt, quæ in secretioribus domunculorum, ne ab auib. rapiantur vel etiam vento dispergantur, reponũt cautissime. Occultas vias faciunt rectas in domos in quibus habitant, & sapientiores semper stant in viis illis, ne stulte deuient vel aberrent. Cum in

domib.

domib. suis coangustantur ad capturam, perfundunt homines aqua venenosa, & ideo vulgariter dicitur quod mingunt, & illa aqua manum vrit tangentis, & in ea pruritum gignit, nam illam aquam habet loco armaturę. *Hucusque Solinus.*

Plinius *lib.*11.*cap.*30. dicit sic de formicis: laborem sibi inuicem communicant & cibos quærunt, quibus vtiliores sunt apes, quæ cibos vtiles faciunt, sed hæ condunt. Maiora ferunt pondera quam earum sint corpora: vnde paruitatem corporis recuperant magnitudine virtutis, pondera sua gerunt morsu. Et quæ præ magnitudine in ore ferre non possunt, auersæ pedibus posterioribus obuoluere moliuntur. De re sua publica eis est curatio & memoria. Nam semina arrosa condunt, ne sursum germinent in fruges, & grana dispersa recolligunt cum diligentia, ne perdantur, & grana maiora diuidunt introitu, vt sic ea facilius in sua repositaria introducant. In plenilunio noctibus operantur: cessant autem in interlunio à labore, & quia de diuersis locis cibum conuehunt, habent certum tempus ad mutuam recognitionem datum sibi, & tunc maxima fit reconcursatio, & fit cum obuiis quasi quædã collocutio & diligens percontatio, redeunt per semitas tritas & expeditas, quas etiam per silices elegerunt. Sunt autem formicæ paruulæ strictæ circa ventrem, & quasi cinctę, quæ tandem crescentes efficiuntur pennatæ, & sic in fine ad modũ muscarum in minuta volatilia transformantur. *Item ibidem cap.*31. Sunt quædam formicæ Indicæ maximæ & cornutæ, quæ mira cupiditate gemmas & aurum custodiunt, sed hoc Indi furantur æstiuo tempore, quando formicæ in tumulis, propter feruorem nimium absconduntur. Sed formicæ odore sentiunt & solicitæ peruolant, & aurum deferre cupientes crebro lacerant, quamuis velocibus camelis formicas fugiant, tantaque inest eis perniciosa feritas cum amore auri. *Aristot. ait de formicis lib.*8. In formicis, sicut & in apibus, est sensus olfactus, odit enim omne fœtidum: vnde si quis suffumigauerit domos formicarum cum sulphure vel origano agresti, vel cum cornu ceruino combusto, fugiunt & dimittunt domos suas. Quamuis autem forte in grege viuant, & sibi mutuo obtemperent, tamen regem non habent, *vt dicit Aristot. lib.*1. *Et Salomon idem dicit*

cit Prouerbior.6. Formica ducem non habet nec praeceptorem, &c. Vbi dicit Glo. Si tantillum animal principe carens ratione, expers natura duce sibi imposterum prouidet, multo magis tu ad imaginem Dei conditus, ad videndam eius gloriam vocatus, cum tanto magisterio adiutus, ipsum Deum creatorem habens ducem, in praesenti debes fructus colligere, quibus possis viuere in futuro. Quare Glo. Solertiam autem formicarum, quam supra commendant autores, approbat Aristot. *lib.* 18. vbi dicit: Operatio formicarum est manifesta volenti ipsam intueri, quoniam formicæ semper ambulant vna via, & deponunt cibum suum, & laborant in nocte apud complementum Lunæ, &c. Aliquas tamen habent minus laudabiles proprietates, quia arborum lædunt radices, iuxta quas nidificant, manus tangētium coinquinant, ad summitates arborum scandunt, flores & germina earum corrodendo violant, immo fructus si permittantur, concauant & manducant, hominibus nocent, attamen vrsos iuuant. Nam *vt dicit Plin. lib.* 18. quod vrsi, quādo ægrotant, quærunt formicas quas deuorant, & sic comestæ eos sanant, in aliquibus tamen canibus medicinalia sunt oua formicarum. *Quare in sequenti lib. de ouis.*

CAP. LII.

De Formicaleone.

FOrmicaleon à formica & leone recipit denominationem, *vt dicit Isido. lib.* 17. formica est & leo. Est enim animal paruum, formicis infestum. Nam furtiue earum promptuaria subintrans, granum comedit formicarum, & sic per subtractionem victus, causa est quare simplices formicæ in fine necessario moriuntur. Ab aliis autem animalibus deuorantur, vt formica, nec potest se propriis viribus contueri, & est species araneæ. *Quare supra de aranea in litera A. &c.*

CAP. LIII.

De Fuco.

FVcus, fuci, est ape maior, minor scabrone. Dictus autem est fucus eo quod comedit labores alienos, quasi fagus à φάγειν quod est comedere. Depascitur enim quod

non laborauit, quia nec mellificat, sed aliorum mel manducat. *De quo Virgilius*:

Ignauum fucos pecus à præsepibus arcet.

*Vt dicit Isidor. lib.*12. De his fucis *dicit Plin. lib.* 11. *cap.* 12. Cum largior, inquit, mellis prouentus adducitur in aluearibus, ex contubernio fucorum depascitur. Sunt autem fuci sine aculeo, velut imperfecti apes, & sunt seruitiales veratum apum, & ideo eis imperant veræ apes, primosque expellunt ad opera, tardantes autem sine clementia pungunt & puniunt, neque in opere tantum, sed etiam in fœtu adiuuant apes. Certe enim quo maior eorum fuerit multitudo, eo maior fiet examinum prouentus. Cum mella vero ceperint matura esse, abigunt eas à melle, quia singulas aggressę eas trucidant atque fugant, nec videntur nisi in vere. Imperatoribus apum fuci extruunt regias mansiones, amplas, magnificas, separatas, cooperculo eminentes, & fiunt sex angulæ omnes cellæ singulorum, & quamuis fuci sustineant tot labores, comedere tamen de melle vix permittuntur, nisi quantum capiunt & furantur, *vt dicit Plin.*

CAP. LIV.

De Gryphe.

GRyphes est animal pennatum & quadrupes in hyperboreis partibus siue montibus nascens, omni parte corporis sunt leones, alis tantum & capite aquilis assimilantur. Equis vehementer sunt infesti, & viuos homines discerpunt, *vt dicit Isidor. lib.*12. Adeo autem infestat equum, *vt ait Huguttio.* quod equitem armatum cum eo rapiat in sublime, *vt dicit glo. super Deut.* 14. Custodiunt autem gryphes montes, in quibus sunt gemmæ preciosæ, vt smaragdi & iaspides, nec permittunt eas auferri exinde. *Vnde dicit Isidor. lib.* 14. *cap.* 3. Partes quædam in Scythia auro & gemmis affluunt, sed gryphorum immanitate accessus hominum est rarus. Ibi smaragdi optimi & crystalli, &c. Tam magnos habent vngues & tam amplos, quod inde fiunt scyphi, qui mensis Regum apponuntur.

CAP. LV.

De Glire.

GLires sunt quædam bestiolæ, quasi maiores mures sic dicti, quia somnus efficit eos pingues. Nam gliscere idem est quod crescere, *vt dicit Isid. lib.* 12. Tota enim hyeme dormiunt, & immobiles quasi mortui requiescunt, æstiuo tempore reuiuiscunt, *vt dicit idem.* De glire autem *dicit Plinius lib.* 8. *cap.* 58. quod glires in syluis libenter habitant, & socios sibi notos amant, contra alienos dimicant & pugnant. Insigni vero pietate genitores suos in senectute nutriunt, & eis alimenta iuuenes administrant.

CAP. LVI.

De Gryllo.

GRyllus, sicut & cirogryllus, est animal paruum, debile & infirmum, rapax & mortiferum, spinosum, minus hericio, *vt dicit gloss. super Leuit.* A sono autem vocis nomen sumpsit, *vt dicit Isid. lib.* 12. hoc retro ambulat & terram terebrat, noctibus stridet, venatur cum formica circumligata capillo in cauernam eius coniecta, afflata prius puluere, ne se abscondat, & ita formicæ amplexibus trahitur, *vt dicit Isidor.*

CAP. LVII.

De Hinnulo.

HInnulus cerui est filius, ab inneundo est dictus, quia nutu matris absconditur, *vt dicit Isid. lib.* 12. animal quidem est debile & imbelle, sicut damula, & est acutissimi visus, & velocis cursus, mater autem eius ipsum in specubus, antris & locis vmbrosis abscondit, & illum vltra spineta & rubeta saltare instruit, *vt dicit Plinius lib.* 8. *cap. de ceruis. Vide supra litera C.* Carnes habent teneras & digestibiles, propter motus frequentiam & discursum, *vt dicit Constant. & Isaac in dietis.* Et si fuerit castratus antequam crescunt eius cornua, caro eius melior & temperatior in siccitate & calore est, *vt dicit idem.* Et si fuerit castratus antequam cornua habuerit, nunquam ei vlterius crescent, & si post, nunquam ea abiiciet nec mutabit, *vt*

dicit Aristot.lib.8. *& Plin.* Hinnuli serpentibus contrariantur miro modo, qui enim fuerit inunctus eius sepo vel sanguine, à serpente illo die non tangitur, *vt dicit* 38. *lib. cap*.9. & eius coagulum est summum remedium in venenis, *vt dicit idem.*

Cap. LVIII.

De Hirco.

Hircus est animal petulum, & lasciuũ, semper feruens ad coitum, *vt dicit Isid. lib.* 12. cuius oculi ob libidinem in transuersum aspiciunt, nam hirci dicuntur oculorum anguli, *vt dicit idem.* Eius natura est calidissima adeo vt adamantem lapidem, quem nec ignis nec ferrum domare valet, eius cruor calidissimus remollit, *vt dicit idem.* Hic caper est dictus, eo quod capere nititur arborum summitates, *vt dicit idem.* Incipit autem Hircus ad generandum moueri post vnum annum, *vt dicit Aristoteles lib.* 5. Et filius qui primo generatur, est grossior & pinguior postgeneratis. *Item idem lib*.8. Quidam hirci habent notabilem magnitudinem in auriculis, sicut quidam arietes in caudis suis, nam quidam habent in latitudine plus quam latitudinem palmæ, & habent prolixam barbam, & caudam extenuatam in longitudine vsque ad terram, & habẽt cornua multa, & fortia atque grossa, & sunt hispidi, & duri odoris & fœtidi, pinguedinis multæ; præcipue interius circa renes, & tunc de facili moriuntur, nisi in pinguedine attenuentur, & quanto sunt pinguedinis maioris, tanto sunt minoris seminis, & paucioris generationis, *vt dicit idem lib*. 8. & non coeunt nisi raro, & propter hoc interficiunt eos pastores sapientes ante coitum, aut eos macrificant si seruent ad vitam, & si apparẽt macri exterius, quandoque interius sunt valde pingues. Et accidit eis sæpe monstrositas, *vt dicit Isidor. lib*. 18. vnde aliquando visus est hircus, habens cornua in crurib. quod valde erat monstrosum. Carnes autem hircinæ inter omnes carnes pecorinas sunt deteriores, duriores & indigestibiliores, *vt dicit Isaac in diatis*, & maxime quando hircus est decrepitus, cutis autem decrepiti est melior & fortior, sed odor est grauior & caro peior. Cum autem castratus fuerit, caro eius

eius erit humidior & tenerior, & minus dura ad digerendum, & minus mala ad edendum. *Dicit autem Plinius libro* 28. Democritum dixiſſe, hircum ſiue caprum nunquã ſine febre eſſe. Sanguis autem hirci cum hedera nutriti, miro modo diſſoluit calculum in renibus & veſica, *vt dicit Iſidor.* Cornu eius exuſtum fugat ſerpentes, & ſanat fiſtulas & cancros, & alios morbos vlceroſos, polypum etiam corrodit & emendat. Iecur hircinum valet contra morſum rabidi canis, fel eius viſum clarificat, pannum & telam corrodit. Hircina vrina mixta cum felle eius leproſis confert, & lentigines tollis, &c.

CAP. LIX.

De Hyæna.

HYæna crudelis eſt beſtia, ſimilis lupo in voracitate & in gula, etiam in mortuos ſæuit, & eorum cadauera de terra extrahit & corrodit, & ideo hyæna ab hiando eſt dicta, quia præ auiditate rictibus patulis inhiat ad prædam ſuam. Natura eius eſt vt mutet ſexum, nunc enim maſculus, nunc fœmina inuenitur, & ideo immundum animal eſt, *vt dicit Iſidorus*, circuit domos de nocte, & humanam prout poteſt fingit vocem, vt ita ſuſpicetur eſſe homo. *De hyæna dicit Plinius lib.* 8.*cap*.31. Hyænis vtramque ineſſe naturam, quia alternis annis marem, alternis fœminam eſſe dicunt, parit autem ſine mare, vt credit vulgus, ſed Ariſtoteles negat, viperæ habet collum, & dorſum elephantis, flecti non poteſt niſi totum corpus circumcingatur. Tradunt paſtores inter ſtabula ſermonem humanum fingere, alicuius nomen adducere, quem euocant foras, vt lacerent. Nominationem hominis ſolent fingere ad ſolicitandum canes, quos inuadant, multas & innumerabiles habet colorum in oculis varietates, & oculos valde mobiles, eiuſque vmbra facit canes obmuteſcere, quos contingit, & omne animal quod ter luſtrauit in eius veſtigio, figit gradum. Hæc beſtia coit cum leæna Æthiopica, & generat animal quoddam crudeliſſimum, voces hominum & pecorum imitans, plures dentium acies vel ordines in vtraque parte oris habens. Hyænas plurimas Africa gignit, ſicut & onagros & fibros, &

multa alia monstrosa, *Vt dicit Plin. Item Ibid.* Hæc bestia gignit lapidem, qui hyæna dicitur, quem qui portauerit sub lingua, facit eum futura prædicere & diuinare, *Vt dicit Solinus. Item dicit Plin. lib.* 28. Hyæna odit pantheram, & si pelles vtriusque bestiæ suspendantur, dicunt decidere pilos pantheræ. Cum fugit hyæna venantem, declinat ad dexteram, vt prægressi hominis vestigia occupet, quod si non successerit dicunt mente alienari, vel ex equo hominem decidere, aut si in hyenam torserit, de facili capitur bestia, *Vt Magi tradunt. Item Vt dicit idem*, fel eius est valde medicinale, valet maxime contra caliginem oculorum, quia in multis etiam maleficiis corde & iecore hyenæ vtuntur magi, *Vt dicitur ibidem. Aristot. Vero dicit libro* 7. quod quantitas hyenæ est sicut quantitas lupi, & in eius collo sunt pili sicut in collo equi, & habet pilos super omnia spōdylia, & deludit homines & prædatur eos, & capit canes & deuorat ita libenter sicut homines, & cauat sepulturas vt comedat carnes mortuorum.

CAP. LX.

De Hericio.

HEricius est animal spinosum, spinis hispidis & asperis coopertum. Corium enim habet vndique aculeis circumseptum, ita quod se claudit, quibus vndique se protegit & defendit. Nam statim vt aliquid præsenserit post se, surgit, atque in globum conuersus, in sua se arma contra insidias recolligit, huius quidem prouidētia est, ascendit enim in vitem siue in aliam pomiferā arborem & vuas exacinat, poma deiicit, & cum poma in terram deciderint, inuoluit se super fructus, vt spinis infigantur, & sic portat escam filiis suis, *Vt dicit Isido. lib.* 11. vnde & ab hispiditate & rigore spinarum hericius vel herinaceus est vocatus, habet enim, *Vt dicit Aristot.* spinas loco pilorum, & cooperiunt eum sicut pili, & sunt sibi arma, quia pungit & lædit se capientem vel tangentem. *Item Aristotel. lib.* 3. Hericii alii sunt syluatici, & alii terreni, & alii sunt aquatici, & faciunt oua multa, quę non comeduntur, & sunt hericii parum habentes de carne, & hoc est eius proprium, habet hericius caput & os inferius, & tamen exitus superfluitatis supe-

ſuperius, quoniam paſcuntur à parte inferiori, & propter hoc habet orificium in alta parte. Superfluitas vero eſt in dorſo ſuperius, & habet hericius quinque dentes, & inter illos habet partes carnoſas loco linguæ, & habet ventrem diuiſum in quinque plenas ſuperfluitates, vnde etiam eſt genus hericii albæ teſtæ & ſpinarum albarum, & eſt multorum ouorum. Item hericius eſt debilis auditus magis quam alia animalia, duræ teſtæ, & ambulantia ſuper quatuor pedes. *Item lib.* 5. Hericii agreſtes coeunt ſtantes, dorſo applicato ad dorſum, quia in illa parte vbi eiiciuntur ſuperflua ſe contingunt. *Item lib.* 8. & multotiens apparet ſenſus in hericiis contra ventos ſeptentrionales & meridionales, quoniam faciunt foramen in terra ad quod fugiunt, quando præſentiunt tales ventos imminere. Vnde quidam fuit Conſtantinopoli, qui habuit hericium, per quem cognouit & prædixit ventos futuros, & non intellexit aliquis, vnde talem notitiam habuiſſet. *Item dicit idem lib.* 42. quod tot habet ventres quot dentes, & in illis ventribus generantur oua quinque, & quidam hericii ſunt aliis meliores, & oua quorundam maiora, & quædam ſunt minora, quoniam quædam melius decoquuntur & digeruntur quam alia. *Item lib.* 19. Hericii habent modicum corpus, & multas ſpinas maiores corpore. Et cauſa magnitudinis ſpinarum & paruitatis corporum eſt, quoniam nutrimentum corporis tranſit in eas propter caloris paucitatem, & quia cibus non digeritur bene, vnde generatur in corporibus eorum multa ſuperfluitas, & illa ſuperfluitas tranſit in nutrimentum ſpinarum. *Hucuſque Ariſtoteles.*

CAP. LXI.

De Herinacio.

HErinacius idem eſt quod cirogryllus animal paruum & ſpinoſum, habitans in cauernis, ſimile hericio ſed dicitur eſſe maius, *de quo Plinius libro* 8. *capite* 38. herinacii inquit, more hericii ſe volutant ſuper poma, quæ ſpinis infixa deferunt in arborum concauitates, & præter illa, quæ geſtat in dorſo, vnum ſemper geſtat in ore, quando venatur, in modum pilæ ſe voluit, ne quando poſſit propter aculeos comprehendi, quando autem poſſe euadere

se desperat, herinacius vrinam ex se emittit tabificam & venenosam, & illa vrina primo nocet sibi, si eius dorsum vel spina inde aliqualiter aspergatur, nam tali fluxu dorsum suum læditur & euelluntur spinulæ dorsi sui, & ideo ignorat quod inde facilius capiatur, vnde alios lædere proponebat, & ideo ars est q; tunc venetur talis bestiola, quando vrina talis bestiæ penitus inanita est, quia tunc fracto dorso, & laxatis spinis ipsi minime valet fuga. Et ideo quia odore suo naturaliter percipit tãta in vrina sua latescere venena, semper vrinæ suæ parcit, ne eius virulentiam à se moueat aut diffundat, quousque captiuitatis necessitas vltima hanc compellat. Hæc bestiola quamuis paruula, tanta se constringit fortitudine, quando timet, quod vix saluo cortice poterit aperiri. In aqua igitur calida ponitur, qua aspersa, quasi subito aperitur, & tunc ligatis pedibus posterioribus suspenditur, & sic suspensa, fame tandem interficitur, nec aliter bono modo interficitur, vt eius pellicula aculeata portetur. Et quamuis illius animalis corpusculum humanis vsibus non multum sit necessarium, tamen eius pellicula tam spinata ita mortalibus est necessaria, quod si non essent aculei, frustra velletum mollities in pecudibus mortalibus esset data, cute enim hericina vestes poliuntur. Hoc autem dicitur habere proprium herinacius, quod postquam pomis & racemis est oneratus, si ceciderit pomum de suis spinis casu aliquo, præ indignatione omnia de dorso excutit, & vt se iterum oneret, reuerti ad arborem consueuit.

Cap. LXII.

De Iuuenca.

Ivuenca vel iuuencus est iuuenis vacca, quæ ad terram excolendam iugo subiici est apta, *Vt dicit Isidorus.* Vel ideo sic dicitur, quia antiquitus Ioui iuuencus immolabatur, & non taurus, *Vt dicit idem.* Animal est petulum & lasciuum propter iuuentutem, & ideo fortiori iugo premitur, vt dometur, stimulo etiam pungitur, vt rectius sequi boum vestigia coarctetur. Iuuenca taurorum copulæ solet esse apta, quia in tali ætate eis coniungitur vt imprægnetur. Impinguatur in pascuis, vt pro variis hominum vsibus

ducta

ducta ad macellum à carnifice immoletur seu mactetur. Carnes ficciores & solidiores habet quam vituli lactentes, propter remotionem à lacte, sed teneriores, calidiores & humidiores quam habent boues decrepiti siue vaccæ, quia lactenti ætati magis sunt vicinæ, *vt dicitur in diatis.*

Cap. LXIII.

De Leone.

Λέων græce, rex latine, eo quod rex sit & princeps omnium bestiarum, *vt dicit Isidorus libro* 12. Leonum autem quidam sunt breues & iuba crispa, & hi sunt imbelles, quidam vero sunt longi & coma simplici, & hi sunt acriores. Animos eorum frons & cauda indicat, virtus eorum in pectore, firmitas eorum in capite, septi à venatoribus terram contuentur, vt minus circumspectis venatoribus vel venabulis terreantur, rotarum timent strepitus, sed ignes magis, cum dormierint, vigilant oculi eorum, & cum ambulant, cooperiunt vestigia sua, ne eos venator possit inuenire. Cum genuerit catulum, tribus diebus & tribus noctibus dormire creditur, tunc demum patris fremitu vel rugitu velut tremiscens cubilis locus suscitare dicitur catulum dormientem. Circa hominem natura leonum est, vt nisi læsi irasci nequeant. Patet etiam eorum misericordia assiduis exemplis, nam prostratis parcunt, captiuos obuios repatriare permittunt. Hominem nisi in magna fame nec comedunt nec interimunt. *Hucusque Isidorus libro* 12. De leone autem dicit *Plinius libro* 8. *capite* 16. Leo in summa generositate est quando iubis colla & humeri vestiuntur. Quos pardi gignunt, semper carent hoc insigni, coitum autem pardi cum leæna odore cognoscit leo, & totus in adulteræ surgit pœnam, sed si in flumine abluitur, tegitur eius culpa & à mare non percipitur. In pariendo vnguibus filiorum laniatur vterus parientis, & ideo non sæpe parit. *Aristoteles autem, vt dicit Plinius*, dixit leænam primo quinq; catulos parere, deinde quatuor, & sic per annos singulos ad minus vno sterilescere. Paritque informes catulos & paruos, magnitudine mustelarum in principio, dicit etiam catulos sex mensium vix posse nasci, & duorum mensium vix moueri. Vrinam

eiicit leo leuato crure, more canis, & vrina eiecta valde fœtet. Quando semel satiatur, duobus diebus vel tribus cibo caret, & si in satietate fugiendum est, cibos ad fauces reiicit, & cum vnguibus eos extrahit, vt sic sit leuior ad fugiendum. Diutissime viuit, quod cognoscitur per dentium consumptionem, & tunc in senecta hominem impedit, quia ad persequendas bestias vel beluas, virtus iam deficit, & tunc obsidet ciuitates, vt homines rapiat, sed quando capiuntur, tunc suspenduntur vt metu similis pœnæ cæteri terreantur. In viros sæuit, contra fœminas tantum fremit. Infantes raro inuadit nisi in magna fame. Animi leonum index cauda est, sicut equorum aures. Nam quando irati sunt animi, primo terram cauda verberant, deinde decrescente iracundia, proprium tergum percutiunt & flagellant. Ex omni vulnere illato à leone siue impresso vngue siue dente profluit ater sanguis, *vt dicit Isidorus*. Item in periculis maxime apparet generosus: vnde quando persequitur à canibus aut venatoribus, non latitat nec se occultat, sed sedet in campis, ibique vbi videri potest ad defensionem se parat, vbi virgultum syluasque penetrauerit, acerrimo fertur cursu, velut reputans turpem absconsionem. Non enim se abscondit eo quod timeat, sed solum ne timeatur aliquoties se occultat. Dum aliquem insequitur, saltu insilit, quo non vtitur quando fugit. Quando vulneratur mira obseruatione notat primo se tangentem, & in quantalibet multitudine primum impetit percussorem, & cum quis telum miserit, & cum non tetigerit correptum raptatumque sternit, sed nequaquam ipsum vulnerat neque lædit. Quando moritur, humum mordet, lacrymamque fundit. Quando ægrotat, sanguine simiæ medetur. Cristam galli & cantum valde timet. Animal est gratum, cognoscens & diligens sibi benefacientem, vt patet in exemplis, quæ ibi ponit Plinius. *Hucusq; Plinius libr. 8. c. 17.* De leone autem dicit *Aristoteles libro 2. similiter Auicenn.* Leo habet collum quasi immobilem, multum rigidum, & interiora habet ad modum canis, & semper primo mouet dextrum pedem, & post sinistrum, sicut & camelus, & parum habet de medulla in ossibus, & eius ossa ita sunt dura, vt ex eorum collisione exit ignis. *Item libro 16.* Leo habet multas fissuras in pedibus, & ideo generat filios cæ-

cos,

cos, sicut canis vel lupus, nam serratos habet dentes, & ideo filios generat imperfectos, *sicut dicit idem & etiam Solinus*, qui dicit, leonem timere, quando videt vel audit catulum verberari. Cuius filii nascuntur cæci, sicut & omniũ animalium habentium dentes diuisos. Propter ingluuiem nascuntur filii imperfecti. In altissimis montibus occultat se, & inde contemplatur prædam suam, quam cum viderit, alte rugit, ad cuius vocem terrentur animalia, & subito figunt gradum, circa quæ cum cauda in orbem lineam ducit, & illius lineaturæ circulum transire quodlibet animal pertimescit, & stant animalia stupida, quasi edictum expectantia regis sui. Transiens per loca asperiora, vngues intra pedem contrahit & recondit. Nam illis vtitur pro mucrone, & ideo infra carnositatem ipsos abscõdit, & eis parcit ne lædantur vel hebetentur. Prædam suam quam arripit, solus comedere erubescit, & ideo sæpe ipsum à remotis, sequentibus aliis bestiis de ipsa præda liberalitatis gratia derelinquit, *Vt dicit idem*. Tantæ autem est caliditatis, quod febres semper quartanas patitur, & hunc morbum naturaliter sustinet, vt eius feritas edometur, cuius caro cum excedat in calore, ad esum est nociua, *Vt dicit Dioscorides & Plinius libro* 28. Valet etiam in medicina multipliciter, cuius adeps venenis est contrarius, quo quicunq; perunctus fuerit, aliorum animalium vel reptilium morsus illo tempore non timebit. Eius etiam adeps mixtus cum oleo rosaceo cutẽ faciei custodit à vitiis, candoremq; seruat & sanat, adusta oculorum sedat tumores. Fel eius aqua addita oculorum acuit claritatem. Valet etiam contra comitiales morbos & caducos. Cor eius in cibo sumptum, soluit quartanam febrem. *Hucusq; Plinius libro* 28. *cap*. 8. Venatur autem leo sic: duplex fit fouea, vna continue iuxta aliam, in secundaria fouea ponitur vna cauea siue cista, quæ de facili clauditur quando tangitur. Ponitur autem agnus vel ouis in fouea prima, in quam salit leo, quando esurit pro ouicula rapienda cupidus, videns autem se non posse de fouea erumpere, erubescens se deceptum, foueam volens intrare secundam, vt ibi lateat, incidit in cistulam siue caueam ibidem præparatam, quæ post eius introitum subito se claudit, & ipsum vlterius non permittit exire, sed in cauea extra foueam extrahitur & in illa te-

netur

netur captus & catenatus, donec edometur. *Et hoc tangit Hieronymus super Ezechielem 19. capit. super locum istum, Miserunt eum in caueam, &c.*

Cap. LXIV.

De Leana.

LEæna leonis dicitur fœmina, quæ bestia est multum libidinosa, semper enim gestit in coitum, & ideo leone crudelior est, & maxime quando habet fœtum. Nam pro filiis morti se exponit, & pro ipsorum defensione venatorum iacula non pertimescit. Plures parit filios in primo partu quam in sequentibus. Nam propter acumen vnguium filiorum læditur matrix, & sic annuatim sterilescit, *vt dicit Aristoteles & Plinius qui dicit sic, vt ait Isido. libro* 12. animalia cum acutis vnguibus frequenter parere non possunt, vitiantur enim earum matrices vnguibus intrinsecus mouentibus se catulis, & ideo non potest leæna expectare cum partu vsque ad filiorum perfectam completionem, sed potius dimittit partum dolore cogente & effundit, antequam filii compleantur. Præ feruore libidinis pardis se commiscet. Sed post coitum leonem timet, nam turpem commixturam sentit leo per odorem, nisi prius post adulterium in flumine abluatur, *vt dicit Plin.* Et quando ipsam deprehendit ream, statim punit, & ideo ipsa statim fugit, & nisi fuerit prius abluta, non reuertetur ad maritum. Est autem parua bestia vel bestiola, quam miro modo timent leo & leæna, quæ vocatur λεοντοφόνος. Nam quoddam portat venenum, quod leonem interficit & leænam, vnde capta bestiola exuritur eiusque cinere aspersæ carnes & positæ per compita semitarum, leones necant, *vt dicit Isidorus libro* 12. *Secundum autem Auicen. libro 7. capite* 1. *dicitur,* Leo est animal cibi auidum & gulosum, & ideo sine masticatione deuorat cibum suum, & propter hoc euomit comestum, & iterato comedit reiecta, & comedit multum, ita quod de cibo fit ponderosus, & post stat ieiunus per duos dies & duas noctes, & non eiicit stercus à se nisi semel in duobus diebus vel tribus, & est id siccum sine humido & est valde fœtens, similiter & vrina sua, & quando scinditur venter eius, exit malus odor, &

anhe-

anhelitum habet fœtidum & infectiuum, ac morsum mortiferum & venenosum, & maxime quando est rabiosus. Fit autem rabiosus sicut canis, *Vt dicit Aristot. & Auicenna*, & est crudele quando irascitur, & furibundum; præ indignatione verberans semetipsum. Fremit præ ira & frendit dentibus, maxime quando esurit, & animalibus transeuntibus, vt ea rapiat, insidians in specubus & antris abditis se abscondit, ac super transeuntes bestias ex improuiso insilit & eas dente & vngue crudeliter dilaniat, & etiam occidit, carnem, ossa & pellem comminuit & confringit, ac confracta frustatim dilaniat, deuorat & strangulat, & si viderit quempiam venire contra se vt prædam eruat quam rapuit, prædam amplexatur & frēdit, & terram cauda percutit, & si appropinquauerit, in ipsum insilit, quo deuicto, iterum ad prædam redit, sanguinem animalis occisi ab eo primo bibit & lambit, deinde residuum discerpens membratim diuidit, deuorat & deglutit.

CAP. LXV.

De Leopardo

LEopardus est bestia sæuissima, de leonis & pardi adulterio generata, *Vt dicit Isidorus libr*. 12. *Nam Vt dicit Plinius* leone cum parda aut pardo cum leæna concubente, ex tali coitu degeneres pardi procreantur, sicut ex equo & asina, vel ex asino & equa gignitur mulus siue burdo, *Vt dicit Isidorus*. Est autem animal valde præceps, & sitit sanguinem. Est & fœmina maior & crudelior quam sit masculus, *Vt dicit Aristoteles*. Colorem habet varium sicut pardus, saliendo non currendo insequitur prædam, & si in tertio saltu prædam non rapit vel in quarto, præ indignatione sistit, & quasi victus retrocedit, corpus cum cauda & pedibus leoni assimilatur, sed in capite formam pardi imitatur, leæna autem corpore est minor, & leoni masculo mirabiliter est exosus: vnde timens leonem, facit foueam subterraneam duplex orificium habētem, vnum per quod intrat, & aliud per quod exit, est autem fouea illa in vtroq; orificio valde ampla, & in medio magis stricta, veniente itaque leone in foueam se mergit, quem persequens leo, foueam cum impetu subintrat, vbi triumphare putat de leo-

leopardo, ſed propter magnitudinem corporis per medium foueæ, vbi ſtrictior eſt, libere tranſire nequit, quem ſciens leopardus ita in ſtrictura impeditum, illam foueam egreditur, & tunc in parte oppoſita foueam intrans, leonem à tergo morſibus & vnguibus aggreditur, & ſic ſæpe arte, non viribus de leone obtinet victoriam leopardus, & ſic degener beſtia de fortiori ſæpe per aſtutiam in antro victoriam obtinet, quem per potentiam in publico inuadere non audet, *ſicut narrat Homerus lib. de pugnis & aſtutiis beſtiarum. Ariſtoteles libro 8. dicit de beſtia,* quæ dicitur ferculeo quando comedit aliquod venenoſum, & tunc quærit ſtercus hominis & comedit ipſum, & ideo venatores fimum illum in vaſe aliquo ſuſpendunt ſuper arborem, & cum venit leopardus, ad arborem ſaltat, vt accipiat ſtercus, & interim ipſum interficiunt venatores, idem facit panthera & pardus, *vt dicitur ibidem, de leopardo etiam Plinius dicit.* Leopardus quando ægrotat, ſanguinem capræ agreſtis bibit, & ſic inde languores euadit.

Cap. LXVI.

De Lepore.

Lepus dicitur quaſi leuipes, quia velociter currit, vnde & græce λαγὼς pro velocitate curſus dicitur. *Item dicit Iſidor. lib.* 11. Omne animal velox eſt timidum & imbelle, *vt dicit idem*, nullum habens armorũ genus, niſi membrorum leuitatem, debilis eſt viſus, ſicut & cætera animalia, quæ non claudunt palpebras in dormitando, melioris autem eſt auditus quam viſus, potiſſime quando aures eius ſunt erectæ, cuius aures ſunt longæ valde & flexibiles, quod fuit neceſſarium propter oculorum aperturam, nam auribus oculos defendit apertos, quia nullo cooperculo ſunt muniti ab infeſtatione cimicum & muſcarum, nam contra omne nociuum dedit natura remedium creaturæ, *vt dicit Auic.* & ideo data eſt lepori membrorum leuitas & curſus agilitas, contra canes & alias beſtias ipſum inſequentes, data eſt etiam aurium proceritas cõtra muſcas & cimices, importune eius oculos debiles infeſtantes, *vt dicit idem*, data eſt etiam ſub pedibus multa pilorum villoſitas, vt pili pedis carnoſitatem currendo à læſione defendant, & propter

pter sui leuitatem pedes in cursu nullatenus impedirent, *& ideo dicit Arist. lib.* 3. quod pedes leporis sunt subtus pilosi, quod in aliis animalibus rarius inuenitur, crura eius posteriora sunt anterioribus longiora, quod fuit necessarium ad facile corpus eius eleuandum in cursu quando fugeret contra montem, vnde difficilius capitur cõtra montem quam contra vallem, & hoc accidit propter anteriorum cruriũ breuitatẽ. Nam propter depressionẽ anterioris partis corporis cõtra vallẽ defacili cadit, nec potest æqualiter cõtinuare cursum suũ, & ideo vt fugiẽdo vitet casum, cum descendit, obliq; montis latera circuit, & prout potest, altitudinem crura anteriora erigit, & sæpius canib. insequentibus sic illudens euadit. *De leporib. autẽ dicit Plin. lib. 8. c.* 55. Leporum *(inquit)* plura sunt genera, nam in alpibus sunt quidam, & in syluis habitant quidam quantitatis maioris, grossioris pili, & velocioris cursus, quam ipsi qui cuniculi dicuntur. Nam cuniculi lepores sunt parui, & imbecilles, qui vnguibus terram concauant, & foueas subterraneas quas inhabitent, sibi formant & sunt fœcunditatis nimiæ, & sunt tot in quibusdam syluis Hispaniæ, quod aliquando pro eorum multitudine deuastant messem, & prouinciæ inducunt famem, quorum fœtus in Balearicis Insulis ita sunt accepti, vt etiam ipsi fœtus sine matribus vix purgatis visceribus in esum ab incolis patriæ assumantur. *Et sequitur ibidem: Archelaus autor* est quot sunt cauernæ ad exceremẽta lepori, totidem annorum sunt ætatis. Totidem enim sunt illius partis corporis foramina, quot annorum curricula habuisse perhibentur, & ideo dicuntur gignere sine mare & habere vtrumque sexum, & ideo multi putauerunt leporem gigni & gignere sine mare, *vt dicit idem.* Sunt autem lepores animalia ita fœcunda, quod vno fœtu nascente, statim nouo fœtu altero vterus grauidatur: vnde vtile est animal quo ad esum, & quo ad vestitum, & quo ad multiplicem medicinam. Nam eius coagulum valet contra venenum, restringit ventris fluxum, sanguis eius mitigat dolorem oculorum, *vt dicit Plin. & Dios.* nec inuenitur coagulum in aliquo animali habente in vtraque mandibula dentes, nisi in lepore, *vt dicit Aristot.* & quanto eius coagulum est vetustius, tanto melius, *vt dicit Plin.*

CAP.

Cap. LXVII.

De Lynce & eius proprietatibus.

LYnx lincis est dictus, quia in luporum genere & numero numeratur. Est autem bestia similis lupo, dorsum habens maculis distinctum, sicut pardus, vrina eius conuertitur in gemmam preciosam, quæ Lyncurium appellatur, & hoc præsentit lynx, & hoc inuidens ac dolens quod transire debeat in humanum vsum, vrinam egestam abscondit sub humo, sed ibi citius in lapidem solidatur, *vt dicit Plin. lib. 8. cap. 39. & Isidor. 12.*

Cap. LXVIII.

De Limace.

LImax est vermis limi, sic dictus eo quod in limo nascatur, vel ex limo, & ideo semper sordidus & immundus habetur, *vt dicit Isidorus lib. 12.* Et est vermis valde tardi motus in dorso semper gerens concham durã, infra quam se includit, & est vermis cornutus, habens duo additamenta ante os, cum quibus viam quærit, & quando aliquid aduersi senserit, statim cornua retrahit infra testam & infra domum sese resumit. In corrupto aere & imbre maxime nascuntur tales vermes, qui serpunt quamuis lento passu ad arborum summitates, earum germina depascentes, vbicunque autem serpit post se immundiciæ vestigium derelinquit.

Cap. LXIX.

De Lupo.

LVpus, *vt dicit Isidor.* quasi leopos est dictus, eo quod ei quasi leoni virtus sit in pedibus, vnde quod pede presserit, non viuit. Rapax autem est bestia & cruoris appetens, qui rabie rapacitatis quemcunque inuenerit trucidat, de quo dicunt rustici, vocem hominem perdere si eum lupus prior viderit, & ideo subito tacenti dicitur *lupus est in fabula*, certe si se præuisum senserit, deponit audaciam feritatis. Lupi toto anno non amplius quam duodecim diebus coeunt. Famem diu portant, & post longa ieiunia multum deuorant, Lupos etiam nutrit Æthiopia ceruice iubatos,

&ita

& ita varios, vt nullum colorem eis deesse dicant. *Hucusq;* *Isidor. Plin. autem lib. 8. cap. 23. idem sentit & dicit*, quod lupi Africani sunt inertes & parui: qui vero gignuntur in frigidis regionibus corpore fiunt minores, & magis asperi feroces. *Aristot. lib. 2. dicit*, quod in India est quidam lupus habens tres ordines, dentium superius, & inferius habet pedem leonis, & faciem hominis & caudam scorpionis, & vox eius sicut vox hominis, terribilis est sicut vox tubæ, & est velox sicut ceruus, & est valde sæuus, comedens homines. *Item Arist. lib. 6.* Lupi tempore coitus sunt sæui, & quãdo habent catulos, sunt magis mali sicut & fœminæ canũ. *Item lib. 7.* Lupi serratos habent dentes, comedunt carnes, & non comedunt herbas, nisi quando infirmantur, quia tunc comedunt aliquam propter medicinam. Nam quando lupus sentit se repletum, quærit quandam herbam & comedit eam, vt euomat quod comedit. *Item lib. 8.* quando fugiunt, ferunt filios suos secum, & cum exeunt de cauernis, comedunt origanum & masticant, & acuant dentes suos. *Item idem de eodem.* Lupus quando comedit est valde malus, & quando non habet famem, quiescit multum, & est valde audax, & valde diligit ludere, & si potest rapere puerum, ludit cum eo, & post occidit eum & comedit. *Et sicut dicit Homerus.* Lupus est valde vigil, & multum timet ignem. Et dicitur, quod si lapidetur, considerabit primum iactanté, & si ille lapis nocuerit ei, si poterit, ipsum interficiet: si vero non noceat ei, si deprehenderit ipsum, nõ multum lædet eum, sed parum quasi irascendo, deinde eum dimittit. Et lupi quãto sunt seniores, tanto deteriores & nocent hominibus, quia non possunt venari bestias propter ætatem, & quia eorum culmi iam sunt debilitati, & viuunt multo tempore, & eius senectus apprehenditur in dentib. quia constringuntur in senectute. *Item ibidem*:

Sunt autem lupi duplicis modi, quidam enim sunt quasi rotundi, & quidam quasi longi, & illi sunt asperioris pili & audacioris animi, & luporum interiora sunt valde debilia, & de facili recipiunt corruptionem quando vulnerantur. Residuum vero corporis eorum patitur multas percussiones, & habent magnam fortitudinem in collo & in capite, & vulnera quæ accidunt ex morsu eorum, sunt valde mala, quoniam exit ex eis virus, & curantur ista vul-

nera sicut morsus canis rabiosi, *vt dicit Aristot. Item idem lib.* 8. Os lupi maxime est aperturæ, & maximum vigorem habet in orificio suo, & est animal valde vorax. *Item de lupo dicit Auicenna libro* 7. Sunt quidam lupi qui naturaliter habent appetitum comedendi pisces, & comedunt vilia, quæ de suis retibus eiiciunt piscatores, & quando non inueniunt quid comedant de piscatorum reliquiis, vadunt ad retia & dilaniant ea. *De lupis autem dicit physiologus.* Virtus luporum in pectore & in vnguibus viget ac in ore in posterioribus vero minime. Collum retroflectere non valet, & in nullo mense nisi in Maio, quando fiunt tonitrua. Cuius astutia est, vt non capiat prædam iuxta loca, vbi nutrit fœtus suos, & tunc temporis venatur à remotis: quando autem nocte prædæ gratia pergit ad ouile, ne canes eius sentiant odorem, vadit contra ventum. Et si aliquo casu pes eius calcando super aliquid strepitum fecerit, ipsum pedem castigat duro morsu. Oculi eius lucent de nocte vt lucernæ, *& vt dicit Solinus.* Multum amoris excitatiuum in cauda portat quod dentibus euellit, quando timet capi. Lapides multum timet: vnde si quis duos lapides pariter colliserit, lupus audaciam perdit, fugit si strepitus lapidum peruenerit ad aures eius. Filios generat cęcos, quos tenerrime diligit atque nutrit. Terram comedit quando multum esurit, & aliquam prædam non inuenit. Vt capras volentes folia carpere in rubetis facilius rapiat, sub herbis & foliis latitans se abscondit. Plus astutia quam potentia oues decipit, sed quando præualet, si permittitur, totum gregem strangulat & occidit. Partem prædæ quam deuorare non potest, in terra sepelit & abscondit, & quando esurit partem sepultam extrahit & effodit, & lanam ouis quam occidit, inficit, & morsus eius, ex lana tali vestem factam pediculosam reddit, *vt dicit Isidor. Item idem dicit Aristotel.* Ex tota specie natura luporum naturæ ouium aduersatur. *Vnde legitur in libro*, quod chordula facta de intestinis lupi adiuncta cordis citharæ factis de intestinis ouinis eas destruit & corrumpit, sicut pluma aquilæ adiuncta plumis columbæ, eas excoriat & corrodit, si diu pariter in loco aliquo dimittantur, *vt dicit idem. Vide supra de Aquila.*

CAP.

CAP. LXX.

De Mulo.

MVlus à molendo est dictus, eo quod iugo pistorum subactus ducat in gyro molas, *vt dicit Isid. lib.*12. Asserunt autem Iudæi, quod Ana abnepos Esau greges equarum ab asinis primo fecerit ascendi, vt inde contra naturam mulorum progenies nasceretur, *vt dicit idem.* Et ideo sequens mulus matris naturam, asino est maior, pulcrior & velocior, sed equo pigrior, deformior atque minor. Vnde nascitur ex equa & asino mulus, ex equo vero & asina burdo procreatur. Et est mulus animal sterile, & tamen eximium ad labores, *vt dicit Plin. lib.*8. *cap.*44. Nunquam autem hæc animalia, scil. asinus & equa, mutuo appetunt coniugia, nisi etiam in infantia lacte mutuo nutriantur. Et ideo pastores pullos equorum subiiciunt asinabus, & asinorum pullos subiiciunt equabus, quando volunt tales creaturas ex disparibus procreari, *vt dicit idem. Item idem:* Mulæ calcitratus potu vini inhibetur. Ex onagris autem & equabus nascuntur veloces mulæ, pedes habentes duros & aptos ad cursum. Sunt autem rugosi corpore, & indomito animo sed generoso. Qui autem sunt geniti ex onagro & asina, omnes præcellunt. De mulo etiam *dicit Arist. lib.*7. quanto mulus plus potat de aqua, tanto plus proficit eius cibus. *Item lib.* 14. Mulus non habet fel manifeste super epar. *Item idem lib.*16. Mulus quia nascitur ex equa & asino, non conuenit generationi, quoniam natura vtriusque asini & equę est frigida: vnde frigiditas generantis dominatur generato, & ideo mulus est sterilis, nec eius spermate aliquid generatur, propter excessum frigiditatis in ipso dominantis. *Item ibidem,* & accidit quod corpora mularum sunt magna, quoniam superfluitas menstruosa transit in creationem & cibum corporis. Sanguis autem quo natura non indiget, exit cum superfluitate vesicæ, id est, cum vrina, & propter hoc non olfaciunt muli vrinas mularum, sicut aliæ bestiæ habentes soleas. Residuum vero superfluitatis transit in crementum corporis & in eius magnitudinem. Non imprægnatur ergo mula nisi forte valde raro. Mulus autem quia ratione sexus calidior est in aliquibus temporibus & regionibus forsan generat, sed

generatum erit extraneum & occasionatum, sicut quod generatur ex equo & asina, & dignum est omne tale esse sterile, quia generatur contra naturam. *Hucusque Aristo. lib.* 16. *Secundum Isaa. in diætis*, carnes muli sunt peiores quam carnes asini, & ad nutriendum & ad digerendum. Cuius fimus tritus & combustus restringit sanguinem, si cum aceto fuerit temperatus, *ut dicit Dioscor.* Valet etiam idem fimus contra ictum scorpionum.

Cap. LXXI.

De Mure.

MVs, *secundum Isidor.* est animal pusillum, ab humo dictum, eo quod ab humore terræ nascatur. Nam γῆς terra dicitur, vnde & humus. Huius in plenilunio iecur crescit, sicut & quædam marina tunc augentur, quæ rursus decrescente Luna diminuuntur. Dicuntur autē mures sorices, eo quod ad modum serræ rodant & præscindant. *Hucusque Isido. lib.* 12. Mus autem, *secundum Aristot. lib.* 7. non potat, & si potauerit, morietur. Animal quidem est gulosum, & ideo cum modica esca decipitur, quādo odore ad eius gustum prouocatur. Eius vrina fœtida est & contagiosa, & morsus venenosus. Cauda etiam eius dicitur venenosa. De muribus etiam dicit *Plin. lib.* 18. *cap.* 28. Sunt quidam mures potentes, qui congregant pabulum in foueis suis, & etiam in hyeme abscondunt, & latitant in cauernis, quorū palatum in gustu sagacissimū est. Similiter nares sagacissimos habēt in olfactu. In autumno masculus & fœmina spicas congregant, & mutuo se onerant super ventrem, per caudam masculus fœminam sic onustam ad specum trahit, qua exonerata & fasciculo in cauerna collocato, iterum redeunt ad laborem, & congregato fasciculo, masculus super dorsum se ponit, quam fœmina vice versa onerat, & caudam eius ore comprehendēs, masculum pertrahit ad cauernam, & sic onera deferunt alteratis vicibus. *Item ut dicit idem*: Murium diuersæ sunt species. Nam quidam murium viuunt in domibus: quidam in campestribus: quidam in aquarum & fluuiorum extremitatibus commorantur: quidam annum in dormiendo dimidiant, quia per dimidium annum dormiunt,

& per dimidium vigilant vt glires, qui sunt *secundum Plin.* quidam mures. Et quamuis mures sunt bestiæ valde nocibiles, in pluribus tamen vtiles sunt in medicina. Nam *vt dicit Plinius lib.29. cap.17.* Murium cinis cum melle & oleo auribus instillatus, earum sedat dolorem, & si quod animal aures subintrauerit, præcipuum remedium est fel murium cum aceto tepido temperatum auribus instillare. Fimus enim, *secundum Dioscor.* cum aceto tritus, mundat alopecias, & custodit caput à casu capillorum, tritus etiam & cum vino in potu sumptus, miro modo ventrem soluit, pellis eius recens calcaneo subducta, eius vulnera ad sanitatem perducit.

Cap. LXXII.

De Mustela.

MVstela quasi mus longus est dicta, *vt dicit Isido.lib.12.* nam πέλων Græce, longum Latine. Hæc ingenio est subdola, in domibus enim nutrit catulos, eos transfert de loco ad locum, sedem mutat, ne eius nidus ab aliquo deprehendatur, persequitur serpentes & fugat, mures odit & eos manducat. Et sunt duo genera mustelarum, aliud enim est syluestre, distans ab aliis magnitudine, quam Græci ἰκτίδα vocant, alterum in domibus errans. Falsa autem est illorum opinio, qui dicunt eam ore concipere, & aure partum effundere. *Hucusque Isid. lib.12.* Passeribus & aliis paruis auibus insidiatur, & eorum oua transglutit, filios suos casu aliquo in latibulo læsos vel mortuos quadã herba sanat, imo, *vt dicitur*, suscitat, *vt dicit Plinius.* Rutam comedit & eius succo se perlinit, & tunc basiliscum inuadit intrepida & occidit, *vt dicit Plin.lib.8.c.22. Vbi dicitur:* mustelarum virtus basiliscis exitio est, nihil n. Deo naturę placuit esse sine pari, cauernam basilisci facile cognoscit, quã subintrans, ipsum interimit. Animal est multũ dormiens, & per somnum impinguatur sicut glires, *vt dicit idem.* *Item idem lib 29 cap.1.* Mustelarum, inquit, duo sunt genera, scil. domestica & syluestria, & vtriusque fel valet contra aspides, nam earum pudenda multum fœtent, & serpentibus fœtidis contrariantur, earum etiam carnes dicimus valere contra venenum. Mustela combusta & in ci-

nerem redacta, adhibetur salubriter medicinæ, quæ est conueniens contra lethargicam passionem. Vnde si ex veneno aspidis aliquis incurrit lethargiam, cuius mustelæ inundanti aqua distemperatus, vim somniferam dissoluit, *Vt dicit idem. Dicitur etiam ibi.* puluis valere contra fistulam, nihil enim illa rerum omnium mater, scilicet, natura sine ingentibus causis genuit, *Vt dicit ibi idem. Dicit autem Aristot. lib.* 8. quod mustela pugnat contra serpentes, quia vterque mures comedit. Et est animal velocis motus & flexibilis corporis, ac valde mobilis & instabilis, odore sagax, dorsum habens rubeum & ventrem album. Mutat autem colorem, nam in aliquibus regionibus aliquo tempore anni tota pellis eius fit candida præter caudam, morsus eius maliciosus est & virulentus, & eius vrina est fœtida ad modum vrinæ muris.

CAP. LXXIII.

De Mygale.

MYgale est modicum animal ad modum mustelæ, gulosum, rapax & dolosum, nam cum dolo rapit, quod postea ventri committit, *Vt dicit glos. super Leuit.* 11. mansuetum se fingit. Cum ei aliquis appropinquat ex timore, sed statim mordet & venenum infundit, *dicitur ibidem.* De mygale *dicit Aristot.* quod equos & mulos infestat, & equæ prægnanti maxime insidiatur, pugnat contra serpentes, & tunc se armat ruta, *Vt dicit idem.*

CAP. LXXIV.

De Murilego.

MVrilegus idem est quod musio siue catus, sic dictus eo quod muribus sit infestus. Hunc vulgus catum à captura vocat, germanice ein Mäußhund/vel ideo sic dicitur quod catat, id est videt, nam ita peracute videt, vt fulgore luminis noctis tenebras superet, vnde à Græco venit catus, id est, ingeniosus, *Vt dicit Isido. lib.* 12. Est animal non determinati pili & coloris, nunc est album, nunc nigrum, nunc flauum, nunc varium, nunc etiam maculosum, in pedibus & in facie & in auribus leopardo simillimum, orificium habens magnum, dentes habens serratos

& acu-

&acutos, & linguam longā & flexibilem, tenuem & subtilem, cum qua bibendo lambit sicut & alia animalia, quæ habent labium inferius superiori labro inæquale. Talia enim animalia propter labiorum inæqualitatem potum non hauriunt sed lambunt, *vt dicit Aristot. & etiam Plin.* Est autem animal in iuuentute valde lasciuum, & agile & iucundum, impetum faciens ad omne, quod coram se mouetur, ludit cum calamo ante se protracto. In senectute autem est animal ponderosum, & multum somnolentum, cautissime insidiatur muribus, & eos plus odore quam visu præsentiens, inuadit in abscondito ac venatur, capto mure cum eo ludit, sed finito ludo ab ipso deuoratur, tempore coitus quasi syluestris efficitur & euagatur. Inter catos amoris tempore grauis pugna pro vxoribus committitur, & vnus ab alio morsibus & vnguibus grauissime laceratur, & tunc vox horrenda emittitur, quando ad pugnam mutuam vnus ab alio prouocatur. Bestia fit sæuissima quando syluestris efficitur, & in nemoribus commoratur. Minores feras vt cuniculos & lepores tunc venatur, quando cadit ab alto, pedibus excipitur, & vix per casum aliquem læditur, quando deorsum præcipitatur, fimus quem egerit valde fœtet, & ideo sub terra abscondit, & pedibus occultat, quando pulcram habet pellem, quasi de ipsa glorians, vagus efficitur, sed quando pellis ei exuritur, tunc intra tecta commoratur, sæpe enim pro pellis pulcritudine capitur à pellifice à quo decoriatur.

CAP. LXXV.

De Noctiluca.

NOctiluca est modica bestiola, multipes & alata, & ideo quandoque inter volatilia computatur. In tenebris lucet vt candela, & maxime circa posteriora, in luce autem plena deformis est & obscura, manus inficit tangentis, & quamuis lateat in tenebris, tamen lucifuga est, odit enim lucem, & solummodo de nocte ambulat, & muscis contrariatur, quæ sunt lucipeta, *vt dicit Aristot. lib. 12. cap. de minutis volatilibus.*

Cap. LXXVI.

De Onagro.

ONager *ut dicit Isidorus*, asinus verus interpretatur, hos Affrica habet magnos & indomitos in desertis vagantes, singuli autem fœminarum gregibus præsunt, nascentibus masculis zelant masculi, & testiculos eorum morsu detruncant, quod cauentes matres in locis secretis eos abscondunt. Et *ut dicit Plinius libro* 8. ex onagris & asinis domesticis asini velocissimi generantur. Animal autem est liberum, indomitum & lasciuum, frequentare montes & nemora consuetum, & cum sit animal ex se imbelle & innocuum, solius fugæ beneficio leonem superat in eremo atque lupum, est animal valde patiens sitis, diu expectans, quousque potum inueniat sibi aptum. *De quo dicit physiologus*, quod 25. die Martii duodecies in die & totiens in nocte rugit, per cuius rugitum æquinoctium apud Affros discernitur, & dicit quod toties semper rugit de die, quot dies habet horas, similiter & de nocte, vnde & syluani in montibus Affricæ ab onagris, in quibus abundant, per numerum rugitus eorum numerum horarum, dierum & noctium computāt & diuersificant, sagax & viuidus est in olfactu. Vnde quando amore feruet & nescit vbi eius fœmina euagatur, rupem ascendit & patulis naribus ventum attrahit, per cuius flatum, vbi sit eius fœmina, diiudicat & discernit, in montibus altis & pascuosis herbas virentes, quas multum diligit, cum diligentia quærere consueuit, quas cum inuenerit, præ gaudio statim rudit, & vbi præsenserit bestiam vel hominem ipsum venari cupientem, quamdiu inuenit gramina virentia à pascuis non recedit, hominum frequentiam valde odit atque fugit, solitudines & deserta multum diligit.

Cap. LXXVII.

De Onocentauro.

ONocentaurus, *secundum glossam super Isa.* 34. est animal monstrosum ex tauro & asina procreatum. Ὄνος enim in Græco dicitur, asinus Latine: vnde est animal lasciuum ad modum asini, ceruicosum ad modum tauri. Sed alio

alio modo sentit physiologus, qui dicit onocentaurum esse compositum ex humana effigie & asinina, nam ab vmbilico & sursum figuram habet hominis, & ab eodem inferius formā obtinet animalis. *Huic rationi videtur cōcordare Plinius libro* 8. *cap*. 3. Ludibria, inquit, mirabilia nobis fecit ingeniosa natura ad detegendum eius potentiam satis inprodigiosas posuisse gentes. *Et ponit in eod. capit. exemplum de multis monstris & prodigiosis bestiis quas India gignit*, sicut de Faunis & Satyris, & de Onocentauris & Hippocentauris & huiusmodi, quas dicit esse bestias humanam effigiem mentientes. Et alii dicunt centauros fuisse equites Thessalorum, qui pro eo quod in eis discurrebant, quidam vnum corpus equorum & hominum iudicabant, vnde centauros fuisse fictos asserunt, *vt dicit idem libr*. 11. *vbi dicit de portentis*. Dicitur enim centaurus Græce homo Latine: vnde κένταυρ☉ dicitur homo, & à centauro per additionem dicitur onocentaurus, qui sic dictus est, eo quod in media hominis specie, & in media asini dicatur esse, sicut Hippocentaurus dicitur monstrum, in quo hominum equorumque natura coniuncta esse putatur, *vt dicit Isid. ibidem*.

CAP. LXXVIII.

De Oryce.

ORyx, *vt dicit glossa super cap. li. Isa*. est animal immundum, nec sacrificiis aptum. Septuaginta autem interpretes transtulerunt *quasi betha semicocta*. Cæteri interpretes omnes, *sicut oryx illaqueatus*, transtulerunt, qui Hebraice dicitur tho. Et inter animalia immunda in lege reputatur. Est autem bestia sicut mus aquaticus, vel sicut glires, qui sunt mures quidam: sic dicti, eo quod somnus efficit eos pingues, hyeme enim tota dormiunt, & immobiles quasi mortui fiunt, in æstate vero reuiuiscunt. Vnde oryx est animal quod huiusmodi muribus assimilatur. *Et hoc videtur tangere Litera Isa. & concordat cum Plinio, qui dicit sic*: Orycem vocat Ægyptus feram, quæ in ortu caniculæ 8. calend. Iunii, quando incipit æstas, stat contra stellam, & contuetur contra eam, ac si vellet adorare eam, & hoc facit cum stertuerit, id est, cum post longam dormitionem

euigilauerit. Et declinatur hic oryx huius orycis, secundum hoc dicitur sorex soricis, & onyx onycis, & huiusmodi. *Secundum Iuuenalem vero* oryx est quædam auis pinguissima, ita quod sua pinguedine hebetat cultellum, *vt dicit idem libro* 3. *vbi dicit*, *Iaculus oryx hebetissima ferro*, *&c. Supra quem locum dicunt expositores*, quod est auis similis gallinæ Affricanæ vel ipsa gallina. Secundum Britonem autem dicitur orix origis, secundum regulam illam Græcismi. Nomen in x, donat Genitiuum in cis, vel in gis, vt fæx fæcis, lex legis. Quatuor exceptis nox, nix, senex, & supellex. Vnde dicitur quod oryx est idem animal, quod in lege mundum reputatur, quoad esum. *Deuteronom*. 14. *vbi dicitur*. *Comedetis origem & camelopardulum*, immundum tamen reputabatur quoad sacrificium. *Plinius autem li*. 8. *capit*. 53. *de animalibus somniferis dicit:* Capreæ, inquit, in plurimas similitudines transfigurantur, nam inter eas sunt ilices mirandæ pronitatis, qui supra cornua vasta & magna, quibus earum capita onerantur, saliendo de rupibus se excipiunt. Sunt & oryges quorum villi contra naturam aliorum animalium vtuntur versus caput. Sunt & damæ & pygargi & multa alia animalia his similia, quæ alpes transmittunt & sinus transmarini. Vnde secundum hoc oryx orygis est species capræ syluestris, & secundum istam significationem, vt puto, non sumitur in Isai. vbi loquitur de animalibus, quæ somno damnabili sopiuntur, quia non bene conueniret metaphoræ, cum omnis caprea, *scilicet Arist.* sit animal valde vigil naturaliter, parum enim dormit, & de facili excitatur, cum sit animal valde timidum. Et sic pro alio animali supponit oryx *in Deutero*. & pro alio *in similitudine Isa. sicut dicunt multi*.

Cap. LXXIX.

De Oue.

OVis est molle pecus, laniferum, corpore inerme, animo placidum, ab oblatione dictum, eo quod apud veteres in initio non tauri sed oues offerebantur in sacrificio, *vt dicit Isidorus lib*. 12. Ex his quidam bidentes vocantur, eo quod inter octo dentes duos altiores habent, quas Gentiles in sacrificio maxime offerebant, *vt ibidem dicit Isidor*. Vel dicuntur bidentes secundum senectutem, quasi

quasi biennes, id est, duorum annorum, quia talis erant ætatis, quando ad sacrificium eligebantur. Sed potius vocantur à duobusdentibus, qui præminent, & cum quibus nasci dicuntur. Hic bidens, genitiuo huius bidentis dicitur, *Vt dicit Beda*. De ouibus autem dicit Aristoteles *libro* 5. quod pariant vsque ad octo annos. *Et lib*.7. Si imprægnentur oues versus ventum septentrionalem, faciunt mares, & si in meridionali, tunc fœminæ nascentur, & quales venæ fuerint sub lingua ouis, talis coloris erit fœtus. *Quare supra de agnis & ariete*. Et quando oues senes ad coitum mouentur in aliquo tempore determinato, dicunt pastores, quod est signum bonitatis in eis, & si iuuenes sic mouentur, dicunt quod est signum futuræ pestis in ouibus, in anno illo. *Item Aristoteles libro* 7. Oues imprægnantur bibendo aquam, & propter hoc dant eis pastores comedere sal, vt plus bibentes imprægnentur & magis conseruentur. Dant etiam eis in autumno cucurbitas paratas cum sale ad multiplicationem lactis, & tunc fluit plus lactis de mamillis, & oues impinguantur lenticula cum sale. Et si oues per triduum abstineant à cibo, & post accipiant cibum, multum impinguabuntur, & in æstate valet eis aqua septentrionalis frigida: & in autumno aqua meridionalis tepida, & iuuat eos pastus in fine diei & motus. Per nimia enim itinera, & per fortes labores macrescunt, & pastores cognoscunt, quæ possunt pati hyemem, quoniam super quasdam inuenitur glacies, & super quasdam non, & quæ ex eis est debilis a se non excutit glaciem nec repellit. Et carnes ouium, sicut & aliorum quadrupedum, quæ in loco multum aquoso nutriuntur, sunt malæ, & quæ caudam habent longam, minus patiuntur hyemem quam quæ amplam. Et quæ habent pilos paucos & crispos, grauiorem hyemem patiuntur. Et lana ouium quas comedit lupus inficitur, & pannus inde factus, recipit pediculos. *Item ibidem lib*.8. In ouibus plus abundat priuatio intellectus quam in aliis animalibus quadrupedibus. Et nocet eis tonitruus, & si remanserit vna sola & fuerit imprægnata, abortietur præ timore forsan. *Item dicit Plin. lib*.8.*cap*.47. tonitrua, inquit, solitariis ouibus inferunt abortiuum. Remedium est, vt in vnum pariter congregentur. *Quare supra in litera A. de ariete & de agno.*

CAP.

CAP. LXXX.

De Panthera.

PAnthera, *ut dicit Isidorus lib.* 12. sic est dictus, siue quia omnium animaliũ est amicus, excepto dracone quem valde odit; siue quia societate generis gaudet, & ad eandem similitudinem quicquid accipit, reddit. Πανθὴρ enim græce, totum dicitur latine. Est autem bestia minutis orbiculis superpicta, ita vt ex macularum nigrarum & albarum & flauarum varietate, tota pellis oculata exterius videatur, *ut dicit idem.* Hæc bestia *ut dicit Isidorus* semel tantummodo parturit. Cuius ratio est aperta, nam cum in vtero matris conualuerint catuli, & ad nascendum iam receperint vires, odiunt matres lacerantque vnguibus matris aluum, tanquam suo partui resistentem; vnde & mater partum dimittit, dolore vteri compellente. *Et ideo dicit Plinius*, animalia cum acutis vnguibus frequenter parere non posse. Nam mouentibus se catulis vitiatæ intrinsecus sunt matrices. *Hucusq; Isidorus libro* 12. *De panthera dicit physiologus.* Panthera, inquit, odit draconem, & draco ipsum fugit, cum autem comederit & saturata fuerit, se recondit in spelunca, & dormit continue fere tres dies. Post triduum vero à somno surgens, emittit vocem, & ab eius ore exit odor aromaticus supra modum suauis, propter cuius suauitatem ipsum omnia animantia sequuntur. Solus autem draco audiens vocẽ eius, timore perterritus fugit in cauernam, nec ferens odorem in semetipso deficit & torpescit, odorem enim eius reputat pro veneno. *De pantheris autem dicit Plinius lib.* 8 *cap.* 18. Panthera sicut & tigris maxima colorum & macularum varietate decorantur, alia animalia proprio colore gaudent. Sunt tamen leones nigri in Syria, qui pantheris in candidis maculis sunt similes. In colore autem vario pantheræ & tigris omnia animalia quadrupedia solicitantur videre eos, sed toruitate capitis terrentur. Quamobrem caput occultant, & pulcritudine reliquæ partis corporis bestias ad se inuitant, & sic inuitatas arripiunt & manducant. Et quamuis sit bestia valde sæua, tamen illius, qui sibi in aliquo subuenitur, nullatenus est ingrata, *ut ibi exemplificat idem Plinius*, de quodam, qui liberauit catulos pantheræ collapsos

lapsos in quandam foueam, quem panthera eduxit extra solitudinem læta & blandiens, vt sibi gratias referre appareret.

Cap. LXXXI.

De Pardo.

PArdus, *vt dicitur*, est bestia velocissima, colore vario orbiculata, præceps ad sanguinem, & saltu ruit in mortem. Et habet talem dispositionem sicut panthera, nec habet ab eo aliquam differentiam, nisi quod panthera habet maculas albiores, *ita dicit Plinius libro* 8. De pardo autem *dicit Aristoteles libro* 8. quod quando pardus infirmatur, comedit humanum fimum gratia medicinæ, & ideo venatores suspendunt stercus super arborem, ad quod, dum ascendit, à venatoribus interficitur. Est autem animal libidinosum, & coit cum leæna, ex cuius adulterio generatur leopardus. *Quære supra de leana.* Pardus raptis catulis est nimis sæuus, *vt dicit glossa super Osea* 13.

Cap. LXXXII.

De Pilosis & eorum proprietatibus.

PIlosi sicut innuit *glossa super Isa.* 13. monstra sunt ad similitudinem hominum. Et dicuntur syluestres homines, qui & Satyri dicuntur. *Isidorus autem libro* 8. *capit.* 5. dicit. Pilosi sunt, qui & alio nomine Incubi appellantur, siue Iniui ab ineundo dicti passim cum animalibus, vnde Incubi dicuntur ab incumbendo, id est, coeundo. Sæpe enim improbi existunt mulieribus, & earum peragũt concubitum, quos dæmones Galliducios appellant, quia sæpius hanc immunditiam peragunt, quem autem Incubonem vocant, hunc Romani Faunum ficarium vocant. *Item dicit Papias.* Pilosi à Græcis γαγμαλάδες, à Latinis Incubi vocantur, quorum forma à humana effigie incipit, sed bestiali extremitate terminatur. *Idem dicit glossa super Isa.* 34. Sed idem dicit alia glossa, quod pilosa dicitur simia, est enim bestia monstrosa, pilosa multum & villosa, figuram humanam in multis repræsentat.

Quære infra de simia.

CAP.

Cap. LXXXIII.

De Pygargo.

PYgargus est animal mundū quoad esum, *vt patet Deuteronom.* 14. Est animal cornutum & barbatum, sicut hircus, minus ceruo, maius hirco: vnde similis est hircoceruo sed longe minus. *Quare infra* de tragelapho. Ruminat sicut hircus, & findit vngulā sicut ceruus, & est animal agreste, magnæ velocitatis, nemora inhabitat & deserta. *Huguitio autem dicit* quod pygargus est auis parua & depressa: vnde dicitur quasi πυγὰς ἔχων ἀργάς. Sed *in Deute.* supponit pro animali quadrupede, quod est simile hircoceruo, *vt ibi innuit glossa.* Nec aspiratur ibi prima syllaba: vnde cum h non debet scribi, quidam scribunt philargum, sed male vt patet in libris correctis.

Cap. LXXXIV.

De Pygmæis.

PYgmæi sunt homines parui, statura cubitali, quos Græci à cubito Pygmæos vocant. Hi montana Indiæ tenent, quibus vicinus est Oceanus, *vt dicit Papias. Sed dicit Aug. sic*: Pygmæi tantum semicubitales sunt, qui tertio anno perfectæ sunt ætatis, septimo senescunt. Dicūtur autem pugnare contra grues, à quibus armati ferro aliquoties deuincuntur. *De pygmæis autem dicit Plinius libro* 7. *capit.* 2. Pygmæi ternos, vt ferunt, dodrantes non excedentes, salubri cœlo, semper vernante, habitant in terra temperata montibus oppositis ex partibus aquilonis, quos grues infestare fama est. Qui insidentes arietum & caprarum dorsis armati sagittis verno tempore congregato agmine, ad mare descendunt, & oua & pullos gruū pro viribus destruunt & consumunt. Et hanc expeditionem faciunt tribus mensibus, quod si non facerent, futuris auium gregibus resistere non valerent. De pennis autem earum & ouorum putaminibus sibi casas faciunt, *vt dicit idem. Et subdit:* Aristot. autem in cauernis viuere pygmæos tradit.

CAP. LXXXV.

De Porco,

PORCUS *Vt dicit Isidorus lib.* 12. quasi spurcus dicitur. Ingurgitat enim se cœno, & luto immergit, limo se illinit, & in locis fœtidis requiescit. *Vnde & Horat.*

-- *& amica luto sus.*

Hinc & spurcus vilis & spurius nuncupatur. Cuius pilos setas dicimus, cum quibus sutores consuunt sotulares, *Vt dicit idem.* Sunt autem porci quidam domestici: alij syluestres. Masculi autem inter domitos dicuntur verres, eo quod grandes habeant vires. Fœminæ autem dicuntur sues quasi pascua subigentes, id est, subacta terra cibaria exquirentes. Inter syluestres masculi dicuntur apri, id est feri, *Vt dicit Isidorus. De porcis autem dicit Plin. lib. 7. cap.* 51. Porci nascuntur dentati, *Vt tradit Nigidius*, mares non vltra trimatum generant. Porcus amisso oculo cito extinguitur, vsque ad 15. annos vel 20. viuere potest. Multis infirmitatibus subiacent porci, & quando infirmantur, obliquum tenent caput. Volutati in luto plus iacent in latere dextro quam leuo. Pinguescunt, 40. diebus, sed magis in principio saginationis, per triduum inediam patiuntur, mutuo se diligunt, & mutuam vocem noscunt, vnde vno clamante, omnes accurrunt & ipsum pro viribus iuuare satagunt & contendunt. Domestici propria hospitia domosque petere discunt, & ad eas etiam sine duce redire de vespere cõsueuerunt, *Vt dicit idem.* Eundo & iacendo grunniunt, & dum dormiunt, maxime si fuerint pingues. Sunt autem porci fortioris somni in Maio quam in alio tempore anni, & hoc accidit eis ex fumis, per calorem vernalem resolutis, ab humoribus in hyeme in ipsorum corporibus aggregatis, & ideo tunc suauius dormiunt & diutius, propter resolutos mulcebres fumos, ipsorum cerebrum tunc temporis suauiter opilantes. In æstate vero etsi multa sit humorum resolutio, fortis tamen fit eorundem consumptio & desiccatio propter excessum æstiualis caloris, & non fit tanta fumorum generatio, qui sunt causa somni, propter quod non tantum dormiunt in æstate quantum in vere, *Vt dicit Auicen.* In autumno autem & in hyeme sunt humores compacti, ex frigiditate aeris eos forinsecus constringente

gente

gente, & ideo pauci fumi tunc temporis resoluuntur propter excessum frigoris humores in corpore compingentis. *Vt dic. idem. Arist. autem dicit de porco li. 2.* Porcus non eiicit dentes omnino, & est masculus plurium dentium quam sit fœmina. *Item Aristot. lib. 3.* Porcus saltat post octauum mensem, & fœmina parit post annum, & quod generatur ex spermate maris ante vnum annum, est debile valde, &c. *Item idem.* Porcus habet consuetudinem, quod si coierit prius cum aliqua tunc sui filij sunt pauciores ex secunda & minoris corporis. Et quando porca virgo prius fuerit impraegnata pariet filios minores. Porca si fuerit multū pinguis, erit eius lac paucum post eius partum. Et meliores sunt filii qui nascuntur in hyeme, & peiores qui in æstate. Et meliores sunt filij qui generantur in iuuentute quam qui generantur in senectute. Porcus autem cum impinguatur potest coire in omni tempore, nocte & die & magis in mane. *Item libro 6.* cum parit porca primo filio primam dat mamillam. Quando multum appetit coitum non dimittit matem saltare super eam, quousque declinent auriculæ. Et multum est hordeum bonus cibus porcis quando debent generare, maxime decoctum. *Item lib. 6.* Porcis accidit triplex infirmitas. Vna quæ dicitur βράγχος, & est apostema in auricula, & in mandibula, & sæpe in pedibus. Et caro, quæ est in illo loco, corrumpitur, & transit paulatim corruptio ad carnem vicinam, donec veniat ad pulmonem, & tunc suffocat spiritum & expirat. Augmentatur hæc infirmitas subito: vnde & pastores porcorum, quando primo cognoscunt infirmitatem, præscindunt membrum, in quo est infirmitas, non enim curari possunt sine incisura. Alia accidit eis infirmitas, quæ dicitur dolor & ponderositas capitis, & ex ipso moritur maxima pars porcorum. Alia infirmitas est fluxus ventris, & hæc vix habet remedium, quoniā interficit in tribus diebus. Et quando porci sunt grossi, tunc iuuat eos comedere mora. Et iuuat eos balneum, quando aqua eius fuerit multum calida, & minuuntur venę sub lingua eius. Item cibus diuersus impinguat porcos: & quidam cibi inflant: & quidam generant carnem: & quidam pinguedinem. Et tam porci quam porcæ delectantur comedere glandes, quia eorum temperant carnes, tamē si porcæ comederint multum de eis, abortient

bortient ſicut oues. *Multa alia refert de eis Ariſtot. Quare de apro & infra de ſue.*

CAP. LXXXVI.

De Pediculo.

PEdiculus cutis eſt vermis, à pedibus ſic vocatus, *vt dicit Iſidorus lib.*12. Plus enim pedum motu quam morſu lædit cutem. Ex humidis & corruptis vaporibus intercutaneis per poros reſudantibus generatur. *vt dicit Conſtant. in viat.* Sępe, *inquit*, pediculi & lendes naſcuntur in capite vel in cute ex purgationibus, quas natura eiiciens, facit conſumere inter cutem & carnem. *Super quem locum dicit expoſitor.* Quidam pediculi ex humore ſanguineo generantur, & ſunt rubei & groſſi: quidam ex phlegmatico, & molles ſunt & albi: quidam ex cholerico, & ſunt citrini, longi, veloces & acuti: quidam ex melancholico, & ſunt iſti cinerei coloris, id eſt ſubnigri & macilenti & motus tardi. Vbi autem eſt nimia pediculorum multitudo in corpore multum plectorico & corrupto, ſignum ſolet eſſe corruptionis generalis, vt morpheæ ſiue lepræ, *vt dicit idem.* Contra pediculorum autem moleſtiam valet capitis frequens ablutio, pectinatio, & medicinalis mundificatio. Nam *vt dicit Conſtantin.* Argentum viuum cum cinere ſalicis eos necat, & præcipue ſi ex calido humore generantur. Item facit λιθάργυρος id eſt plumbum vſtum cum oleo & aceto. Si vero generantur ex humore frigido, valet ſtaphyagria, auripigmentum cum oleo & aceto. Similiter aqua marina & ſaluiatica cum aceto. Secundum autem differentes naturas animalium ſunt in eis differentiæ pediculorum, vt patet in porco, cuius pediculus dicitur vſia ſic dictus, quia vrit, nam vbi mordet, adeo locus ardet, vt ibi veſicæ fiant, *vt dicit idem Iſidor. lib.*12. Quilibet autem pediculus tanto acrius mordet & lædit, quanto plus macreſcit.

CAP. LXXXVII.

De Pulice.

PVlex vermis eſt modicus moleſtus hominibus maxime & infeſtus, à puluere dictus, eo quod à puluere potiſſime nutriatur, *vt dicit Iſidorus lib.*12. Eſt autem vermiculus

miræ leuitatis, non cursu sed veloci saltu pericula effugiens & euadens. Tempore frigido pigrescit vel deficit, æstiuo tempore insolescit. Quamuis autem non sit de animantibus quæ procedunt per manifestam sexus commixtionem, multplicat tamen suam speciem per ouationem, quia oua quædam in se gignit, ex quorum emissione vnicus pulex multos producit. Vnde pulex albus quidem nascitur, sed quasi subito in nigredinem commutatur. Sanguinem appetit, & carnem cui insidet, terebrat & perfodit. Liquidiorem partem intercutanei humoris sugit, & in parte corporis, cui insidet, sugendo sanguinem rubicundũ vestigium derelinquit. Dormire volentes acri morsu impetit, nec etiam regibus, si eorum carnes paruus pulex tetigerit, quin eos molestet, parcere consueuit. Eis siquidem absinthium est venenum. Similiter & folia persicorum, *vt dicit Consta.* Colocynthis valet contra pulices si trita & mixta fuerit cum aqua per loca, vbi abundant pulices, aspergatur. Similiter folia absinthii, quia vt dicitur eorum odore & sapore moriuntur. Propter saltus velocitatem de facili non capiuntur. In calore contra tempus pluuiosum acrius mordet pulex.

CAP. LXXXVIII.

De Rhinocerote.

Ρινόκερως Græce, Latine animal cornu in nare habẽs interpretatur, idẽ est μονόκερως, i. e. vnicornis, bestia sæuissima appellata, eo ꝙ vnũ cornu in media fronte habeat quatuor pedum, ita acutum & validum, vt quicquid impetierit, aut ventilet aut perforet, *vt dicit Isidorus libro 12.* Nam cum elephante sæpe certamen habet, quem vulneratum in ventre prosternit. Tantæ autem est fortitudinis, vt nulla venantium virtute capiatur. *Sed sicut asserunt, qui de naturis rerum scripserunt,* virgo puella proponitur, quæ venienti sinum aperit, in quo ille omni ferocitate deposita, caput ponit sicque soporatus velut inermis, capitur & interimitur iaculis venatoris. *Hucusque Isidorus lib. 12. Gregorius super Iob addit in moralibus ad iam dicta.* Rhinoceros, inquit, fera est naturæ omnino indomitæ, & si quo modo capta fuerit, teneri nullatenus possit, impatiens, quia, *vt dicitur,* ilico moritur. De Rhinocerote *dicit Plinius*

nius lib. 8. *cap.* 20. Rhinoceros in nare habens cornu, id est, in media fronte supra nares. Hostis est elephantis, vnde suum cornu limat ad saxa & acuit, & sic se præparat pugnę, & in dimicationę aluum impetit elephantis, quam scit partem corporis esse molliorem. Longitudo par inest ei vt equo, sed crura multum breuiora. Color eius buxeus. Et sicut innuit idem *lib.* 8. *cap.* 22. Huius feræ multæ sunt species, scil. Rhinoceros, Monoceros, Ægoceros. Est autem *μονόκερος, vt dicit idem*, fera asperrima, similis equo in corpore, & ceruo in capite, pedibus elephanti, cauda apro. Mugitum emittit grauem, vnum cornu magnum emittẽs in media fronte habet duorum cubitorum. Hanc feram viuam negant capi. Αἰγόκερος species dicitur esse vnicornis, & dicitur Latine capricornus, ab αἶξ quod est capra, & *κέρος* quod est cornu, animal est pusillum, simile hædo, acerrimum nimis, in media fronte vnum gerens cornu. *Item dicit Plin. ibidem*, quod in India sunt vnicornes boues, habentes candidas maculas & solidas vngulas sicut equi. Sunt & asini quidem Indici vnicornes, *vt dicit Aristo. Auicen. & Plinius*, qui sic dicti sunt, eo quod vnũ in fronte habent cornu inter aures. Residuum autem corporis ipsorum, simile est corpori onagrorum syluestrium asinorum. Sed talis *μονόκερος* est minoris audaciæ & feritatis quam sunt alii vnicornes. Et dicit *μονόκερος* à *μόνος* quod est vnum, & *κέρος* quod est cornu, quasi in capite gestans cornu vnum. Et declinatur Rhinoceros, otis, sicut Monoceros, otis. Et sic de aliis.

Cap. LXXXIX.

De Rana.

RAna à garrulitate vocis sic est vocata, eo quod strepũt, & sonos vocis importunis clamoribus reddunt in paludtribus vbi generantur, *vt dicit Isido. lib.* 12. *cap.* 3. *de piscibus.* Ex ranis autem quædam sunt aquaticæ, quædam palustres, quædam rubetæ, *de quibus supra dictum est in litera B. de Bufone.* Aliæ calamitæ, quæ sic sunt vocatæ, quoniam inter arundines habitant & frutices: vnde & in calamis conuersantur, & sunt valde paruæ & virides & mutæ

sine voce. Aliæ sunt agredulę ranę paruulæ in sicco vel in aruis morantes, vnde sic sunt nuncupatæ. Est autem quædam species ranæ, quæ missa in os canis, facit eum obmutescere. Sed hoc multi negant, *vt dicit Isidorus lib.* 12. Aristotel. autem dicit de rana *lib.* 4. quod habet linguam propriam, quæ anterius linguæ suæ applicatur ori suo, & quasi ligatur, sicut extremitas linguæ piscis, licet posterius & inferius ad linguam cannam habet absolutam. Et propter hoc habet rana linguam propriam, & est coax, & non facit hoc nisi in aqua tantum. Et proprie masculus tempore coitus clamat fœminam, quia quodlibet animal habẽs vocem, vociferat tempore coitus. Rana autem multiplicat vocem, quando ponit mandibulam inferiorem æqualiter in aqua, & extenderit superiorem, & per extensionis conatum duarum mandibularum. Lucent eorum oculi sicut candelæ, & hoc de nocte maxime, sed coeunt de nocte plus quam de die. Et omnes pisces nutriunt pullos suos præter ranam, *vt dicit idem lib.* 7. Quando autem primo in aqua formantur ranæ, videntur totaliter esse caput cum quadam extremitate dependente ad modum caudæ, deinde dilatatur totaliter in ventrem, sublata cauda, crescunt ei pedes, & in animal quadrupes transformatur. Mouentur omnes ranæ præter bufonem vel rubetam, potius saltando quam gradiendo, nam vetus rubeta raro salit. Rana igitur aquosa est seu paludosa, clamosa, limosa, ventrosa, tumorosa, sub ventre maculosa, venenosa, & ideo abominabilis hominibus, & maxime odiosa, in terra viuit pariter & in aqua.

Cap. XC.

De Salamandra.

Salamandra, *vt dicit Plin. lib* 10. *cap.* 48. est similis lacertę in figura, nunquam apparet nisi in magnis imbribus, deficit autem in sereno, & tantus est ei rigor, vt ignem tactu extinguat sicut glacies. Saniem lacteam ore euomit, quæ si hominis tetigerit corpus, toti defluunt pili, & quod tactum est corrumpitur, & in colorem turpem commutatur. Salamandra itaque genus est lacertuli siue stellionis, animal pestiferum & summe venenosum. Nam, *vt dicit Plin.* lib. 29. *cap.* 4. fructus arborum inficit, aquas inficit, ex qui-

ex quibus si quis comederit vel biberit, mox necatur, sed si saliua eius pedem tetigerit, totum hominem inficit & corrumpit. Et quamuis tanta sit in salamandra vis veneni, à quibusdam tamen animalibus manducatur loco cibi. Inter medios ignes viuit sola animaliũ, *Vt dicit idem*, imo incendiũ igneũ extinguit. Et est genus salamandrę, cuius pellis est villosa & pilosa, sicut pellis vituli marini, ex qua fiunt aliquando cinguli ad vsus regum, quæ post longam vetustatem in ignem proiecti non exuruntur, sed post diuturnam inflammationem illæsi & purgati, quasi renouati ab ignibus extrahuntur, & ab illa pelle fiunt elychnia in lampadibus & lucernis, quæ nullo incendio corrumpuntur. *Quære supra in litera A. de anguium diuersitate, & inuenies ibi de hoc verme.*

CAP. XCI.

De Sanguisuga.

SAnguisuga est vermis aquatilis, sic dicta, eo quod sanguinem diligit atque sugit, potantibus insidiatur, cum illabitur faucibus, vel vbi vspiam adhæserit, sanguinẽ haurit, & cum nimio cruore maduerit, euomit quod hausit, vt de nouo recentiorem sugat, *Vt dicit Isid. lib.*12. Vermis est coloris subnigri, quibusdam virgulis rubeis distinctus, corpore mollis, oblongus & fluxuosus, os habet triangulum, & in ore fistulam, cum qua sanguinem sugit, venenosis insidet. Et ideo quando debet apponi membro, causa medicinæ primo debet inuolui in vrticis & in sale, vt sic compellatur euomere si quid forsan hauserit venenosum, in aqua tepida, in tempore calido citius membro se applicat ad sugendum.

CAP. XCII.

De Stellione.

STellio nomen sumpsit à colore. Est enim bestiola tergo depicta lucentibus guttis in modum stellarum. De quo *dicit Ouidius*:

-- aptumque colori,
Nomen habet variis stellatus corpore guttis.

*Vt dicit Isid. lib.*12. *Vbi subiungit.* Stellio autem adeo scor-

pionibus est contrarius, vt viso eo pauorem his inferat & torporem. *Plin. lib*.8. dicit quod stellio maxime de rore viuit. Et quamuis sit animal pulcrum & depictum, multum tamen est venenosum, quia *vt dicit Plin. lib*. 19. *cap*. 2. ex stellione pessimum fit medicamentum, nam cum fuerit mortuus in vino, faciem eorum qui bibunt lentigine obducit, ob hoc enim vnguētum necant stellionem qui formæ inuident meretricum, cuius remedium est oui vitellum, mel & vitrum. Et fel stellionis in aqua tritum, mustelas dicitur congregare. Et est stellio genus lacertæ, reptile & quadrupes, habens pedes latos & digitos scissos, ad modum manus, quibus repit ad domorum & murorum rimas, in quibus facit cauernas suas, & mutat spolium suum in senectute, sicut serpens, *vt dicit idem*. & latitat in hyeme in cauernis, & hebetatur visus eius. In vere autem exiens de cauerna sentiens defectum visus, mutat locum, & quærit sibi locum & cauernam ad orientem, & continue aperit oculos contra Solis ortum, donec in oculo desiccetur humor, & consumatur nebula, quæ oculis caliginē inducebat. *Super Prouer. autem cap*. 30. *innuit glos*. quod stellio est animal velocissimum, & tamē non pennatum, sed tantum velocitate pedum repit & scandit ad sublimitatem domorum ac murorum.

CAP. XCIII.

De Serpente.

SErpens est dictus, eo quod occultis serpit accessibus, non graditur publice & aperte, sed squamarum nisibus repit occulte *vt dicit Isido. lib*.12. De cuius natura hic non prosequor, quia supra in litera A, vbi agitur de angue, omnia sunt prolixius explanata, tamen quasdam notas proprietates & vulgatas, hic breuiter inserere non pigebit. *Dicebat Ioa. de S. Egidio de serpente sic*: Formidat nudum. Dicit enim, quod insilit in vestitum, sputum fit sibi venenosum, quia saliua ieiuni hominis venenum est serpenti, pugnat pro capite, in quo dicitur esse sedes cordis. Caro frigida, hoc dicitur, quod frigidæ est naturæ. Pectore & ventre incedit, hoc dicitur, quia rectis non graditur vestigiis, sed magis serpit, annis singulis se renouat, loca muscida lin-

da lingit, scil. loca putrida, subumbrat, id est, loca vmbrosa amat. Respicit oblique, quia lateraliter non directe trãsfigit aculeo, & dente flectitur in se, quia tortuosus est, & non rectus. Abscondit lepram, quia comeditur, ne talis infirmitas reueletur, non cessat vertere linguam, quia serpens semper mouet linguam ex vi veneni. Esurit & patitur, diu enim sustinet famem, claudit aurem suam, ne audiat incantantem, vinoque venatur. Sibilat antequam mordeat, interimit omne quod mordet, auis hostis, quia flatu interimit eas, iacta resumit, quia venenum quod eiicit, reiterato resumit.

Cap. XCIV.

De Simia.

Simia græce à suppressis naribus est vocata: vnde & simias vocatas *dicit Isidor.* eo quod naribus suppressis sint, & facie fœda, rugis turpibus follicantibus. Alii dicunt simias a similitudine rationis nominatas, quia in multis actus hominis imitantur. Sed hoc est falsum, *vt dicit Isido. lib.* 12. *Et subdit.* Simiæ sunt elementorum sagaces, noua luna exultant, media & caua tristantur. Quando duos habet fœtus, fœtum, quem plus amat, in brachio suo portat: quem vero minus diligit, humeris gestat, quando sibi instat necessitas fugiendi, cum vero arctatur ab insequente fœtum brachiis portatum proiicere compellitur, & alio qui humeris insidet pressa tardior ad fugam redditur, & ideo à venatore facilius & citius præuenitur. Simiarum autem quinque sunt genera, *vt dicit idem*, ex quibus Cercopitheci caudas habent. Simia enim est cum cauda quam quidam clunam vocant. Sunt & aliæ quæ cynocephalæ sunt dictæ, quia facie canibus sunt similes, sed corpus habent simiarum. Sunt & sphingæ villosæ comis & mammis prominentibus faciles ad feritatis obliuionem. Sunt & Satyri facie admodum grata & gesticulantibus motibus inquieta. Sunt & callatriches, quæ toto pene aspectu à cæteris distant, nam in facie sunt productæ barba & lata cauda, *vt dicit Isidorus. Item dicit Plinius libro* 8. *cap.* 54. vbi dicit simiarum genera figuræ hominis sunt proxima, caudis inter se distinguuntur. Mira solertia, visa singula facere nituntur: vnde calceare se solent calceis à venatoribus ex

industria derelictis, & sic facile capiuntur. Nam dum se volunt calceorum ligamentis constringere & calceamenta, prout viderant à venatoribus, facere suis pedibus coaptare, antequam se possint à calceorum vinculis expedire, à venatoribus sæpissime capiuntur. *Item Plinius ibidem.* Simiarum erga fœtum maxima est affectio, nam mansuefactæ intra domos catulos, quos pariunt, omnibus demonstrant, tractarique gaudent, & gratulantes & sibi applaudentes cognoscunt. *Hucusq; Plinius. Dicit tamen idem lib. eo. cap.* 22. Sunt in India simiæ toto corpore candẽtes, quas Indi Orsei capiunt & venantur. *De simia autem dicit Auicenna libro secundo.* Communicat simia in forma cum homine, & in pilositate cum lupo. Et sunt aliquę simię prauorum motuum atq; morum, & earum dentes quasi canum, & morsus malitiosus, & maxime illarum quæ habent caudas. Aliæ autem sunt villosæ anterius præter faciem, & talium dentes sunt sicut dentes hominis, & alia habent sicut homo, & oculos subrufos & asperos & acutos, & mãmas in pectore, & manus & pedes & digitos sicut homo, & potest ambulare super duos pedes, quia habet calcaneum, & ei innititur sicut homo, & hæc habẽt pauca animalia præter hominem, & maxime quadrupedia, *vt dicit Arist.* In vulua autem assimilatur mulieri, & virga masculorum est sicut canis, & interiora eius sunt sicut hominis. *Hucusque Auicenna. Hac eadem dicit Aristoteles lib.* 2. *vbi dicit.* Sunt animalia communicãtia in natura hominis quadrupedia vt simia, &c. *Vnde recitat omnia supra dicta.* Est itaquę simia bestia monstrosa, hominis tamen naturæ repræsentatiua, disciplinæ susceptiua: vnde ad saltandum & variis modis ludendum informatur. Bestia siquidem est indomita & malitiosa ex natura, & verberib. & catenis per violentiam domatur, trunco opprimitur, sine quo nec libere discurrere permittitur, vt eius insolentia reprimatur. Cibis omnibus vescitur, & immundis delectatur, propter quod in hominum capitibus vermes quærit, quos inuentos in os proiicere non dedignatur. Simiarũ carnes desiderat leo quando infirmatur, quia eius esu dicitur conualescere, quando grauiter infirmatur, *vt dicit Isidor & Plinius. Quære supra de Leone.*

CAP.

Cap. XCV.

De Sirena.

SIrena sirenæ, vel siren sirenis, dicitur monstrum, quod dulcedine sui cantus trahit nautas ad periculum, vnde dicitur ἀπὸ τοῦ σύρειν, hoc est, à trahendo, *vt dicit Huguttio. Glossa autem super Isa. dicit.* Sirenæ sunt serpentes cristati & alati. *Alij autem dicunt*, quod sunt pisces marini, in specie muliebri. *Papias autem dicit.* Sirenæ sunt dracones magni volantes & cristati, *vt quidam putant. Isidorus autem lib. 20. vbi agit de portentis dicit.* Sirenes tres finguntur fuisse ex parte virgines & ex parte volucres, vngulas & alas habentes, quarũ vna voce, altera tibia, tertia lyra canebat, quæ illectos nauigantes sub specie cantus ad naufragium pertrahunt. Secundum veritatem autem meretrices fuerunt, quæ transeuntes ad ægestatem ducebant, ficti sunt perducere ad naufragium nauigantes. *Dicit autem Isidor. lib. 12.* In Arabia sunt serpentes cum alis qui sirenæ vocantur, quæ plus currunt quam equi, & volare dicuntur, quorum virus tantum est, vt ante mors, quam dolor sentiatur. *De sirene autem dicit physiologus.* Siren est monstrum marinum ab vmbilico & sursum habens formam virginis, inferius figuram piscis. Hæc belua in tempestate gaudet, in sereno autem dolet. Hæc dulcedine cantus facit dormire nauigantes, quos cum viderit consopitos, ad nauem accedit, & quem poterit rapere secum ducit, & perferens ipsum ad locum siccum primum ipsum secum coire cogit, quod si coire noluerit, vel non poterit, illum perimit, & eius carnes deuorat & transglutit. *De talibus monstris legitur in historia Alexandri Magni.*

Cap. XCVI.

De Scorpione.

SCorpio, *vt dicit Isidorus lib. 12.* est vermis terrenus, habens in cauda aculeum arcuatum, sic græce dictus, eo quod cauda figat, & arcuato vulnere venena diffundat. Cuius proprium est, vt palmam manus non feriat neq; lædat, *vt dicit idem.* Et dicitur scorpio à σκόρπη quod est dulce, & ποιέω, ῶ, id est, fingere, quia in anteriori parte blan-

ditias fingit, in posteriori pungit. A scorpione autem verme per similitudinen dicitur rubus aculeatus, vel flagellum virgæ nodosæ. Item scorpio dicitur signum in cœlo, quia Sole existente in illo signo, primos frigoris aculeos tunc sentimus. *Vnde Horatius:*

Matutina parum tunc cautos frigora lædunt.

Item scorpio est sagitta venenata, arcu vel tormentis excussa, quæ dum ad hominem venerit, dum infigitur, virus diffundit, vnde & nomen accepit. *De omnibus his dicit Versificator.*

Scorpius est signum Vermisq; sagitta flagellum.

De scorpionibus autem *dicit Plinius libro* 11. *capite* 26. Scorpiones pariunt vermiculos ouorum specie, & perimunt importuna peste, venenosi sicut serpentes, per triduum valde lædit scorpionis venenum, & post lenta morte perimit nisi citius sibi occurratur, lethali ictu percutiunt virgines, quando eas feriunt, similiter & fœminas, sed non tam cito, viros autem maxime lædunt, matutino tempore quando exeunt de cauernis suis, priusquam fortuito aliquo ictu ieiunum infundunt venenum, semper cauda parata est percutere, nulloque momento cessat à læsione, si eis datur ocasio lædendi & obliquo ictu & inflexo feriunt, venenum candidum eos infundere *Apollodorus autor est*, qui nouem descripsit scorpionum nociuorum genera per colores. Geminos habent quidam aculeos, & inter hos sunt mares sæuiores, & maxime tempore coitus, & hi sunt cæteris graciliores & longiores. Omnium autem venenum in meridie magis est nociuum, quando Solis ardoribus canduerit, similiter quando sitiunt & habent quædam internodia in cauda, quæ quanto plura, tanto peiora eorum sunt venena, & aliquando sunt illa internodia sena, aliquando septena. *Tradit autem Apollodorus* quosdam in Africa habere pennas, & illi sunt valde nociui, & hos quidam venefici, qui quęstus gratia colligunt diuersarum terrarum venena, illos allatos scorpiones referre in Italiam sunt conati, sed infra regionem cœli Italici nullatenus viuere poterunt. Videtur tamen aliquando in Italia, sed sunt innocui. In Scythia percutiunt porcos nigros, qui citius moriuntur, si in aquam post ictum se immerserint, homini à scorpionibus percusso, cinis eorum

pota-

potatus in vino est remediũ, submersi etiã in oleo succurrunt periculo quod pungendo animalia induxerunt. Nullum animal lædit scorpio carens sanguine, & sunt quidam scorpiones, qui pariunt vndenos fœtus, quos mater quandoque deuorare dicitur, sed vnus, qui magis est solers, scandit super clunes matris vbi tutus residet, à cauda & à morsu, hic genitorem interficit, & fraternæ cædis vltor existit, & hoc prouide fecit natura, ne pestifera progenies nimium propagetur. *Hucusq; Plinius libro* 11. *Dicit autem Aristoteles libro* 7. quod scorpiones, qui comedunt venenosa, sunt peioris veneni, & dracones quidam comedunt scorpiones, & illi sunt pessimi contra puncturam aut scorpionum multa sunt remedia, *Vt patet supra libr.* 5. *de morbis & venenis.*

Cap. XCVII.

De Sue.

SVs *Vt dicit Isidorus,* à subigendo est dicta, eo quod terram rostro subigit propter cibum, terram enim sulcat & subuertit, vt dentibus perueniat ad radices. *Plinius autem libro* 8. *cap.* 51. *dicit,* suillum pecus circa vernum æquinoctium concipit, bis in anno parit, 4. mensibus in vtero trahit, viginti filios quandoque producit. Sed educare nequit, & aliquando omnes deuorat præter primum, illum magis diligit qui primo de vtero exit, quia ei magis est naturalis, & ei semper primo primam mamillam porrigit, *Vt dicit Plinius, Solinus & Aristoteles libr.* 6. Est autem animal immundum & gulosum, auide deuorans quodlibet fœtidum & immundum, balneum putat lutum, & reuoluendo se in luto & quiescendo impinguatur, *Vt dicit Aristoteles lib.* 7. & impinguatur præcipue in quiete, & septima pars sui cibi transit in pilos & in sanguinem & in consimilia, & cum parit, crescit & macrescit, quia nutrimentum transit in lac, vnde eius filii nutriuntur, & quando habet iuuenes, magnæ est ferocitatis, & pugnat pro eis contra lupum. *Alias eius proprietates quære sup. in litera P. de porco, & in litera A. de apro.*

Cap. XCVIII.

De Tauro.

Taurus est bos masculus non castratus, *vt dicit Isidor.* & est Græcum nomen sicut bos. Indicis autem tauris, *vt dicit idem libr.* 12. est color fuluus, & velox pernicitas, pilis in contrarium versis, caput circumflectit flexibilitate qua vult. Tergi duritia omne telum respuunt immiti feritate, qui ab arbore ficus alligati omnem amittunt feritatem, & subito mansuescunt, *vt dicit Isidorus libr.* 17. *quare sup. de ficu in litera F.* Est animal superbum & ceruicosum, cuius maxima fortitudo est in collo, & in cornibus ac ceruice, *vnde Plinius libro* 8. *cap.* 45. Generositas tauri patet in aspectu & in cornuta fronte, & in auribus setosis, ac in cornibus, in procinctu dimicationem præ offerentibus, cuius tota comminatio in prioribus pedibus stat, quibus in altum spargit arenam, & ex tali sparsione singulariter inter animalia inardescit, *vt dicit idem Aristoteles lib.* 2. Taurus habet epar rotundum simile epati hominis, & pascitur solus ante tempus coitus & amoris, & tunc vaccis se associat, *vt dicit idem lib.* 7. & tunc contra alios fortissime pugnat. *Item in eodem.* Tauri impinguantur ab herbis & granis ventositatem generantibus, ab extremitatibus pisarum & fabarum, & huiusmodi. Et si quis inciderit parum corium, & cum fistula sufflando parum cutem à carne eleuauerit, & post ei dederit ad manducandum, impinguabitur, & impinguatur cum dulcibus cibis, sicut cum ficubus & vuis passis. *Item lib.* 7. tauri faciunt contrarium equis, quia nisi aqua fuerit frigida & pura, non curant potare eam. *Item idem libro* 7. Propter vxores pugnant tauri, & qui vincit, salit super fœminam, & cum debilitatur per multitudinem coitus venit victus, contra eumque pugnat, & qui vincit, salit super fœminam quasi gaudens de triumpho, & tauri vtuntur coitu post annum, & forte post octo menses, sicut & vacca, *quare infra de vacca.* Tauri autem quamdiu non sunt castrati, feroces sunt & superbi, sed ablatis testiculis, effœminati redduntur & pigri, imbelles penitus & mansueti, crescunt tamen corpore & impinguescunt & aratrorum iugo mansuescunt. *Quare infra de vitulo castrato. Item in libro* 19. *in fine dicitur,* quod tauri ha-

ri habent fortiores neruos & ligamenta, id est, lacertos, quam boues, quia in castratis omnia corporis membra emollescunt. Et in corde tauri inuenitur sæpe os, sicut in corde cerui. Sunt autem quidã tauri agrestes, *vt dicit Plin. libro* 8.*cap*.22. Sunt, inquit, tauri atrocissimi syluestres, cæteris maiores & velociores, colore fului, & oculis cœruleis, pilo in contrarium verso, rictum ad aures extendentes, cornua mobilia habent, alternatim in pugna mouent, tergum habent durum ad modum silicis, ita quod vulnerari non potest, hanc feram omnes venantur, nec aliter potest capi quam in foueis, capti per feritatem intereunt & præ indignatione moriuntur.

Cap. XCIX.

De Tragelapho.

TRagelaphus est dictus hircoceruus, τράγος quod est hircus, & ἔλαφος quod est ceruus. *Et dicit Isid. libr*.12. tragelaphi â Græcis sunt nominati, qui dum sunt eadem specie vt cerui, villosos habent armos vt hirci, & mentum demissis hirsutum barbis. *De his autem dicit Auicen. lib*.12. quædam agrestia animalia habẽt cornua tortuosa, vt hircoceruus, qui tragelaphus dicitur, & pedes eius habent soleas, & corpus eius crescit ad quantitatem cerui & sunt fortes valde & facies eius declinant, & cornua eorum sunt sicut hinnuli.

Cap. C.

De Talpa.

TAlpa est quædam bestiola ad similitudinem muris, *de qua dicit Isidorus libr*. 12. quod sit damnata cæcitate perpetua in tenebris, est enim absque oculis, rostrum habet ad modum porci, cum quo terram fodit, & humum egerit, & radices sub terra comedit & corrodit. Solem odit & fugit, nec diu potest viuere super terram, nigram habet pellem, villosam & mollem, crura breuissima & pedes latos, & per digitos distinctos ad modum manus. *Aristoteles autem de talpa dicit sic*: Omne animal generans animal sibi simile, habet oculos præter talpam, quæ non habet oculos apparentes, sed si quis inciderit corium subtiliter, inueniet

ueniet interius vestigia latentium oculorum. Et putaue-
runt aliqui, quod illud corium rumpitur præ angusti[a]
quando incipit mori, & tunc incipit aperire oculos i[n]
moriendo, quos clausos habuit in viuendo. *Dicit ad h[oc]*
Plinius libro 19. cap. 49. Liquidius audiunt talpæ obrut[æ]
terra denso atque surdo naturæ elemento, & si homine[m]
audierit loquentem, fugit à remotis.

Cap. CL.

De Taxo.

TAxus est melis animal, scilicet ad quantitatem vulpis
cuius pellis valde est hispida & villosa & dicitur me-
lota, *vt dicit glossa super illud verbum, Circumierunt in me-*
lotis, &c. Heb. 11. De hac bestia scilicet de taxo siue de mele
dicit Plinius libro 8. cap. 39. Est & melis quædam solertia,
quando enim eos canes insequuntur, anhelitum & flatum
retinent, retinendo cutem extendunt, & sic morsus ca-
num & ictus hominum arcent, futuram præuident tem-
pestatem, & ideo sibi faciunt cauernas subterraneas diuer-
sos exitus continentes, vnde quando flat ventus aquilo-
naris, obturant caudarum villositate introitum aquilo-
narem, & apertum dimittunt tunc australem, & è conuer-
so. In eisdem autem latibulis sibi prouident in pastu contra
hyemem, & si quandoque eis defecerit cibus, eis pro ciba-
riis erit somnus, *vt dicit idem.*

Sunt enim de generibus animalium, quæ in hyeme se
abscondunt, & pro magna parte de somno viuunt, *vt supr.*
de mure. Est quædam species taxi, *vt dicit physiologus*, quæ
absolute cibos contra hyemem vna cum fœmina colligit
& reponit, & veniente algore hyemis, timens masculus
ne cibi collecti nimis cito deficiant, fœminam ab esu re-
primit, & ipsam ad saturitatem comedere non permittit,
quæ pacem simulans, & quasi taxo masculo cedens, cauer-
nam latenter exit, & per partem oppositam latibulum in-
trans, ignorante masculo fauces aperit, diu aggregatos ci-
bos deuorat & consumit. Hæc bestia, *vt dicit idem*, vul-
pem odit & cum eadem dimicare consueuit, sed videns
vulpes quod propter duritiã & villosam eius pellem eum
lædere non poterit, se victam simulans, fugam petit, &
dum

...m taxus prædam quærit, vulpes eius latibulum subin-
...ns, vrina & aliis immunditiis taxi cubiculum inficere
...nsueuit, cuius fœtorem abhorrens melis defœdatum
...micilium derelinquit, & aliam mansiunculam necessa-
...m sibi quærit.

Cap. CII.

De Tigride.

Tigris est bestia ad fugam velocissima ad modum sagit-tæ, sic enim Persę sagittas vocant, *vt dicit Isidor. lib.* 12. ...t enim bestia variis maculis distincta, virtute & velocita- ...mirabilis, ex cuius nomine fluuius tigris appellatur, eo ...od rapidissimus sit omnium fluuiorum. Tigrides enim ...agis Hyrcania gignit. *Hucusque Isido.* Dicitur autem hic ...gris huius tigridis pro bestia, sed pro fluuio hic tigris hu- ...s tigris, *quære supra de fluminibus. De trigide autem di-* ...*Plin.* Tigrides autem Hyrcani vndique ferunt, quæ sunt ...imalia tremendæ velocitatis, & maxime noscitur cum ...pitur. Eius enim fœtus qui semper numerosus est, ab in-...liante venatore rapitur, & in equo velocissimo subito de-...icitur, at vbi fera spoliatis catulis vacuum cubile reperit, ...rtur pręceps odore ferentis catulos inuestigans, venator ...tem audiens fremitum insequentis, abiicit vnum catu-...m, quem illa tollit, & ad suum latibulum morsu ducit, ...o reposito in cubili, concito cursu iterum redit, interim ...ptor cum residuis nauem scandit, & illa irritata & fru-...tata feritate pro nullo vltra sæuit, *vt dicit Plin. lib.* 8 *c.* 19. ...asculus autē de fœtu penitus nō curat, *vt dic. idem.* Qui ...tem omnes catulos deferre cupit, specula magna in iti-...ere derelinquit, quæ mater insequens in via inuenit, & in ...s se intuens, de sua imagine filios esse credit, circa autem ...am vmbram illic detenta, & circa filiorum extractionem ...vitro occupata dat raptori spacium fugiendi, & sic per ...nbram decipitur ne raptorem pro catulorum liberatio-...e vlterius persequatur.

Cap. CIII.

De Tinea.

Tinea, *vt dicit Isidor* est vestimentorum vermis dicta, eo quod teneat & eo vsque vestibus insideat, quas cor-rodit,

rodit, & ex vestium corruptione gignitur, quando scilicet vestis aliquamdiu in aere grosso comprimitur, nec vento perfunditur, & in puro aere libere nullatenus explicatur. Insensibiliter autem panni superficiem consumit, & cum sit sensibile animal infra banni substantiam se occultat, quod vix vnquam videri oculis se permittit, amara & odorifera tineę fugiunt, ad vestes respersas talibus de facili non accedūt, & ideo folia lauri, cedri & cypressi, & huiusmodi posita in cistulis, vestes ibi repositas & libros corrumpi a tineis non permittunt *Vt dicit Constant.* Est etiam quædam scabies capitis quæ propter suam tenacitatem & adhærentiam tinea est dicta. *de qua quære lib. 5. Vbi agitur de capitis infirmitate.*

Cap. CIIII.

De Teredine.

TEρηδόνας vocant Græci lignorum vermes, eo quod terendo edant. *Vt dicit Isid. lib.* 12. Ex humore autem corrupto in arboribus derelicto sub corticibus arborum & in medullis generantur, maxime autem in arboribus generantur, quando in importuno tempore arbores resecantur vel plantantur, *Vt dicit idem*, & hoc est in plenilunio potissime quando humiditas, quæ lunari virtute cum corporibus tunc abundat, non digeritur, & propter eius superfluitatem non regitur à natura, & ideo necesse est vt talis superfluitas corrumpatur, ac in vermes & in putredinem conuertatur, *quære supra de effectu Lunæ lib. 6.* Teredo itaque ligni vermiculus in substantia est mollissimus & tamen corrodit & comminuit durissima ligna, & subtiliorem puluerem facit, quam possit lima facere, *quære infra de Vermiculo.*

Cap. CV.

De Testudine.

TEstudo est animal sic dictum, eo quod tegmine testæ sit opertum in Cameræ modum, *Vt dicit Isid. lib.* 12. [...] sunt quatuor genera, scilicet terrestres, maritimæ, lutariæ scilicet in paludibus viuentes, & fluuiales. Et tradunt aliqui, quod tamen incredibile est, tardius ire nauigium testudin[...]

tudinis pedem dextrum deferens, *Vt dicit Isid. lib.* 12. *De testudine autem quare supra in L. de limace.*

Cap. CVI.

De Tortuca.

TOrtuca inter testudines computatur, eo quod inter testes durissimas clauditur, inter quas se recolligit, quando ab aliquo molestatur. Est autem eius duplex species, scilicet fluuialis & terrestris. Fluuialis autem tortuca mortifera est & venenosa. Terrestris vero quæ habitat in domibus vel in syluis, munda est & comestibilis, est tamen horribilis in aspectu & deformis. Ponit autem oua vt gallina, sed pallidiora & minora. Est autem animal quadrupes, habens pedes paruos sicut rana, & caput paruum sicut serpens, & testas duras diuersis maculis deformatas. Carnes vero earum quæ habitant in nemoribus, sunt medicinales, & virtutis resumptiuę, vnde valent hecticis, phthisicis & consumptis. De tortuca autem marina *Vt dicit Arist. lib.* 8. tortuca (inquit) marina comedit omnia, & eius orificium est fortius omni ore cuiuslibet animalis, quoniam si acceperit lapidem in suo ore eum frangit, & exit ad ripam & pascitur herbis, & cum reuertitur, intra aquam ascendit & natat, itaquod desiccatur dorsi superficies à sole, quoniam illi non leue est quod in aqua profundatur. *Item lib.* 13. animal habẽs squamam, plumam aut corticem, non habet vesicam, propter paucitatem potus, quia superfluitas potus transit in plumas & alia præter tortucam, quoniam pulmo tortucæ maxime est carnosus sanguineus, similis pulmoni vaccæ. Et pulmo tortucæ syluestris est maior quam debet esse, quoniam corpus eius continetur in testa spissa, & propter hoc nõ dissoluitur nisi in carne tantum, & propter hoc fuit in tortuca vesica, vt reciperet superfluitatem sicut vas, sed valde parua est. Vesica enim est in omnibus animalibus habentibus pulmonem sanguineum, & ideo sola tortuca inter animalia habentia duros cortices, habet vesicam & renes.

Cap. CVII.

De Vacca.

VAcca tauri est fœmina, dicta quasi boacca, *vt dicit Isi. lib.7.* Est autem animal lasciuum & luxuriosum, *quia vt dicit Arist. lib. 6.* Vaccæ post annum mouentur ad coitum, & forte post octo menses & tempus impraegnationis est, per nouē menses & fœtus erit in decimo. Et vaccæ coitus assimilantur maribus & efficiuntur syluestres, ita quod non possunt eas domare pastores, & desiderium vaccarum manifestatur per tumorem inguinū, & suos mugitus continuos, quoniam vaccæ mugiunt contra coitum & saliunt supra tauros & sequuntur ipsos, & cum eis stant. *Item in eodem dicit in fine.* Dicunt homines quod tempus impraegnationis earum est decem mensium, & si ante hoc tempus pariat, fœtus non viuet nec suæ vngulæ complebuntur, & in maiori parte pariet vnum & forte duos. Fœminæ viuūt in maiori parte 15. annis & mares similiter, sed quando castrantur, efficiuntur fortiores, & viuunt 20. annis, & post partum habet lac bonum, ante autem nihil habet, & si habuerit parum aut nihil valet, & cum primo coagulatur lac vaccæ, efficitur sicut lapis, hoc autē ei accidit cum miscetur aquæ. Vacca vnius anni raro se miscet tauro, nisi post annum. Et quando vaccæ multoties impraegnantur, & faciunt plures filios, signum est secundum, quod putant homines, quod in hyeme multæ pluuiæ erunt. Item grege viuunt, & si à grege recesserint, sæpe pereunt, quoniam à bestiis comeduntur. Item omnium animalium sunt voces fortiores & grossiores in masculis, exceptis vaccis, quæ vocem habent masculi grossiorem. *Item vt dicit idem,* vacca cornua habet fortiora & grossiora & magis nodosa, quam masculus, non tamen ita magna, sed si calefiant possunt flecti in omnem partem, & quando infirmantur in pedib. est eis medicina, si inter cornua oleo & pice & aliis medicaminibus inungantur. *Item dicit idem,* quod vaccæ diligunt bibere aquam claram, & turbidam vix aut nunquam bibunt, & eis accidit podagra, & ex hac infirmitate moriuntur, & signum est, quando submittunt aures scilic. & non comedunt, *vt dicit idem.* Vacca impinguata iugum abiicit, cui consueta minus pasta optime est subiecta, in

fimo

simo proprio iacens, impinguescit, & quanto plus à labore ei parcitur, tanto torpet amplius & pigrescit, puncta œstro, id est, musca bouina, caudam erigit, & miro modo insaniens per campos licentius circuit & discurrit.

Cap. CVIII.

De Vacca agresti.

Vacca aliquando est agrestis, *de qua dicit Auicen. & etiam Aristot.* Est, inquit, vacca in terra Parthorum, habens crines in collo sicut equi, & est corpus eius ad quantitatem cerui, vnde à multis equiceruus vocatur, & talis vacca carens cornibus, habitat in montanis, & est syluestris, & habent pulcros oculos, & sunt acuti visus, & quandoq; habent cornua vaccæ huiusmodi, sed sunt parua, ad modum hinnuli, & sunt curuata versus tergum, sicut cornua capri, & in corde eius inuenitur os, sicut in corde cerui & cameli, & illud os quando incalescit sanguis, titillando mouet cordis neruos & substantium, & est causa excitans animal ad motum lætitiæ & exultationis. Vnde ex tali titillatione quasi subito se erigit caput, mouet, salit velocius & discurrit. *Item dicit Aristot. lib.* 8. Animalia, inquit, quæ non possunt habere iuuamenta à cornibus, habent iuuamenta alia à natura, sicut dedit velocitatem ceruis & agrestibus vaccis, quæ cornua habent incuruata, & non possunt propter magnitudinem defendere totum corpus. Et propter hoc dedit natura agresti vaccæ aliud iuuamentum, scil. eiectionem stercoris, quo exurit canes, qui ex vicino sibi nimium appropinquant, alii etiam canes, qui stercora talium vaccarum inueniunt, circa ipsorum odorem se occupant, quousque imbelles bestiæ fugiant periculum & euadunt. *De hoc quære supra in litera B. de boue & de bubalo, qui est bos agrestis.*

Cap. CIX.

De Vitulo.

Vitulus à virore ætatis dictus est, *vt dicit Isidor. lib.* 12. Nam statim quando nascitur, à virtute propria ad quærenda matris vbera erigitur & leuatur, matris vberib. statim reficitur & lactatur, materna lingua lingitur, & ab

omni immundicia contracta ex vtero, abstergitur & purgatur. Nascitur ei sicut & equo in fronte pustula quædam nigra, quam Magi fore amoris asserunt incentiuum. Hanc pustulam mater statim amputat & detruncat, nec eum admittit ad vbera, nisi prædictum virus auferat & pręscindat. *Idem dicit Aristot. de equa & eius pullo. Similiter Auicen. quære sup. in litera E. de equa.* Vitulus matrem diligit, & eius mugitum sequitur & cognoscit. Vbera quæ sugit, fronte excutit, & sic vberiorem lactis effusionem à matre quærit, lacte satiatus salit hilaris & discurrit saliendo, à matris autem vestigiis non discedit. *Simile dicit Aristotel. lib.* 8. quod vituli castrantur post vnum annum, & si non castrentur illo tempore, erunt parui. Et est castratio vitulorum secundum hunc modum, prosternuntur vituli in terra & scinditur corium, & exprimuntur testiculi, & eriguntur eorum radices ad superius, & eorum nerui, & ligatur scissura quousque exeat sanguis extra, & si accidit apostema, cremabunt testiculum abscissum, & ponunt cinerem super apostema, & sic locus sanatur. Est autem in mari quædam bestia habens similitudinem vituli, propter quod vitulus marinus nuncupatur, hæc parit in terra more pecudum, more canũ coit, nunquam parit plus quam duos, educat mammis fœtum, non ante vndecimum diem ducit fœtus ad mare, sed deinceps assuefacit eos ad natandum, difficulter interficiuntur, nisi capite læso, mugiunt sicut vituli, propter quod vituli nuncupantur, voce & vultu populum salutant cum maxima disciplina. Nullum animal grauiori somno premitur, pennis quibus in mari vtuntur, humi vice pedum serpunt, pelles hirsutas & crinitas habent sicut vituli, quæ detractæ sensum æquoris retinent, semperque maris æstu recedente inhorrescunt. Dexteræ eius pennulæ vim somniferam dicunt inesse, somnosque prouocat si supponatur capiti. *Hucusque Plin. lib.* 8. *ca.* 12.

Cap. CX.

De Vrso.

VRsus est vocatus, eo ꝙ ore suo format fœtus, quasi orsus, *vt dicit Isid. lib.* 12. Nam aiunt eos informes generare partus, & carnem quandam nasci, quam ater lambendo membra componit. *Vnde est illud:*

Sic

Sic format lingua fœtum quem protulit Vrsa, &c.
Sed hoc immaturitas partus facit. Denique tricesimo die generat: vnde euenit vt præcipitata fœcunditas informes procreet. Vrsorum caput est inualidũ, vis maxima in brachiis & in lumbis, vnde interdum erecti insistunt, *Vt dicit Isidorus lib. 12. in cap. de bestiis.* Vel dicitur vrsus ab vrgendo, quia fortiter vrget ac stringit quem apprehendit. De vrsis *dicit Plin. lib.* 8. *cap.* 36. Vrsorum, inquit, coitus est in initio hyemis, nec vulgari quadrupedum more coeunt, sed ambobus cubantibus & complexis. Recedunt deinde ab inuicem, & intrant specus separatim, in quibus pariunt trigesimo die, & non plures quam quinque. Sunt fœtus candidi, & informis caro, parum maior quam sint mures sine oculis & sine pilo: vngue tamen prominent: hunc lambendo paulatim figurant. Nec vident homines quicquam rarius quam vrsos coeuntes vel parientes. Ideo mares quadragenis diebus latent, fœminæ quaternis mensib. Latibula sua ædificant cum ramis & frondibus, & sunt penetrabilia imbribus, mollique fronde contecta. Primis his diebus bis septenis tam graui somno opprimuntur, vt nec vulneribus valeant excitari, tunc pinguescunt miro modo. Et sunt eius adipes apti contra profluuium capillorum. Post hos dies resident, ac priorum pedum suctu viuunt. Fœtus rigentes opprimendo ad pectus fouent, & cubant super eos sicut volucres. Mirum autem est dictu, quod credit Theophrastus, scil. vrsorum carnes tunc temporis coctas crescere si seruentur: nec inuenitur tunc aliquid cibi in alueo vestigium, nisi modicum de humore. Circa cor autem habet tunc sanguinis paruas guttas, & nihil omnino in reliquo corpore inueniri potest. In vere procedunt, & tunc masculi sunt pingues. Cuius rei causa est occulta, præcipue cum tunc temporis nec cibo nec somno sunt saginati, pręterquam diebus bis septenis. Exeuntes autem specum quandam herbam quærunt, quam comedunt, vt laxent ventrem, quem habẽt tum constrictum. Oculi eorum tunc sunt hebetati, & ideo tunc maxime expetunt fauos apum, vt os vulneratum puncturis apum sanguinando releuet grauedinem & dolorem oculorum. Caput habet debile quod est fortissimum in leone, & ideo si vrgente vi quandoque de rupe se præcipitent, collapsi su-

per arenam de facili moriuntur. Cerebrum, *vt dicunt*, habent venenosum, & ideo eorum capita, quando occiduntur, in spectaculis comburuntur, ne gustantes aliqui de cerebro, in vrsinam rabiem conuertantur. Pugnant contra tauros, & auersi rapiunt ore ipsos, pedibusque omnibus in cornibus suspensi pondere deiiciunt, & tunc mordendo eos dilaniant & occidunt. Nec alicui animalium inest tanta solertia ad maleficia sicut vrsis. *Hucusque Plinius lib.* 8. *cap*. 37.

De vrsis autem dicit Aristotel. *lib*. 6. Vrsus, inquit, comedit omnia indifferenter. Comedit enim fructus, quando ascendit arbores, & frangit aluearia & comedit mel, & infestant apes oculos eius & pungunt linguam, & quandoq; fugiunt ipsum, & comedit cancros & formicas propter medicinam, & comedit carnes propter eius magnam fortitudinem. Et pugnat cum ceruis & porcis agrestibus, & cum canibus & cum tauris, & prosternit eos, & vadit erectus contra eos, & tenet manibus cornua & sæpe vincit eum. Est autem animal impatiens & iracundum volens se vindicare de singulis quæ tangunt eum, & ideo si aliquem percutientem se inuaserit, si alius eum tetigerit, dimittit primum & statim inuadit secundum, & si tertius statim eum læserit, dimittit primum & secundum, & mox contra tertium insurgit. Et quando capitur peluis ardentis aspectu excæcatur, catenis colligatur, ludere compellitur, & per verbera domesticatur. Animal etiam est instabile & multum inquietum: vnde tota die circuit circa stipitem, ad quem vinculis alligatur, pedes suos sugit & lambit, & in eorum succo delectatur, miro modo scit scandere super arbores, vsque ad altissimas ipsarum arborum summitates. Solent autem mellificare apes in arboribus concauis, quarum fauos deprehendens vrsus per odorem ascendit vsque ad locum mellis, & faciens vnguibus in arbore aperturam, extrahit mel & comedit. Ex consuetudine frequenter, quando esurit, ad locum redit, quod attendens venator, circa arboris pedem sudes & palos acutissimos vndiq; circumfigit. Ante aperturam vero malleum valde ponderosum cum reste suspendit. Veniens itaque vrsus esuriens & mel extrahere cupiens, per malleum impeditur, quod videns quasi pede malleum à se proiicit, sed rediens mal-

leus

leus ipsum ad aures tangit, super quo indignatus, fortius à se malleum reiicit, qui impetuosius rediẽs acrius ipsum ferit, & tamdiu contra truncum siue malleum sic contendit, quousque ex frequenti ictu caput, quod habet debile, deficit, & cadens inferius super palos propria stultitia se occidit. Istum modum venandi vrsos narrat Theophrastus, & istum eundem modum à venatoribus vrsorum in Germanicis partibus intellexit.

Cap. CXI.

De Vrsa.

VRsa autem bestia est sæuissima, & maxime quando catuli sui rapiuntur. Nam illi cura est de salute filiorum, ideo eos diligentius lambit, lactat & nutrit, & circa illos defendendos sæpe potenter pro viribus se opponit. Imprægnata à masculo se diuidit, & vsque ad filiorum informationem vlterius non accedit, *vt dicit idem.* In tempore luxuriæ se abscondit, & videri amoris tempore erubescit. Masculi etiam eis tunc temporis parcunt, & voluptatis gratia eas infra partus tempora non accedunt, *vt dicit Aristoteles, Plinius & Auicenna. Item Plinius libr.*10. *cap.*73. Vrsi, inquit, non lambunt potum, vt bestiæ habentes serratos dentes, nec sorbent vt habentes continuos sicut oues & homines, sed aquam morsu vorant.

Cap. CXII.

De Vulpe.

VVlpes est dicta quasi volupes, est enim volubilis pedibus, & nunquam rectis itineribus, sed tortuosis anfractibus incedit fraudulenter, animal insidiis decipiens. Nam dum non habuerit escam, mortuam se fingit, sicque aues descendentes quasi ad cadauer rapit, deuorat & transglutit, *vt dicit Isidorus libr.*12. Vulpes semper claudicat, nam crura eius dextra breuiora sunt quam sinistra. Pellem habet multum villosam, callidam & pilosam, caudam magnam, quam dum canis rapere putat, dentes & os pilis replet & obturat. Contra taxum pro mansionibus pugnat, & ipsius foueam vrina & stercore polluit & defœdat, & sic de ipso non violentia sed dolo & fraudulentia triumphat.

Foueas & loca subterranea inhabitat & frequentat, animalia domestica plus quam syluestria rapit & deuorat. *Et vt dicit Aristoteles lib.* 8. ceruus est amicus vulpis, & propter hoc pugnat contra melem, id est, contra taxum & ipsum iuuat. Naturale est odium inter vulpeculam & melem siue taxum, quem sæpe superat vulpes, dolo potius quam virtute. Est autem animal vorax & gulosum, & ideo, generat filios cœcos sicut leo & lupus, *vt dicit Aristoteles libro* 18. Nam *vt dicit Solinus.* In omnibus facientibus filios incompletos causa est gulositas, quia si expectaret natura vsque ad complementum, sugendo interficerent matrem, & ideo natura facit fœtus nasci ante completionem, ne nimis expectando plenam formationem auiditate nimia nutrimenti interimerent matres suas, *vt dicit idem.* Animal siquidem est fœtidum, corruptum, & loca reddit sterilia & corrupta, vbi morari continue consueuit. Ventrem & guttur habet album & delicatum, & caudam & tergum habet rufum, anhelitum habet fœtidum, & morsum aliquantulum venenosum, *vt dicit Plinius.* Quando eam insequuntur canes, caudam inter crura recolligit, & quando videt se non posse euadere, in cauda villosa vrinam recolligit, quam super canes ipsam subsequentes proiicit & diffundit, cuius fœtorem abhorrens canum multitudo aliquantulum ei cedunt. Domesticum & domitum in necessitate se fingit, sed noctu oportunitate aliqua syluas petit. Et quamuis multũ sit in se versuta & malitiosa, in multis tamen est vtilis secundum exercitium medicinæ, *vt dicit Plinius lib.* 28. Adeps enim eius & medullæ multum dicuntur valere contra neruorũ contractionem. Sanguis dicitur diureticus: vnde multum valere creditur ad lapidum in vesica & renibus fractionem. *Alias ponit Plinius ibi de virtute vulpium Magorum opiniones, de quibus non curo facere mentionem.* Dicit tamen quod si quis linguam vulpis habuerit in anulo vel in armilla talis non patietur, *vt dicitur secundum Magos,* caliginem oculorum.

Cap. CXIII.

De Verme.

VErmis est animal, quod de carnibus sæpe & herbis nascitur, sæpe autem de oleribus procreatur. Aliquando ex sola

ex sola humorum corruptione: aliquando ex sexuum commixtione: & aliquando ex ouatione, vt patet in tortucis, scorpionibus & lacertis, *Vt dicit Isidorus libro* 12. Dicitur autem vermis quasi vertens, vel quasi verrens, quia in multas partes se vertit, vel quia verrit, id est ad partes oppositas se trahit, non enim sicut serpentes squamarum nisibus vermis repit, sed in diuersas partes corpusculum suum trahit, *Vt dicit Isidorus.* In vere tamen de latebris vermes exeunt, & ideo forsan vermes à verno exitu nomen sumunt, *Vt dicit idem.* Sunt autem vermium multæ differentiæ, *sicut dicit idem.* Nam quidam sunt aquatici, & quidam terrestres. Et istorum quidam sunt in herbis & oleribus, vt erucæ & consimiles, quidam in arboribus, vt teredines, & quidam in vestibus vt tineæ: & quidam in carnibus, vt madones, qui ex corrupta humiditate in carnibus putridis generantur: quidam in animalibus vt lumbrici & ascarides in visceribus, sirones in manibus, pediculi & lendes in capitibus, qui omnes ex humoribus corruptis in animalium corporibus interius vel exterius generantur. Sunt & alii vermes terræ longi & rotundi molles & lubrici, terrei, quos in terra venantur talpæ, & quibus pisces in aquis capiuntur, quando hami talibus vermibus inescantur. *Et dicit Constant.* quod tales vermes valent contra spasmum & contractionem neruorum. Valent etiam contra morsum serpentis, & ictum scorpionis. Et inter vermes quidam sunt, qui omnino carent pedibus vt colubri & serpentes, & quidam sunt qui multos habent pedes vt sextipedes. Et quidam sunt valde perniciosi & naturæ hominis inimici, vt serpentes & cæteri venenosi. Et sunt quidam anulosi corporis, qui non habent neruos nec ossa, nec spinas, nec cartilagines, nec sanguinem, & omnes tales, si in oleo tinguntur, moriuntur, in aceto vero reuiuiscunt, *Vt dicit Aristoteles & Plinius.* Et sunt quidam vermes, qui generant & generantur, & quidam qui generantur & non generant, vt salamandræ, & in talibus non est sexus. His & multis aliis modis vermes tam maiores quam minores variantur.

Cap. CXIV.

De Vermiculo.

VErmiculus est vermis modicus à verme diminutiue dictus, quales solent in lignis & fructibus inueniri, *sicut Dauid 2. Regum* 23. tenerrimo ligni vermiculo comparatur, qui teredo vel terebucca dicitur, qui cum sit natura mollis, lignum durissimum perforat, immo nihil est durius eo dum tangit, nihil mollius dum tangitur, *vt dicit glossa ibi.* Vermis igitur præcipue terrestris, nascitur ex humo & foliis & fructibus & lignis, finita hyeme procedit de visceribus terræ tempore verno, salsa cauet & fugit, & aromatibus & amaris condita non tangit, vestes lineas non rodit sicut tinea, laneam vestem destruit & consumit & maxime illas vestes laneas consumit vermis, quarum carnes tetigit dens lupinus. Nam lana ouis deuoratæ à lupis, tineas generat & pediculos, *vt dicit Aristoteles libro* 8. *& Plinius lib.*10. Vilis & mollis est vermiculus & rotundus, subtilia & gracilia sunt eius extrema, & media grossiora, occulte mordet arborem & consumit, plus ore quam pedibus se trahit, vilis est, flexibilis & exanguis. In omnibus vermibus est sensus tactus & gustus, *vt dicit Plin. lib.* 11. *cap.*71. vnde percepto sonitu vel strepitu latescunt, inter sapores discernunt, amara enim & salsa refugiunt vermes, & dulcia appetunt ac sugunt: vnde dentibus alii prædantur, & alii vnguibus & rostris ad necessitatem rapiunt, alii acumine excauant alii sugunt, lambunt, sorbent, vomunt, mandunt, nec minor est varietas in pedum ministerio vt rapiant, distrahant, premant, pendeant, terram fodere non cessant, *vt dicit Plinius ibidem scilicet libro vndecimo cap.*71.

Cap. CXV.

De Vipera.

VIpera est genus serpentis venenosi, *de qua dicit Isidor. lib.*12. Vipera est dicta, eo quod vi pariat. Nam cum venter eius ad partum intumuerit, catuli non expectantes maturam naturæ solutionem, corrosis eius lateribus, cum matris interitu vi erumpunt. Dicitur autem quod mascu-

lus

lus ore inserto in os viperæ semen expuat, illa autem ex voptate libidinis in rabiem versa, caput maris præscindit, itaque fit quod parens vterque pereat, masculus dum coit, fœmina dum parit. Ex vipera fiũt pastilli, qui trochisci theriaci nominantur, ex quibus fit theriaca, id est remedium contra venenum. *De Viperis dicit Plinius lib.* 8. *cap.* 40. Vipera sola inter serpentes in terræ cauernis se abscondit. Alii autem omnes in cauernis saxorum aut arborum se occultant. Tamen sustinent diutissime, in forti hyeme intra terræ viscera siue fissuras se recolligit, & prius euomito veneno vsque ad veris tempora dormit. Cum autem calore Solis pori terræ aperiuntur, vipera expergefacta egreditur de cauernis. Et quia visus eius ex longa mora contraxit in tenebris caliginem, fœniculi radicem vel herbam quærit, & eius succo oculos linit hebetatos, & sic herbæ gustu oculos acuit vt visum recuperet quem amisit. Est autem tyrus species viperæ maximæ venenositatis, *de quo dicit Aristotel. lib.* 7. Tyrus est sicut & thenethea, id est crocodilus latet in hyeme, sed post expoliat corium, quod est in oculos suos, ita quod ille, qui non cognoscit hoc, accidens putat, quod ille cæcus sit, deinde aufert corium capitis totaliter vno die, & sua expoliatio est, sicut exitus embryonis, & sic renouatur, quando deponit senectutem. *Item in eodem in fine.* Inuenitur tyrus quidam, quem serpentes magni fugiunt, quamuis sit paruus, & sunt pili supra totum corpus suum, & quando mordet aliquid, putrescunt omnia, quæ sunt in circuitu morsus statim. Et inuenitur vnus paruus tyrus in India & morsus eius est ita fortis, quod non inuenitur contra ipsum medicina. *De Vipera dicit Ambrosius in hexa.* omnium serpentum nequissimum est genus viperæ, quæ cum cupiditatem assumpserit coeundi, murænæ requirit copulam, progrediturque ad litus aquæ, vbi credit murænulam latitare, sibilo autem euocat vipera murænulam, & prouocat ad amplexum, quæ vocata statim adest, vipera autem videns eam ad copulam præparatam, totum venenum suum euomit, & ad amplexum murænulæ tunc accedit, completo vero concubitu vipera venenum quod euomuerat, haurit iterum & resumit, & sic cum veneno resumpto reuertitur ad cauernam. Vipera insuper, *Vt dicit Plini. lib.* 29. *cap.* 1. lapidem quendam deglutit

glutit, quod percipientes Scythæ viperam caute aperiunt & lapidem eximunt, & eo vtuntur contra venenum. *Item ibidem*, quem draco vel aspis vulnerat, caput viperæ appositum vulneri, sanat. Et è conuerso quem vipera pungit, caro aspidis attrahendo venenum viperę sanare consueuit.

Finis Libri decimi octaui.



BAR-

BARTHOLOMÆI ANGLICI LIBER DECIMVSNONVS,

De rerum accidentibus, in quo de coloribus, odoribus, saporibus & liquoribus agitur.

PROOEMIVM.

DEscriptis proprietatibus rerum spiritualium & corporalium, tam simplicium quam compositarum, prout ad manus nostras peruenire potuerunt. Nunc postremo de quibusdam accidentibus corporalium rerum substantias concomitantibus (cooperante diuina gratia) est hic attendendum. Primo de colore: secundo de odore: tertio de sapore: vltimo de liquore. Color est dictus, vt dicit Isidorus libro 18. *eo quod calore ignis vel claritate Solis est perfectus. Vel color à colendo est dictus, eo quod coluntur colores ad hoc, vt summa subtilitatis sint & intima puritatis. Colores autem quomodo nascuntur aut fiunt*, de his quære infra in fine de coloribus. *Est autem color* secundum Aristotelem in libro meteo. *extremitas perspicui in corpore terminato. Rei enim corporalis visibilis supetficies, & terminus colorum differentias, quas recipit ex natura mixtionis elementorum, & dominio in corpore composito dicit, quia mixto perspicuo & diaphano per actualem vnionem lucis radiantis super ipsam terminabilem, & perspicui corporis superficiem visui repræsentat.* Et propter hoc dicit Aristoteles in secundo libro de anima, *quod color est motiuus visus,*

secun-

secundum actum lucidi, nam lux est actus & perfectio lucidi seu perspicui. Natura enim coloris in corpore mixto ex alicuius elementi dominio essentialiter existentis, producit lux ad actum immutationis visus. Quamuis enim color naturaliter & essentialiter sit in mixto, non tamen habet potentiam manifestandi se, nisi per lucem super ipsius superficiem actualiter radiantem. Vnde color ad sui manifestationem semper indiget luce, sed non è conuerso, quia lux ad sui manifestationem non indiget colore, sicut color indiget luce actualiter existente, vt luce mediante coloris qualitas visus organo imprimatur. Et ideo posuerunt aliqui, quod ratio visibilis radicaliter & formaliter est in luce, quia ipsa sublata rei coloratæ qualitas visui non apparet. Habet autem color actualẽ essentiam in tenebris, vt dicit commen. in 2. de anima, de immutatione visus & coloris, *non enim creat lux colorẽ cum in sua actualitate ex dominio elementi sit in mixto, sed lux extrinseca diffusa super colorem & super medium, disponit ipsum medium, dando ei formam, per quam possit recipere speciem coloris, & ideo per lucem fit dispositiue immutatio in medio, per quod defertur coloris differentia ad organum visus, vbi fit iudicium de colore, & ideo in tenebris remanent colores in suæ essentiæ actualitate,* sicut expresse dicit comment. super id perspectiue libro primo capite vltimo *quod lux non exigitur ad visionem colorum, nisi in altera duarum causarum, aut quia sine luce non extenduntur formæ colorum in aere, aut quia si tunc extenduntur, non operantur in visum, nisi per lucem. Vnde ad existentiam coloris lux non exigitur, sed tantum ad eius manifestationem, & quamuis non manifestetur in tenebris color, propter hoc non erit superfluus vel ociosus, cum semper perficiat suam naturam & substantiam. Et quod non videtur in tenebris, non est ex defectu coloris, sed potius ex*

defectu à parte recipientis, eo quod non habeat dispositionem, quam oportet ipsum habere. Si ergo alicui dicunt autores, colorem non esse in actu sine luce, intelligendum est de actu manifestandi quoad visum, non de actu existendi. Ornat itaque lux extrinseca colores & decorat, & ipsos prius existentes in esse specifico visui manifestat, non tamen primitus eos causat, & hoc intelligo de luce infusa extrinsecus super res. Nam virtus lucis cœlestis ad interiora rerum inuisibiliter penetrans cooperantibus quatuor elementorum qualitatibus colores procreat atque causat, & sic generatos & existentes in esse specifico superueniens lux visibilis clarificat, nobilitat & oculis manifestat.

Cap. I.

De Materia coloris.

Est autem perspicuum bene terminatum materia coloris, & hoc est solum vel maxime humidum, quoniam siccum & terreum in quantum huiusmodi non est perspicuum, siccum vero igneum non descendit de sphæra sua, neque hic inferius inuenitur, quoniam sola forma ignis generatur de potẽtia alicuius elementi, ex quo debet mixtum constitui, *Vt patet ex libro de generatione.* Illud ergo perspicuum habet tres differentias materiales, quia aut est materia subtilis, aut est grossa, aut mediocris. Si mediocris, tunc est humidum aqueum, multum abundans super siccum terreum, & super humidum aereum deficiens ab humiditate aerea, vel erit aereum multum alteratum per siccum terreum, ita tamen quod excedat grossiciem. Si autem subtile, sic est humidum alteratum ad naturam aeris, siue humidum alteratum aereum. Si autem est grossum, tunc est alteratum ad grossiciem & siccitate terrę, ita quod excedit mediocritatem.

Cap. II.

De Materia coloris nigri.

Materia ergo coloris perspicui, aut erit sicca per dominium, vel humida per dominium, vel mediocriter

ſicca & humida, Si vero dominetur ſiccitas in materia, tūc eſt actio calidi, per dominium generabitur albedo, quia calidum rarefacit & diſgregat partes materiæ & ſubtiliat ac generat claritatem & perſpicuum. *Et ſecundum hoc dicit Ariſto. lib. de animal.* 19. quod generatur albedo ex paucitate humoris in materia ſicca, per dominium calidi agentis & ſubtiliantis, ſicut patet in calce, & oſſib. combuſtis & aliis conſimilibus. Si vero agat in materia dominans frigiditas, tunc generatur nigredo, quoniā conſtringit partes materiæ ſiccæ, & cōgregat ac opilat ſubſtantiā rei, & condenſat ac obſcurat. Obſcuritas autem eſt priuatio non ſolum lucis, verum etiam caloris, quemadmodum claritas eſt differentia coloris ſicut lucis, quoniam eſt conditio viſibilis ſimpliciter, & tūc magis terminatur ſiccum, quod exigebatur ad generationem albedinis, & ſic inducitur color niger. Si ergo ſit humida materia, tunc à calido dominante generatur nigredo, quia calidum adducit partes humidas & conſumit humidum, quod exhalat in fumum nigrum, vt patet in lignis viridibus & humidis, de quorum extremis exit humor niger, quando exuruntur *Vnde dicit Ariſto. lib. mete.* Vſtibilia ſunt, quæ habent in poris humorem debilem, qui non poteſt reſiſtere calori ignis, nec tamen ſtatim ſuffocatur, ſed potius alit ignem, vnde patet quod humidum eſt potiſſimum in quod agit ignis, & illud humidum eſt cauſa nigredinis per caloris actionem, quoniam calor agens exhalare facit ſubtile & humidum aquoſum, & euaporare aereum & remanet quod eſt terreum atque groſſum, propter quod oportet neceſſario vt nigredo generetur. *Dicit enim Ariſt. lib. meteor.* 4. quod natura terreſtris ſubtilis, & claritas aquæ, & natura aeris faciunt albedinem in argento viuo, & ideo oppoſita iſtorum inducunt nigredinem in ſicco derelicto, ex actione calidi in humido. *Et ſic dicit Ariſt. lib.* 19. quod nigredo generatur in oculo, propter multitudinem humidi, nam calor naturalis agens in humidum terminando, digerendo & exiccando in fine nigredinem derelinquit.

CAP. III.

De generatione coloris albi.

SI vero sit materia humida, & in illud vincat dominans frigiditas, tunc albedo generatur, vt apparet in niue, pruina, & in canicie, & in humoribus phlegmaticis. Quãuis enim frigus aggreget humidum non tamen sicut siccum, humidum enim cum sit perspicuum, magis est aptum natum ad nobile esse coloris. Propterea humidũ compressum paratur ad sparsionẽ & partium separationem. Sic autẽ non est de sicco propter quod magis paratur, quãuis per compressionem ad receptionem claritatis & apertionem quam siccũ, & ideo potest melius frigidũ generare album in humido quam in sicco. Et sic intelligendum est *quod dicit Arist. Lib.* 19. quod albedo generatur ex aere vaporoso, id est, declinãte ad humiditatem aqueam, & hoc propter frigidi actionẽ. *Quod vero dicit comm.* quod albedo generatur ex igne claro, admixto cum elemento, valde diaphano intelligendum est de claritate, quæ per transsumptionem albedo sæpius *ab Arist.* nuncupatur, secundum quod albedo dicitur generari in nubibus ex refulgentia radiorũ in eis si tenues fuerint atq; raræ. Et sic etiam flãma aliquando apparet alba, quando materia aeris est subtilis in qua radiat vapor ignis, & talis albedo nõ est propria, sed potius transsumptiua. *Possemus tamen extendere verbum commentat. quod dicit* hoc de igne ratione perspicui quod est materia propria albedinis, non ratione suæ actionis. Vnde hoc quod dicit, debet intelligi de igne, qui debet esse materia coloris, & non de efficiente extra, & secundum hoc intelligitur materialiter, non effectiue, neque formaliter.

CAP. IV.

De gradibus inter albedinem & nigredinem.

SVnt autem inter albedinem & nigredinem multi gradus intermedii, secundum intensionem dominii, tam qualitatum actiuarum quam passiuarum, secundum esse debilius & fortius multipliciter, & secundum multos gradus. Quoniam quanto plus dominatur siccitas, tanto cum maiori difficultate subtiliatur & rarificatur & elucidatur

& sic difficilius fit perspicuum, & per consequens albedo eo quod siccum est densum ac solidum inquantum huiusmodi & obscurum. Quanto vero dominium sicci fuerit minus & calidi maius fuerit dominium tanto melius & citius poterit albedo inde generari. Similiter quanto siccitas fuerit maior & frigiditas intensior, tanto magis generabitur nigredo ex partium compactione & extensione obscuritatis & priuatione claritatis, & superfluitate terminationis perspicui. Similiter est de humido, quāto enim maius fuerit dominiū humidi proportionabilis combustioni, dummodo sit dominium calidi, tanto maior erit fumus, & caligo & denigratio, quanto vero dominiū humidi sit maius dummodo sit dominiū frigidi, proportionabiliter crescēs, erit similiter intensio albedinis. Si vero fuerit dominium humidi magnum, & parum de dominio calidi, remittetur nigredo. Similiter si sit dominium humidi magnum & dominium calidi paruum & frigidi paruum, remittetur albedo, si vero fuerit dominium humidi aliquantulum, dominium vero calidi magis nigredo magna poterit generari, quinque tamen calidum generat albedinem in humido, vt patet in albedine oui cocti, & quandoq; ignis in lignis viridibus & humidis relinquit cineres albos post finalem terminum suæ actionis, sed tamen non est vera illa albedo, quoniam semper apparet in eo vestigium perspicui male terminati ad modū superficiei crystalli clari. Et hoc apparet, si scindatur, licet non prætendatur hæc perspicuitas per medium corporis perspicuitate simpliciter actuali & cōpleta: vnde patet ꝙ non est vera albedo, vnde illa albedo derelinquitur ibi propter debilitatem caloris agentis, ita quod vincit frigiditas intrinseca & innata. Est autem albumen coctum album, quia non tangitur ab igne propter testam, quod si immediate tangeret, vtique in ipso nigredinem generaret. Agens insuper calidum in humidum primo generat nigredinem & fumum, & vincens humiditas inducit siccitatem in materia in quam agit, & sic in illa inducta siccitate facit nouam transmutationem, & generat nouum colorem in subtiliatione sicci. Et licet calidum aggreget homogenia, propter quod condensat & obscurat, tamen siccum habet aliquid sibi annexum de humido, ratione cuius potest disgregare. Et licet in principio

pio congreget ratione dominii, tamen post aggregationem ipsum aggregatum subtiliat, quia eius operatio specialis est subtiliare materiam in quam agit, dummodo sit sicca. Quod dico propter hoc, quod aliquando agit in humidum & exhalat illud, frigidū vero non ordinatur ad rarefaciendum, sed stat in ipsa actu condensandi, tanquam in actu principali, quia aggregat tam homogenia quam hetherogenia.

Cap. V.

De actione calidi & frigidi.

SI vero sit actio calidi & frigidi mediocriter concurrens in materia sicca, tunc generabitur color medius necessario, quia calidum subtiliabit in generationem albedinis. Frigidum vero è contrario aggregabit eam in generationem nigredinis. Cum ergo in quolibet puncto simul agant æqualiter, oportet quod inducant in quolibet puncto simul albedinem & nigredinem, quia oportet quod fiat color compositus ex eis. Et iste plus debet habere de nigredine, quā siccum minus se habet ad album quam ad nigrum, propter priuationem perspicui & obscuritatem innatam, & plus se habet ad aggregationem, & innatæ aggregationis conseruationem, quam ad subtiliationem & rarefactionem. Si vero concurrant mediocriter, in materia humida per dominium, similiter generabitur color medius, qui habebit plus de albo quam de nigro, quoniam humidum per dominium ratione perspicui puri magis se habet ad album quam ad nigrum, & respectu agentis frigidi facilius se habet quam respectu calidi, quoniam calidum agit in humidum exhalando & consumendo, frigidum vero solummodo conseruando illud in sui natura per viam consolidationis & compactionis. Si vero sit materia mediocris, tunc erit semper color medius. Si vero sit in tali materia actio calidi per dominium, tunc quia potest facilius humidum transmutari in nigredinem, quam siccum in albedinem, generabitur color plus habens de nigredine, sicut patet, quando humidum & siccum diuiduntur ad inuicem, citius generat calor colorem nigrum in humidis & in viribus lignis quam in lapidibus combustis, in

quibus calx generatur, & consimilia. Si vero fiat actio frigidi per dominium in materia mediocri, oportet colorem esse medium compositum magis ex albedine, quoniã humidum magis se habet ad albedinem, quam siccum ad nigredinem siue aliquem colorem, eo quod in humido est materia perspicui, quæ est propria materia coloris. In sicco autem non inquantum huiusmodi, respectu vero agentis saltem vno modo est humidum, obediẽtius sibi quam possibile est, propter priuationem soliditatis & duriciei cuiusdam naturalis quæ est in sicco. Licet enim siccum de se sit natum congregari, non tamen est ita bene congregabile sicut humidum, vt patet in lapide, qui licet substantia sit compacta, non tamen facile recipit maiorem compressionem à causa agente. Videmus enim in multis, quod frigidum de facili producit albedinẽ vt in niue, quod non tantum apparet exemplariter, quando agit in materia sicca. Si vero cõcurrant mediocriter in materia mediocri, fiet medium necessario, quod erit æque distans ab extremis. Si enim quando est dominiũ solum ex parte agentis alterius, vel solum à parte materiæ, accidit color compositus ex altero magis & ex altero minus, tunc quando æquantur tam agentia quam patientia, erit color se habens æqualiter, vt patet ex prædictis. Et ita erunt duæ extremitates & quinque medii. Nec videtur quod pluribus modis poterunt medii esse distincti secundum speciem, sicut declaratum est per istam diffinitionem diuisam per opposita membra, nec superflua nec diminuta. *Aristot. etiam testatur*, quod tantum sunt quinque medii colores, quorum numerus & sufficientia potest accipi prædicto modo, & etiam ex combinatione albi & nigri ad eorum generationem, eo quod nigrum & album concurrant æqualiter ad compositionem coloris medii, & tunc erit color æque distans inter extremos, vt rubedo. Inter album vero & rubeum non possunt esse nisi duo, vnus magis appropinquabit albo & alius rubeo, inter rubeum vero & nigrum erũt similiter duo, vnus magis conueniens cum rubeo, & alius magis cum nigro, ita plures non possunt esse intermedii, quia inter album & rubeum non potest esse aliquid æque distans simpliciter, quoniam æque distantia simpliciter habet respectum ad extremos, sed talis si poneretur, haberet tres quartas albedinis,

dinis, & vnam nigredinis, quoniam medietas rubedinis ex vna est quarta albedinis, & vna quarta nigredinis, eodem modo non erit æque distans simpliciter inter nigrum & rubeum. Quare oportet quod haberet tres quartas nigredinis & vnam albedinis, & sic esset tantum æquidistantia secundum quid & secundum apparentiam, & non simpliciter secundum veritatem.

Cap. VI.

De Speciebus colorum quot sint.

HOs autem colores quinque intermedios nominat Aristoteles, primum vocans glaucum: secundum puniceum, id est, citrinum: tertium rubeum: quartum purpureum: quintum viridem. Ita quod inter album & rubeum erit glaucus à parte albi, puniceus à parte rubri. Inter nigrum autem & rubeum purpureus à parte rubei, & viridis a parte nigri. Hæc nomina alio nomine vocantur in Græco, vt κύανος purpureus, χαροπὸς glaucus, sed de nominibus Græcis non est vis, sed nomina Latinorum attenduntur. Et ratio dictorum patere potest, quoniã glaucus magis habet de albedine quam de nigredine & rubedine, & talis color ponitur in foliis cadentibus in hyeme vel autumno. Puniceus vero & purpureus circundant rubedinem, quia vterque habet plus de rubedine quam de albedine, sed puniceus est magis remotus à nigredine quam purpureus, *vt vult Aristot. in lib. 2. de somno & vigil. vbi loquitur* de corruptione istorum in nigredinem, vbi puniceum ponit per purpureum declinare in nigredinem, & ideo oportet vt purpureum sit inter rubedinem & nigredinem, & puniceus inter albedinem & nigredinem. Ex quibus omnibus sequitur, quod viridis debet poni cum nigredine. Ex quo patet ratio ordinationis ipsorum quinque colorum intermediorum, *secundum Arist.*

Cap. VII.

De Opinione eorum, qui ponunt lucem esse de substantia coloris.

SVnt autem qui ponunt lucem esse de substantia coloris, & illi dicunt quod color est lux incorporata per-

ſpicuo. Habet autem perſpicuum differentias iſtas. Aut enim perſpicuum eſt purum, ſeparatum à terreſtreitate, aut impurum cum terreſtreitatis admixtione. Lux autem conſideratur quadrifarie, quia aut eſt lux clara, aut obſcura, vel eſt pauca, vel multa. Nec dico lucem magnam per ſubiectum magnum diffuſam, ſed ſicut de luce virtuali dicitur, quod in puncto colligitur lux multa, vt quando opponitur ſpeculum concauum Soli, & lux cadens ſuper totam ſpeculi ſuperficiem, in centrum ſphæræ ſpeculi reflectitur, cuius lucis collectio ſpeculum inflammat, & citiſſime combuſtibile generat: vnde cum fungus, vel aliud inflammabile opponitur, ſubito accenditur & ignitur. Si igitur fuerit lux clara & multa, in puro perſpicuo albedo generatur, nam albedo eſt color ex luce multa & clara in puro generatus, *vt dicit Albertus*. Si vero fuerit lux pauca & obſcura, in perſpicuo obſcuro nigredo neceſſario generatur. Et iſte ſermo explanat ſermonem Ariſt. & Auerrois, qui ponunt nigredinem priuationem claritatis & albedinem habitum ſiue formam. Et ſecundum hunc ſermonem patet, quod ſunt ſeptem colores ab albedine verſus nigredinem paulatim accedentes, ſimiliter ſeptem erunt proximi nigredini à nigredine verſus albedinem procedentes, donec fiat occurſus alicuius ſeptem colorum, quibus ab albedine ad nigredinem deſcenditur. Et hoc patet. Cum enim albedinis eſſentiam tria conſtituunt, ſcilicet lucis claritas & eius multitudo, ac perſpicui puritas, duobus amotis poteſt eſſe remiſſio. Erit igitur per hunc modum trium colorum generatio, & quolibet trium ſolo remanente duorum reliquorum erit remiſſio, & ſic ab albedine erunt ſeptem colorum immediatæ productiones vel progreſſiones. Similiter à nigredine verſus albedinem ſeptem ſunt colores, & erunt ſecundum iſtam conſiderationem ſedecim colores, duo principales, ſcil. albedo & nigredo, & 14. collaterales, ſeptem hinc per extenſionem albi ad nigrum accedentes, & ſeptem illinc à nigredine per remiſſionem ad albedinem accedentes, in medio in idem concurrentes. In quolibet autem mediorum colorum ſunt gradus quaſi infiniti ſecundum intenſionem & remiſſionem maiorem vel minorem, prout extrema ſe protendunt.

Recollige igitur breuiter ex prædictis, quod color eſt proprietas ſiue qualitas derelicta in ſuperficie corporis

perspicui ex natura mixtionis elementarium qualitatum concurrentium in mixto, quæ mediante luce, visui actualiter præsentatur. Nam sine luce media color organum visus actualiter non immutat: color tamen per se est visibilis, *vt dicit Aristoteles 2. de anima*, non est autem ex defectu sui, sed potius ex defectu & impotentia organi, quia color sine actuali lucis præsentia non videtur. Et ideo Pythagorici vocauerunt colorem ἐπιφάνειαν, scilicet supra apparitionem, eo quod sit extremitas corporis perspicui terminati, vel in eius extremitate, & ibi magis proprie est, eadem tamen natura coloris est intus & extra, vt patet in albugine oui, & in fracturis vitri colorati, *vt dici. in lib. de sensu & sensato, ca.* 7. Sunt tamen multa quæ sunt vnius coloris in extremo extrinseco & in initiali termino & alterius intrinsecus in meditullio, vt patet in pipere nigro, & in pomo granato. Multa enim colorant rei superficiem, quæ non penetrant ad interiora, vt patet in picturis. Pannus etiam rubeus tingit aquæ extremitatem, quando ei supponitur. Vnde patet quod color perspicui extremitas est, *vt dicitur in libro de sensu & sensato cap.* 7. Item sicut in corpore perspicuo nõ terminato vt aere, præsentia luminis facit actu lucidũ: absentia vero tenebrosum: sic in corpore terminato præsentia lucis facit coloratum, scili. album, & eius absentia nigrum & tenebrosum, ita tamen quod omnino absit lumen, *vt dicitur in libro de sensu & sensa.* Vnde verus color est in corpore terminato non perspicuo In corpore vero non terminato non est verus color, sed quasi color, *vt dicitur in eodem libro*. Item fit generatio colorum mediorum secundum suas differentias, secundum diuersitatem proportionum, etiamsi fuerit in sesquialtera proportione, vel secundum alias proportiones. Si autem secundum proportionem, & secundum inhærentiam & diaphanum fit iterum proportionalis, nihil assumunt, vt patet in consonantiis, *vt ibidem cap.* 8. Item fit generatio secundum proportionem colorum consonantium quando sunt delectabiles, & quanto erunt magis proportionabiles, tanto sunt delectabiliores, *vt dicitur ibidem. Item secundum aliorum opinionem* generatio colorum mediorum fit per suppositionem colorum extremorum inuicem, vt manifestioris super minus manifestum, vt patet in picturis, sicut Sol videtur per se albus, sed per interpositionem

nubis videtur esse alterius coloris. Item apertiones oculorum non fiunt per discursiones radiorum ab oculo, sed potius fiunt per continuam multiplicationem coloris in medio, vt per subitam eius dilationem ad oculum, cum sensus fiat per contactum, *Vt ibi dicitur*. Item colores æque distantes, positi à longe distantibus, apparere possunt medii colores, cum non sint, quia nulla pars rei sub extremo colore videri potest, vt patet in panno diuersi coloris, *Vt ibidem dicitur cap.* 8 Item medii colores generantur secundum similitudinem generationis mixtorum cum miscibilibus, quia mixtionem mixtibilium, per transmutationem in formam permixti sequitur mixtio colorum, vt sicut ab extremis corporibus generatur medium: sic ex extremis coloribus medius color generatur, *Vt ibidem dicitur ca.* 8. Item omnis color generatur per albedinem & nigredinem quæ videtur potius priuatio esse albi quam color, vt obscuritas est priuatio lucis, *Vt dicitur lib.* 10. *metaph. capit.* 3. Item vnitatem coloris in specie non oportet quod sequatur vnitas naturæ, *Vt dicit Alb. in differentia*. Item effectus coloris est immature visum secundum actum lucidi. Nam per lucidum, color educitur de potentia ad actum, vt actualiter immutet organum visus, vt apprehendat speciem colorati & iudicet de re visa. Item color medius bene proportionatus delectat visum & confortat, extremus vero color debilitat visum & contristat, *Vt dicit Aristot.* Nam intensa albedo disgregat spiritum visibilem, & dissoluit oculum, & oculum lacrymare facit. Sed nigredo nimis intensa aggregando spiritum & condensando visum repercutit & obtundit. Vt patet in diu inclusis, in locis tenebrosis, qui subito educti ad lucem, parum aut nihil vident. Item color rei coloratæ naturam & complexionem indicat. Nam albedo & colores albi in corporibus congelatis non sunt nisi in substantia frigida, & nigri è contrario, quia frigus albificat substantiam humidam & denigrat siccam. Calor vero denigrat humidam & albificat siccam, *Vt dicit Aristotel. & Auicen*. Et ideo albedo, quæ est filia frigiditatis, indicat dominiũ phlegmatis, frigidi & humidi humoris. Nigredo signum est melancholicæ dispositionis & sicci humoris in corpore dominantis. Quandoque tamen est signum adustionis nimiæ adurentis, humores & in me-

in melancholiam innaturalem commutantis, *sicut post dicetur.* Item rerum intrinsecas qualitates color extrinsecus manifestat. Nam *Vt dicit Auicenn.* color est qualitas, quæ perficitur à luce. Est enim color lux existens in potentia, in corpore tenebroso migrans in actum per lucidum superueniens ab exteriori. Et hoc patet sic: quodlibet enim corpus commixtum habet aliquid de igne in potentia, & per ignem habet de lucido, cum ipse ignis sit lucidus à natura, sed illud lucidum velatur à partibus tenebrosis, vnde solum est in potentia, sicut caliditas sulphuris vel piperis. Vnde sicut eorũ caliditas potentialis non migrat in actum, nisi per consimilem qualitatem actualem extrinsecus interiori comparatam: sic lux potentialis in permixto, de tenebroso non migrat in actum, nisi per aduentum luminis exterioris. Color itaque apparens extrinsecus, intensionem vel remissionem declarat ignis latitantis potentia in permixto. Et secundum hoc de eius actione & virtute iudicatur. Item coloris proportionalis varietas intuentis aspectum ad sui admirationem & intuitum naturaliter excitat, *Vt dicit Plinius libro octauo & Auicenna. Vnde dicit,* quod qualibet bestia quantumcunque sæua, varietatem coloris & pulcritudinem admiratur in panthera. Item cuiuslibet hominis faciem color maxime pulcrificat vel deformat. Nam color ordinatus, & suauis complexio, est pulcritudinis forma, quando membrorum dispositioni debitæ correspondet, *Vt dicit Auicenna. Vnde dicit August.* Pulcritudo est elegans corporis habitudo cum coloris suauitate, & è contrario, color confusus & incompositus euidens est in corpore turpitudo. Item color passiones & accidentia animæ præconizat, subitus enim pallor & discoloratio index est timoris, nã reuocato calore ad interiora corporis, superficies depauperatur à sanguine, & sic per consequens discoloratur. Sic subitus rubor in facie signum est verecundiæ siue iracundiæ & furoris, & hoc accidit propter calorem petentem exteriora, & cutis superficiem rubificantem & defendere ab illata iniuria cupientem. Item color materiam suam seu substãtiam terminat, perficit & informat, quia si color in subiecto non esset, qualis foret rei substantia, visui non appareret. Item color materiæ superficiem ornat & eius deformitatem palliat

& occultat. Vnde calor compositus inter extremos medius, in superficie corporis ordinate superpositus informitatis accidentaliter vel naturaliter in materia derelictæ est operculum, *Vt dicit Auicenna.* Item color luci se conformat, & velut filia matri se eius actui configurat: vnde cum intensa luce color acuitur & intenditur, & cum remissa remittitur & hebetatur.

Cap. VIII.

De Coloris mutatione.

Fit autem in corporibus colorum mutatio multiplici de causa, vt patet in fructibus & graminibus, & in aliis terræ nascentibus. Nam primo nascuntur fructus virides, vt patet in vuis, & in moris, deinde rubescunt, tandem pallescunt vel nigrescunt, & illius coloris accidit varietas ex varietate caloris naturalis vel solaris vario modo substantiam fructus decoquentis & digerentis. Primo enim caloris actio est debilis & lenta insufficiens dissoluere & rarificare partes terrestres, & ideo in earum superficie apparet color viridis & indigestus ac terrestris. Sed paulatim vigoratur calor naturalis per adminiculum caloris solaris, & ideo fortius digerit, & propter eius intensionem colorem rubeum in fructus superficie derelinquit, & tandem completo fructu & maturo, & humore pontico ac terrestri perfecte digesto, ex adustione color niger in superficie generatur, nam calor prædominans super terrestreitatem ipsam dissoluit, decoquit & digerit, & quantum necesse est in substantiam fructus accipit ac conuertit, quod vero reliquum est vel consumit vel à se repellens ad extremas partes ducit & transmittit, & talis reiecta fumositas cum sit terrestris superficiem inficit & nigredinis vel glaucitatis vestigium in fructus generat superficie & relinquit, *sicut dicitur super librum Vegetabilium in commen.* nam tales colores ex se actionem & naturam frigiditatis prætendentes, sæpe etiam in rebus calidissimis generantur ex eadem causa, scilicet ex calore interius dominante fumositates terrestres vel aqueas ad extrinseca repellente, *Vt dicit Alfredus super librum Aristotelis de Vegetabilibus & plantis.* In rebus etiam sensibilibus fit coloris mutatio, nunc in cute, nunc in oculis, nunc in pilis, nunc in vngue. Nam color cutis fit

fit duobus modis, *vt dicitur in Iohannicio*, aut fit ab interioribus, aut ab exterioribus. Ab interioribus aliquando fit ab humoribus, aliquando ab animæ passionibus. Ab interioribus itaque mutatur color in cute, aliquando per humores calidos, aliquando per frigidum, nam contingit humores calidos atque compositos quam simplices frigefieri, & etiam frigidos vel infrigidatos calefieri, & secundum hoc solet in cute color variari, nam quando frigidi humores calefiunt, albus color mutatur in citrinitatem vel in ruborem. Quando vero calidus frigescit, color rubeus mutatur in albedinem vel pallorem, & sic de aliis intelligendum est. Item ab interioribus animæ passionibus mutatur color, nam rubicundus fit pallidus ex angustia vel timore, quia in timore cor stringitur & calor ab exterioribus ad interiora reuocatur, & ideo exteriora pallescunt, ita similiter pallidus fit rubeus ex ira, quia in ira cor dilatatur & extenditur ad vindictæ appetitum, & calor subito impetuose ab interioribus ad exteriora commouetur. Vnde & calefit sanguis intercutaneus, & exinde rubor subito generatur, ab interioribus etiam fit color niger in Mauris, & albidus in Alemannis. Nam Mauritania est regio in Æthiopia calidissima, in qua propter calorem continuum sanguis aduritur intercutaneus, & denigratur & fit adustus, à cuius denigrati sanguinis diffusione inter cutem & carnem, omnia membra generaliter denigrantur, Vnde primus Æthiopiam inhabitans denigratus sic est, sed postea cooperante calore Solis cõtinuitate primi illius habitatoris vitium in posteris propagauit, quod ex nigro patre & consimili matre nigri fœtus generaliter nascerentur. Sed hoc solum habet locum, vbi Solis adustio continue afficit generantes. Et ideo in regionibus temperatis & ad frigiditatem declinantibus Æthiopes generant in colore filios temperatos, *vt dicit Macrobius, Aristoteles & etiam Auicenna.* E contrario vero Scoti & Alemanni frigidas inhabitant regiones, & ideo frigiditate poros exterius constringente calor ad interiora reuocatur, & ideo exterioris partis corporum superficies dealbatur. *Hæc omnia narrat commentator super Iohan. Idem etiam narrat Aristoteles.* Item mutatur color cutis & maxime hominis multis aliis de causis, quandoque propter complexionis ma-

malignitatem, vt patet in melancholicis propter nimiam & superexcedentem caliditatem, vt est videre in cholericis, qui citrini sunt coloris. Propter Solis calorem & aeris siccitatem, vt patet in itinerantibus & nautis, propter humorum corruptorum intercutaneorum expãsibilitatem, vt contingit in morphea & in lepra, propter opilationem epatis & fellis distemperatam qualitatem, vt accidit in Ictericia, quæ est coloris naturalis in sordidum & vitiosum colorem transmutatio, *Vt dicit Constant.* Propter solutionis cutis continuitatem, vt patet post variolas & cicatrices varias vel vsturas. Consideratur etiam color in pilis & in capillis, nam secundum qualitatem fumorum à corpore resolutorum, variatur color capillorum, nam ex phlegmate fiunt albi ex sanguine rufi, ex naturali melancholia glauci, ex cholera adusta nigri, ex defectu etiam caloris naturalis fiunt cani, vt patet in senibus. Et quando canus color incipit in radicibus capillorum, accidit ex phlegmate abũdante, quando vero ab extremis incipit, signum est quod accidit ex defectu caloris naturalis. *Quare supra in tractatu de capillis.*

CAP. IX.

De Colore in oculis

ATtenditur postea color in oculis. Nam *Vt dicit Iohannitius.* Colores oculorum sunt quatuor, scilicet niger, subalbidus, varius & glaucus. Diuersitas autem colorum istorum accidit ex spiritus visibilis claritate vel obscuritate: vel ex crystallini humoris paucitate vel profunditate, vel ex albuginei humoris superfluitate vel turbatione: vel ex vueæ tunicæ humoris indigentia vel superfluitate. Nam si humor crystallinus fuerit paucus in quantitate, vel lateat intrinsecus, & albugineus humor deficiat vel perturbetur; vel si abundet humor niger tunicæ vueæ, Istis omnibus concurrentibus vel aliquibus, ipsorum niger color in oculo generatur. Subalbidus vero ex causis fit contrariis. Glaucus vero & varius accidit ex mixtione rerum, quæ faciunt albedinem & nigredinem, & in glaucitate aliquantulum nigredo, in varietate albedo aliquantulum plus abundat, *Sed de his quære supra in tractatu oculorum.* Color etiam in vnguibus denotatur, nam eorum color

color debet esse subalbidus, specularis & perspicuus: quandoque autem mutatur iste color in liuiditatem vel alium emulum colorem, & tunc diuersas prætendit passiones, *vt patet supra in tractatu de vnguibus.*

Cap. X.

De Coloribus in particulari.

NVnc de coloribus in particulari dicendum est, & primo de albedine, quæ videtur mediorum colorum esse præcipuum fundamentum. Est autem albedo color ex luce clara & multa, in puro & perspicuo generatus, *vt dicit Algazel.* Vnde quanto materia perspicui est purior, & lux clarior, tanto albedo erit intensior & nigro impermixtior. Est autem causa materialis albedinis perspicuum purum, omni terrestri fœculentia impermixtum, nunc siccum nunc humidum. Causa vero effectiua est vel calidum vel frigidum. Nam materia si fuerit sicca per dominium & calor agens in ipsam fuerit per dominium, generabitur tunc albedo propter rarefactionem & subtiliationem partium materiæ ac clarificationem vi caloris, vt patet in combusto osse, & in calce: si vero fuerit materia substantialiter humida, & in illa dominans frigiditas generatum erit album, vt patet in niue & pruina. Generatur autem albedo ex aere vaporoso declinante ad humiditatē aqueam *vt dicit Aristoteles lib.* 19. *de animalibus*, & hoc per frigidi actionem, nam frigus albificat humidam materiam & denigrat siccam. Calor vero humidam denigrat & siccam dealbat. Item albedo generatur ex rarefactione aeris, vt patet in spuma, & ideo aquæ calidæ generant pilos albos, quæ albedo non est nisi ex aere vaporabili retēto in membris, & quia albedo ex aere calido & vaporabili fit, ideo animalia sunt alba sub ventre, *vt dicit Aristoteles lib. animal.* 19.

Diffusiuam autem habet virtutem respectu visus, & spiritus sensibilis disgregatiuam, & ideo si fuerit nimis intensa, corrumpit visum & facit oculos lacrymari, sed est omnium oculorum incrementum. In nullo enim melius fundantur colores medii, quam in albo. Et quanto album est intensius quod substernitur, tanto adhæret fortius color, qui super inducitur & linitur, siue rubedo fuerit, siue

nigre-

nigredo ad albedinem vero pertinēt candor, albor, pallor, liuor siue flauor, flauum enim & liuidum idem sunt secundum vnam significationem, *vt dicit Arist. in cap. de sapore,* & dicit quod liuidum est flauum, quia flauum sequitur naturam albi. Multas alias species assignant medici circa album, vt est color aqueus, lacteus, χάροπος, id est, albidus vel subalbidus, pallidus vel subalbidus. Et variantur secundum diuersas materias tenues vel grossas, in quibus radicantur, *vt patet in lib. Isa. Theophi. Constan. Egidii de Vrinis.* Candor est albedo intensa, multum habens in se lucis in forma & puræ perspicuitatis in materia, nam fulgor lucidi id est puri perspicui superficiem informans & perficiens, & intuentis aspectum sine organi læsione immutans, & cum quadam suauitate ad sui intuitum excitans oculum & alliciens candor nuncupatur. Illud enim candor dicitur, quod primo potest sine corruptione sensus ab albedine per actum lucidi ab oculo comprehendi, nam albedo, quæ consistit in extremis à sensu non videtur, subterfugit enim sensu iudicium, quia nulla res sub extremo colore videri potest. Sunt enim colores extremi inuisibiles, secundum se propter sui paruitatem, *vt dicitur in lib. de sen. & sen. cap. 8.* Quod ergo primo subiacet sensui de albidine post eius extremum candor dicitur.

Cap. XI.
De Colore glauco & flauo.

COlor flauus qui & glaucus dicitur, generatur ex albedine minus intensa, accedente aliquātulum ad rubedinem, & generatur *secundum Auicen.* in materia temperata, non simpliciter, sed respectu viridis coloris. *Nam vt vt dicit idem* Viridis color in plantis mutatur in glaucum in autumno, quando enim in foliis est materia humida magis quam glauci, & grossa paulatim per actionem calidi consumitur, nec tamen omnino destruitur vel destituiá calore eleuante materiam, licet frigus dominetur, frigus vero dominans in materia medioeri generat medium colorem necessario, & quia potest melius transmutare humiditatem quam siccitatem, ideo genetat colorem medium habentem, de albo magis, cuiusmodi est glaucus, *vt dicit comment. super lib. Aristot. de plan. in fine.* Ideo inquit, quæ-

quædam arbores virides in æstate, pallescunt in hyeme, vt buxus, habet enim buxus viscosum humorē, in radice autem multum habet liquidam humiditatem, & ideo non cadunt folia, sed adueniente calore prouocatur humor ad exteriora, qui tactus caliditate fit viridis, sed adueniente frigiditate repercutitur humor & abūdat siccitas, & fit color glaucus, vnde respectu coloris viridis in quo est plus de materia, dicit glaucum habere materiam temperatam.

Cap. XII.

De Pallido colore.

Color pallidus ex eisdē causis generatur, frigiditas tamē minus est intensa, & plus accedit albedo ad nigredinē in materia grossiori. Est igitur pallor color medius albedine incipiēs & degenerans in nigredinem. Generatur etiā accidētaliter vt ex timore, solicitudine nimia, & labore & ex causis aliis, quibus calor ad interiora reducitur & corporis superficies propter sanguinis depauperationem pallescit & discoloratur, vt est videre in nimis dormientibus & somniculosis, & in hominib. amorosis, qui præ amoris magnitudine æstuantis dilatati cordis spiritus euaporant, propter quorum nutrimentum & restaurationem natura calorem ab exterioribus ad interiora reuocat, & sic superficiem cutis per subtractionem calidi sanguinis discolorat, iuxta illud.

Palleat omnis amans hic est color aptus amanti.

Et eadem de causa macerati fame vel immoderato exercitio & labore, & propter consumptionem calidi sanguinis expallescunt.

Cap. XIII.

De Rubeo colore.

Rubeus color est color medius ab extremis nigredinis & albedinis æquidistans, qui in superficie corporis perspicui resultat per incorporationē clari luminis, ignei atque puri. Ad cuius generationem concurrunt materiæ perspicuitas, ignei luminis claritas, & albedinis atque nigredinis concors mediocritas, tamen propter igneam lucē partes mixti perspicuas dilatantem, & rarificantem ac subtiliantem, maiorem habet in translucentia conformita-

tem cum albo quam cum nigro, & ideo intense rubeum ad modum lucidi disgregat visum, nec aggregat sicut nigrum. Propter quod pannorum venditores pannos rubeos suspendunt ante lucem, vt videntes alios pannos coloratos propter rubedinem spiritum visibilem disgregantem, minus valeant colorem discernere veritatem. Prætendit autem generaliter rubedo dominium calidi in permixto, quamuis aliquando inueniatur superficialiter in naturaliter frigido, vt est videre in rosa, quæ naturaliter siue substantialiter frigida est & sicca, sed quia subtilissima est substantiæ, innatus calor, quem habet ex compositione, fugiens dominium frigidi, petit exteriora, quæ inueniens subtilia & humida, ad immutandum transmutat ea superficialiter in colorem rubeum, qui actioni ignis potissime similatur.

Cap. XIIII.

De Croceo colore.

COlor croceus, puniceus & citrinus differunt parum, nisi secundum remissionem albedinis & nigredinis intensionem, aliquantulam autem admixtionem, & secundum aliquantulam intensionem caloris & frigiditatis remissionem. Secundum autem quod color talis in materia subtiliori ac magis perspicua radicatur, magis rutilat & apparet, secundum vero quod materia magis est terrestris ac grossa, minus claret, talis autem color intensionem significat caloris temperati & non excedentis, quantum est de significatione coloris, secundum varias tamen substantiæ dispositiones varias prætēdit sanitatis vel morbi significationes, diuersas corporis habitudines & complexiones *Vt patet in libr. Isa. de Vrinis.* Nam citrinus color adiunctus cum substantia tenui, in vrina iuuenis cholericæ complexionis prætendit ipsum sanum. In phlegmatico ac melancholico significare poterit varias infirmitates, *Vt dicit Ægidius versus finem in tractatu de Vrinis. cap. 13. Vbi dicit.*

Est multis tenuis citrina referta figuris.
Phlegmaticum iuuenem vel quem niger afficit humor
-- Condemnat tricam duplici, &c.

Vnde vnus & idem color diuersa & aduersa signat secundum diuersitatem substantiæ cui copulatur.

CAP

CAP. XV.

De colore croceo.

COlor croceus plus tingit liquores & humores quam citrinus, & significat caloris intensionem & distemperantiam sanguinis in epate per cholerę admixtionem, vt patet in ictericis, quorum vrina est crocea in spuma, & oculi crocei, & cutis fœda & citrina. Aues autem calidissimæ complexionis & choleticæ, vt aues prædæ extrema habent crocea, vt pedes atque rostra, quod accidit superabundantia cholerici fumi & calidi, quem reiicit natura ad extrema propter quod coloratur, *de hoc quare supr. in li. de morbis. c. de ictericia.*

CAP. XVI.

De colore Minio.

COlor minius idem est quod coccinus ac vermiculus, rubedini propinquus & affinis, rutilans & resplendens quasi ignis, multum enim habet in se igneæ luciditatis, & etiam ex parte materiæ perspicuitatis, propter quod color est viridis relucens multum & acutus. Materia enim minii est terra, quæ discerpitur in litore maris rubri, quæ tantæ est infectionis & ruboris, quod ex eius diluuione totum mare tingitur, & in colorem minii commutatur. Vnde ab illa infectione mare superioris Ægypti rubrũ appellatur. Et in illis terræ venis rubræ gemmæ inueniuntur. Hæc de terra primo optime depuratur, desiccatur, tandem inter lapides subtilissime commollitur, & cum claro oui distemperatur. Et hic color pictoribus, scriptoribus, lucrum non modicum administrat, nam inde libros ornant, capitales literas inde formant, fines ac principia sententiarum ac versuum distinguunt minio atque signant. Acuitur quandoque succo herbæ cuiusdam, quæ coccus appellatur, & ille color rutilat quasi ignis, & ideo ab illo succo coccum nominatur, & tali colore plus vtuntur tinctores vestium quam scriptores. Solebant etiam Antiqui acuere minium cum sanguine cuiusdam vermis: sicut acuitur purpura cum sanguine conchylis. Et ex tali acumine primitus ab antiquis vermiculus vocabatur, *Vt dicit Isid. Vbi tractat de coloribus.* Est autem color vehementissimæ adhærentiæ post-

quam fuerit materiæ incorporatus, ita quod inde vix poterit post deleri. Quod, si quis pergameno abradere contenderit: vel abluere nisus fuerit, vix tantum abluet vel abradet quin aliquod vestigium post inueniet.

Cap. XVII.

De Puniceo colore.

PVniceus color est color circundans colorem rubeum, sicut purpureus plus habens de rubedine & nigredine quam de albedine: Plus tamē declinat ad albedinem quam ad nigredinem. Purpureus autem econuerso affinis est rubeo, sed magis declinat ad nigredinem quam ad albedinem. Vnde *dicit Arist. in 2. de som. & vigi.* quod puniceum per purpureum transit in nigrum: vnde post rubedinem vicinitatē habet ad nigredinem. Inueniuntur autem in mari quædā conchylia admodum parua, quæ in extremitatibus præcisa, quasdam emittūt guttas sanguineas: q̄ recollectæ purpuras tingunt & colores rubeos acuunt & intendunt, vnde talis sanguis in quantitate modica recolligitur, & vasis ac cannalibus tinctorum officio aptis cum aliis coloribus reponitur, cum quibus tingitur sericum, ex quo texitur pannus purpureus vnde regum gloria ostenditur, *vt dicit Gregor. super Canti. cap. 7.*

Cap. XVIII.

De Colore viridi.

COlor viridis generatur actione calidi in materia mediocri, vergente tamen ad dominium humidi, vt patet in foliis, fructibus & herbis, & ideo generabitur color multum habens de nigredine, non tamen pertingens totaliter ad nigredinem. Ex admixtione enim remissi albi, vt glauci, & intensi nigri in superficie humidi, viriditas generatur, quando calor agens in materia non potest adurere humidum, nec ad plenum decoquere, vt totaliter in nigrum conuertatur. Vnde viriditas in herbis & in fructibus signum est crudi humoris & indigesti, *vt dicit Auic.* Et hoc patet, quia color viridis in plantis & in fructibus mutatur in glaucum in autumno, quia in foliis & in herbis est multa materia humida & grossa, quæ per actionem calidi

paulatim

paulatim consumitur, nec omnino destituitur a calore in materia eleuante, licet frigus dominetur. Et ideo quædam arbores virescunt in vere & in æstate, in hyeme vero vel in autumno pallescunt, quia adueniente caliditate vernali, prouocatur humor ad exteriora, qui tactus calore fit viridis, sed adueniente frigiditate repercutitur humor, & abundat siccitas, & fit color glaucus, *Vt dicit Comment. super 1. Arist. de plan. in fine.* Est itaque color viridis medius inter rubeum & nigrum generatus, & hoc patet per transitum choleræ rubeæ in melancholiam innaturalem. Cholera enim cum sit rubea, transit in melancholiam, quæ est nigra, mediante cholera innaturali, scil. æruginosa & prasina, quæ viridis inuenitur. Et ideo color viridis maxime delectat visum, propter concursum partium ignearum & terrestrium. Nam luciditas ignea, quæ in viridi est temperata, delectat visum. Obscuritas etiam terrea siue nigredo, cum non sit in extremo, mediocriter spiritum visibilem aggregat & confortat. Et ideo nullus color est ita delectabilis visui sicut viror, vt patet in smaragdo, qui oculos sculpentium gemmas & metalla maxime reparat & confortat, *Vt dicit Isid. cap. de lapidibus preciosis.* Sunt autem viridia folia plantæ & gramina, & cætera terræ nascentia ex dominio partium terrestrium, in quibus radicãtur, tanquam in materia, & ex virtute ignea tanquam ex causa effectiua, quæ dissoluit terrea, & subtiliat & rarefacit, & sic attrahendo earum fumos ad extrema tingit herbæ superficiem tali colore non nigro nec rubeo sed virore. Nam nigredo temperat rubedinis disgregatiuam claritatem, & claritas incorporata nigredini, ipsam reducit ad mediocritatem. Ex dominio ergo partium terrestrium & ignearum viridis color generatur. Et quamuis folia fructus & gramina virescant: flores tamen virides raro vel nunquam inueniuntur, quod accidit propter subtilitatem materiæ florum, in qua si prædominantes partes fuerint aqueæ & aereæ, erit color albus. Si vero aqueæ cum igneis præualuerint, erit color glaucus vel pallidus aut citrinus. Si autem præabundauerint igneæ partes aereis, erit color roseus, & si fuerint præualẽtes partes aqueę cum terrestribus, erit color blauius vel violaceus. Si autem æque præualuerint partes igneæ cum terrestribus, posset

quidem fieri color viridis vel niger, ſed talem commixtionem ſubtilitas materiæ floris vel rarefactio non admittit. Et ideo flores non vireſcunt generaliter nec nigreſcunt. Eſt ergo color viridis inter rubedinem medius & nigredinem, delectans viſum, & ad ſui aſpectum oculorum attractiuus, aciei viſus confortatiuus & reparatiuus. Vnde cerui & animalia agreſtia alia loca virentia diligunt & frequentant, non tantum propter paſtum, verum etiam propter viſum. Et ideo venatores viridibus veſtimentis ſemper ſe induunt, quia propter aſpectum viroris, quem beſtię naturaliter diligunt, minus venatorum inſidias expaueſcunt, *vt dicit Galen.*

Cap. XIX.

De Colore Liuido.

Color liuidus ex partibus aqueis & terreſtribus prædominantibus generatur. Nam talis color in rebus habentibus humorem groſſum & frigidum generatur, vt patet in violis & plumbo. Plumbum tamen naturaliter eſt album quamuis ſuperficialiter ſit liuidum, vnde ex eo fit ceruſſa, *vt dicit comment. ſuper 4. meteo.* Vnde color liuidus ſignum eſt frigiditatis dominantis, quia liuidus color in vrina eſt ſignum extinctionis naturalis caloris, & mortificationis animalis, *ſicut dicit Ægidius*, Membrorum liuiditas monſtrat humorem mortificatum. Signat enim multas alias paſſiones, *ſicut ibi ſequitur*:

Paruus hemitriteus medius morbuſque caducus,
Alchites, ſinochus, venæ ruptura, catharrus.
Coſtæ pulmonis, victum dolor articularis.
Conſumptiua phthiſis vis extinctiua caloris.
Sunt tibi liuoris cauſæ, &c.

Cap. XX.

De Colore Liuido.

Color ergo liuidus eſt malus in animatis corporibus, nam vel ſignat dominium frigoris calorem naturalem extinguentis, & naturam mortificare inchoantis, vel ſuperabundantiam melancholici ſanguinis, colorẽ omnino & cutis ſuperficiem vitiantis, vel cordis anguſtiam, calorem

lorem ſanguinis ad interiora reuocantis, vt patet in inuidis, vel dolorem caſus ſiue concuſſionis ſanguinem intercutaneum corrumpentis, vt patet in fuſtigatis, in quibus humor intercutaneus per malitiam corruptus, cuti infert corruptionem & infectionem, *Vt dicit expoſitor ſuper.* 1. c. *Iſac. ibi, Vulnus liuore, &c.* Vel ſignat ſpirituum & naturalis caloris defectionem & depauperationem, vt patet in hydropicis, hecticis & conſumptis, *Vt dicit AEgidius.* Signat etiam dolorem articularem, nam dolor arteticus propter neruorum ſenſibilitatem, in quibus radicatur, magis eſt doloroſus, propter quod confluunt ſpiritus & humores ad locum doloris, propter quod alij humores remanent minus calidi, & minus per conſequens colorati. Omnes autem cauſas liuiditatis enarrare non expedit in præſenti opuſculo, ſed tangere ſolum, & ad memoriam reducere ſufficit, quæ â maioribus noſtris copioſiſſime ſunt tractata. Raro autem memini liuorem ſignare aliquod bonum, niſi prius viride vel nigrum operatione naturæ mutetur in liuidum, & de liuiditate in rubeum ſiue citrinum. Nam tunc ſignum eſt, quod natura contra morbum victoriam obtinet & triumphum. *Vnde Aegidius. Liuidus prius ſi poſt rubeus videatur. Conſurgit cerebri natura vigor reparatur.*

Cap. XXI.

De colore Indico.

COlor Indicus ſiue Venetus eſt color blauius, liuiditatem excedens in pulchritudine & virore, plus habens aqueitatis & aereitatis admixtum cum partibus terreſtribus & vnitum, quam liuidus, & talis color eſt cœleſtis propter dominium aereitatis in ſuperficie perſpicui materiæ ſcilicet puræ & tranſparentis, vt patet in ſapphiris orientalibus & hyacinthis, talis etiam color reperitur in laſurio. *Sed de hoc quære ſupra in tractatu de gemmis & de lapide laſuri.*

Cap. XXII.

De Nigredine.

NIgredo eſt priuatio albi in perſpicuo, ſicut amarum eſt priuatio dulcedinis in humido. Vnde vi-

quod albedo est prima origo colorum, sicut dulcedo & principium saporum, *vt dicit Aristoteles in libr. de sen. & sensato. Idem dicit Aristot. lib.* 19. Color niger non est nisi priuatio claritatis. Generatur autem nigredo ex luce pauca & obscura, in perspicuo & obscuro & impuro incorporata. Et ideo nigredo est spiritus visibilis aggregatiua, & eiusdem repercussiua, propter quod lædit visum & hebetat, quando nimis est intensa, vt patet in diu incarceratis, qui exeuntes de carcere parum vident. Fundatur autem nigredo quandoque in substantia humida & calida, quia caliditas dominans denigrat substantiam humidam, vt est videre in lignis humidis & exustis. Quandoque in substantia sicca & frigida, quia frigiditas dominans substantiam denigrat siccam, & humidam facit albam, *vt dicit Auicenn.* Vnde nigredo quandoque causatur a frigiditate, & est signum mortificationis. Quandoq; à caliditate, & tunc est signum adustionis, & ideo nigra vrina diuersa potest signare & aduersa, *sicut dicit Egidius.* Quandoque enim signat solutionem quartanæ, & sic prætendit sanitatem: aliquando signat adustionem & mortem, vt in acuta febre. *Vnde Egidius dicit.*

Nigrior vrinæ facies incommoda febris,
Quartanæ soluit, mortem protendit, & vrit.
In febre fert mortem nigra, fœtida paucula, pinguis, &c.

Sunt quidam colores picturæ operibus congruentes, quorum quidam in venis terræ nascuntur, vt sinopis, rubrica, melium, minium, auripigmētum & huiusmodi. Quidam arte componuntur.

Cap. XXIII.

De Sinopide.

Sinopis est color rubeus, in Ponto primitus adinuentus, iuxta Sinopim ciuitatem, à qua nomen sic accepit, *vt dicit Isidor. lib.* 18. Huius species tres sunt, prima rubra, & minus rubens, & inter has media, *vt dicit idem.* Rubrica dicitur quia rubra, proxima colori sanguineo, *vt dicit idem*, gignitur in pluribus locis, sed optima est in Ponto. Vnde & Pontica appellatur.

CAP. XXIV.

De Scyrico.

SCyricum pigmẽtum eſt vnde fit color Phœniceus, quo librorum capita ſcribuntur. Et colligitur in littoribus Rubri maris in Phœnice, & inter fictitios hic color reputatur, eo quod fit aliquando ex ſinopide & ſandyce ſimul mixtis, *vt dicit Iſidor.*

CAP. XXV.

De Minio.

MInium eſt color rubeus, cuius materiam Græci apud Epheſum primo inuenerunt. In Hiſpania huiuſmodi pigmentum præ cæteris regionibus plus abundat. *Vt dicit Iſidorus.*

CAP. XXVI.

De Cinnabari.

CInnabari, ſiue Cinnabarim dicunt à dracone & à barro elephante eſſe vocatum. Aiunt enim draconum eſſe ſanguinem dum implicant elephantes. Ruunt enim beluæ & dracones obruuntur, quorum fuſus cruor terram inficit, fitque pigmentum quicquid ſolum tinxerit. Eſt autem puluis coloris rubri, *vt dicit Iſidor.*

CAP. XXVII.

De Praſino.

Πράσινον creta eſt viridis: vnde fit color viridis, ſicut portum, creſcit optima in Libya Cyrenenſi, *vt dicit Iſidor.* Chryſocolla eſt vena Praſini coloris, ſic dicta quod cum ea aurum dicitur inueniri. Hæc in Armenia creſcit, ſed probabilior eſt quæ creſcit in Macedonia. Foditur in metallis æris, cuius inuentio argentum atque Indicum prodit. Nam venæ eius cum his habent naturæ ſocietatem, *vt dicit Iſidor.*

CAP. XXVIII.

De Sandaracha.

SAndaracha naſcitur in Topazio inſula maris Rubri. Et eſt coloris cinnabaris, ſed odoris ſulphurei. Inuenitur

autem in metallis aureis & argenteis, & est tanto melior quanto rufior, quia quanto plus sulphur olet, quamuis & cerussa si in fornace torreatur in Sandaracham conuertatur. Cuius color est flammeus, quod si torreatur æqualiter cum rubrica sandycem reddit, *Vt dicit Isidorus.*

Cap. XXIX.

De Arsenico.

ARsenicum auripigmentum dicitur ob colorem auri. Colligitur in Ponto ex aurata materia, quod in aureum colorem transit purius est, & graciles habet venas, & quod pallidius est, peius iudicatur. *De hoc quære supra in tractatu de Venis terræ de auripigmento.*

Cap. XXX.

De Ochra.

OChra nascitur in Topazio insula, vnde venit & Sandaracha. Fit tamen quandoque ex ochra adusta rubrica, mollis oui luto circumlinito, quæ quanto magis in camino arserit, tanto melior fit, *Vt dicit Isidorus.*

Cap. XXXI.

De Indico.

INdicum in cannis Indicis limo infixis inuenitur spuma adhærente limo. Est autem coloris pulcri, & aerei, mixturam purpuræ & cœrulei mirabilem reddens. Est alterum genus in purpurariis officinis spuma innatans, quam confectores detrahunt & desiccant, *Vt dicit Isid.*

Cap. XXXII.

De Atramento.

ATramentum dictum est, eo quod sit atrum, cuius species necessaria est quotidiano vsui picturæ, & inter ficticios computatur. Fit enim ex fuligine multis modis super ardentes tædas. Huic pictores cũ aqua miscent gluten, vt illustrius resplendeat. Quidam enim carbones sarmentorum veterum tritos cum glutino addunt: alii fæcem vini nigri exurunt. Multis etiam fit aliis modis, *Vt dicit Isido.* Cum atramento autem temperatur incaustum & acuitur.

Habet

Habet autem multas virtutes, *vt patet in Plateario. Quære supra de venis terræ lib. 15.*

CAP. XXXIII.

De Melino colore.

MElinus color est candidus, cuius materia inuenitur in Melo insula, quæ est vna de Cycladibus, & ideo Melinus est dictus, *vt dicit Isid.* Propter nimiam autem pinguedinem pictores eo non vtuntur, *vt dicit Isid.*

CAP. XXXIV.

De Stibio.

STibium est color ficticius vel factus ex cerussa, & quibusdam aliis mixtis, cum quo mulieres facies suas sophisticant & colorant.

CAP. XXXV.

De Cerussa.

CErussa ex vapore fortis aceti tabulas plumbeas super sarmenta alba locatas persundentis generatur, *quære supra de plumbo.* Eodem modo fit æs viride siue calcantum, quod populus viride græcum vocat, scilicet ex vapore fortis aceti æneas laminas perfundentis, nam ex aceto corrumpitur æris superficies & conuertitur in æruginem, & inde color viridis procreatur. Valet ad carnem mortuam corrodendam.

CAP. XXXVI.

De Purpurea.

PVrpurea à puritate lucis est dicta, quia in his regionibus gignitur eius materia, quas Solis cursus illuminat propius & illustrat. Hic color lacrymis sanguineis effluentibus à quibusdam cocleis ferro diuisis acuitur & melioratur, *vt dicit Isidorus lib.19. in capite de tincturis.* Sunt & alii colores multi tam simplices quam compositi, quibus vtuntur pictores & tinctores, sed iam dicti sunt meliores & nobiliores, & ideo nunc de eis sufficiat. De his omnibus tractat Plinius *libro 35. capite 6. vsque ad 33. Et Isidorus libro 18. & 19.* Dicuntur autem tinctores pannorum & la-

narum ob nitoris gratiam, coloratores, *vt dicit Isidorus lib. 19.* Pictores vero sunt imaginum & rerum similitudinum picturæ artificio expressores. Est autem pictura dicta quasi fictura. Est autem imago ficta non veritas. Hæc & figura dicitur, quia quodam colore ficto est linita, nihil habens fidei & veritatis. Vnde & sunt quædam picturæ, quæ corpora veritatis studio coloris excedunt, & fidem dum augere contendunt, ad mendacia prouehunt, sicut qui chimeram tricipitem pingunt. Picturam autem Ægyptii primitus adinuenerunt, vmbra hominis lineis circumducta: deinde simplicibus coloribus, & post diuersis, sicq; paulatim ars ipsa se distinxit, & inuenit lumen & differentias colorum ac vmbras. Et nunc pictores prius quasdam lineas & vmbras futuræ imaginis ducunt: deinde coloribus complent inuentæ artis ordinem adhuc sequentes, *vt dicit Isidorus libro 8. in capite de picturis.*

Cap. XXXVII.

De Odore.

POst colores de odoribus est dicendum. Odor itaque est fumosus vapor à substantia rei resolutus, qui mediante aere ad cerebrum attractus est sensus olfactus immutatiuus. Nam odor immutat olfactum, quemadmodum color visum, vel sonus auditum, vel, quemadmodum sapor gustum proprium. Proprium enim est sensuum à suis sensatis & obiectis propriis immutari & delectari in eis ac perfici, si fuerint medii, contristari vero & destrui, si extremi, *vt dicitur in libro de sensu & sensato.* Est itaque odor rei proprietas sensu fumo medio perceptibilis. Ad hoc autem quod odor perficiatur & informetur in organo sensus, quatuor ad minus requiruntur, scilicet caliditas resoluens: materiæ subtilitas, actioni caloris resoluentis obediens: aerea puritas deferens: nerui vel cerebri conformitas, vaporem resolutum naturæ sensu percipiendo admittens vel abhorrens. Calor igitur resoluens fumos vaporabiles causa odoris est efficiens, vapor resolutus est materia obediens, qualitas vero fumi resoluti aeri deferenti se incorporat, & in suam similitudinem ipsum alterat & informat, informatus vero aer qualitate fumi neruo odorabili subito

subito se applicat, & sibi in corporati fumosi vaporis similitudinem repræsentat, cuius complexioni si similis fuerit miro modo cerebrum recreat & delectat. Si vero è contrario, inficit & contristat. Et ideo aromatica, quæ proportionem complexionalem habent, & harmoniam cum natura ipsum reparant atque iuuant: fœtida vero ex causa contraria aggrauant & molestant. Calor itaque resoluens odorem efficit, & è contrario frigus constringens odorem impedit & præscindit, quia mouendo ad centrum subtiles substantiæ vapores per aera se diffundere non permittit, propter quod nec sterquilinia fœtent in tempore hyemali sed potius æstiuali. Similiter substantiæ varietas seu subtilitas obediens calori resoluenti odorem causat. Econtra vero grossities materiæ odoris diffusioni obuiat & repugnat, vt patet in lapide, cuius naturalis compactio & frigiditas sunt in causa, quare neque redolet neque fœtet, *vt dicit Auicenna*. Tertio aeris consistentia confert sensibiliter ad odorem, nam si rarus fuerit & subtilis, de facili odoris materiam scilicet fumum vaporabilem recipit, sed propter eius euentationem & rarefactibilitatē permanere in se eius redolentiam longo tempore non permittit. Econtrario vero si densus fuerit aer & compressus, vapores bonos & malos tardiùs recipit, sed post eorum impressionem ipsos euaporare ita de facili non permittit, *vt dicit idem*. Quarto organi qualitas seu dispositio ad odoris iudicium potissime operatur: si vero fuerit neruus insensibilis, in quo percipitur olfactus vel male complexionatus, vel læsus casu aliquo, seu corruptis humoribus opilatis vel omnino peruertitur vel subtrahitur iudicium odoris. Primum patet in melancholicis & aliis male complexionatis, qui loca fœtida diligunt, odorifera vero & aromatica fugiunt. Secundum autem patet in mutilatis, qui neruos sensibiles & odorabiles habent læsos, & ideo odores non sentiunt. Tertium autem manifestum est in polyposis & leprosis, qui naribus à vitiosis humoribus opilatis inter odoriferum & fœtidum vix discernunt. Fumus igitur à rei substantia resolutus, materia est odoris: vnde secundum varietatem fumi odorum differentia variatur. Distinguit autem *Isaac in diætis* tres species fumi. Est enim fumus quietus & quasi nullius motus in aere, vt fumus à lapide resolu-

resolutus, qui eius complexionem non declarat positiue, sed per priuationem odoris & absentiam, ipsum habere substantiam grossam & frigidam manifestat. Est & alius fumus habens velocem motum in aere, & hoc accidit ex calore resoluente substantiam, quæ si fuerit valde pura & defœcata, erit odor valde aromaticus & suauis, vt patet in myrto & musco & in ambra. Si vero fuerit substantia impura, multis fœcibus intermixta, erit odor malus & naturæ horribilis. Et hic odor diuiditur dupliciter in grauem scilicet & fœtentem. Grauis odor ex calore adhuc naturaliter se habente in aliquo, & iam corrumpi incipiente generatur, vt patet in piscibus diu reseruatis sine sale. Est tertio fumus mediocris, à calore mediocri resolutus, & ille vel est à pura substantia vel impura: si ex pura, erit mediocriter aromaticus vt patet in pomis, violis & rosis. Si autem fuerit ex substantia impura, partim erit fœtidus: vt patet in aloe & absinthio & sulphure, &c. Causatur itaque odor aromaticus à colore partes subtiliores & puriores resoluente aere ipsarum fumos ad cerebrum deferente, sicut fœtor vel grauitas ex eodem partes grossiores & corruptiores à rei substantia dissoluente effectiue generatur. Vnde pro isto effectu ex actione caloris consequente, omne aromaticum calidum ab autoribus solet dici. Multa enim sunt substantialiter frigida, vt est videre in aceto, camphora & rosa, quæ tamen sentiuntur aromatica, & hoc fit propter substantiæ eorum puritatem, cuius partes subtiliores resoluuntur & diffunduntur in aere per calorem. Snnt autem duæ odorum extremitates, aromaticus, scilicet & fœtidus, inter quos, & si inueniatur odor recte medius, & æque distans ab extremis secundum rationem vel secundum intellectum, nequaquam tamen actualiter percipitur secundum sensum, *Vnde dicit Isaac in diæt.* Odoratus non percipit mediocres odores, sicut nec pisces percipiunt medios colores. Carent enim pisces palpebris, propter quod spiritus visibilis continue dispergitur, vnde non sufficit ad medii coloris perceptionem. De odoratu quoque eadem est ratio, *Vt dicit idem.* Nares enim patulæ sunt & continue dispergitur spiritus odorabilis, propter ꝙ debilior efficitur odoratus. Et ideo medios odores minus capit, nec est grauis odor recte medius inter aromaticum

cum

...cum & fœtentem, quia grauis sub fœtido continetur, & non differt ab eo nisi quod magis remissus est, & fœtidus amplius est & intensus. Sub eadem igitur specie continentur sicut albedo intensa & remissa, & ideo si duo odores extremi, scilicet fœtidus & aromaticus, in æquali proportione pariter misceantur, non fiet vnus medius odor & eque distans in mixto secundum sensum: vnde aromaticum primo percipit sensus olfactus quam fœtidum, quia in aromatico delectatur, & fœtidum refugit & abominatur. Ex quo patet, quod non efficitur vnus odor medius de extremis perceptibilis secundum sensum, *vt dicit Isaac.* Quod autem bonus odor citius penetret ad spiritum animatum quam malus, patet, quia substantia boni odoris virtutem naturalis caloris in se continet, qui grossitiem eius mundificat & subtiliat, vt leuitate sui dissoluta flatu aeris valeat citius ad cerebrum pertransire. Malus vero odor non sic, quia in eius subiecto actio naturæ iam desinit: vnde superfluitas eius grossa in eo remanet coagulata. Et ideo difficilius potest cum fumo dissolui, nec ita cito penetrat ad spiritum odorabilem, qui in profundo cerebri ventriculo latitat vbi spiritualis & subtilis fumus citius penetrat siue perforat quam grossus & terrestris.

CAP. XXXVIII.

De Effectu odorum.

Circa effectum odorum diuersæ fuerunt positiones. Dicebant enim antiqui rerum naturas & substantias ita cognosci odore simpliciter quemadmodum & sapore. Dixerunt enim res acetosas odore comprehendi, similiter & acutas, sed fallebantur. Id enim odoratui attribuebant quod erat tactus, nullus enim est sensus cui tactus non sit annexus, & ideo morsuras & puncturas non percipit odoratus, sed potius tactus qui odorandi organo est admixtus, sicut oculus clausus sentit morsuram collyrii non visu sed tactu. Alii vero asserebant nullam rerum notitiam posse haberi per odores. Videntes enim quasdam res frigidas esse odoriferas, vt rosas, quasdam vero calidas nullius esse odoris vt piper, putauerunt res non posse dignosci aliqualiter per odores. Sed hi fallebantur. Bonus itaque odor fit simpli-

ſimpliciter vel ex calore totali, vel partiali. Nam rerum aliæ ſunt ſimplicis ſubſtantiæ: aliæ compoſitæ. Si res eſt ſimplicis ſubſtantiæ & eſt odorifera, odor ille fit ex odore totali, quia tota rei ſubſtantia eſt calida, vt patet in muſco. Si vero compoſitæ eſt ſubſtantiæ & eſt odorifera: odor ille fit ex calore partiali, id eſt, ex calore quarundam partium. Nam quædam ſunt ibi partes calidæ ſcilicet igneæ, quæ diffuſæ per ſuperficiem ruborem inducunt & odorem: vnde ſi roſæ ponantur in aqua calida igneæ partes reſoluuntur & rubeus color apparet cum odore.

Sed alii ſunt quorum ſententia approbatur, qui dicunt, rerum ſubſtantias cognoſci per odores minus tamẽ quam per ſapores, nam ad linguam diriguntur ſex lacerti, quibus multum transfunditur de ſpiritu animali, quo perfecte res guſtata poteſt comprehendi, ſed ad inſtrumentum odoratus non venit, niſi vnus lacertus tantum, per quem parum de ſpiritu deſcendit, qui non ita perfecte naturam poteſt comprehendere. Preterea à re odoranda non reſoluitur niſi quædam ſubtilis fumoſitas, quæ admixta aeri cum ipſa ad organum odoratus attrahitur: vnde & ſpiritus per fumoſitatem illam rerum naturas non diſcernunt ita bene, ſed ad inſtrumentũ guſtus tota res guſtanda intus & extra guſtui ſubſtantialiter applicatur, & ideo de re verius iudicatur per ſaporem quam per odorem. Recolligitur itaque ex prædictis, quod odor eſt rei proprietas ſiue qualitas perceptibilis odoratu, *vt dicit Iſa.* Nã à re odorabili reſoluitur quidã fumus per calorem, qui tanquam q̃dam ſpiritualitas admixtus aeri ipſum inficit & immutat, & ſpiritus animalis ibi exiſtens intra nares in quibuſdam carunculis ad modum vberum mamillarum ibi dependentibus, ab eodem fumo immutatur, qui immutatus recurrit ad cerebrum, & repræſentat talem animæ immutationem. Eſt itaque odor ſui obiecti manifeſtatiuus, ſpiritus animalis immutatiuus, ſuiipſius per aerea diffuſiuus, ad interiora cerebri per flatũ aeris vel attractum penetratiuus, ſuo calore humoris conſumptiuus, & fluxus nociui reſtrictiuus, ſua puritate ſpirituum reparatiuus, ſua virtute debilitatis cordis confortatiuus, aeris in ſuam ſimilitudinem conuerſiuus, fœtoris repercuſſiuus, & putredinis palliatiuus, delectationis in ſenſu animalium ſicut & hominum cauſatiuus. Nam piſces

dili-

diligunt aromatica, & fugiunt fœtida, similiter & apes, *vt dicit Aristot.* sicut & formicæ sulphuris odore effugantur sola venenosa aromatica detestantur, vnde serpentes odorem rutæ abhorrent, botraces vineæ florentis redolẽtiam non sustinent.

Cap. XXXIX.

De Fœtore.

FOEtor est ex re corrupta vapori resolutus aerem inficiens contristans spiritum animalẽ & corrumpens. Nam sicut odor aromaticus odoratum reficit & delectat, sic fœtidus spiritum odorabilem inficit & contristat. *Nam vt dicit Isaac.* Fumus a re malæ cõplexionis resolutus animato spiritui est inconueniens, nam in subiecto fœtidi odoris multi sunt humores corrupti, eo quod naturales exierint qualitates, & ideo complexioni humani corporis repugnant, vnde odoris horribilitas prætendit suæ substantiæ corruptionem, quæ cõtingit aut propter innaturalem calorem, aut propter corruptã humiditatem. Nam quando calor innaturalis humorum facit ebullitionem causa est putredinis & fœtoris, horum nutrimenta corruptam & pessimam putredinem in stomacho generant, ex qua resoluitur pessima fumositas quę caput grauat, quãdo sola corruptio humiditatis est in causa, tunc odor non fœtens sed grauis generatur. Et omnia calida talia propter odoris grauitatem mali sunt nutrimenti, minoris tamen sunt nocumenti, quam quę fœtidæ sunt putredinis, *vt dicit Gal.* Et hoc est videre in piscibus recentibus, qui dum retinent naturalem calorem, odorem grauem habent, ablato autem naturali calore efficiũtur iam fœtentes. Quando vero pisces decoquuntur per superfluæ consumptionem & corruptæ humiditatis, per calorem grauitas odoris tollitur, & sic eorum substantia per decoctionem non solum in odore melior efficitur, verum etiam in sapore. Fœtor ergo est corruptionis naturæ protestatiuus, defectus caloris naturalis ostẽsiuus, aeris infectiuus, animalis spiritus corruptiuus, vomitus & nauseæ prouocatiuus, doloris capitis generatiuus, & totius complexionis distemperatiuus, horroris & tristitiæ sensibus animalium inductiuus, & ideo fugiunt pisces sportulas fœtidas & antiquas, recentes vero subintrant

trant atque nouas, *Vt dicit Aristot.* Similiter apes abhorrent omne fœtidum *Vt dicit idem.* Ideo vulpes cuius fimus est valde fœtidus foueam taxi subintrat, & eam defœdans, per fœtorem de fouea taxum fugat, *Vt dicit Pli.* & sic ipsum superat p fœtorem, quem vincere nō poterat per virtutem. Est etiam fœtor spirituum & neruorum infectiuus, & ex naturali consistentia innaturalem alteratiuus, vt patet in leprosis, quorū anhelitus fœtidus sanos inficit & corrumpit. Est etiam fœtor fœtus animalium in vtero extinctiuus, *Vnde dicit Aristo.* quod equa, si sentit fœtorem candelæ extinctæ, faciet abortiuum. Potest etiam fœtor sic intendi quod erit mortis subitæ causatiuus, nam quædam est species serpentis cuius fœtor subito interficit rem se odorantem, sicut basiliscus visu interficit se videntem, *Vt dicit Auicen.* Accidentaliter aliquando autem fœtor iuuat, nam quædam sunt fœtida medicamina, vt aloe, caballinum & sulphur, & asa fœtida & huiusmodi, quæ in multis causis conueniunt medicinæ, nam odoris sui grauitate humores putridos siue ad putredinem & fœtorem dispositos ratione similitudinis attrahunt, & extractos expellunt, nam natura abhorrens fœtorem per medicinæ fœtidæ præsentiam irritatur contra ipsam, & ideo recolligit se totam vt contra suam dimicet inimicam. Fœtor itaque, id est, fœtida medicina occasionaliter est expulsio fœtidorum, & dum vnum fœtidū assumitur, aliud fœtidum pariter cum ipso remouetur. Similiter fœtor lanæ vstæ vel philtri, cōbusti, seu cornu caprini exusti naribus salubriter apponuntur, vt sopor lethargicus excitetur, *Vt dicit Constant.* nam spiritus abhorrentes fœtorem, fugiunt ad interiora cerebri vbi est causa morbi, ex quorum concursu iuuatur natura contra morbum, & ideo facilius digerit & dissoluit materiam apostematis, quæ causa fuit falsæ somnolentiæ & soporis, *Vt dicit idem.* Eodē modo in causa matricis quando nimis eleuatur, comprimendo spiritualia & fœtida naribus & aromatica partibus inferioribus vtiliter adhibentur, nam natura fugiens fœtorem, recurrit ad matricem & sentiendo odorem inferius illac tendit, & sic matricem ad locum debitum secum ducit. Quamuis etiam odor odori non contrarietur, aliquis tamen, fœtor alicui fœtori contrariatur, & ideo fœtor sterquilinii ex fœtore alii effugatur

tur, vbi etiam omnes fœtent, vnius fœtor minime sentitur, quia vnus ab alio absorbetur. *De rebus autem odoriferis quare supra in tractatu, 18. de herbis & speciebus & plantis.*

Cap. XL.

De Sapore.

Sapor autem est sensatum gustus. Sicut enim color est obiectum visus, sic sapor est rei proprietas, iudicio animæ se offerens per viam gustus. Sapor itaq; est rei proprietas solo gustu perceptibilis. Hoc autem dico in principio, quia alio modo iudicant de saporibus & saporũ principiis philosophi, & alio modo medici. Sed de illa murmuratione quæstionum nihil ad propositum, quia illas solas saporum differentias & operationes & causas hic inquirimus, prout sacræ scripturæ conueniunt, ad eliciendum ex saporum proprietatibus aliquos mysticos intellectus, vnde ad præsens de aliis non curamus. Est ergo sapor propriũ obiectum gustus de cuius præsentia sensus in organo gustabili delectatur vel tristatur, *& secundum Isa. in dicat.* Saporum octo sunt differentiæ, scilicet dulcis, vnctuosus, salsus, amarus, acutus, acetosus, ponticus & stipticus, additur etiam his insipidus, sic sunt nouem, sed abusiue dicitur sapor, quia sapore caret. Pertinent autem quinque ad caliditatem & calidam complexionem, scilicet dulcis, vnctuosus, salsus, amarus, acutus, reliquæ frigidæ sunt complexionis scilicet ponticus, stipticus, acetosus & insipidus. Duo autem sunt quæ faciunt saporem, scilicet complexio, & substantia, & substantia est triplex, scilicet grossa, subtilis & mediocris. Complexio itaq; calida & humida in secundo gradu cum grossa substantia facit saporem dulcem. Calida vero & humida in fine secundi gradus cum subtili substantia facit vnctuosum, & dicitur vnctuosum subtile, quãtum ad transitum, quia de facili transit in fumum. Habet autem actualem grossiciem, ratione cuius est opilatiuum, sed potentialem habet subtilitatem in substantia, ratione cuius est velociter transitiuum. Complexio autem calida & sicca in fine secundi gradus cum mediocri substantia facit salsum, calidum & siccum in tertio gradu cum grossa substantia facit amarum. Sed complexio calida & sicca in quarto gra-

du cum ſubtili ſubſtantia facit acutum. Et ita ſuper calidi- tatem fundantur quinque ſapores. Frigida autem & ſicca complexio in tertio gradu cum groſſa ſubſtātia facit ponticum, qualis eſt in fructibus immaturis. Frigida quoque & ſicca in ſecundo gradu, cum mediocri ſubſtantia facit ſaporem ſtipticum, qualis eſt in roſis & in coctanis maturis. Frigida autem & ſicca in ſecundo gradu cum ſubſtantia ſubtili facit ſaporem acetoſum. Frigida vero complexio & humida in primo gradu cum mediocri ſubſtantia facit ſaporem inſipidum, qualis eſt in albumine oui. Patet ergo quod tres ſapores ſunt teſtimonia ſubtilis ſubſtantię, ſcilicet acutus, vnctuoſus, & acetoſus, & ſunt tria teſtimonia groſſæ ſubſtantiæ ſcilicet ponticus, amarus & dulcis. Similiter ſunt tres ſapores teſtimonia ſubſtantiæ mediocris ſcilicet ſtipticus, ſalſus, & inſipidus.

CAP. XLI.

De pura dulcedine & eius effectu.

DVlcis itaque ſapor generatur ex temperata caliditate & groſſa ſubſtantia, vnde dulcedo linguæ appoſita moderate aperit, moderate calefacit, moderate humectat, vnde groſſicies ſubſtantiæ moderate ſubintrans poros apertos diu ibi manet, & ideo anima in tali tēperantia gaudet. Vnde plus delectatur natura in dulcedine quam in aliis ſaporibus, præterea nulla res eſt ita temperata & affinis humanę complexioni æquali ſicut dulcedo, & ideo humana complexio, quæ eſt vicina temperantiæ æquali in dulcedine ſibi ſimili delectatur.

CAP. XLII.

De Sapore dulci.

AD dulcem autem ſaporem faciendum, quatuor conueniunt elementa non tamen æquali proportione, ignis enim & aer ſuperabundant: vnde ex igne calor, & ex aere humor innaſcitur, quæ duo ſcilicet calor & humor neceſſaria ſunt ad cuiuſlibet rei generationem. Calor autem temperatus agens in humorem ipſum calefacit, diſſoluit, & depurat ab humore terreſtri & ſubſtantia mollificatur. Vnde partes igneæ & aereæ augmentantur, & humi-

ditas

ditas inspissatur, & sic grossa substantia in qua fundatur, dulcis sapor generatur. Vnde dulcis sapor quando caret omni macula acuminis omnibus saporibus suauior erit, *vt dicit Isa.* quia eius natura sanguini est vicina, & ideo lætificat & mundificat, nocumentum gustus humectat temperate sine labore naturæ. Est autem dulcedo aliquando pura, quatuor qualitatum mediocriter contentiua, vt patet in saccaro, aliquando est viscositati & grossiciei admixta, vt patet in dactylis, aliquando acumini coniuncta, vt in melle. Prima dulcedo maxime conueniens est naturæ, sed aliquando accidentaliter nocet naturæ quando scilicet natura plus recipit quam digerere possit, & tunc solet esse causa alicuius opilationis quia dulciũ superfluitas in poris venarum inuiscatur. Dulcia itaque mollificant membra, lauant, colant & mundificant, parum naturaliter nutriunt, accidentaliter autem multum. Mollificant quidem quia humiditas materiam mollem reddit, caliditas temperate dissoluit. Vnde materia quæ prius erat spissa, modo mollificata, dissoluta abstrahitur & mundificatur. Nutriunt autem parũ naturaliter, quia dulcia grossa sunt in substantia & sua grossicie poros penetrare non possunt, & ora venarum opilant, & cito satiant, accidentaliter tamẽ multum nutriunt, quia dulcia humanæ naturæ siue complexioni sunt similia & amica, & ideo in magna quantitate assumuntur, & quia grossa sunt in substantia, calor agens in ea multum sanguinem generat, & ille sanguis multum nutrit. Dulcedo vero quæ viscositati est admixta, multum quidem nutrit, sed multa tamen nocumenta generat accidentaliter & inducit, *vt dicit Isa.* quia talis dulcedo opilationem generat & putredini de facili appropinquat, inflationem & rugitum generat, febrem interpolatam facile commouet & suscitat, & cholericam inflationem concitat vel augmentat. Est igitur dulcedo pura & per alicuius rei admixtionem non infecta, inter saporum differentias sensus maxime delectatiua, naturæ amica & ei potissime assimilatiua, deperditorum in corpore facilius reparatiua, virtutum & spirituum debilium maxime confortatiua, omnium membrorum præcipue nutritiua. *Dicit enim Isaac:* Proprius nutrimenti sapor dulcedo est, si sua substantia aliquam habuerit viscositatẽ, stabilis enim est in membris:

vnde non de facili est in membris dissolutionis receptiua, nec nutriunt aliqua quæ dulcedini non sunt mixta. Vnde & sapores dulcedini cõtrarii propter contrarietatẽ quam habent ad humanam complexionem, parui aut nullius sunt penitus nutrimenti. Ex commixtione tamen saporum inter se contrariorum vnus bonus sapor medius generatur, in quo latitat dulcedo, ratione cuius ille sapor medius naturæ conueniens est corporis nutritiuus, vt patet in salsamentis, & etiam in pigmentis in quibus contraria recipiuntur. Vnde patet quod dulcedo omnium saporum delectabilium est origo, sicut albedo omnium colorũ est principium, *Vt dicitur in lib. de sen. & sen.* vbi dicitur: nigredo est priuatio albi in perspicuo, sicut amaritudo est priuatio dulcedinis in humido. Dulcedo adhuc est spiritalium membrorum amica, quia ipsorum est lenitiua, & omnis asperitatis mitigatiua, clarificatiua vocis, & arteriarum ab omni superfluo purgatiua, cannalium pulmonis & meatuum pectoris apertiua, & omnium immundiciarũ vuluę & gutturis abstersiua, catharri & humoris superflui circa spiritalia dissolutiua, & omnium organorum vitalis spiritus ad debitam consistentiam reductiua, omnis tumoris squinantici repressiua, & suffocantis humidi etiam in membris spiritalibus consumptiua. Sunt autem quædam dulcia, quæ occasionaliter multorum malorum sunt corpori illatiua, sunt enim vnctuositatis & inflationis generatiua. Cum enim maior est ex calore dulcis resolutio, quam sit humidi resoluti incorporatio, vel saltem consumptio, necesse est ibi fieri multi vaporis fumosi generationem, & sic loci ex vapore distensio, & per consequens inflatio, dolor & gurgulatio contingit. Item ex eadem causa dulcia sunt appetitus debilitatiua, quia substãtię suę grossicie cito sunt vacui stomachi repletiua, & meatuum opilatiua. Item choleræ rubeæ augmentatiua, nam cum sint calida, calidi humoris sunt excitatiua, & ideo obsunt illis qui ex causa calida & intensa patiuntur. Item putredinis & corruptionis sunt inductiua, quando enim superabundans calor superabundantem humiditatem dissoluit, & consumere totum vel digerere non sufficit, corruptam materiam derelinquit. Item splenis, renum & epatis sunt opilatiua, & hoc accidit, quia sua grossicie substantiali sub-

li ſubtiles poros illarum regionũ obturant, vel quia partes illæ ratione dulcis plus deſiderant, quam digerant vel conſumant, & ideo ex ſuperfluo humore attracto & non digeſto, nec alias euacuato illæ partes merito opilantur. Item dulcia ratione prædicta ſunt calculi generatiua, tam in renibus quam in veſica, nam quando illæ partes ratione dulcedinis ſibi attrahunt humores cõſimiles, quæ ſubtiliora ſunt, vel cum vrina educuntur, vel vi caloris conſumuntur. Vnde quando plus attrahitur quam naturæ ſufficiat, oportet quod vel vi naturæ, quod eſt ſuperfluum expellatur, vel quod groſſius eſt ibi remaneat, & eliquato humore calore deſiccante induratur, & procedente tempore paulatim putrificatur, & in duritiem lapidis commutatur, *vt expreſſè dicit Iſa.* Idem etiam de cauſis matricis occurrit. Ex prædictis patet quod dulcia naturæ ſunt vtilia, aliqua vero ſunt quę videntur eſſe dulcia, & tamen ſunt mortifera & nociua.

Cap. XLIII.

De Sapore vnctuoſo.

SApor vnctuoſus generatur ex calido & humido in ſubtili ſubſtantia, & ideo vnctuoſitas appoſita linguæ magis aperit & diſſoluit, & ſubtilis ſubſtãtia magis ſubintrat, & quia caliditas eius parum remouetur à temperamento, anima ipſius dulcedinem poteſt accipere, & in ea maxime congaudere. Ad vnctuoſum autem ſaporem perficiendum plus de igne quam aliis elemẽtis conuenit, & poſt de aere. Maior igitur actio caloris in humidum agẽs magis diſſoluit & depurat: vnde aquoſæ partes & terreſtres minorantur, & igneæ cum aereis augmentantur, & inde ſapor gignitur vnctuoſus. Sunt autem vnctuoſa cibaria appetitus debilitatiua & faſtidii inductiua, quia accepta in ſtomacho reſoluuntur in fumoſitatem, cum aereæ ſint ſubſtãtiæ quæ petit ſuperiora replendo os ſtomachi, & inducit faſtidium, & diminuit appetitum. Item vnctuoſa ſunt ſupernatantia, leuitate enim ſua eleuantur ad ſuperiora, cum valde ſint fumoſa. Item digeſtionis ſunt impeditiua, quia vnctuoſitate ſua villos ſtomachi replent & leniunt: vnde cibi aſſumpti cum non poſſint decoqui, crudi & indigeſti

emittuntur, vnctuositate enim sua inuiscant cibos & lubrificant, & ideo emittuntur antequam digerantur. Item parum sunt nutritiua, quia ora venarum cito replent, & parum de eis assumitur, & quod assumitur propter suæ substantiæ subtilitatem cito cõsumitur. Item caloris sunt inflammatiua, ignis enim non nutritur nisi aere mediante, vnctuosa vero cito in aeream substantiam transeunt. Vnde illa vnctuosa, quæ habent maiorem aquositatem, minus pertinent ad naturam aeris, & etiam minus bene nutriunt ignem, vt patet in axungia porcina, quæ minus nutrit ignem quam ouina, quia minus habet aereitatis in sua compositione, & plus aquositatis quam ouina. Item febrilis caloris sunt nutritiua, & ideo carnes prohibentur in febre acuta, quia timetur vnctuositas intermixta, qua calor febrilis irritatur. Item splenis & epatis sunt opilatiua propter sui grossiciem actualem, nam propter suam dulcedinem cito attrahuntur, & sua grossicie pori de facili opilantur. Item doloris capitis sunt excitatiua, nam ex fumorum multitudine repletur caput, & myringæ cerebri distenduntur. Item membrorum spiritalium sunt lenitiua, vt patet in butyro. Tamen quædam vnctuosa nocent pectori propter annexam siccitatem, vt oleum nucum, quia talia non habent puram vnctuositatem. Item dolorum exteriorum sunt mitigatiua, & duriciei remollitiua, apostematum maturatiua, & saniei generatiua, humiditate enim sua saniem generant, quia per ea plus dissoluitur quam consumatur, ex calore enim debili & humiditate multa fit sanies & corruptio.

Cap. XLIV.

De Sapore salso.

SAlsus sapor fit ex caliditate & siccitate in substantia mediocri, vnde caliditas cum siccitate cum sit remota à temperantia, multos aperit poros, quia siccitas iuncta calori magis laxat, iuncta vero frigiditati magis constringit, & ideo eius substantia multum subintrat poros, & quia magna fit disgregatio partium, & multa substantiæ subintratio, anima in ipsius præsentia non gaudet, imo potius ipsum horret: Ad salsum autem saporem quatuor conueniunt

niunt elementa, quadam tamen proportione non æquali, dominantur enim ignis & terra, mediocriter tamen ex moderato igne fit moderatus calor, & ex moderata terra fit moderata ſiccitas. Ex moderato autem calore moderata fit ebullitio & excoctio humiditatis: vnde aquoſæ & aereæ partes diſſoluuntur in igneas mediocriter & ex moderata ſiccitate moderate ſubſtantia deſiccatur, & ita remanet ſubſtantia mediocris. Vnde ſalſus ſapor habet fieri ex moderato dominio caliditatis & ſiccitatis in ſubſtantia mediocri. Sunt autem ſalſa mundificatiua, quia ſumpta interius calore ſuo & ſiccitate humiditatem diſſoluũt, ſalſedine autem & nitroſitate ſua ſtomachum & inteſtina mordificant, & ſic mordificata mouentur, vt diſſoluta humiditas emittatur, & ſic fit mundificatio. Item duræ carnis ſunt mollificatiua, nam ſua caliditate & ſiccitate ſuperfluam humiditatem compactam reſoluunt & relaxant, & ſic mollificant. Item ſubſtantiæ mollis ſunt induratiua, nam ſua caliditate & ſiccitate ſuperfluam humiditatem conſumunt, & ſic partes aereas plus compingunt. Item ſubſtantiæ rei ſunt depuratiua & per conſequens conſeruatiua, nam ſalſa in quantum huiuſmodi, quantum diſſoluunt, tantum conſumunt, & ideo putredo aliquo caſu generata, calore & ſiccitate ſalſedinis conſumitur & annihilatur. Habet inſuper ſalſedo multum terreſtreitatis, *vt dicitur in diæt.* ratione cuius carnes indurat & minus reddit aptas corruptioni, *vt dicitur ibidem.* Item ſcabiei & exterioris ſuperfluitatis cutis & corporis ſunt ablatiua, & hoc conſumendo humores ſuperfluos tam ſuperficiales quam intercutaneos, & cutem á ſuperfluis abſtergendo. Item tumoris hydropici ſunt repreſſiua, & hoc ex ratione ſupra dicta, quia deſiccant & conſumunt omnia in talibus locis aggregata. Item morſus canis rabidi & aliorum venenoſorum ſunt curatiua, & totius venenoſitatis extractiua, vnde prodeſt cito lauare talia vulnera in aqua ſalſa, quia maliciã extrahit & venenum, *vt dicit idem.* Item caro multum ſalſa ad temperamentum optimum reuocatur, ſi in aqua ſalſa ponatur, nec ſalſedo á talibus melius extrahitur, quam quod earum maſſa prius aliquo tempore in ſalſa aqua temperetur, & hoc puto accidere ratione ſimilitudinis, cum aqua ſalſa quæ ratione caloris accidentalis

& naturalis in ipsa dominantis attrahit sibi simile, quod inuenit in substantia carnis salsæ. Item sal in igne induratur, in aqua vero dissoluitur & annihilatur, nec mirum, quia si congelatio & induratio facta est per siccitatem, oportet vt salis dissolutio fiat per humiditatem, sicut patet in sepo, in quo fit induratio & cōgelatio per frigiditatem, & ideo non est mirum, si fiat resolutio per caliditatem.
De his quære supra in lib. 16. de Venis terræ, in cap. de sale.

Cap. XLV.

De Sapore amaro.

SApor amarus fit ex caliditate in tertio gradu, & siccitate in secundo gradu in grossa substantia: vnde caliditas cum siccitate multum subintrans, multum disiungit: vnde instrumentum læditur & fit sapor amarus, abominabilis gustui, & contrarius, ad cuius compositionem quatuor elementa conueniunt proportione quadam, sed magis inæquali, ibi enim ignis & terra dominantur, sed plus est ibi de igne quam de terra. Vnde de maiori dominio caloris magna fit ebullitio. Vnde aqueæ & aereæ partes magis dissoluuntur in igneas, & terrestres condensantur, sed quia mediocre est dominium siccitatis non attenuatur, & ita substantia remanet grossa in qua ex actione caloris & siccitatis fundatur amaritudo. Omnia autem amara contristant gustum magis quam aliqua alia, quæ habent simplicem saporem, quia maxime faciunt continuitatis solutionem in lingua. Licet autem amara habeant minorem caliditatem quam acuta, maiorem tamen faciunt solutionem continuitatis, propter suæ substantiæ grossitiem, quæ se interponit, & comprimendo maiorem efficit læsionem. Item amara sunt choleræ purgatiua, vel quia choleræ sunt similia in cōplexione, vel quia cholera cum sit porosa, permittit amara suos poros subintrare & diuidendo partes à partibus eam faciunt fluxibilem, & choleram liquefactam sic educunt. Item amara sunt appetitus excitatiua, quia choleram educunt, quæ tanquam res leuis solet colligi circa orificium stomachi, & appetitum debilitare. Ad hoc etiam facit amarorum grossitudo, quia comprimit cibaria in fundum stomachi, & sic superiora inanita cibum petunt.

tunt. Item amara splenis, & epatis sunt exopilatiua, nam calore suo poros aperiunt, & humores dissoluunt, & grossicie sua comprimendo humores resolutos educunt. Item amara sunt contraria vermibus & lumbricorum interfectiua, nec mirum, quia vermes illi de phlegmate corrupto accidunt, de phlegmateque viuunt, & ideo cholerica & amara eis aduersantur, quia cholera phlegmati contrariatur. Item spiritalibus membris sunt nociua, & tam per asperitatem substantiæ, quam per intensam siccitatem eorundem sunt exasperatiua. Item amara in exteriorib. sunt conseruatiua, si enim distemperentur cum aliquo liquido, habent illa tria quæ sunt necessaria ad conseruationem, tantum enim consumunt quantum dissoluunt, & subintrant in profundum acumine & calore suo, grossam etiam habent substantiam, ex qua rem iuuant & faciunt eam minus passibilem. Item frigidæ artericæ & paralysis sunt curatiua, dissoluendo materiam & consumendo. Item frigidæ scabiei sunt desiccatiua. Item meatuum renum & vesicæ sunt apertiua, & calculi dissolutiua, matricis confortatiua, & menstrualis superfluitatis prouocatiua & eductiua, & ad multa alia sunt magis necessaria quam dulcia, quamuis gustui sunt nociua.

Cap. XLVI

De Sapore acuto

Sapor acutus fit ex calditate & siccitate existente in quarto gradu cum substantia subtili: vnde fit pororum nimia apertio & partium segregatio, & quia substantia eius est subtilis, multum penetrat & subintrat: vnde organum gustus suo acumine incendit, ad cuius perfectionem quatuor elementa conueniunt, sed non æqualiter, quia plus concurrit de igne & de terra quam de aliis, & ideo propter dominium ignis acuta sunt & valde calida & à terra valde sicca. Ex maximo autem dominio caloris maxima fit ebullitio & resolutio aerearum partium & aquearum in igneas. Vnde igneæ partes acuuntur, & ex nimia siccitate substantia desiccatur, attenuatur & subtiliatur, & ita fit acutus sapor ex magno dominio calidi & sicci in substantia tenui & subtili. Sunt autem acuta corrosiua, quia

valde sunt calida & sicca, & fit dissolutio magna, & substantia subtilis & acuta subintrans, partes à partibus disgregat & ita fit corrosio. Item acuta sunt incisiua & dissolutiua, quia & qualitate & substantia dissoluunt & separant partem à parte, & profunde intrant & ideo dissoluunt & incidunt. Item virtutis appetitiuæ sunt confortatiua, quia membrorum consumunt superfluitatem. Vnde poris inanitis fit ratione vacui appetitus, mordicant etiam neruos sensibiles & pungunt acumine suo, & sic pungendo excitant appetitum. Item parum sunt nutritiua, quia ex nimia caliditate & siccitate potius fit adustio quam digestio, & ideo dant modicum nutrimentum, præterea subtilis sunt substantiæ & ideo de facili consumũtur, & à membris cito dilabuntur. Insuper naturæ sunt contraria ex sua complexione, & ideo, quia abominabilia sunt, non appetit ea natura, sed potius abhorret & repellit.

Cap. XLVII.

De Sapore acetoso.

SApor acetosus fit ex frigiditate & siccitate existente in gradu secundo, cum substantia subtili: vnde acetosum linguæ appositum qualitatibus constringit, substantia penetrat, & ita ex duabus contrariis actionibus fit sapor acetosus, ad cuius completionem quatuor elementa conueniunt quadam proportione, sed non æquali. Est autem ibi dominium aquæ & terræ mediocre, & ex mediocri dominio aquæ est ibi frigiditas mediocris, & ex mediocri dominio terræ mediocris siccitas generatur, ex frigiditate autem reprimitur calor, qui repressus, modicã facit ebullitionem. Vnde igneas partes & aereas resoluit de facili & consumit tanquam subtiliores, terrestres autem & aquosas dissoluit. Sed præ sui paruitate eas consumere non potest. Vnde partes illæ subtiliantur, sed non consumuntur, & ita frigiditas & siccitas dominantur cum subtili substantia, & sapor gignitur acetosus, acetosa prouocant appetitum, quia ex frigiditate & siccitate motum habẽt ad centrum. Vnde comprimuntur cibaria ad fundum, & sic os stomachi euacuant, qui sentiens suam inanitionem cibum appetit. Nam desiderium composita est operatio ex appe-

sitiua virtute naturali, & animali sensibili. Item soluunt ventrem plenum & constipant inanitum: nam subtilitas substantiæ acetosæ inueniens multam humiditatem in stomacho incidit eam & subtiliat, & sic eum facit ad fluxum & euacuationem. Sed quando stomachus est vacuus paruam inueniunt humiditatem, quam acetosa desiccant siccitate & constringunt frigiditate. Item opilationes splenis & epatis aperiunt, quia non qualitate, sed substantiæ subtilitate humores in poris aperiunt, incidunt & dissoluunt. Item acetosa spiritalibus obsunt frigiditate coarctante & siccitate exasperante. Item posita in exterioribus calidos humores repercutiunt. Vnde tibiæ inflatæ ex retentione menstruorum vel hæmorrhoidarum in calido aceto lotæ de facili detumescunt. *De hoc quære supra in tractatu de aceto libr. 17. Vbi tractatur de Vitibus & de Vino.*

Cap. XLVIII.

De Sapore pontico.

Ponticus sapor fit ex frigiditate & siccitate existente in tertio gradu cum grossa substantia. Vnde & ponticum appositum linguæ constringit, & substantia intrans poros partes cōdensat, & ita accurrit sapor, qui ponticus appellatur. Ad ponticum saporem perficiendum quatuor elementa conueniunt cum maiori tamen inæqualitate, quia dominantur aqua & terra, ignis & aer substant. Ex forti autem dominio aquę fortis fit frigiditas & ex terra multa siccitas: ideo non potest ibi fieri perfecta transmutatio cum ibi sit defectus caloris & humoris. Vnde cum frigiditas & siccitas ibi habeant dominium, necesse est vt substantia remaneat grossa ex dominio frigiditatis & siccitatis. Habet autem ponticus sapor hoc proprium, *vt dicit Isa.* quia ponticitas coniuncta cum sapore delectante magis delectat, & cum tristante magis contristat, cuius ratio hęc est, quod ponticitas adiuncta rei dulci & vnctuosæ si ingrediatur poros, facit illam dulcedinem ibi diutius commorari, & ita firmius imprimitur tunc delectatio & diu durat, simile est de humore contristante. Hinc est quod caro, quæ ossibus est vicina, iucundiorem habet saporem. Ossa enim sunt melancholica, scilicet frigida & sicca. Caro ve-

ro vero in sui natura dulcis est & sanguinea, & ita est ib ponticitatis & dulcedinis mixtio, propter quod & maior delectatio. Ideo etiam caro ceruina est iucunda, & similiter bouina, quia coniungitur ponticitas ex complexione melancholica animalis, & dulcedo ex parte carnis, è conuerso est de absinthio & fumo terræ, quando cum eis associatur amaritudo, magis contristant gustum, vt aloe vel aliquid simile. Item pontica appetitum excitant, & post prandium laxant, cuius ratio est compressio cibariorum ad inferiora, ad instar torcularis, ante prandium vero constipant, quia constringunt neruos & opilant meatus, & ex substantiæ grossitie & frigiditatis & siccitatis qualitate. Vnde & sumpta cibaria retinentur, & exire non permittuntur. Item grossitie sua epar & splenem opilant, calculum generant, cholericam & iliacam passionem excitant obturando sua grossitie intestina fimum ac fumum exire non permittunt, spiritalia etiam membra lædunt & grauant, quia ea exasperant & desiccant, exterius autem apposita vomitum sedant, tumores calidos reprimunt, sanguinis fluxum intercipiunt atque sistunt, neruos percutiunt, dentes exacerbant.

Cap. XLIX.

De Sapore stiptico.

Sapor stipticus ex frigiditate & siccitate in mediocri substantia generatur, ad cuius perfectionem quatuor conueniunt elementa quadam proportione inæquali: nam aqua & terra ibi prædominantur: sed non tantum quantum in pontico, ex aqua autem accidit frigiditas, & ex terra siccitas generatur, ex frigiditate deprimitur calor, qui repercussus paruam facit ebullitionem. Vnde & substantia parum resoluitur sed non consumitur. Sed ex siccitate aliquantulum condensatur, & quia siccitas non potest omnino desiccare, nec omnino consumere, remanet substantia mediocris, & ita patet quod sapor stipticus causatur ex frigiditate & siccitate in substantia mediocri, & in hoc differt à pontico, qui ex eisdem causis quamuis minus remissis in substantia grossa radicatur, ideo stipticus sapor sub pontico continetur *secundum Isaac*, qui tantum

septem

septem saporum dicit esse differentias, sub pontico stipticum comprehendit. Vnde secundum ipsum ponticitas est intensa stipticitas, & stipticitas remissa ponticitas: vnde non differunt simpliciter secundum speciem, sed solum secundum maiorem intensionem vel minorem, & ideo vterque conuenit cum alio in effectu, sed secundum maius & minus.

CAP. L.

De Sapore insipido.

SApor nonus dicitur insipidus siue sine sapore & hoc potest dici dupliciter scilicet priuatiue & positiue, priuatiue dicitur insipidus cuius sapor sensu non potest comprehendi, vt sapor aquæ, qui gustu non percipitur, propter eius maximam similitudinem ad organum gustus, quia aqua est simplex in respectu linguæ, quæ quatuor recipit in sua compositione. Positiue dicitur sapor insipidus, qui vltra primum gradum ad aliquem vlteriorem saporem non est sensu determinatus, vt est albumen oui cuius substantia est mediocris & caliditas vel frigiditas primi gradus distantiam sensibiliter non excedens, talia insipida sunt cucurbitæ, citrulli, melones & huiusmodi, quorum vsus plus conuenit medicinæ quam diœtæ, parum enim nutriunt, quia saporem non habent delectabilem, & substantiam habent fluxibilem, humiditate & frigiditate sua sitim mitigant, calorem & choleram extinguunt, phlegma augmentant, & quotidianas febres generant, & omnes alias phlegmaticas frigidas scilicet & humidas nutriunt vel prouocant passiones. Sapor itaque insipidus causatur ex frigiditate & humiditate in substantia mediocri, ad cuius completionem, sicut & in aliis quatuor conueniunt elementa, sed non æquali proportione, quia aqua & aer principaliter, terra secundario prædominatur, propter fortiorem ergo frigiditatem & mediocrem siccitatem partes igneæ & aereæ resoluuntur in aqueas & in terrestres, sed quia resistit dominium humiditatis, non potest compingi ex siccitate terrea ipsa substantia.

Relinquitur ergo substantia mediocris cum dominio frigiditatis & humiditatis, quæ sunt principia istius saporis, qui abusiue sapor insipidus nominatur. Hæc igitur de sapo-

ſaporibus ſimplicibus quoad eorum differentias & naturas dicta iam ſufficiant, quæ omnia de dictis *Iſa. Conſtant. Gal. & aliorum autorum* medicinæ breuiter ſunt excerpta. Sunt autem quidam compoſiti ſapores, ſicut & mixti ſunt colores pariter & odores, & hi ſapores ſecundum diuerſas compoſitiones diuerſimode operantur, quia alio modo ſapiunt in ſolidis, alio modo in liquidis, aliter in ſenſibilibus, & aliter in inanimatis, de quibus in naturis & proprietatibus rerum & corporum animatorũ & inanimatorum in libris præcedentibus eſt oſtenſum, de liquoribus tamen in quibus fundati ſunt ſapores aliqua arbitror hic ſupplenda, quæ in libris ſuperioribus caſualiter ſunt obmiſſa:

Cap. LI.

De Liquore.

Liquor eſt liquidus humor in plantis & animalium corporibus per digeſtionem generatus, eliquatus violentia vel natura de ſubſtantia corporis mixti vel expreſſus. Quilibet autem humor non vocatur liquor, ſed ſolus ille qui artificialiter vel naturaliter liquatur de plantis & rebus animatis, vt lac & vrina de animalibus, vinum & oleum de arboribus, mel de floribus, ſicera de fructibus, cereuiſia de granis, oxizacra de pomis ſylueſtribus & granatis. Et inter hos liquores quidam ſunt compoſiti, & quidam ſimplices, nam compoſiti dicuntur, qui conficiuntur ex diuerſis qui pariter commiſcentur. Simplices vero ſunt, qui ita permanent ſine commixtione aliqua, puta ſuis ſubiectis primitus producuntur, nullus tamen liquor eſt ſimplex abſolute, præter ſolam aquã, quæ ſimplex dicitur prout in elemẽtari permanet puritate. Alii autem liquores omnes, ſicut & humores ex 4. elementis conſtituuntur, ſimplices tamen dicuntur, qui cum aliis non miſcentur. Simplices etiam dicuntur, in quibus ſimplices elemẽtorum qualitates ex prima compoſitione dominantur, & quæ à terreſtri fœculentia naturaliter vel acidentaliter plus colantur. Secundum autem varias commixtiones liquorum & qualitatum elementarium prædominantes complexiones varios ſortiuntur odores pariter & ſapores. Nam illi liquores, in quibus prædominatur calidum cum humido, ſunt dulciores in

quibus

quibus autẽ calidum cum ſicco, ſunt acutiores: in quibus vero præexiſtit frigidum cum ſicco, ſunt acetoſiores & ſtipticiores, ſed in quibus frigidum cum humido, ſunt guſtui inſipidiores, vt patet in ptiſana & huiuſmodi. Quidam aũt liquores de quibuſdam arboribus inciſis corticibus per attractionem caloris ſolaris ſponte egrediuntur, vt balſamus & terebinthina lacryma, quæ calore prius mundantur, & in myrrhæ ſubſtantia indurantur. Quidam vero de fructibus arborum per expreſſionem colliguntur, vt vinum, oleum, ſicera & huiuſmodi. Quidam vero per exuſtionem ignis, liquidiores partes quorundam lignorum in extremitatibus educentes magno artificio acquiruntur, vt colophonia, pix liquida, oleum iuniperi, & ſimilia. Quidam autem ex herbarum ſuccis exprimuntur, vt opium aloe, & huiuſmodi, qui poſtea calore ignis vel Solis deſiccãtur. Et quidam ex rore cœli extrema florum perfundentes, & ſe circa eorum ſuperficiem inuiſcantes, apum miniſterio componuntur, vt mel. Et quidam ex venis terræ hauriuntur, vt aqua ſalinatiua, nitroſa, aluminoſa & huiuſmodi, de quibus arte vel natura fit ſal, nitrum, alumen & huiuſmodi. *De his omnibus liquorum differentiis, proprietatibus & cauſis, ſufficienter dictum eſt ſupra in lib. 17. de herbis & arboribus, & earum ſuccis, & libr. 16. de venis terræ, & libro 8. de paſſionibus aeris, vbi tangitur de natura mannæ & mellis, quæ dicuntur de aere generari.* De melle tamen aliqua ſunt hic dicenda, & de lacte, ſero & butyro, quæ de animalium vberibus emunguntur de quibus ſuperius eſt omiſſum.

CAP. LII.

De Liquore in ſpeciali & primo de melle.

MEL *vt dicit Iſidor. lib.* 20. dicitur à μέλισσα Græce, id eſt apibus latine. Sic enim apes vocant, nam apum ſolertia mirando naturæ artificio parantur mella, quæ primitus de rore aeris ſunt creata & in arundinum foliis ad inuenta. *Vnde & Virgilius.*

Protinus aerei mellis cœleſtia dona.

Vnde adhuc in India & in Arabia inueniuntur in ſimilitudinem ſalis ramis & foliis dependentia, *vt dicit idem.* Eſt autem omne mel generaliter dulce. Sardum tamen eſt amarum

marum absinthii causa cuius copia illius regionis apeculæ nutriuntur. *Dicunt autem medici, qui de rerum tractāt naturis, præcipue Gal.* quod mel pueris & iuuenibus & perfectis viris, in quibus abundat calor, cibus est inutilis & nociuus: senibus autem, quia parua vita laborant & frigore, dicit cum vino veteri & cibis calidis conuenire. *Hucusque Isid. lib. 20. cap. 1.* Est itaque mel liquor dulcissimus, à materia purissima arte medicinali generatus, cui tamen & ex calore apis, mellis substantiam componentis, & admixtione alicuius calidi, se cum mellis substantia admiscentis, acumen cum dulcedine, est admixtum. Vnde & mellis dulcedo cæteris est magis calida, sed minus humida *vt dicit Isa.* Mel igitur cū sit habēs multū caloris & aereitatis, & minus terresteritatis & aqueitatis, propter siccitatē tam terræ quā ignis, multum habens siccitatis & acuminis & minus frigiditatis & humoris, & ideo iudicatur mel calidum & siccum in fine secundi gradus. Tamen quia substātia eius est vicina temperamēto & mediocritati, multū est mundificatiuum, lauatiuū & subtiliatiuum, & suo calore grossorum humorum in corpore incisiuum, & humorum putridorum expulsiuum. Quia enim mel calidum acumini est propinquum, & ideo intestinorum est pungitiuum, & ad fæces expellendas commotiuum. Item talis dulcedo sicut mellis, multum est habens acuminis & caloris, non tamen opilat meatum splenis & epatis, sicut & illa, in quibus pura dulcedo inuenitur, *vt dicit Isaac, cap. de quatuor differentiis dulcedinis & saporis.* Est itaq; mel ratione æqualitatis & temperamenti multum naturæ conueniens & amicum, sui ad membra multum assimilatiuum, perditorum restauratiuum, debilium membrorum confortatiuum, sua grossicie nociuorum fluxuum interceptiuum, & latitudinis pororum restrictiuum, naturæ bene temperatæ custoditiuum, & humorum paratorum ad fluxū nimium cohibitiuum, nihilominus est mel nociuorum humorū laxatiuum. Nam contrarias habet qualitates in effectu, & hoc secundum contrarias materiæ dispositiones, in quas agit. Nam nimis laxas reprimit & constipat, nimis duras diuidit & relaxat, *vt dicit Isaac.* Est autem mel conseruatiuum, mundificatiuum, amaritudinis temperatiuum, & ideo ponitur in medicinis ad conseruandum, & ad mundificandum, & ad a-

maritu-

maritudinem ſpecierum temperandum, *vt dicitur in antitodario Nicolai.* Tamen mel crudum non multum bene deſpumatum valde eſt ventoſum & inflatiuum, rugitus in ventre generatiuum, in malos humores faciliter conuerſiuum, ſplenis & epatis viſcoſitate ſua opilatiuum, choleræ inflammatiuum, & febris diurnæ inductiuũ, hypochondriorum extenſiuum, iliacis & colicis nociuum. Mel igitur *dicit Conſtan. & Iſa. in Diat.* diuerſas habet actiones, quia in quibuſdam ſalubre eſt & ſanitatis cuſtoditiuum, quibuſdam vero ſtipticum eſt, & morborum generatiuum, & eſt veneni occultatiuum; quia quanto magis rufum, tanto magis eſt calidum & acutum, & humorum magis inciſiuum, penetratiuum & colatiuum, quãto magis eſt album minus eſt calidum & acutum, & tanto melius, quanto dulcius, purius & odorabilius inuenitur.

CAP. LIII.

De Fauo.

FAuus à fouendo eſt dictus. Nam fauus dicitur mel mixtum cum cera, infra enim cellulas de cera, miro artificio compoſitas apes mel recolligunt, & eius liquoris ſubſtantiam intus fouent, & ſic dicitur fauus quaſi fouus ſiue fouens, eo quod mel foueat & contineat intra ſe. Vel fauus à fauore eſt dictus. Nam valde fauorabilis guſtui eſt & delectabilis ad edendum. *Vnde ſecundum Iſidor. lib.* 20. Fauus à φάγειν Græce dicitur, quia magis comeditur quam bibitur, φάγειν enim græce, eſt comedere latine. Quidam tamen vocant mel fauum à cera eliquatum & optime depuratum, in quo ſummam dulcedinem guſtus experitur. Fauum mellis petit & requirit maxime animal, quod ab amore mellis melota dicitur: vnde à melle melus vel melota eſt dictus, *vt dicit Hugui.* Similiter vrſus ſuper omnia mel diligit, & pro fauis extrahendis non ſine ſui diſcrimine in arbores altas ſcandit. Aliquotiens autem inter fauos *vt dicit Ariſtot. lib.* 8. in profundo alueariſ generantur quidam vermes parui, ſicut araneæ, & quando creſcunt, faciunt texturam circa fauos & dominantur ſuper totum aluear, & ideo putreſcit mel, &c. *Item ibidem*, bonum eſt mel quod extrahit de noua cera. Nam mel quod diu manet in cera

antiqua, fit rubeum, & corruptio illius mellis est sicut corruptio vini in vtribus, & propter hoc debet extrahi, & est mel bonum, quando est simile auro, *Vt dicit idem. Item dicit idem*, quod apes sedent super alucaria, & sugunt quod est superfluum in fauis. *Et dicitur*, quod si non facerent hoc, corrumperetur illud, quod est in fauis, & generaretur aranea, & sedent super fauos & solicite custodiunt, ne illa aranea inualescat, & si inuenerint eam, fit eis cibus, aliter autem omnes morerentur.

Cap. LIV.

De Mulso.

MVlsum est potio vel poculum ex aqua vel vino & melle commixtum, quod Græci μελίκρατον vocant, sicut & ὑδρόμελι, quod ex melle & succo macianorum est commixtum, sicut & ῥοδόμελι dicitur, eo quod succo rosæ mel miscetur.

Cap. LV.

De Medone.

MEdo vel medus quasi melus dicitur. Et est potus confectus ex melle & aqua, optime defæcatus & decoctus, qui si crudus fuerit, & mel minus bene despumatum inflationē generat in ventre, & rugitus ac durissimas torsiones, & quia de facili resoluitur in fumos, caput petit, & diuersas ei ingerit passiones. Bene vero decoctus & defæcatus gustum delectat, vocem clarificat, arterias gutturis & cannales pulmonis mundificat, cor lætificat & confortat, corpus nutrit & impinguat, epaticis tamen & spleneticis & calculosis minus competit, quia meatus stringit & opilat, quandoq; enim cùm myrto & aliis herbis aromaticis conditur, vt sanior reddatur & odoratior, & diuturnius custodiatur.

Cap. LVI.

De Clareto.

CLaretum ex vino & melle & speciebus aromaticis est confectum. Nam species aromaticæ in subtilissimum pulue-

puluerem conteruntur, & in ſacco lineo vel mundo cum melle vel zucara reponuntur, vino autem optimo ſpecies perfunduntur & reperfunduntur, quemadmodum fit lixiuia, & tamdiu renouatur perfuſio, donec virtus ſpecierum vino incorporetur & optime clarificetur. Vnde à vino contrahit fortitudinem & acumen, à ſpeciebus autem retinet aromaticitatem & odorem, ſed à melle dulcedinem mutuat & ſaporem.

Cap. LVII.

De Pigmento.

Pigmentum, *vt dicit Hugui.* dicitur quaſi pilis mentum, quod ſcilicet in pila eſt contuſum. Nam in pila ſpecies aromaticæ aguntur, ex quibus arte pigmentaria quædam delicata pocula & electuaria conficiuntur: vnde & pigmentarij dicuntur, qui ſpecies vendunt, conterunt, conficiunt & componunt.

Cap. LVIII.

De Oxymelle.

Oxymel dicitur acidum mel, eo quod ex aceto & melle eius materia conficiatur. Nam primo acetum cum herbis neceſſariis & radicibus diureticis diu decoquitur, colato aceto, mel purum & optime defæcatum additur, & ad lentum ignem vſque ad ſpiſſitudinem iterum decoquitur & bullitur, ac depuratur cum albumine oui, cum aceto diſtemperato, & in oxymelle parum decocto. Nam omnes immundicias mellis & herbarum ad ſe attrahit albumen oui, & ſupernatando vſque ad oxymellis ſuperficiē ſecum ducit, quas immundicias cum penna pigmentarius ſeu medicus caute remouet & deponit, & ſic oxymel in pyxide munda reponitur. Datur autem cum aqua calida ad materię compactæ digeſtionem, mollificationem, diuiſionem, mundificationem, pororum apertionem, & opilationum diſſolutionem, poſſet enim medicina de facili inducere periculum, ſi non præpararetur ad facilem eductionem, & cum oxymelle non procederet digeſtionē. Conſimili arte & ad conſimiles vſus de aqua & zucara cum diuerſis ſpeciebus fit ſyrupus nunc violaceus & laxatiuus,

nunc roſcus & conſtipatiuus, nunc ſimplex, nunc compoſitus.

Cap. LIX

De Cera.

Cera eſt fex mellis, intra cuius ſubſtantiam liquor melleus ab apibus eſt collectus. Corrumpit autem ipſum mel, *vt dicit Ariſtot. lib.* 4. quando nimis diu cum ceræ fecibus admiſcetur, & ideo qui vult mel in ſua puritate reſeruare, debet ipſum tempeſtiue à ceræ ſubſtãtia ſeparare. Habet autem hoc cera proprium, quod inter omnium liquorum fæces ſuperenatat, & cum caleſcit ad fundũ non deſcendit, ſed potius quærens ſuperficiem ſurſum tendit, & hoc faciunt partes igneæ & aereæ, quæ in eius ſubſtantia dominantur. Vnde cera in aqua calida reſoluta, deorſum premit aquam, & per eius ſuperficiem ſe diffundit, nam multum habet aereæ leuitatis ratione cuius ſic aſcendit. Cera autem quanto eſt recentior, tanto eſt odoratior, ductilior, purior, & ad diuerſarum impreſſionum & figurarum ſusceptionem aptior, & tam formæ ſuſceptæ quam ſcripturæ in ea impreſſæ eſt durabilior, & talis cera virginea appellatur. Eſt inſuper cera multis vſibus neceſſaria atque apta. Valet enim in medicinis, in confectionibus variis & vnguentis. Nam virtutem habet calefactiuã, reſolutiuam, apertiuam, maturatiuam, attractiuam, euaporatiuam, & conſumptiuam. Valet etiam ad luminis nutrimentum, & ideo cera ſeruit in Deorum templis & aris, & in menſis dominorum. Vnde a cera vel a cereis dicuntur ceremoniæ, quia in templorum ceremoniis cerei offerebantur & adhuc offeruntur, *vt dicit Hug.* Vnde qui ſeruiunt de candelis cereis in Eccleſia, dicũtur ceroferarii, ſicut qui ſeruiunt in Regum & Pontificum aulis primicerii nominantur, *vt dicit idem.* Sigillis etiam cereis literæ muniuntur & ſignantur, ac ſecreta occultãtur, priuilegia confirmantur. Tabulæ cera ſimplici vel colorata replentur & ornantur, in quibus variarum literarum characteres ſtyli officio vel inſcribuntur vel etiam complanãtur. Panni quoque linei ad vſus varios incerantur. Libros etiam inuolutos tutos reddit, ne aqua vel pluuia perfundantur. Nam cera quandam habet vnctuoſitatem, per quam humida

mida fugat, & per pannorum poros stillicidia penetrare non permittit, in calore liquescit & deficit, frigore vero indurescit, humidis & humefactis cedit, siccis vero & asperis inhærescit, & ideo humectantur sigilla, ne adhæreat cera illorum literis & figuris.

CAP. LX.

De Cereo.

CEreus per deriuationem à cera, a qua formatur, est nominatus, *vt dicit Isid. lib. 20. De quo quidā ait sic:*

Hic cera nocturnos præstabo cereus ignes.
Subducta luce altera sum tibi lux, &c.

Nam ad hoc est vsus cereorum, vt ex eorum lumine, ea, quę sunt in tenebris, appareant & lucescant in cereo. In cereo autem tria attenduntur, scil. materia, vsus & dispositio siue forma. Materia vero triplex est. Nam pro materia habet ellychnium siue lychnum, *vt dicit Isidor.* Ipsam ceram, atque ignem. Ellychnium filum est stupeum, & totius cerei substramentum, cera, quæ circumuoluitur, est luminis nutrimentum. Ignis qui superponitur siue superaccenditur, vtriusque est finis & complementum. Nam agens in lychnum mediante cera conuertit vtrunque in suam similitudinem: vnde & in dispari natura mirabilem inter se habent aptissimam vnionem. Forma & dispositio eius pyramidalis, a lato incipiens & circumferentialiter conuertens. Vsus eius est, vt illuminationis gratia candelabro affigatur vel clientulorum vel ceroferariorum manibus ante dominos deferatur.

CAP. LXI.

De Lacte.

LAc liquor est dulcis & candidus, in mamillis per actionem caloris ex sanguine generatus. Vel *vt dicit Arist. lib.* 18. Lac est sanguis decoctus, digestus, non corruptus. Quando enim fœtus propter magnitudinem non potest nutriri per vmbilicum, præparatur ei lac à natura, ex sanguine menstruo repulso ad mamillas, vbi digeritur & decoquitur, & ex albedine glandulatū mamillarum in candoris speciem transmutatur, *vt dicit Constan. lib.* 19. Eadem

est.n.materia menstrui sanguinis atq; lactis, & ideo natura creat lac propter cibum nati, quo cibatur extra, non ergo debet esse lac ante tempus partus, nec post multum, nisi accidat contra naturam. In illo enim tempore completur lactis digestio in animalibus, quæ habent tempus vnicum statutum ad pariendum, sed in mulieribus diuersificatur, & propter hoc debet esse bonum lac necessario post sex menses, & est lac dulce, quando est bene digestum, & fuit necessarium propter cibum animalis, qui est dulcis, cibus enim omnium animalium non est nisi dulce & valde digestum, *Vt dicit idem ibidem lib* 17. *Item dicit Aristot. lib.* 12. Animalia ouantia non habent lac neque mamillas, & in omni lacte est aquositas tenuis & pars grossa, quæ caseus dicitur, & lac quando est spissius, tanto caseus, & lac animalium carentium dentibus superius coagulatur.

Lac vero animalis habentis dentes in vtraque mandibula non, neque eius sepum, & lac huiusmodi animalis est dulce & tenue, vt lac cameli & equæ & post asinæ. *Item idem ibidem.* In quibusdam regionibus non expectatur caprarum imprægnatio, sed accipitur vrtica, & cum ea fricatur mamilla, & exibit primo sanguis: deinde quasi sanies: & post lac bonum non peius lacte imprægnatarum, & nullum lac est in mamillis marium generaliter, quamuis aliquando accidere videatur aliter. Quædam autem herbæ habent humorē lacteum, vt tithymalus, & quædam arbores, vt ficus, cuius lacte, *Vt ibi dic. Arist.* lac animalium coagulatum est. Et lac canum spissius est omnium animalium, præter leporum & porcorum. Est autem maxime spissum in partu, sed post subtiliatur, *Vt dicit Aristo. libro* 6. *in fine.* Vacca ante partum non habet lac, sed post bonum habet, sed cum primo coagulatur fit quasi lapis, & hoc accidit quando cum aqua commiscetur, *Vt dicit idem ibid. Item idem libro.* 9. Quando puer nutritur lacte calido, dentes eius citius oriuntur: post partum autem & mundificationem, lac mulieris multiplicatur. Et quædam mulieres habent solum lac in cono mamillarum: & quædam in aliis partibus ipsarum, & quando lac non bene digeritur, coagulatur, & mamillæ indurescunt, quoniam tota mamilla est valde mollis, & si superuenerit aliquis pilus, accidit magna infirmitas, & dicetur pilosa, & non cessabit dolor quo-

quousque exeat pilus cum lacte: aut quousque putrefiat & exeat, & dum lac exit, nō inuenitur generaliter mēstruum. Quædam vero lactantes menstruant, cum fuerit earum sanguis humidus: & quādo pueri lactantur sanguine grosso & multo, accidit ei spasmus, & si fuerit lactans corporis fertilis, tunc nocet multitudo lactis, & mulier nigra nutribilius & melius habet lac quam alba, *vt dicitur ibidem. Consimiles proprietates lactis & multas alias recitat Isaac in diatis, vbi sic dicitur*: Lac, inquit, generaliter diuiditur tripliciter: aut enim est dulce, exiēns nouiter à mamillis: aut est acidum siue acre, iam diu mulsum: aut est inter vtrumque mediocre. Dulce autem est magis sapidum, vicinum sanguini & amicū, in ipsum de facili conuersiuum, & ideo laudabile est ipsius nutrimentum. Est autem compositum ex tribus substantiis, in virtute & actione variis & diuersis, vna subtiliatiua & mundificatiua: altera vero grossa & opilatiua: tertia est mollificatiua & extenuatiua. Nam substantia aquosa & serosa acuta est & subtiliatiua: grossa & caseosa, frigida est & grossa, & ideo opilatiua, butyrosa vero est vnctuosa & mollificatiua: vnde lac cum sua substantia aquosa & acuta, est grossorum humorum incisiuum & subtiliatiuum, viscerum lauatiuum, intestinorum mordicatiuum, ventris solutiuum, & fæcis de facili expulsiuum, corruptorum humorum interius in corpore & exterius abstersiuum, venarum penetratiuum, opilationum splenis & epatis apertiuum, & maxime si fuerit ex animalibus calidæ complexionis, vt ex camelis, & tale lac est hydropicorum iuuatiuum, *vt dicit idem, & sequitur*: Lac itaque laudabile & suis tribus substantiis temperatum, sua aquositate est membrorum mundificatiuum, sua butyrositate est venenis repugnatiuum, & membrorum humectatiuum, sua caseitate cibariorum, ex orificio stomachi ad fundum depressiuum. Est & alia laus lactis, quia si temperate & oportuno tempore mundato prius corpore, accipiatur, corporis est laudabiliter nutritiuum & suæ substantiæ sanguini assimilatiuum. Si autem à corpore non mundato vel tempore non congruo accipiatur, in malos humores, quos inuenit, est conuersiuum, & ipsorum augmentatiuum, in fumos calidos resoluitur, & sic erit doloris capitis causatiuum, & si febris materiam inuenerit, erit

caloris febrilis inflammatiuum: Vel si calorem naturalem inuenerit debilem, de facili acescit, & fiet in stomacho acetosum. Nam quando est humor nimius & paruus calor acetositas vel putredo phlegmatis generatur, & ideo lac non est frequenter sumendum, nisi corpore existente temperato, & stomacho inanito. Nam si corpus à putridis humoribus & cholericis fuerit vacuum & depuratum si lac bene digestum fuerit, multum & bonum præbebit corpori nutrimentum, laudabilem generabit sanguinem carnem augmentabit, humectabit corpus, & exterius in superficie faciet tenerum atque pulcrum, *Vt dicit idem*. *Item dicit Idem*. Rursus lac, inquit, bibentes ieiunos esse conuenit & calidum esse quando vberibus est vicinum, nec est aliquid comedendum quousque lactis substantia digeratur. Oportet etiam vt labor & motus nimius caueatur quousque descendens ad decoctionis locum digeratur, quia ex inordinato motu & calore nimio subito generato, eius vnctuositas in fumum nociuum resolueretur, & grossiori parte remanente indigesta, multiplex corruptio generaretur, *Vt dicit idem*. Electum autem lac, *Vt dicit*, debet habere quatuor qualitates, colorem, odorem, liquorem & saporem. Colorem albissimum, clarum, à citrinitate, rubore & liuiditate maxime alienum. Odorem gratum, abhorrore & grauitate remotum. Liquorē inter subtilem & grossum medium, cuius mediocritatis signum est, si gutta super vnguem posita remanet continua, & non liquescit, cuius guttulæ forma inferius est lata & superius est acuta. Saporem habet acceptabilem, quando nec amaritudine, nec salsedine, nec acedine est admixtum. Inter omnes autem istas differentias lactis fœmineum magis creditur esse temperatum, quia omne lac naturam & complexionem animalis, cuius est naturaliter, imitatur, & ideo quia humana complexio maxime est temperata, ideo & muliebre lac maxime est temperatum, propter quod maxime est nutritiuum, humectatiuum & asperitatis angulorum oculi potissime mitigatiuum. Et quicquid de bonitate lactis supra dictum est, totum concurrit in hoc lacte.

Cap. LXII.

De Lacte camelino.

LAc camelinum ex animalis calida complexione, cæteris est magis calidum, & plus subtile & minime vnctuosum, & minime nutritiuum, diureticum & opilationum apertiuum, et ideo hydropicorum ex opilatione est potissime iuuatiuum. Nam camelus naturæ est calidissimæ, propter quod calor dominans, sanguiuis attrahit vnctuositatem, et ideo sanguis remanet sine vnctuositate. Cum igitur lac nihil aliud sit quam sanguis secundo decoctus, sapor sanguinis cameli salsus est & acutus, & ideo humorum est incisiuus, subtiliatiuus, & grossitiei attenuatiuus. *Quare supra de camelo in tractatu de animalibus.*

Cap. LXIII.

De Lacte vaccino.

LAc vaccinum lacti camelino est oppositum. Nam vacca non habet tantum caloris, vt sanguis attrahat vnctuositatem: & ideo eius lac fit valde vnctuosum, & maxime nutritiuum. Plus enim nutrit lac vaccinum quam pecorinum, quamuis pecorinum sit magis calidum quam vaccinum. Cuius ratio est *vt dicit idem*, quod cum lac vaccinum non tantum habeat caloris quantum pecorinum, parua vnctuositas sibi sufficit, & tota illa remanet in lacte, & exuperat caseitatem, & ideo magis nutrit, quia substantia vnctuositatis nutribilior est quam caseata, quia calidior & humdior & calori sanguinis vicinior, facilior in sanguinis mutationem, & illa, *vt dic. antiqus*, melius & citius nutriunt, quæ citius & facilius in sanguinem commutantur, *vt dicitur ibidem*, Lac tamen pingue melius nutrit quam ipsa pinguedo, quæ calidior est, quia substantia lactis habet aquositatem liquidam subtiliantem interiora corporis penetrantem. Sed sola pinguedo aereitate sua supernatat, & propter humiditatis suæ substantialis grossitiē cito coagulat & indurat: & ideo lac vaccinū sua aquositate ad interiora penetrat, sua vnctuositate calorem naturalem roborat: caseitatis suæ paucitate naturam non multum aggrauat, sed potius adiuuat & sustentat, *vt dicit idem.*

idem. Alio ergo modo est lacte vtendum ad nutriendum, quia tunc tribus eius substantiis pariter est vtendum. Alio modo ad mundificandum, & calorem mitigandum, quia tunc serositatis liquamen est à butyrositate sequestrandum. Alio modo ad calefaciendum & humectandum, & tunc butyri vnctuositate est vtendum. Lactis enim vsus consideratur secundum subtilitatem & grossitiem & mediocritatem, *vt dicit idem.* Subtilitas autem attenditur in substantia & in actione. In substantia illud est melius, quod complexioni humanę vicinius est, vt lac fœmineum, quod tanto est vtilius quanto mamillæ est vicinius. Efficacius est enim contra venena, contra renum & vesicæ mala, contra pulmonis vulnera, si multum aerem non tangat, & eius virtutem aeris qualitas non immutet. Subtilitas vero in actione, quando eius butyrositas cum caseata separatur, & aquositas tūc cum acumine augetur, vt patet in camelino, quia minime nutrit, calore tamen suo & subtili liquore hydropicis subuenit & succurrit. Lac vero grossissimum est vaccinum, & minus cæteris liquidum & aquosum, minus acutum & magis butyrosum. Vnde bene nutrit, stomacho conuenit, membra confortat, calorem epatis & stomachi refrigerat, corpus impinguat & augmentat, vulnera intestinorum & matricum sanat. Est autem tanto melius & salubrius, si lapidibus fluuialibus accensis & intus extinctis tota aquositas pro parte maxima consumatur.

Cap. LXIV.

De Lacte caprino.

LAc caprinum inter prædictas differentias tenet medium, quia in suis tribus substantiis post fœmineum esse dicitur potissime temperatum, & ideo contra pulmonis vulnera, & renum ac vesicæ vitia cum zucara multum confert. Eius serum à caseo & butyro separatum, maximę est colatiuum, mundificatiuum, & choleræ repressiuum. Lac autem caprinum per se multum bibitum, in stomacho de facili coagulatur, & ideo, ne noceat, cum modico mellis & salis gemmę temperetur, & nunq̄ coagulabitur, & si inceperit coagulari in stomacho, dissoluetur. Et quia capræ pascuntur siccis & ramorum extremitatibus, earum lac minus

minus est aquosum & magis stipticum & stomacho congruum. Nam lac ex pascuis diuersificatur. Nam quæ pascuntur teneris & recentibus herbis, lac faciunt aquosum & subtile, quod stomacho est nociuum. Quæ vero herbis laxatiuis, lac faciunt mordificatiuum, & neruorum pungitiuum, & est nociuum & laxtaiuum.

CAP. LXV.

De Lacte pecorino.

LAc pecorinum magis est calidum & siccum quam vaccinum, minus habens butyrositatis & plus caseitatis, & ideo minus nutrit, nec corpori ita conuenit vt vaccinum. Monstratur autem hoc ex grauitate sui odoris. Nam *Vt dicit Galenus*, lac pecorinum in odore est grauius quam vaccinum, & ideo magis phlegmaticum, magis autem nutrit quam caprinum, sed minus quam vaccinum. Vnde minus est temperatum quam caprinum.

CAP. LXVI.

De Lacte Asinino.

LAc asininum est temperatum & nutritiuum, resumptiuum, ventris tamen solutiuum, & neruorum remollitiuum, & membrorum siccitate & calore induratorum humectatiuum, pectoris iuuatiuum, & tussis & anhelitus difficilis mitigatiuum, vulnerum renum & vesicæ curatiuum.

CAP. LXVII.

De Lacte caballino.

LAc caballinum vicinitatem habet ad camelinum in subtilitate & acumine & calore. In apostematibus matricum est iuuatiuum, apertiuum & menstrualis fluxus prouocatiuum, si causa menstruorum calida sit & sicca, quam proprietatem habet illud lac ab omni lacte alio separatam, *Vt dicit Isaac.*

CAP.

Cap. LXVIII.

De Lacte porcino.

LAc porcinum, *secundum Isaa.* est subtile & aquosum, quia ex sua frigiditate incoctum remanet & indigestum. Et ideo si secundum medicinam accipiatur, paruum aut nullum confert iuuamentum, sed si secundum cibum cum succo hordei sit coctum, bonum generat humidum nutrimentum, *Vt dicit idem.*

Cap. LXIX.

De lacte animalium.

LAc animalium partui valde vicinorum, est subtile & aquosum, quia aquei humores adunantur in animalibus tempore partus, quia os matricis clauditur, & lac aquosis humoribus commiscetur, & ideo eo tempore est nociuum, vomitus & fastidii prouocatiuum, asperitatis re mollitiuum, & villorum stomachi lubricatiuum, ventris laxatiuum, durum ad digerendum, & stipticum, & in stomacho coagulatiuum, & pessimarum infirmitatum generatiuum, & ex fumo ascendente cerebri percussiuum, & doloris capitis causatiuum, fœtoris dentium & anhelitus inductiuum. Vnde si lac fuerit corruptum vel plus debito assumptum, vel alio modo vel tempore, quam expedit, sit acceptum, multarum infirmitatum est generatiuum, malorum humorum & lumbricorum est nutritiuum, bonorum humorum est corruptiuum, arenarum in vesica & in renibus adunatiuum & putrefactiuum, caloris naturalis debilitatiuum, et innaturalis caloris ac febrilis inflammatiuum, gingiuarum et dentium infectiuum, pustularum pessimarum & scabiei in paruulis causatiuum, rugitus & ventositatis excitatiuum, opilationum renis & epatis effectiuum, stomachi grauatiuum, & lubricitate sua cibariorum ante digestionem expulsiuum, & sic lienteriæ inductiuum. Has et multas alias inducit lactis corruptio passiones. Sed hæc de lacte bono & malo nunc dicta sufficiant.

CAP.

Cap. LXX.

De Sero.

SErum est lactis pars aquosa, à lactis alia parte per coagulum sequestrata. Nam coagulum partes butyrosas & casuosas simul iungit, & ab eis quod liquidū est & aquosum diuidit & discernit. *Cuius effectus superius recitantur.* Habet enim virtutem putredinis lauatiuam, nam intestina lauat, & vulnera intestinorum de sanie mundificat, pectus purificat, sitim sedat, acumen choleræ rubeæ mitigat, scabiem & impetiginem mundat, splen & epar deopilat. *Quare sup. in primo secundum Isa.*

Cap. LXXI.

De Butyro.

BVtyrum à buendo, id est perfundendo est dictum, *Vt dicit Hugu.* sua enim vnctuositate & humiditate habet imbuere & perfundere corpora quæ contingit. Nam butyrum est flos lactis, multum habens caliditatis & humiditatis, cū dominio aereitatis, ratione cuius habet multum vnctuositatis. Est enim butyrosa substantia naturaliter calida & humida, viscosa & vnctuosa humanæ complexioni medicina *Vt dicit Isa.* vnde sæpe comestum, stomachi est humectatiuum, ventris solutiuum, maxime si recens fuerit, & ideo antiqui, *Vt dicit idem*, assimilauerunt butyrum oleo mixto pinguedini, dicentes, quod si quis acceperit valet creatui de pectore & de pulmone, maxime si ibi fuerit apostema, quia proprie est maturatiuum, & humorum dissolutiuum, & superfluorum pectoris mundificatiuum, maxime si cum melle vel Zucara comedatur. Sed tunc minus est maturatiuum, & exscreationis amplius iuuatiuum, *Vt dicit idem subdens ibidem.* Butyrū repugnat venenis, membra humectat, asperitatem oculorum eius lotura mollificat & emundat, apostema dissoluit & maturat. Vulnera pulmonis, gutturis & pectoris mire sanat, renum & intestinorum morsuras mitigat, neruos induratos & contractos, seu spasmatos, mollificat atque laxat, *Vt dicit idem. Dicit autem Auicen.* quod contra venena interius sumpta singulare præsidium est, si intoxicatus butyrum in lacte calido resolutum bibat in magna quantitate. Nam vnctuositate

tate

tate sua opilat meatus, ne ad cor ascendat subito vis ve neni. Præterea venenositatem totam ad se trahit, & ipsam inuiscat, per vomitũ euacuat de corpore, & educit, *Vt dicit idem.* Fit autem sic, flos lactis, siue superenatans pinguedo recolligitur in vase mundo, & cum quodam lato ligno rotundo, & perforato diutissime percutitur per violentiam & mouetur: ex quo motu calor naturalis in substantia lactis excitatus & confortatus totam vnctuositatem in simul recolligitur, quæ sua leuitate superficiem petit, serosa vero aquositas cum partibus caseatis inferius descendit & butyrosæ substantiæ tanquam nobiliori cedens, fundum petit, & illa butyrosa substantia, quæ enatat in superficie recolligitur, & ad vsus varios & necessarios in vase mundissimo reseruatur, quod quanto recentius tanto est saporosius & gustui delectabilius inuenitur. Est autem in principio molle & liquidum, sed paulatim calore naturali cõtra humidas partes inualescente & eas consumente mediocriter indurescit. Vnde bene & munde reficit & nutrit, & pulmenta loco sagiminis vel olei bene condit. Salitur autem aliquantulum, vt melius conseruetur, & vt eius potentialis humiditas siccitate salis tẽperetur: insuper vt eius saporositas augmentetur. Nam gustui in sapore est magis gratum quando mediocriter est salitum. Quando autem nimis antiquatur, eius sapor cum odore diminuitur, & in grauem odorem, & saporem gustui horribilem transmutatur, & tunc nõ valet ad cibaria condienda. Valet tamen ad varia medicamina & vnguenta, quia sæpe accidit id quod non conuenit gulæ, congruit tamẽ nihilominus medicinæ alicui.

Cap. LXVII.

De Caseo.

CAseus *Vt dicit Isid. lib.* 20. à carendo est dictus, eo quod taindiu in vase premitur, quousque sero careat, & à lactis aquosa substãtia separetur. Vnde dicitur caseus quasi carens, eo quod quandoque est siccus, humore carens seu liquore, *Vt dicit idem, secundum Hug.* vero caseus à cadendo est dictus, eo quod de facili cadit & labitur inter digitos facientis. Est autem caseus fex lactis. Nam *Vt dicit*

Isid.

Isa. Caseata substantia lactis frigida est & grossa, & ad digerendum dura. Tarde enim descendit de stomacho, & magis attinet stipticitati quam solutioni. Et est grauis stomacho, & epati, renibus & spleni, maxime si illa loca fuerint opilationibus præparata, & calculos in renibus generat, & ideo propter ista mala accidentia *dicit Constant.* quod omnis caseus vniuersaliter est malus: tamen caseus qui lacti est vicinus minus est nociuus. *Vnde distinguit Isa. inter recentem, veterem & mediocrem.* Recens caseus quia adhuc recens est, non malos generat humores, quia adhuc retinet partem dulcedinis, & aquositatis ipsius lactis, & ideo ad digerendum est facilior, & ad nutriendum laudabilior: & ventris solubilior, & maxime si non fuerit salitus, quia salsedo sibi saporem aufert & dulcedinem. Nam nimis salsus, nimis est desiccatiuus, & stomacho est nociuus, carens omni sale, magis est nutritiuus, & corporis humectatiuus, & magis carnis augmentatiuus, stomacho tamen est nociuus, & de facili in fumositates resolutiuus, si stomachus fuerit calidus. Si vero fuerit frigidus in acetositatem est de facili conuersiuus, mediocriter ergo salsus melius degeritur, & minus stomacho est nociuus, sine sale enim de facili est acetosus, minus vero salsus stomacho fit morsiuus, & sanguinis incensiuus.

CAP. LXXIII.

De Veteri caseo.

VEtus autem caseus est acutus, & valde siccus, ad nutriendum grossus, & ad exeundum de stomacho nimis durus, quia si lactis aquositas est acuta: acumen tamen & siccitas coaguli ei dominantur. Vnde & subtilitatem exit, & ideo superfluitas corporis non ita inde subtiliatur, sicut his subtiliātibus. Vnde duobus modis nocet corpori, quia eius corruptio & grossicies nutrimenti superfluitatem ingrossat & corrumpit, stomacho nocet, quia per acumē coaguli repugnat omnibus aliunde iuuantibus, & in nutrimentum peius ipsa iuuantia traducuntur. Vnde si in corpore inuenerit grossos humores, in renibus & in vesica lapides parit, grossos enim humores calidos & intensos coadunat & compingit. Est ergo vitandus ita vetus. Nullum enim confert iuuamen neque nutrimentum, nec obedit

digestioni, nec bonum generat sanguinem, nec ventrem humectat, nec vrinam prouocat. Sed inuentam humiditatem constringit & desiccat. Omnis itaque caseus vetus, durus, siccus & spõgiosus, præ siccitate & porosus ad rumpendum facilis, nihil habens vnctuositatis & humiditatis, corpori est nociuus. Minus autẽ est malus vnctuosus caseus & consertus, quam oculatus & porosus. Nam cõsertio substantiæ est signum humoris & vnctuositatis. Qui autem porosus est, minus est malus, quando est recens, quam cum nimis est vetus, *quia vt dicit Diosc.* Caseus recens humectat ventrem: vetus stringit, maxime elixatus, vel si ab aqua abstractus assetur, & maxime si ante prandium assumatur. Meatum enim stomachi sua grossicie obturat, & cibum descendere ad intestina non permittit. Post prandium autem sumptus cibaria comprimit vt torcular, & ad locũ exitus descendere compellit. Caseus inter veterem & nouum medius multum est nutritiuus, propter eius saporositatem & grossiciem, & quia calore naturali velociter induratur. Quanto autem calor naturalis ei dominatur magis, tanto plus & fortius indurescit, & magis membris inhærescit. *Hucusq; Isa. in diat. Secundum Dios. vero & Arist. lib.* 3. quãdo erit in lacte multum casei plus erit cibi. Est autẽ caseus *secundum Diosc.* veneno contrarius. Nam grossicie sua & butyrositate opilat meatus venarum, & non permittit ad cor ascendere vim veneni. Caseus enim recens appositus calidus extrahit venenum à morsibus venenatis, & huius signum est, quia appositus super morsus rabidi canis aut serpentis, totus candor casei conuertitur in liuorem. Valet etiam contra anthracem & alia apostemata venenosa, vel extra suppositus vel comestus. In multis etiam aliis conuenit medicinæ, *vt dicit idem.*

Cap. LXIIII.

De Coagulo.

Coagulum est lac in quorundam animalium stomachis inspissatum, cuius virtute lac aliorum animalium coagulatur, in qua parte butyrosa cum caseata aggregata, pars serosa & aquea à partibus aliis sequestratur *vt dicit Aristo. lib.* 3. Quanto (*inquit*) lac est spissius, tanto

casea

caſeatiuus &coagulatius: ſed lac animalis carentis dentib. in ſuperiori mandibula coagulatur. Lac vero animalis habentis in vtraque non ſicut nec eius ſepum. *Item idem dicit.* Lac coagulatur ex coagulo & lacte ficuum, quando lac ficuum aggregatur in lana, deinde abluitur illa cum modico lacte, & citius illud lac admiſcetur cum reſiduo & ſic totum coagulatur. *Item ibidem*: Coagulum non inuenitur niſi in ventre ſugentium adhuc ruminantium. In illis qui non habet dentes in vtraque mandibula non inuenitur, niſi in lepore, quantocunque autem plus vetuſtatur erit melius, & valet contra fluxum ventris maxime leporis parui & cerui, *vt dicit idem Ariſt. Item lib. 16. dicit.* Accidit lacti quod coagulatur per coagulum, quoniam coagulum eſt lac, in quo eſt calor ſpiritualis, & ideo adiuuat & ſuſtẽtat lac, ſicut maris ſperma ſuſtentat menſtrualem ſanguinem fœminæ in matrice, quoniam natura lactis, & ſanguinis menſtrui eadem ſunt, *vt dicit idem ibidem. De coagulo dicit Iſaac, capi. de caſeo.* Coagulum (inquit) coagulatur virtute ſui acuminis & caloris atq; ſiccitatis ſibi dominantis, quibus ſua humiditas finitur, & quamuis coagulum ſit in omni caſeo, minus tamen ſentitur in recenti, propter multitudinem ſuæ humiditatis. Coagulum itaque in ſtomacho lactantis animalis & ruminantis inuenitur, cum quo ſal admiſcetur, & ſic ſuper ignem in fumo deſiccatur & induratur, cuius modica particula, cum in pauco lacte tepido reſoluta eſt, cum reſiduo lacte admixta, totum coagulabit, quod eſt coagulabile & condenſat. Vnde patet quod conſimilis virtus latitat in ſubſtantia coaguli, qualis ineſt ſubſtantiæ ſeminis maſculi *vt dicit Ariſtote. Auicen. Iſaac, & alii.* Et hæc dicta de liquoribus nunc ſufficiant.

CAP. LXXV.

De diuerſis virtutibus rerum.

SVnt autem quædam virtutes tam humoribus quam liquoribus, & rebus aliis inhærentes, de quibus hic breuiter aliqua inſeremus, Nam ſecundum diuerſas complexiones & virtutes, diuerſis rebus dominantes, diuerſimodi reperiuntur operationes, vt eſt virtus aperitiua, maturatiua, mundificatiua, &c. Aperitiua itaque virtus operatur

per calidum & ſiccum cum ſubtili ſubſtantia, vt patet in cæpis, vel ſucco porri, in alumine, & huiuſmodi, ex quorũ confectione aperiuntur ora venarum, & hæmorrhoides prouocantur, *Vt dicit Conſtan.* Rarefactiua virtus operabitur per calorem & humorem. Nam calor rei ſubſtantiam penetrat, & diſſoluendo humiditatem ſibi obedientẽ aperit & dilatat, vt patet in malua, & ſambuci mediano cortice & huiuſmodi, quæ bullita in oleo, cutem rarefaciunt & extendunt, *Vt dicit idem.* Opilatiua virtus operatur per frigiditatem & humiditatem cum obtuſa ſubſtantia, vt patet in draganto, albumine oui & pſillio. Nam hæc viſcoſitate & obtuſitate ſubſtantiæ poros replent, & frigiditate conſtringunt. Inſpiſſatiua virtus operatur per frigiditatem & humiditatem, vt patet in mandragota, quæ poſita ſuper cutem ipſam inſpiſſat, *Vt dicit idem.* Nam frigiditate conſtringit partes humiditatis liquidiores. Vnde humiditas petens centrum, reddit ſubſtantiam compactiorem, & per conſequens ſpiſſiorem: aliquando autem operatur per calorem & humiditatem. Nam calor conſumit partes liquidiores, quib. conſumptis partes terreſtres redduntur ſpiſſiores. Induratiua virtus operatur per frigiditatem & ſiccitatem, quia vtraque qualitas mouendo ad centrum, totam ſubſtantiam reddit duriorem, quandoque autem operatur per frigiditatem & humiditatem, frigiditate partes liquidas conſtringente, vt patet in gelu & in glacie. Quandoque etiam per calidum & ſiccum partes terreſtres compingendo, & per conſequens indurando, vt patet in latere & in luto. Aſperitiua virtus operatur per caliditatem & ſiccitatem cum groſſa ſubſtantia. Nam calor quod eſt ſubtilius eleuat, & mouet ad circumferentiam, & illud acuit in conum, quod vero groſſius & ſiccius, tendit ad centrum, & ſic fit tota ſubſtantia inæqualis, quæ inæqualitas eſt cauſa aſperitatis. Propter hoc operatur aſperitatem in humido frigiditas coarctando & conſtringendo partes rei circumferentiales ad medium non permittendo partes liquidiores ſe diffundere ad extremum, propter quod partes ſuperiores, in quibus dominatur frigiditas, acutæ & aſperæ exterius ſenſui oſtenduntur, quia ſecundum diuerſitatem materiæ impreſſionem a calido & frigido recipientis, variæ ſunt & diuerſæ rerum condi-

conditiones & proprietates, & rerum commixtiones naturaliter vel accidentaliter derelictæ, *Vt dicit Auicen. & Constant. Et est expressum supra in tracta. de qualitatibus elementarium proprietatum.* Item est virtus mollificatiua, quæ operatur per calidum & humidum, & hoc vel per calorem humidas partes dilatantem & rarefaciētem, & partes à partibus disgregantem, vt facit dialtea, quæ humida est, & parum calida, mediocriter tamen calore sui aperit, & ex superabundantia humiditatis suæ humores fluxibiles reddit, & sic per consequens mollificat & remollit. Vel hoc fit eo quod calore dominante super partes aqueas & terrestres, & eas resoluente in partes aereas & cœlestes, vt patet in vaporibus terrestribus, & aqueis attractis ad interstitia aeris, vbi resoluuntur in mollissimas pluuias & guttulas, nunc roris, nunc grandinis siue niuis, *Vt dicit commentator super 4 meteor.* Sensui etiam est manifestum vi caloris dura remollescere, & superueniente actione calidi partes partibus inuicem vix hærere, vt patet in cera, & in aliis liquefactibilibus super quarum partes aqueas & aereas virtus ignea dominatur, *Vt dicit comment.* Virtus autem maturatiua sicut & digestiua, per calidam virtutem & humidam operatur, sicut & retentiua per frigidam & siccam, & expulsiua per frigidam & humidam, & aperitiua per calidam & siccam principaliter operatur. Attractiua virtus per calidum & siccum operatur, vt patet in diptamno, serapino, & stercore columbino, & consimilibus. Laxatiua habet operari per easdem virtutes sed vehementius. Vnde quæ vehementer attrahunt, laxatiua sunt vt scamonea, &c. Operatur etiam per frigida comprimendo, & per humida lenificando & lubrificando, vt patet in prunellis, thamaridis, &c. Putrefactiua quandoque per calida & humida operatur, quandoque vero præter hæc. Maturatiua per calida & sicca, sicut & attractiua, vt patet in cantharidibus & flammula & huiusmodi vehementer calidis, quę pustulas generant, & carnem vlcerant valde cito. *De aliis autem virtutibus & consimilibus dictum est supra libro 3. de proprietatibus elementarium qualitatum in lib 8. in tractatu de remediis morborum.*

Cap. LXXVI.

De Putredine.

PVtredo est substantialis humiditatis corruptio proueniens ex indigentia caloris naturalis, superabundante calore alieno. Calor enim innaturalis agens in humidum, quod non regitur à naturali causa est inductiua putrefactionis, *vt dicitur super lib. meteor.* Omne autem terreum frigidum difficilius putrefit quã calidum, *vt dic. Arist.* Similiter coagulatum ratione frigidi tardius putrefit, vt est videre in glacie & in crystallo. Omne enim feruidum calido tardius putrefit, *vt dicit Aristot.* Nam intensio caloris inducentis feruorem fortior est calore aeris aliunde venientis: & ideo non permittit se vinci, nec aliquam circa rem feruẽtem permittit fieri immutationem. Omne enim motum tardius putrefit quam non motum, *vt dicit Arist.* Nam motus inducit calorem conseruantem, & calorem excitat naturalem. Insuper omne fluens tardius putrefit quam non fluens, *vt dicit idem.* Nam calor accidentalis ex aere continente infirmior est & debilior quam calor naturaliter generatus ex motu siue ex fluxu, & ideo ex facili se vinci non permittit. Omne autem corpus multum, id est, multæ magnitudinis, tardius & minus putrefit quam corpus paucum, *vt dicit idem.* Nam si corpus est calidum, plus habet caloris naturalis resistentis causis putrefactionis. Similiter si est frigidum, sua naturalis frigiditas melius resistit calori accidentali inducenti putrefactionem in magno corpore, quam in paruo corpore, & hoc patet in mari, *vt dicit Arist.* Nam mare diuisum cito putrefit, vniversum autem nunquam. Similiter est videre in aquis aliis magnis, quarum partes diuisæ a totali flumine cito putrefiunt: & ideo in partibus sic diuisis, vermes generantur per putrefactionem. Cuius ratio est, quia calor naturalis disgregans in eis, facit subtile diuidi a grosso, & terreum ab aqueo & aereo. Ex substantia autem subtili aquea vel aerea a grossiore parte per calorem sequestrata, idem calor disgregans, facit generari vermes, & alia animalia, & hoc est *quod dicit Aristo.* quare calor naturalis disgregans constare facit disgregata, & conuertit in naturam animalis, & hoc per putrefactionem, vi caloris extranei introducta, *vt*

dicit

dicit comment. Putrida ergo sunt gustui horribilia, & abominabilia stomacho, & nauseam prouocantia. Sunt & grauis odoris, & mali saporis, & deformis coloris, manus inficientia contingentis, contraria sunt humanæ complexioni, & subitam inducentia sanis corruptionem, serpentibus tamen & vermibus præbentia cibum & refectionem. Quæ autem sunt disposita ad putrefactionem, per associationem ad putrida celerius contrahunt corruptionem. Et membra putrida corrumpunt sana, & cum nō sint spiritui peruia, priuant spiritum membra. Quæ ergo sunt magis vicina, nō possunt sanari nisi membrum, quod incipit esse putridum, à putredine penitus separetur. Vnde quæ putrida sunt, non sunt vtilia, nisi solum ad hoc, vt præscindantur, eiiciantur aut comburantur. Sunt & aliæ virtutes quibus mediantibus operatur natura, vt virtus nutritiua seu pascitiua in vegetabilibus, & in animalibus est virtus generatiua, tam in bipedibus quam in quadrupedibus, & est virtus ouatiua, tam in reptilibus quibusdam quam in volatilibus. Sed de generatiua & nutritiua, & aliis sibi subministrantibus, sufficienter superius dictum est, *lib. 4. de generatione hominis in lib.* 18. de generatione animalium in generali, & ideo de eis est supersedendum. Virtus autem procreandi oua est in animalibus anulosi corporis, vt in serpentibus, araneis, scorpionibus, & similibus, & in natantibus, vt patet in cancris, sepiis, & aliis infinitis, & volatilibus, & in omnib. bipedibus, quia, *vt dicit Arist. lib.* 5. Bipedia, inquit, non generāt animalia præter hominem.

CAP. LXXVII.

De Ouis & eius proprietatibus.

PRimo igitur de prędictis animantibus semen decisum, in quædam corpuscula parua, mollia, humida & subalbida coagulatur, & transformatur, ex quibus per operationem diuersa animantia procreantur, & talia corpuscula oua sunt dicta, eo quod sunt vuida, id est, eo quod intrinsecus humore sint plena, *vt dicit Isidor. lib.* 12. Nam humidum est, quod exterius humorem habet: vuidum quod interius. Quidam tamen, *vt dicit idem*, putant, ouum græcam habere originem. Illi enim dicunt ᾠὸν, V litera

ablata. Oua autem quædam inani vento concipiuntur, sed non sunt generabilia, nisi quæ fuerint masculino concubitu concepta, & seminali spiritu penetrata, *vt dicit idem*. Ouorum autem tantam vim dicunt esse, vt lignum eis perfusum non ardeat, nec vestis quidem aduratur, *vt dicit idem*. Admixta quidem calce glutinare feruntur vitri fragmenta, *vt dicit idem*. Oua igitur primo gignuntur, deinde calore materni corporis formantur & animantur, *vt dicit Isido. Secundum autem Aristot. lib. 3. & 5.* Ouant volucres & pisces, & serpentes, sed multum differunt in bonitate & malicia, in qualitate & quantitate, in substantia & forma, oua tam volucrum quam piscium & serpentum. Ouant autem generaliter aues in fine veris, & in principio æstatis, *vt dicit Aristot. lib.* 5. præterquam auis marina, quæ dicitur halcyon, quoniam illa auis ponit oua in principio hyemis, & cubat 14. dieb. antequam pulli compleantur, 7. diebus ante principium hyemis, 7. post, *sicut dicit Simonides in lib. suo. Et dicit Isidor. de hac aue lib.* 12. In litore stagni Oceani halcyon in hyeme nidum facit 7. diebus, & ouat & excubat super oua, qua excubante septē diebus quiescit mare silentibus ventis, & continua septem dierum tranquillitate mitescit pelagus natura rerum eius fœtibus educandis exhibente obsequium. *Idem dicit Plin. & Basilius in hexameron. & Ambro.* Aliæ tamen aues ouant bis in anno vel pluries vt hirundines, sed prima oua corrumpuntur propter hyemem: oua vero posteriora complentur.

Aues vero domesticæ, *vt ibidem dicit Aristotel.* ouant tota æstate, sicut gallinæ & columbæ, & præcipue, quando bene pascuntur, & locus earum est calidus. *Item dicit Aristoteles libro* 6. quædam aues ouāt toto anno præterquam duobus mensibus tropicorum, scilicet in Iulio & in Decembri, vt gallinæ, quarum quædam ouant bis quolibet die. Et quæ multum ouant cito moriuntur. Columba autem quandoq; decies ouat in anno, sed pauca ponit oua. Et aues vncorum vnguium sunt paucorum ouorum. Et quædam ouant in nidis, & quædam in arboribus concauis: & quædam in foraminibus terræ & cauernis, & quædam in aruis & in rupibus: & quædā in arenis, vt struthio, quæ non fouet oua sua nec cubat super ea, sed calore Solis com-

cõplentur & animantur in arenis. Et quædã oua fouentur in nidis factis in arború ramis: & quædam in petris altissimis: & quædam in arundinetis, ficut oua auium aquatilium. *Dicit etiam Aristot. lib. 6.* Oua auium sunt dura exterius. Et quædam sunt duorum colorum, quia citrina interius & alba exterius. Oua auium fluuialium diuersificantur ab ouis aliarum auium, quæ in sicco nutriuntur, quia citrinum est in istis magis quam in duplum ad citrinum auium quæ nutriuntur prope ripas. Variantur etiam in colore. Nam columbarum sunt alba, sicut gallinarum, & auium palustrium sunt glauca, & quædam sunt sicut picta, vt oua nisi. Diuersificantur oua in figura, quoniam quædam sunt acuta, & quædam lata, prius vero exit latum, postea acutum. Oua vero longa capitis acuti producunt mares, habentia vero loco acuminis rotundum producunt fœminas. In calidis autem regionibus ponuntur in fimo ad Solem, & complentur, vt in Ægypto, & in quibusdam locis in plumis calefactis, sicut in quadam ciuitate quidam potator composuit oua sub puluinari, & dixit, quod continuauit potum quousque ex illis ouis pulli extrahebantur. Aliquando etiam ponuntur oua in vasis calidis, & extrahuntur ab illis pulli, *Vt dicit idem ibidem*, recepto tamen semine maris in matrice simul cum semine fœminæ commiscetur, in principio apparet album, deinde fit rubeum in modum sanguinis, post totaliter fit citrinum: deinde paulatim operante natura remanet citrinum in medio, & album in extremo, & cum cõplebitur, exibit, & tunc mutatur à mollitia in duritiem, quia in exitu coagulatur, & perfectissime induratur: vnde oua quam diu sunt in ventre, sunt citrina quadã pellicula albida inuoluta. Sed qñ sunt formata & completa, indurantur, & illa durities testa nuncupatur. Et est idem testa in coagulo oui, quod est embryo vel folliculus in corpore pueri iam concepti, sed propter fortitudinem vel intensionem caloris in corpore auis dominantis, plus induratur, & hoc fuit necesse propter interioris liquiditatis conseruationem. Ouant autem multæ aues oua venti, sicut faciunt gallinæ & anseres, *Vt dicit Aristoteles ibidem libro 2.* Et hoc accidit ex superfluitate humoris seminalis, in corpore fœminæ superabundantis. Et sunt oua venti parua &

insipida, humidiora aliis, & sine dura testa, & posita sub gallina non alterantur, sed remanet album album, & citrinum citrinum. Talia oua inueniuntur in gallinis & anseribus, pauonibus & columbis. Formatur pullus in ouo & completur citius in æstate quam in hyeme, quia oua gallinæ scinduntur in octodecim diebus in æstate, in hyeme in 25. Et quando tonitua veniunt in hora cubationis oua corrumpuntur, similiter quando frequenter nuda manu tanguntur. Gallinæ etiam veteres ouant in principio veris, & oua gallinæ iuuenis sunt minoris corporis, & vniuersaliter si gallinæ non cubauerint super oua sua, infirmabuntur & corrumpentur, & ouum gallinæ completur post coitum in 11. die. Et quædam aues in coitu non seruant sexum, sed saltat fœmina super fœminam, & masculus super marem, vt perdices & columbæ, & talis coitus facit odorem fœtidum, & oua non pullificatiua, sed sunt sterilia, quemadmodum oua venti, *vt dicit Aristotel.* In ouis autem gallinæ post tres dies cubationis, apparent signa pulli, & tunc ascendit citrinum versus acutum, ad illum locum à quo incipit scissura, & apparet quasi gutta sanguinis in albumine oui, & est principium seu materia ipsius cordis, *vt dicitur supra in tractatu de auibus, de generatione pulli quære ibi.* Item oua in quibus sunt duo vitella, faciunt gemellos pullos, & parua & subtili tela diuiduntur ab inuicem hæc vitella, *vt ibidem dicit Aristotel.* Et aues, quæ comedunt carnes, non ouant nisi semel in anno, præter hirundines quæ bis ouant. Aquila enim ouat tria oua, & tertium eiicit è nido, & cubat super oua 30. dies. *Hucusque Aristoteles lib. 6. Item idem libro* 17. Auium genera oua procreant completa, duræ testæ nisi accidat occasio per infirmitatem. Item aues multæ generationis, faciunt sæpe oua venti, ꝙ non contingit auibus boni volatus neque curuorum vnguium: quoniam aues multorum ouorum sunt multæ superfluitatis. Superfluitas autem auium vncorum vnguium, transit in plumas & in vngues & in alas: & ideo earum corpus est paruum, durum, acutum & macilentum. Et propter hoc non sunt tales aues multorum ouorum neque multi coitus. Aues enim corpulentæ propter corpulentiam & calorem ventris ouant multoties. Similiter aues parui corporis sunt multi coitus, & mul-

&multorum ouorum, ſicut patet in quibuſdam gallinis, quæ quanto ſunt magis paruæ, tanto erunt plurium ouorum, quia cibus talium tranſit in creationem ouorum. Item oua venti non erunt in auibus boni volatus, quia ſuperfluitas earum eſt pauca, & ideo ouant oua pauca. Oua venti ſunt plura ouis conuenientibus generationi pullorum, & ſunt minoris quantitatis, quoniam non ſunt completa: vel propter multitudinem ſuam ſunt minoris delectationis quando comeduntur, quoniam in omni re delectabilius eſt, quod eſt digeſtum, & dulcius quam indigeſtum. Et quædam aues, quando olfaciunt mares & audiunt voces ſuas, implentur ouis, quia ſunt multi cibi & multæ ſuperfluitatis & caloris: & ideo ſunt fortioris appetitus, & ideo ſpermatizant, & cito ouant, quia ſuperfluitas illa tranſit in ouorum naturam vi caloris. Item generatio auium ex ouis erit quando fœmina ſederit ſuper oua, & calefecerit ea. Et quia pullus in ouo non poteſt compleri ſine nutrimento: ideo natura poſuit cibum ſuum interius in ouo, & indigent oua propter debilitatem ſuam calefactione. Et ideo oua cito complentur in diebus calidis, quoniam tempus calidum iuuat digeſtionem creationis. Eſt autem albumen materia & ſuſtentatio pulli: vitellum autem cibus pulli & nutrimentum eius, & propter hoc album & citrinum diſiuncta ſunt quadam tela, propter naturæ diuerſitatem, & natura albuminis eſt quaſi contraria natura vitelli vel citrini, & propter hoc congelatur citrinum tempore frigoris, & poſtquam fuerit calefactum fiet humidum. Album autem non congelatur ex frigore, ſed fit magis humidum, & quando aſſatum fuerit, erit durum, & apud generationem pulli inſpiſſatur, quoniam ſuſtentatio pulli eſt ex eo quod per vmbilicum accipit pullus cibum ex citrino, & citrinum in tempore illo eſt multum, quoniam erit humidum & de facili conuertibile in cibum. *Hucuſq; Ariſtoteles libro* 16. *De ouis autem dicit Iſaac in dietis.* Oua, inquit, quæ generantur ex animalibus ſanis & temperatis, ſunt nutrimenti laudabilioris. Quæ vero ex craſſis, ſunt maioris nutrimenti & ſapidioris. Similiter de coeuntibus cum maſculis cum calorem maiorem habent coeuntia quam non coeuntia: ſimiliter generata de iunioribus, quia in eis habetur plus caloris. Naturæ autem

ouorum generaliter ſunt temperatæ & mediocres, & humanæ complexioni plurimum vicinantes. Albumina tamen ſunt frigidiora ad vitellorum comparationem, quod teſtatur eorum aquea ſaporoſitas, & ideo in odore ſunt vitellis grauiora, & ſunt etiam indigeſtibiliora, maxime de veteribus volatilibus, aut de maſculis non coeuntibus, vitella ſunt temperata calori vicina, & ideo ad digerendum ſunt meliora & faciliora, confortantia membra, & ab eis tardius diſſoluenda. Variatur autem ouorum nutrimentum ſecundum diuerſitatem animalium, ex quibus generantur, quia generata de ſubtili animali & temperato, vt ex perdice vel gallina, ad nutriendum ſunt laudabiliora, & ſunt facile digeſtibilia: ſed à membris facilius diſſoluuntur. Vnde ad regimen ſanitatis meliora ſunt quam ad membra confortanda. Quæ autem generantur de groſſis animalibus ad digerendum dura ſunt & nutrimenti illaudabilis, ſicut oua ſtruthionis, anſeris & pauonis, quæ ſunt mali nutrimenti, & dura ad digerendum, & grauis odoris, maxime de veteribus vel de carentibus maſculis, & quando digeruntur á membris tardius diſſoluuntur, & ideo plus valent ad membra confortanda quam ad regimen ſanitatis. Generata autem de auibus iunioribus ſunt leuiora, de veteribus grauiora, de mediocribus, temperatiora, quia caloris ſunt perfectioris & minoris humiditatis, & ideo valent ad regendam ſanitatem, & ad membra confortanda. Oua autem quanto ſunt recentiora, tanto ſunt meliora, & quanto magis vetera, tanto minus bona. Variantur etiam per artificium quadrupliciter. Aut enim ſunt aſſata: aut elixa: aut in iure cocta: aut frixa, ſed aſſata ſunt elixis groſſiora, & ad digerendum duriora, quia focus eorum humiditatem ſubſtantialem conſumit & deſiccat. Aſſata ſub cineribus calidis peiora ſunt quam quæ ſuper carbones ſunt diſcooperta, quia cum calor ignis in cineribus ea circumtegat, fumoſitatem eorũ ſuperfluã euaporare non permittit: ſuper carbones vero poſita, fumoſitatem reſudando emittunt & munda fiunt. Elixa autem in aqua meliora ſunt quam aſſata, quia aquæ humiditas calori ignis in deſiccanda ſua humiditate ſubſtantiali repugnat, & ideo minus, fiunt deſiccatiua, & caloris naturalis refrigeratiua. Elixa autem cum corticibus ſunt peiora, quia & groſ-

ſiciei

ficiei & fumositati repugnant cortices exterius, & non permittunt superflua exhalare: & ideo generant ventositatem inflatiuuam, & grauitatem stomachi & totius ventris. In aqua vero fracta calor aquæ temperatæ penetrat, & grossitiem suam subtiliat, & aufert eius grauitatem odoris. Vnde & cæteris sunt laudabiliora, sed tamen sola vitella plus sunt desiccatiua & minus solidatiua. Indurata vero desiccatiua sunt, & à stomacho dure exeuntia venasque tarde penetrantia: bene tamen digesta, multum confortant, sed si remaneant indigesta stomachum grauant & intestina, mollia tamen & parum coagulata minus sunt desiccatiua. Et magis digestibilia, cito venas penetrantia, pectus humectantia, tamen parum sunt membrorum confortatiua. Item dura aut mollia in suis actionibus & passionibus sunt mediocria. Frixa autem oua cæteris sunt peiora, quia in stomacho morantia in fumositatem & corruptionem sunt magis mutabilia, quicquid ibi ciborum inuenerint corrumpentia, grauitatem in stomacho generantia, fastidia peiora facientia quam alia oua, maxime si sint frixa, in vitellis autem inter assata & in aqua fracta sunt mediocria. *Hucusque Isaac.* Oua etiam non solum sunt vtilia ad cibum, immo sunt necessaria in multiplici medicina. Sunt enim humectatiua, mitigatiua, pectoris & gutturis lenitiua, membrorum confortatiua, resumptiua, & perditorum restauratiua, virtutis iuuatiua generatiuæ, combustionis & arsuræ sanatiua. Nam ex vitellis ouorum assatis fit oleum optimum combusturis. Sunt ouorum vitella anthracis & venenosi apostematis curatiua. Nam vitellum crudum oui cum sale mixtum sanat anthracem, *vt dicit Constantin.* Ouorum autem albumina sunt caloris mitigatiua, tumoris repressiua, fluidæ humiditatis restrictiua, calidæ arteticæ & podagræ iuuatiua, quando autem putrida & corrupta sunt, maxime sunt nociua, humorum corruptiua, & suo fœtore nauseæ & vomitus prouocatiua, & de facili sunt mortis illatiua.

CAP. LXXVIII.

De Ouis aspidum.

OVa aspidum sunt parua & rotunda, liuida vel crocea, limosa, viscosa interius, fœdita ac summe venenosa, qui-

quibusdam neruulis pariter conglobata, quorum vene-
num summe est mortiferum, contra quod nullum reme-
dium inuenitur, *vt dicit Plinius*. Contingit autem, *vt dicit
idem*, ouum aspidis aliquando ab alio venenoso, vt à rubi-
ta inueniri, & ab eo foueri, & ex tali fomento vermem pro-
creari, qui visu & flatu perimit more basilisci siue reguli
omne viuum. Malitiam vermis taliter procreati, prim-
sentit vermis, qui eum fouet. Nam in primo eius ortu
quando se fouentem aspicit, patrem se generantem inter-
imit & occidit, *vt dicit idem. Et hanc proprietatem videtur
tangere Isaac 49. ca. vbi dicit* quod qui comederit oua aspi-
dum, morietur, & quod confotum est ex ouis & nutritum
erumpit in regulum. *Vbi dicit glossa, ex ouis aspidis genera-
tur regulus, & ex Iudeis venenosis nascetur Antichristus.*

Cap. LXXIX.

De Ouis Aranea.

OVA araneæ sunt multa & modica, liuida, paruis ma-
culis aspersa, diuisa, & ab inuicem separata, veneno-
sa, mollia & viscosa, quæ si casu aliquo fuerint perdi-
ta, aranea protinus quærit ea, & suis additamentis interio-
ribus & rostro reportat ipsa. Ex vnico autem ouo multæ &
innumerabiles araneæ generantur, ita paruulæ, quod vix
videntur, & tamen statim, quando ouum exeunt, telas te-
xere incipiunt, ita subtiliter quod naturæ ingeniositas pa-
riter & virtus possunt merito in tam paruo opusculo ad-
mirari, *quære supra de aranea lib.* 18.

Cap. LXXX.

De Ouis Aquilæ.

OVA aquilæ sicut & accipitris, sunt pauca, quia nisi ra-
ro ternarium numerum non excedunt, & sæpe aqui-
la eiicit tertium de nido, quia difficulter cubat super
oua, *vt dicit Arist. lib.* 15. In nido autem suo collocat quan-
dam gemmam cum ouis suis, quam putant magi valere
contra tonitruum, & ideo dicunt aquilam lapidem
ponere cum ouis, ne à tonitruo corrumpan-
tur, *vt dicit Plin.*

Cap. LXXXI.

De Ouis Anserum.

ANserina oua magna sunt, & dura ad digerendum, & difficilius cubātur, & tardius complentur, qusm oua [ga]llinarum.

Cap. LXXXII.

De Ouis anatum.

ANatina oua, ouis gallinaciis sunt maiora, sed nō sunt ita sapida, nec ita bene nutribilia sicut oua gallinarū.

Cap. LXXXIII.

De Ouis Alaudarum.

OVA autem alaudę sunt modica, colore varia, cubantur super gleba, & ibi deuorantur sæpius à reptilibus & mustelis.

Cap. LXXXIIII.

De Ouis bubonum.

OVA bubonis sunt parua & maculosa, fragilis testæ, insipida, multum habentia de albumine & minus de vitello. Venantur autem de die monedulæ oua bu[b]onis & comedunt ipsa, & ipse de nocte comedit oua monedulæ: & ideo continue pugnant inuicem pro ouis suis, [v]t dicit Aristo. lib. 8.

Cap. LXXXV.

De Ouis coruorum.

OVA corui *vt dicit Aristo. lib. 6.* sunt multa, & cubantur solum á fœmina, & masculus interim defert ei cibum [&] eiicit aliqua propter multitudinem. Ouat autem cor[u]us & pullificat in mediis æstus feruoribus, contra natu[r]am aliarum auium. *Vnde Petronius:*

Coruus maturis frugibus oua defert.

Cap. LXXXVI.

De Ouis Cygnorum.

OVA cygni sunt multa & magna, oblonga, duræ testæ, non multum grati saporis & grauis odoris, sunt duræ digestionis magis quam oua anseris.

Cap. LXXXVII.

Ee Ouis Crocodilorum.

OVA Crocodili sunt maiora ouis anseris, & fouentu in terra vicissim, nunc á masculo nunc a fœmina, vt *dicit Plin.libr.* 8. Sunt autem oua illa venenosa, & interiu quasi saniosa, olfactui & gustui horribilia, & ad comeden dum mortifera.

Cap. LXXXVIII.

De Ouis Columbarum.

OVa columbæ sunt minora quã gallinæ alba, rotunda aliquantulum oblonga, sapida, calida, & bene nutri bilia. Sunt autẽ oua colũbæ duo, & ex vno generatur ma culus, & alio fœmina, & masculus cubat super ea de nocte & fœmina de die, *vt dicit Arist.lib.6.* Multoties autem o uant in anno, quia decies & maxime in calidis regionibus vt in Ægypto, *quare supra libr.*12.

Cap. LXXXIX.

De Ouis colubrorum.

OVA colubri sunt multa, sicut & aliorum serpentũm valde rotunda, subalbida vel humida, mollia, saniosa coniuncta, & mortifera, & venenosa.

Cap. XC.

De Ouis Draconum.

OVA Draconis sunt maxima, maiora longitudine quã oua crocodili vel struthionis, *vt dicit Plin.* Est autem animal ouans interius sed nõ exterius, sed intus complen- tur & formantur fœtus. Vnde Draconum oua sunt pauci ora, quam aliorum reptilium: sed sunt maiora, sanguino- lenta & saniosa, virulenta, mortifera & venenosa.

Cap. XCI.

De Ouis herodiorum.

OVA herodii sunt parua, varia, oblonga, sicut oua ac- cipitris siue nisi, & sunt pauca, quia omnis auis curui vnguis est fortis volatus, & paucæ humiditatis & superflui- tatis, & ideo paucorum ouorum, *vt dicit Aristo. lib.*17.

Cap. XCII.

De Ouis formicarum.

OVA formicarũ sunt valde paruula, albida & rotunda, quæ extra corpus paulatim recipiunt in locis calidis muscidis incrementa, quousque plenarie compleantur: quæ si aliquo casu mota fuerint, de suo nido vel dispersa, à formicis recolliguntur, & ad suos nidos referuntur. Odorifera sunt & medicinalia, *vt dicit Plin.* Vnde & vrsi sibi medentur comestis ouis formicarum *vt dicit Plin.*

Cap. XCIII.

De Ouis Gruum.

OVA gruis mediocriter sunt magna, pallida, dura & insipida, grauis odoris, & ingrati saporis, duræ digestionis.

Cap. XCIIII.

De Ouis Gryphonum.

OVA Gryphis ouis aquilæ sunt maiora, duriora, sapore & odore grauiora, qualitate sunt calidiora & ficciora, & etiam numero pauciora, quia vltra duo nunquam parit, quia valde est difficilis cubationis, *vt dicit Aristo.*

Cap. XCV.

De Ouis Gallinarum.

OVA gallinarum sunt cæteris temperatiora, nutrimento hominis conuenientiora, *vt supra dictum est.* Oua tamen venti sunt insipida & illaudabilia nutrimẽto. *De hoc quære supra cap. & lib.*12..

Cap. XCVI.

De Ouis Hirundinum.

OVA hirundinum sunt plura. Nam *vt dicit Arist.* aues parui corporis multæ sunt ouationis, *vt dicit Aristo.* Nulla autem auis carnẽ comedens ouat bis in anno præter hirundinem, quæ ouat bis, & aliquando bis pullificat. Oua autem prima aliquando corrumpuntur propter hyemem, posteriora vero complentur, *vt dicit Aristo.*

Cap. XCVII.

De Ouis Cancrorum.

OVA cancrorum primo generantur infra corticem & ventrem inter caudam & dorsum intrinsecus, deinde emis-

emittuntur exterius, & sub cauda recolliguntur, & ibi tur gescunt & rotundantur, & crescunt donec compleantu Pereunt autem quando semine masculi non perfundun tur, *vt dicit Aristo.*

Cap. CXVIII.

De Ouis Locustarum.

OVA locustarum intus generantur, & sunt plura & mi nutissima, quæ effusa super frondes & gramina i aere corrupto calido & humido, in infinitum aliquand multiplicantur.

Cap. XCIX.

De Ouis lacertarum.

OVA lacertarũ sunt similia ouis serpẽtum. Sed sunt mi nora, viscosiora, & sunt venenosa, sed minus quan serpentum, *vt dicit Plin.*

Cap. C.

De Ouis milui.

OVA milui sunt pauca, parua, crocea, & maculis re spersa, ouis cæteris auium syluestriũ magis terrestri atq; sicca, sapore insipidissima, in odore grauiora.

Cap. CI.

De Ouis merguli.

OVA merguli sunt parua, multa, calida, varia tamen & alba, parum differentia ab ouis anatum stagnorum & fluuiorum.

Cap. CII.

De Ouis Nisi.

OVA nisi sunt paruula, varia, calida & sicca, & quando que parit nisus oua venti, quando nimis impingua tur.

Cap. CIII.

De Ouis Coturnicum.

OVA coturnicis sunt similia ouis corui, & dicitur quo valent epilepticis & caducis, *vt dicit Plin.*

Cap. CIII.

De Ouis Onocrotalorum.

OVA onocrotali sunt similia ouis anseris, sed minor sunt & insipidiora, & in odore grauiora, & in color minus alba & ad digerendum duriora.

CAP

Cap. CV.

De Ouis Pauonum.

OVA pauonis sunt grossa & duræ testæ & 30. diebus cubat super oua sua, & tunc scinduntur, & ponit, 12. oua & parum minus, & abscondit oua sua fœmina propter masculum, qui si inuenerit ea frangit, *Vt dicit Aristo.*

Cap. CVI.

De Ouis perdicis.

OVA perdicis sunt similia ouis columbæ in temperamento & in complexione, & in magnitudine & furatur alter alteri oua sua. Sed hæc fraus fructum non habet, quia cum pulli vocē audierint proprię genitricis, matrem, quæ eos fouerat, derelinquunt & ad eam, quæ eius genuit, reuertuntur, *Vt dicit Isid.*

Cap. CVII.

De Ouis passerum.

OVA passeris sunt valde parua & minuta & bis in anno ouat & pullificat, præcipue quando prima oua corrumpuntur, vel casu aliquo amittunt. Sunt autem calidissima, renum inflatiua, & libidinis excitatiua, sicut & eorum cerebella, *Vt dicit Constan.*

Cap. CVIII.

De Ouis Quiscula.

OVA quisculæ sunt parua & rotunda, minora quam perdicis & maiora quam alaudæ. Et est quiscula auis modica á sono vicis sic dicta, carnosa, pennosa, minoris volatus quam alauda, & nidificat sub gleba sicut alauda, & eius ouis insidiatur mustela, & ideo ponit oua in diuersis locis, & super quædam cubat másculus: & super quædam fœmina, sed post eductionem pullorum de eis parum solicitantur.

Cap. CIX.

De Ouis Rinatricis.

OVA rinatricis, i. e. cuiusdam serpentis venenosi aquas inficientis, sunt sicut oua colubri. Sed minora, & in maculis respersiora, & sunt viruléntiora & perniciosiora.

ra. Rinatrix autem fouens oua iuxta aquam vel fontem veneno eas inficit & corrumpit. *De quo Luc.*

Rinatrix violator aquæ, &c.

Quære 12. *lib. Isidor.*

Cap. CX.

De Ouis Struthionum.

Ova struthionis sunt maxima, rotunda, valde alba, duræ testæ, insipidi saporis, & grauis odoris, quando autem venit hora, vt oua pariat, ad stellas Pleiades oculos leuat, non enim oua ponit, nisi in ortu illius constellationis. Vnde visa stella circa mensem Iulii arenam fodit, vbi ponit oua sub sabulo tegens ea, & cum ea reliquerit statim obliuiscitur, vbi ea posuit, nec ad ea redit vltra, sed calor Solis in arena illa excoquit, & ex eis pulliculos procreat & producit: si tamen fracta testa pullus edoctus fuerit, mater ipsum recognoscit, & quem in ouo cõtempserat, egressum recolligit atque nutrit. Oua autem struthionis in Ecclesiis suspenduntur ad ornatum, propter eorũ magnitudinem & raritatem.

Cap. CXI.

De Ouis Turturum.

Ova turturis simillima sunt ouis columbarum, sed aliquantulum minora, & ouat in vere duo oua, & non plus ouat, nisi oua prima corrumpantur, *vt dicit Aristot. lib.* 17. Ouat & cubat super dura ligna, vt columba, & potest cubare & ouare vsque ad 15. annos, *vt dicit Aristot.*

Cap. CXII.

De Ouis Vpuparum.

Ova vpupæ sunt sicut oua perdicis, sed minora & duriora, & aspectui deformiora, & gustui insipidiora, & odoratui grauiora. Inter stercora & immunda fouentur & cubantur, & hæc oua Magis & maleficis, *vt dicunt*, sunt vtilia ad sua maleficia exercenda, *vt dicit Plin. lib.* 19.

CAP

Cap. CXIII.

De Ouis Vulturum.

OVa vulturis sunt magna, sicut aquilæ, & pauca, quæ difficiliter cubat super oua sua. Sunt autem subnigra maculis respersa, duræ testæ, mali odoris & ingrati saporis, & aliquando eiicit aliqua de ouis suis sicut aquila, quia nō de facili potest nutrire pullos suos, *Vt dicit Aristot.* Hæc de ouis, & de modo ouationis, & eorum qualitatibus & differentiis dicta iam sufficiant.

Cap. CXIV.

De Numero, pondere & mensura, & primo de Vnitate.

Ad prędictas proprietates rebus insertas, vltimo visum est mihi vtile, inserere quædam pauca & leuia de proprietatibus & differentiis numerorum, mensurarum, ponderum & sonorum. Nam, *Vt dicit Isid. lib. 3.* Ratio numerorum non est contemnenda. In multis enim sacræ scripturæ locis elucet, quantum mysterium obtinet ratio numerorum. Non enim frustra dictum est: *Omnia fecisti in numero, pondere & mensura, sicut dic. Sapien. cap.* 11. Nam senarius qui ex suis partibus est perfectus, mundi perfectionem designat. Et sic de aliis numeris est intelligendum. Nihil enim scire possumus sine numeri disciplina, quia per eam horas temporum discernimus, quando de mensium circulo disputamus, dum spacium anni redeuntis agnoscimus, per numerum siquidem instruimur ne in computis confundamur. Tolle, inquit, numerum in rebus, & omnia pereunt. Adime computum, & totum ignorantia complectitur. Nec differunt homines à cæteris animalib, qui rationem calculi & computationis ignorant, *Vt dic. Isido. ibid.* Idem etiam sentiendum de principio Arithmeticæ, quia nunquam scietur quid sit triangulus sine ternario, nec quadrangulus sine quaternario. Et sic de aliis. Vnde notum est, quod sine cognitione numeri nulla scientia mathematica possidetur, *Vt ibidem dic.* Numerus autem, *Vt dicit idem*, est multitudo ex vnitatibus aggregata. Nam vnitas radix est & semen numeri siue mater, non proles siue

numerus, quia vnitas ingenita est, non habens numerum à quo exeat, sed omnium numerorum est origo, à quo omnis numerus effluit & emanat. Nam vnum est radix multitudinis & multiplicationis, & est simplicius & sublimius & virtuosius omnium sub eo contentorum, *Vt dicit Arist. & Auic. 1. lib. cap. 2.* Nam cum vnum sit radix & origo multitudinis, omnia sub se continet, & omnia sunt in eo, vt in suscipiente, *Vt dic. idem cap. 34.* Nam vnitatis proprietas est multitudinem efficere & illam retinere, & ei esse dare, ac in omnibus eius partibus existere & continere simpliciter, *Vt dicitur lib. 4. cap. 2.* Item cum omnium rerum vnitas sit origo, quanto plus res appropinquat vnitati, tanto plus appropinquat veritati, *Vt dicit idem cap. 2.* Nam vnitas se habet ad modum formæ, dualitas autem per modum materiæ. Et ideo quanto res plus accedit ad vnitatem, tanto plus recedit à duplicitate, & appropinquat ad simplicitatem, & quanto plus accedit ad vnitatem, tanto plus ad entitatem, quia esse non est prius vnitate, *Vt dic. lib. 2. cap. 9.* Nec diuersificatur vnitas nisi propter materiã, cum sit sustentatrix omnium & retentrix, *Vt dic. lib. 5. cap. 31.* Tanta enim laus vnitatis est apud sapientes, quod a multis anima dicebatur esse vnitas in numeris procedens ab vnitate, & dixerunt, quod vnitas est principium cuiuslibet continui & discreti, *Vt dicit Auic. lib. 2. cap. 1.* Est itaque vnitas commendabilis, quia a nullo numerabili oritur, sed a seipsa principiatur, a qua omnis numerus oritur, ad quã omnis numerositas, tanquam ad radicem propriam & originem reuocatur, *Vt dicit idem.* Item ratione simplicitatis, quia vnum est quod non diuiditur, *Vt dicit idem cap. 3.* Verissime, inquit, vnum est, quod nec actu diuiditur nec intellectu, & talis vnitas est principium numeri, *Vt dicit idem ibi. Item dicit idem*: Vnitas est, in qua non est multitudo, quod vtique intelligitur de vnitate prima & simplici, ad quam omnia quantumcunque disparia reducuntur. Nam vnum multipliciter dicitur, vt post patebit. Item ratione perfectibilitatis, nam particularia quælibet in se perfecta sunt, quando ad vnitatem sunt redacta. Nam totalitas & perfectio debetur vni, *Vt dic. Arist. 5. physic. c. 4.* quia perfectum sufficit ad esse vnum, *Vt dic. in lib. de cœlo & mundo cap. 2.* Item ratione singularis dignitatis. Vnum enim per se est

aliquid exstans solitarium, *vt dicitur in lib. meteor. cap.* 16. *Et ideo Algazel dicit super* 3. *meteor. cap.* 15. quod causa vnitatis est vnum essentialiter & primo & magis dignum. Est autem vnum siue vnitas multiplex, *vt dicit Alga.* est vnum simplex, & vnum est secundum quid. Vnum simplex dicitur vnum, in quo non cadit multitudo nec actu nec potentia, vt punctus & vnitas. Vnum simplex est in quo non est actu multitudo, quamuis sit potentia, vt lectus & membrum, in quo non est multitudo actu. Vnum autem secundum quid, dicitur multipliciter, scil. vnum genere, vt homo & bos; vnum specie, vt sortes & Plato: vnum accidente, vt nix & cerussa: vnum proportione, vt auriga & nauta: & vnum in subiecto, vt dulce & album in aliqua substantia vna. *Aristot. autem* 1. *Physic. cap.* 5. *dicit*, quod est vnum accidente, vt duo accidentia in vno subiecto, & est vnum per se multipliciter, vt vnum in continuatione, quorum terminus vnus, & vnum specie vel forma, vt sortes & Plato in homine. Vnum genere vt homo & bos, in animali, & vnum in diffinitione, vt illa, quorum vna est diffinitio, & vnum indiuisibilitate, vt punctus, & vnum numero vt singulare, & vnum simplicitate vt essentia, & vnum totalitate siue perfectione, vt circulus, & vnum materia, vt omnia corporalia. *Bernhardus autem distinguit* 9. *modos vnitatis ad Eugen.* 5. est enim vnitas naturalis & gratuita, & est super vtrunque constituta. Vnitas autem naturalis est in quadruplici differentia: quædam est per aggregationē rerum, differentium & distinctarum vnitas collectiua, vt multi lapides faciunt vnum aceruum: & quædam est per colligationem partium formaliter differentium siue partium heterogeniarum, & est vnitas constitutiua, vt multa membra vnum corpus: & quædam per coniunctionem differentium sexu in generatione prolis, & sic est vnitas coniugatiua, quando scil. vir & mulier sunt duo in carne vna: & quædam est per vnionem naturarum differentium conuenientium in vnitatem personalem, & hæc est vnitas natiua, qua anima & caro sunt homo vnus. Vnitas autem gratuita similiter quatuor habet differentias, quarum prima est potestatiua, qua homo virtuosus stabilitur in se, & inuenitur animo indiuisus. Secunda est consentanea, vt per charitatem multorum in domino est anima vna &

corpus vnum. Tertia est votiua, quando anima cum Deo habet per omnia conformitatem, & votis eius adhærens, vnus spiritus est cum eo. Quarta dignatiua, qua limus noster à Dei Verbo est assumptus ad personæ diuinæ vnitatē. Vnitas supernaturalis & gratuita consubstantiata est vnitas Trinitatis, quam quidem vnitatem oportet esse solam & singularem, vt in ea sit status & quies omnium vnitatum. Ex prædictis patet quod totalitas & perfectio debetur vnitati, *vt vult Arist. 5. Physicor.* Quod enim totum, id est, perfectum non est, non dicitur vnum vniuersaliter, *vt dicit idem.* Sunt autem vnum numero, quorum materia est vna, sed forma sunt vnum, quorum vltima perfectio est vna & totalis. Vnum genere, quorum forma prædicamenti est vna. Vnitas autem quæ est principium numerorum, non est vna materia, sed numero, *vt dicit Aristo. ibidem.* Et est res simplicissima, quæ primo subsistit, & per illam omnes aliæ. In omnibus generibus vnum est principium, quod est in illis particulare, vt in coloribus est albedo, & in melodiis pneumatibus tonus siue sonus, &c. *vt dicitur 10. lib. met. cap. 3.* & ideo vnitas numeralis à qua oritur & ad quam resoluitur omnis numerus, diuinæ vnitatis est expressiua similitudo & figura. Nam *vt dicitur. 4. met. cap. 3.* primum in genere substantię & indiuisibile est motor primus æternus scil. Deus absolutus ab omni materia, qui non solum est principium primū tanquam motor, sed tanquam forma & finis, & actus vltimus ei non admiscetur potentia omnino, &c. Vnde ab ipso Deo vno in substantia procedit omnis creatura effectiue & exemplariter, sicut sub vnitate procedit omnis numerus originaliter, & ad ipsum velut ad finem omnia referuntur, sicut ad vnitatem primam omnes numeri resoluuntur, vt idem sit finis omnium qui est principium, Deus qui est benedictus in secula seculorum.

Cap. CXV.

De binario.

AD vnitatem autem addita vnitate, dualitas procreatur, quæ post vnitatem omnium numerorum præcipuum & secundarium tenet locum, *secundum Isidor.* Et hic numerus qui binarius dicitur, ab aliquibus infamis dicitur

dicitur, quia ab vnitate per binarium separamur: vnde nota dicitur esse diuisionis, *sed vt dicit Augustin. in 6. musica.* Si vituperabilis est, primo recedit, laudabilis est, quia ab vnitate exiens ternario approximat & accedit.

CAP. CXVI.

De Ternario.

TErnarius est numerus ex vnitatis additione ad binarium generatus, & est ternarius inter numeros sacratissimus, quia in ipso totius Trinitatis vestigium inuenitur, quia sicut prima vnitas primi principii repræsentat vnitatem, sic ternarius personarum in Deo exprimit Trinitatem, filii scilicet à patre generationem, & Spiritus sancti à Patre per filium processionabilitatem. In ternario siquidem adhibuit Aristoteles, magnificare Deum sublimem & gloriosum, *vt dicitur in libro de cælo & mundo capite 2.* nam beatam Trinitatem clamat & prædicat quælibet creatura, quæ facta est à Deo trino & vno in numero, pondere & mensura, *vt dicitur libro Sap.* 11.

CAP. CXVII.

De numero quaternario.

EX additione vnitatis ad ternarium, quaternarius surgit, qui & à figura quadrata nomen sumpsit, *vt dicit Isidorus*, forma autem quadrangula maxime est atque firma, & ideo maxime stabilitatem signat vniuersalis Ecclesiæ, & firmitatem fidelis animæ tam in virtute quam in scientia & doctrina, quæ comprehendit cum omnibus Sanctis, quæ sit longitudo, latitudo, sublimitas & profunditas.

CAP. CXVIII.

De numero quinario.

EX additione autem vnitatis ad quaternarium surgit secundus numerus impar, scilicet quinarius, qui inter impares in binario distans à ternario est secundus, & illos ideo sæpe designat, qui ad Trinitatis fidem, doctrinam & scientiam superaddunt, & tamen quamuis instructi sint per fidem & per legem, nihilominus tamen quinque fa-

tuis virginibus, & quinque iuga boum ementibus comparantur, quia in quinq; carnalium sensuum voluptatibus adhuc detinentur.

Cap. CXIX.

De Senario.

EX additione quoque vnitatis ad quinarium crescit senarius, qui primus numerus est perfectus, qui ex partibus suis aliquoties simul aggregatis reddit eandem summam, quod in monadibus numeris non inuenitur, nisi in senario, nec in decadibus, nisi in 28. *& ideo dicit Boetius lib.* 1.*capit.*18. quod senarius est numerus æmulator virtutis, quia nec superflue progreditur nec diminute remittitur, sed inter æquales partes tenet medium, non habens superfluum neque diminutum. Nam senarius continet in se partem sui mediam, scilicet ternarium, & tertiam, scilic. binarium, & sextam, scilicet vnitatem. Sex autem vnitates faciunt senarium, & duo ternarii senarium, & tres binarii eundem reddunt numerum, & ideo iste numerus perfectionem gratiæ & virtutum signat in scriptura.

Cap. CXX.

De Septenario.

SEptenarius quidem, qui ex additione vnitatis ad senarium & inter impares est tertius, supercrescentiam gratiæ designat septiformis, quæ semper crescit, & perficit in tenentibus fidem Beatissimæ Trinitatis.

Cap. CXXI.

De Octonario.

OCtonarius autem qui crescit per additionem vnitatis ad septenarium, componitur ex duabus partib: æqualibus, scilicet ex duabus quaternariis vel ex duobus imparibus inæqualibus, scilicet ex quinario & ternario, signat superadditionem beatitudinis & gloriæ in patria, quæ succedit illis, qui habuerunt septiformem gratiam hac in via, vbi paritati meritorum respondebit paritas præmiorum & imparitati tormentorum & afflictionum imparitas gaudiorum & particularium consolationum. Nam gaudium

dium Martyrum aliis paribus excedet gaudium confessorum, & virginum coniugatorum, vt stella differt â stella in claritate, 1. *Corinth.* 15. & ideo propter inæqualia merita & gaudia, diuersæ & dispares dicuntur in domo patris luminum mansiones. *Iohannis* 15.

CAP. CXXII.

De Nouenario.

NOuenarius autem qui crescit per additionem vnitatis ad octonarium, & componitur ex triplici ternario, & immediatius se habet cum denario solum in vnitate differens ab eo, statum & gloriam repræsentat triplicis hierarchiæ Angelorum, quarum quęlibet conuenientiam habet & conformitatem cum sancta Trinitate, & immediatius se habent ad Deum cæteris creaturis.

CAP. CXXIII.

De Denario.

DEnarius autem qui per superexcrescentiam vnitatis excedit nouenarium, est limes & terminus omnium simplicium numerorum. Primum autem omnium compositorum repræsentat merito ipsum Christum Deum, qui est alpha & O, finis scilicet & principium, non solum creaturarum principium simplicium, verum felicitas & beatificatio est Hominum & Angelorum. Denarius itaque numerus est primus limes numeralis, sine cuius additione vel replicatione vlterius numerus non ascendit, qui decies in se ductus numerum reddit perfectum, scilicet centenarium, qui de leua transit in dextram, *Vt dicit Beda.* Ex iam dictis patet, quod numerorum alius est digitus, alius articulus, alius compositus. Digitus continet numeros simplices ab vno vsque ad decem. Articulus continet x. & reliquos denarios. Compositus amplectitur digitum & articulum, vt xj. xij. xiij. & sic de aliis, vsque ad xx. qui est secundus articulus sic, xxx. & xl. & sic de aliis, vsque ad centum, & decies centum reddunt M. In quo patet dignitas denarii, sine cuius replicatione ad millenarium non peruenitur. Recipit autem numerus quantitatem, & aceruus

ex vnitatibus profusus multiplicem diuisionem. Numerorum alius par, alius impar. Numerus par est, qui in duas partes æquales diuidi potest, vt ij. iiij. vj. viij. Impar numerus est qui æquis partib. diuidi nõ potest, vno vel deficiente vel superabundante, vt iij. v. vij. & reliqui, *vt dicit Isido.* Par autem numerus sic diuiditur, quia alius est pariter par, alius pariter impar, alius impariter par, & impariter impar. Pariter par numerus est, qui secundũ parem numerũ pariter diuiditur, quousq; ad indiuisibilẽ perueniat vnitatem. Verbi gratia, xliij. habet medietatem xxij. hic autem xvj. & iste viij. octo autem iiij. & hic binarum, scilicet ij. binarius autem vnitatem habet quæ indiuisibilis & singularis est. Pariter impar est numerus, qui in æquas partes recipit diuisionem, sed partes eius remanent indiuisibiles, vt vj. x. xiiij. xviij. xxx. l. mox enim vt tales numeros diuiseris, incurres numerum, quem diuidere non poteris in æquas partes. Impariter par numerus est cuius partes æqualiter diuidi possunt, sed vsque ad vnitatem non pertingunt, vt xxiiij. hi immediate diuisi, xij. faciunt, rursus in aliam medietatem, vj. deinde in aliam medietatem iij. sed vlterius cessat diuisio, & inuenitur terminus indiuisibilis ante vnitatem. Impariter impar est qui ab impari numero impariter numeratur, vt xxv. & xlix. qui diuisi, vt impares numeri ab imparibus & paribus diuiduntur, vt septies, vij. faciunt xlix. & quinquies v. xxv. Item parium numerorum alii dicuntur superflui, alii diminuti. Superflui sunt, quorum partes simul ductæ, plenitudinem suam excedunt, vtputa duodenarius, habet enim partes quinque, duodecimã quod est vnum, sextam duo, quartã quod tria, tertiam quod quatuor, dimidiam quod sex, vnum enim duo & tres & quatuor & sex simul ducta, xvj faciunt & longe duodenarium excedunt, sicut & aliis similes plurimi.

Cap. CXXIV.

De Numero diminuto.

Diminuti sunt numeri qui partibus suis computatis minorem summam efficiunt, vtputa denarius cuius partes sunt tres, decima quod est vnum, quinta quod est duo, dimidia quod est quinque, vnum enim & duo & quin-

quinque simul ducta, octonarium faciunt, denario longe minorem. Similis his est octonarius & alii plurimi, qui in partes redacti infra consistunt. Perfectus numerus qui suis partibus adimpletur, vt senarius habet tres partes, scil. sextam, tertiam & dimidiam, sex enim sunt vna tertia, ij. & dimidia, scilicet tres, & hæ partes in summam ductæ, scil. i. ij. & iij. senarium perficiunt & consummant. Sunt autem perfecti numeri intra denarium sex, infra centenarium, xxviij. infra millenarium, cxxviij. & infra x. M. cccc. xcvj. & hi numeri perfecti semper in vj. vel in viij. terminantur, & hoc alternatim, *Vt dicit Boetius*. Perfectos autem numeros raro inuenies de facili numerabiles, quia *Vt dicit idem*, pauci sunt nimis constanti ordine procreati, superflui autem & diminuti sunt multi, & inordinate dispositi & nullo certo fine generati. Impares autem numeri sic diuiduntur. Alii sunt simplices, alii compositi, alii mediocres. Simplices sunt, qui nullam aliam partem habent, nisi solam vnitatem, vt ternarius solam tertiam, & quinarius solam quintam, & septenarius solam septimam, his enim vna pars sola est. Et compositi sunt qui non sola vnitate metiuntur, sed etiam alieno numero procreantur, vt ix. & xv. & xxi. & xxv. Dicimus enim ter trini, & septies trini, & ter quini, & quinquies quini. Mediocres numeri qui quodammodo simplices & incompositi esse videntur. Alii vero modo compositi, vt verbi gratia ix. xxv. Nouenarius enim dum non comparatus fuerit, primus est & incompositus, quia non habet numerum communem, nisi solum monadicum. Ad xv. vero comparatus, secundus est & incompositus, quia in illis communis est numerus, præter monadicum, id est, ternarius numerus, qui nouenarium consumant, vt ter trini, xv. & ter quini.

Cap. CXXV.

De Secunda diuisione totius numeri.

ALio modo diuiduntur numeri, quia omnis numerus aut consideratur per se, aut ad alium, per se est numerus, qui sine relatione aliqua dicitur, vt iij. iiij. v. vj. & consimiles. Ad aliud est numerus, qui relatione ad alios comparatur, verbi gratia, iiij. ad ij. dum enim quaternarius ad binarium comparatus fuerit duplex dicitur & multiplex,

ſimiliter vj. ad iij. & viij. ad iiij. & x. ad v. Iterum tres ad vnum triplex, ſex ad duo, & nouem ad tria. Æquales autem numeri dicuntur, qui ſecundum quantitatem ſunt æquales, vt ij. ad ij. & iij. ad iiij. & x. ad x. c. ad c. Inæquales, qui ad inuicem inæqualitatem demonſtrant, vt iij, ad duo, & iiij. ad iij, &c. & vniuerſaliter quando maior minori & minor maiori comparatur, dicitur inæqualis. Maior numerus eſt, qui habet in ſe illum minorem numerum, ad quem comparatur, & parum plus vt quinarius habet in ſe ternarium numerum, & eius alias partes duas, & ſic de aliis. Minor numerus eſt, qui continetur à maiore ad quem comparatur cum aliqua parte ſua, vt ternarius ad quinarium continetur ab eo cum duabus partibus ſuis. Multiplex numerus eſt, qui habet in ſe minorem numerum, bis aut ter aut quater aut multipliciter, vt duo ad vnum, dum comparati fuerint dupliciter eſt, tres ad vnum tripliciter, quatuor ad quadrupliciter, & ſic de aliis. Econtra ſub multiplex numerus eſt qui intra multiplicem numerum multipliciter, continetur, vt vnus à duobus bis continetur, à tribus ter, à quatuor quater, à quinque quinquies, & ſic de aliis. Superparticularis numerus eſt dum fortior continet in ſe inferiorem numerum, ad quẽ comparatur ſimiliter & vnam partem eius. Vt verbi gratia, ternarius ad binarium comparatus cõtinet in ſe duo, & alium vnum qui eſt media pars duorum, ſimiliter quatuor ad tres comparati continent in ſe tres & alium vnum, qui eſt tertia pars trium, ſic quinque ad quatuor, continent quaternarium, & alium vnum qui eſt quarta pars quaternarii, & ſic de aliis. Superpartiens numerus eſt, qui inferiorem numerum totum continet, & ſuper hoc alteras eius partes duas aut tres, aut quatuor, aut quinque, aut alias, verbi gratia, quinque comparati ad tria, habet quinarius ternarium & ſuper hoc duas partes eius, ſcilicet duo. Sex ad quatuor comparati habent in ſe iiij. & alias partes eius, ſcilicet duo. Similiter ix. ad quinque comparati, habent in ſe quinque, & alias eius partes, ſcilicet iiij. Subſuperpartiens numerus eſt, qui continetur ſub numero ſuperpartienti cum aliquibus partibus ſuis duabus, aut tribus aut pluribus ſuis, vt verbi gratia, tria continentur à quinque cum aliis duabus partibus ſuis, & quinque à ix. cum aliis parti-

partibus suis, & sic de aliis. Subsuperparticularis numerus est qui continetur in inferiori numero cum aliqua parte sua, vt media, aut tertia, aut quarta, aut quinta. Verbi gratia, duo ad tria, tria ad quatuor, & quatuor ad quinque, & sic de aliis. Multiplex subparticularis numerus est qui comparatus ad inferiorem numerum continet in se totum inferiorem numerum multipliciter cum aliqua parte eius. Verbi gratia, quinarius comparatus per binarium, in se continet bis binos, id est, quatuor & vnam partem eius. Et ix. comparati ad quatuor, continent in se duos quaternarios & vnitatem quæ nouenarii est pars vna. Submultiplex superparticularis numerus est, qui comparatus ad inferiorem sibi numerum, continet eum multipliciter cum aliis partibus eius, vt octonarius comparatus ad ternarium, continet in se bis tantum cum aliis partibus eius. Similiter xiiij. ad xij. comparati continent in se bis senos, scilicet xij. cum aliis partibus eius. Sic xvij. ad vij. sic xxij. ad ix. continent in se bis nouem cum aliis tribus partibus suis. Submultiplex superpartiens numerus est, qui ad fortiorem sibi comparatus continetur ab eo multipliciter, cum aliquibus partibus suis, vt tria comparata ad octo, continentur bis cum duabus partibus suis. Similiter quatuor ad xj. comparati, continentur bis cum tribus partibus suis, *vt dicit Isidor.*

Cap. CXXVI.

De Tertia diuisione totius numeri.

TErtio modo diuiduntur numeri *secundum Isido.* Numeri aut sunt discreti aut continentes. Discretus numerus est, qui discretis monadibus continetur, vt verbi gratia. iij. iiij. v. vj. &c. Cōtinens vero numerus est, qui coniunctis monadibus continetur, vt ternarius numerus in magnitudine intelligatur. Et diuiditur hic numerus in linealem, in superficialem & in solidum. Est autem linealis, qui incipiens à monade, linealiter scribitur vsq; ad infinitum. Vnde alpha describitur pro designatione linearum, quia hæc litera vnitatem signat apud Græcos. a. Superficialis numerus est ita, qui non solum in longitudine, sed in latitudine continetur, vt trigonus, tetragonus seu

quadra-

quadragonus, pẽtagonus vel circularis, & cæteri qui semper in plano pede, id est, in superficie continentur. Et ideo figuræ sunt hic ponendæ pro exemplo, nam trigonus numerus taliter ordinatur 3. Quadratus vero numerus est ita 4 & tetragonus dicitur. Pentagonus siue quinquangulus est ita 5. circularis numerus est ita o. Sphæricus vero numerus est & circularis qñ circulato numero à se multiplicato surgit, & in se conuertitur. Verbi gratia, quinquies quini quinquies, hic circulus dum in seipsum multiplicatus fuerit, in seipsum circulariter redit, & sphærã facit quia quinquies. xxv. faciunt generaliter. cxxv. Solidus vero numerus est qui longitudine, altitudine, latitudine cõtinetur. Naturam numeralem & numerorum multiplicem diuisionem simplicibus proposui simpliciter intuendam, *prout patet in verbis beati Isid. cuius verba per omnia sum secutus.* Ex quibus patet manifeste quod sub numerorum diuersitate diuersimode latent mysteria diuersarum intelligẽtiarum in canone scripturæ diuinitus aspiratæ, *& ideo dicit Boe. lib. 1. cap.* 1. scientia numerorum maxime est inter mathematicas scientias à sapientib. attendenda, qa de omnib. natura existẽtibus de quib. habet disserere philosophia prȩualet prȩ omnibus arithmetica disciplina, quia sine numero nec litera literæ coniungitur, nec syllaba syllabæ recto ordine copulatur. Sic nec subiectum à prȩdicabili discernitur, nec à conclusione in syllogisticis inter prima media & vltima distinguit, vbi primi, secũdi & vltimi siue tertii ratio non habetur, *& ideo vt dicit Boe.* omnes scientias præcedit scientia numeralis, quia sine ternario non subsistit triangulus, nec sine quaternario tetragonus siue quadrangulus & sic de cæteris. Sic etiam in Musicis est videre, quia Musica est modulatio numerorum nominibus annotata *vt dicit idem Boe.* vt patet in diatesseron, in diapente & diapason, & in aliis consonantiis musicis, quæ sine numero prȩcedente non denominantur, sicut nec astrorum cursus, nec ortus siderum vel occasus, nec temporum nobis pateret varietas vel successus, si nõ numerali adiutorio regeremur. Omnia etiam creata ratione numerali sunt formata, *vt dicit idem.* Et etiam rationis numeralis fuit exemplaritas in animo cõditoris. Vnde sub certitudine numeri creati sunt & distincti tres trini ordines angelorum, sub septenario &

terna-

ternario distinguuntur virtutes & potentiæ omnium rationalium & spiritalium animorum. Virtute & scientia numerali colliguntur elementa, & vt ita dicã, numerorum coniunctione funguntur vniuersa tam spiritualia quam corporalia, tam cœlestia quam terrena, nec habent numeri compositionem inter se & proportionem ex aliis quam ex seipsis, *vt dicit Boe.* Nam in substantia numerorum inueniuntur par, & impar ex quibus constat omnis numerus, qui diuina quadam potentia, cum disparia sint & contraria, tamen ex vna genitura, scilicet ex monade oriuntur, & in vnam compositionem & in proportionis similitudinem sine medio coniunguntur. Vnde patet quod omnis numerus sub impari vel sub pari comprehenditur. Est autem par numerus qui potest in duo æqualia diuidi, vnitate non interueniente. Impar vero est qui non potest diuidi in duo æqualia, vnitate intercedente. Vel secundum Pythagoræ disciplinam. Par numerus est, qui potest sub eadem diuisione diuidi in minima & in maxima, minima quidẽ quantitate, id est diuisione, maxima autem spacio & magnitudine vt si diuidas. C. in L. & L. maximum spacium est. L. minima vero quantitas, id est diuisio, non enim diuisum est nisi semel, & nulla potest fieri minor diuisio quam in duas partes. Nam quanto aliquis par numerus in plures partes diuiditur, tanto magnitudo plus minuitur, vt patet in arbore secta in plures partes, sed numerus diuisionis siue quantitas multitudinis plus augetur. Cuius ratio est *vt dicit idem.* quod magnitudo potest minui & diuidi in infinitum, sed numerus crescit & progreditur in infinitum. Et ideo paris numeri diuisio est secundum magnitudinem, maxima, sed secundum quantitatem discretam minima. Impar vero numerus est, cuius numeralis diuisio est in duas partes vel particulas inæquales. Par autem numerus quandoq; diuiditur in duas partes æquales, & quãdoq; inæquales, quando vero in partes diuiditur æquales, si vna pars diuisionis est par, & reliqua erit par, vt quando. viij. diuiduntur in iiij. & iiij. & xij. in vj. & vj. & sic de aliis. Si vero vna pars diuisionis æqualis fuerit impar, & reliqua necessario erit impar, vt quando vj. diuiduntur in iij. & in iij. & decem in v. & v. & xiiij. in vij. & vij. Vnde in æquali diuisione nec paritas imparitati, nec paritati imparitas admiscetur præterquã solum in binario, qui princeps paritatis est, & non

recipit inæqualem diuisionem, quia constat ex duplici vnitate & ex prima duorum paritate. Quando vero par numerus diuiditur in partes inæquales, si vna pars diuisionis est par, & reliqua erit par, vt si diuidatur denarius in viij. & in ij. vel in vj. & in iiij. Et sic qñ. vj. diuidũtur in iiij. & in ij. & viij in vj. & in ij. &c. Et si vna pars diuisionis fuerit impar, alia pars necessario erit impar, vt si diuidatur denarius in iij & vij. Et viij. in iij. & in v. & sic de aliis. Neque vnquam fieri potest vt si vna pars diuisionis par fuerit, alia impar valeat inueniri, aut cum vna sit impar alia par possit intelligi. Impar autẽ numerus semper diuiditur per partes inæquales, & semper vna pars diuisionis paritati, altera imparitati deputatur, vt vij. si diuidas in tria, & iiij. altera portio par, altera impar inuenitur. Et hoc generaliter in omnibus imparibus inuenitur. Est autem vnitas genitrix omnis pluralitatis & causa imparitatis & paritatis, nam si impari addideris vnitatem, necessario parem numerum generabit, & si de paritate vnitatem dempseris, mox imparẽ numerum procreabis. Omnium etiam numerorum circa se positorum, & naturali dispositione sibi inuicem coniunctorum medietas est vnitas. Verbi gratia si dicatur. j. ij. iij. vnitas addito binario, facit binarium inter vnum & duo esse medium. Item si dicatur. j. ij. iiij. vnitas addita binario, facit ternarium esse medium inter binarium & quaternarium. Similiter si dicatur iij. iiij. v. vnitas addita ternario, facit quaternariũ inter iij. & v. esse medium, & sic de aliis ascendendo procedendum est. De partibus autem & speciebus numeri paris pariter & imparis supra dictum est. Istorum autem numerorum singulas procreationes, proportiones, conuenientias & differentias prosequi esset longum, ideo de numerorum proprietatibus hæc sufficiant. Hoc solum autem sciamus quod medium inuenire in numeris difficile est, *Vt dicit Isid.* quia numeros esse infinitos certissimum est, quia quantumcunq; aliquem protraxeris & finem faciendum putaueris per additionis vnitatum totum numerum parem vel imparem prolongabis. Rationem autem & proprietatem medii numerabilis sic aduertere poteris, primo coniunge extrema, & diuide & inuenies medium, verbi gratia, pone ꝑ extremis vj. & xj. similiter iunge. xviij. partire æqualiter, & erunt, ix. & est anologicũ in arithmetica,

vt me-

vt medius numerus quot monadibus superat primum, totidem superetur ab extremo, superat enim nouem sex in tribus monadibus & totidem ab vndecim nouenarius superatur, *Vt dicit Isi li.3.* vnde superius posita excerpta sunt.

Cap. CXXVII.

De Mensura & pondere.

MEnsuræ autem & pondera sæpissime locum obtinent in scripturis, quorũ rationes & proprietates ortum habent à Geometrica disciplina, nam *Vt dicit Isi. lib. 3.* Geometria est mensurandi scientia, quæ continet in se lineamenta & spacia siue interualla, figuras & magnitudines, & in figuris numeros ac dimensiones, vt patet in circulis triangulis, quadrangulis, pentagonis, & aliis infinitis, de quibus omnibus non est præsentis negocii multa diffinire, sed pauca tangere propter simplices, *de quibus facit Isid. mentionem dicens sic.* Geometriæ quadripartita est dimensio in planum, in magnitudine numeralem rationalem & in solidas figuras. Planæ figuræ sunt, quæ longitudine & latitudine continentur, quæ sunt iuxta Platonem numero quinque. Numeralis magnitudo est, quæ diuidi potest secũdum numeros, quæ in arithmetrica edocentur. Magnitudines rationales sunt quarum mensuram scire possumus per iudicium rationis sicut irrationales, quarum mensuræ quantitas cognita non habetur. Figurę autem solidæ sunt, quæ longitudine, latitudine & altitudine continentur, vt est cubus. Sunt autem plane figuræ plures species, *Vt dicit idem*, quia prima plano pede est circulus qui vocatur circunducta in cuius medio punctus est quo cuncta conuergunt, & punctum illum geometrici centrum vocant plano pede, ita:

Quadrilatera figura est in plano quadrata, quæ sub quatuor rectis lineis iacet.

Diacrate congramanon figura est plana.

Orthogonum, id est, rectiangulum figura plana est, id est, triangulus, & habet angulum rectum.

Hisopleros figura est plana & recta super in solidum constituta.

Sphæra est figura in rotundum formata, quæ in cunctis partibus in solidum est æqualis.


Cubus est figura propria solida quę in magnitudine, latitudine, & longitudine continetur in solidum.


Cilindrus est figura quadrata habens superius semicirculum.


Conon est figura quæ ab amplo in angustum finit.


Pyramis est figura quæ ad modum ignis ab amplo in acutum consurgit.

Vtitur autem hæc disciplina primo pũcto, cuius pars nulla est. Inter omnia, quæ mensurari possunt, est minimum dimensiue, & tamen maximum potestatiue, quia omnium linearum est principium, à quo omnes incipiũt & progrediuntur & in qua omnia finiuntur. Secundo vtitur linea, quæ est recta longitudo sine latitudine æque ex æquo iacet in suis punctis, quia à puncto incipit & in puncto finitur. Superficies vero est longitudo cum latitudine. Spissitudo autem habet trinam dimẽsionem scilicet latum, longum & profundum siue altum. Ex istis tribus dimensionibus consistit omne corpus scilicet ex longo, lato & perfundo, & ex his tribus contingit omnẽ corpulentam substantiam habere pondus numerum & mensuram, poteris autem secundum artem numerandi medium geometricum inuenire, nam eius extrema multiplicata tantum faciunt, quantum & media duplicata. Verbi gratia. vj. & ix. faciunt septuagesies dipondius, media vero scilicet. viij. & xij. multiplicata tantum faciunt, *Vt dicit Isid. lib* 3. Circulus itaque est linea à puncto vsque ad punctum & centrum, in æquis spaciis circumducta. Est autem circulus figura simplicissima, capacissima, ab omni angulositate remotissima, exterius euexa, interius conuexa, motui aptissima, & reuolutioni congrua, cuius circumferentia à suo punctali centro est remotissima inter omnes figuras perfectissima. Omnes figuras & figurabilia ambiens omnia potestatiue intra se continens, & à nullo extra se præterquam a se est contenta, vt patet in circulo Cœli, quia ambit omnia, & non ambitur, continet omnia & non ab alio extrinsecus continetur, *Vt dicit Isido.* sicut infra 10. est omnis numerus: ita infra circulum omnium figurarum clauditur ambitus ita. Et vt breuiter dicam circuli perfectionem & rationem circularem quadam naturali æmulatione omnia mirabiliter imitantur, nam circularem formam cœlum sibi vendicat

dicat & motum. Sic planetarum orbes in se circulatiter reflectuntur. Sic siderum cursus annorum & mensium & diuersorum temporum anfractus a se incipere & in se redire continue concernuntur. Sic elementa inuicem agunt & patiuntur, & quæ per corruptionē desinere videntur, per generationem iterum reuertuntur. Sic & cōtinui marium fluxus & refluxus fluunt & refluunt, & cum desierint iterum oriuntur. Sic herbæ & arbusta, fructus & semina vice reciproca a se exeunt, & in se conuertuntur. Sic cœlestes spiritus a Deo exeunt per creationem, & in Deum mouentur per affectionem, a Deo emittuntur per formationem, & ad Deum reuertuntur per gratiarum actionem. Sic & anima rationalis ab Aristotele comparatur circulo, rōe suæ perfectionis & capacitatis, omnium n. figurarum isoperimetarum, id est, æquales ambitus habentium, maior est circulus, & ideo totus mundus sphæricam habet formam, qui ad hoc creatus est, vt eum capiat anima per intellectum. Vniuersitatis etiam conditor, scilic. Deus in circulo designatur. Nam, *vt dicit Termegistus*, monas monadem genuit, & in se suum reflectit ardorem, id est, amorem. Nam Pater generat & genuit ab æterno Filium, & per Filium spirat Spiritum sanctum, qui est ardor, id est, amor vtriusque atque nexus. Nam Deus Pater ab æterno se intelligit perfecte, & intelligendo perfecte se diligit, quæ dilectio vltra se ad aliud non extendit. Sed potius ad intelligentem & intellectum, id est, Patrem & Filium, a quibus procedit ipsa dilectio, ad modum circuli se reflectit. Vnde idem est Deus in essentia Pater intelligens, & intelligendo Filium gignens, & Filius a Patre genitus & intellectus, & amor a Patre per Filium procedens, & in vtrunque se reflectens, scil. Spiritus sanctus. Ex quo patere potest, quod perfectio est in diuinis personis, quia earum pluralitas Trinitatis numerum non excedit, ideo etiam Secundus philosophus interrogatus quid sit Deus? sic respondit: Deus, inquit, est intellectualis circulus, cuius centrum vbique est, circumferentia vero nusquam. Ex quo patet, quod ratio circuli relucet in qualibet creatura.

Cap. CXXVIII.

De Figura Trianguli.

TRiangulus est figura habẽs tres angulos æquales duobus rectis, quid autem sit angulus rectus, alias determinatur. Comparatur autem anima vegetabilis, quæ habet tres potentias in se, scil. generatiuam, nutritiuam & augmentatiuam, triangulo, qui primus est omnium figurarum geometricarum, quia anima vegetabilis est prior omnium animarum, habens in se ternarium potentiarum. Est autem triangulus inter figuras angulares primus, quia solidam habens longitudinem, latitudinem & altitudinem, & ideo omnis figura habens plures angulos vt tetragonus, id est, quadrangulus, pentagonus, &c. tot in se concludit triangulos, quot lineæ ab angulo in angulum protrahuntur, vt patet in quadrangulo, qui duos continet triangulos, si ab vno angulo ad alium angulum oppositum linea deducatur, vt hic Et si ab alio angulo alia linea ad oppositum protrahatur quatuor angulos continebit vt hic & sic in omnibus figuris aliis totidem diuidunt trianguli, quot ipsam figuram angulos habere contingit, vt quadrangulus quatuor deductis lineis, triangulos quatuor continebit, & pentagonus 5. & hexagonus, 6. & heptagonus, 7. & sic de aliis, *Vt dicit Boe. lib. 2. Arithmet. cap. 6.* At vero triangula figura sic per angulos diuisa, in alias figuras non resoluitur nisi in se ipsam, in tres enim angulos diuiditur, vt patet hic. Adeo enim est hæc figura latitudinis princeps, vt cęteræ superficies in hanc resoluantur, ipsa vero quoniam nullis est principiis obnoxia, neque ab alia latitudine sumpsit initium in seipsam soluitur, *Vt dicit idem ibidem.* Nulla autem potest excogitari figura angularis, quæ non habet ortum & principium a triangulo, nam triangulus omnium aliarum formarum & figurarum est principium & elementũ & hoc patet in numeris. Nam quaternarius nascitur ex ternario, qui triangulus est siue trigonus, & ex vno qui potestate trigonus est generatur. Nam hanc dignitatem habet vnitas quæ mater est omnium numerorum, vt in se vim obtineat non actu, sed potestate omnium numerorũ, quæ ab ipsa generantur, *Vt dicit idem Boe. lib. 2. cap. 18.* sic &

penta-

entagonus ex quaternario supra se posito & vnitate, quæ cem supplet trianguli generatur, & sic de omnibus aliis umeralibus figura potest ostendi, quia semper ex figura riangula quilibet numerus generatur, sicut ibi in termiis. Boe. determinat manifeste ponens exemplum in teragonis, pentagonis, hexagonis, heptagonis, & in aliis hultis, habet & aliud singularis proprietatis figura trianularis, quia omnis alia figura sibi potest esse basis, & ex ase supposita, potest surgere figura triangularis, quia onis alia figura pyramidalis habens in se formam trianularem, tot in se continet triangulos, quot continet anulos in se ipsa basis, verbi gratia, si ponatur quadrangula ro base, potest super surgere figura pyramidalis, tot in se ontinens triangulos, quot in se tetragonus, id est, dignocitur angulos continere, vt patet in hac figura. imiliter si basis fuerit pentagona, pyramis surgens triangularis, 5. triangulos repræsentare poterit supra baim, vt patet in figura pyramidali posita super basim penagonalem. Sic etiam supra basim hexagonam potest surgere pyramidalis figura sex continens triangulos manifete, & sic de aliis. Ipsa etiam figura trianguli poterit pyranidalis esse basis, vt dicit idem, & in ipso triangulo pyranidali triplex angulus secundum tres angulos poterit inueniri. Mira itaque videtur diuina dispositio in omnibus. Sed potissime in numeris & figuris, de aliis autem figuris tam numeralibus quam geometricis, modo videtur upersedendum propter difficultatem & infinitam figurarum diuersitatem, sed aliquarum consideratio maximam confert vtilitatem Theologicę disciplinæ, vt patet in quaarangulo, qui est inter figuras & numeros solidissimus, æquis lateribus distinctus, & Euangelicam repræsentans doctrinam, quæ per 4. partes orbis immobilem obtinet veitatem atque firmam, *vt dicit Beda super Gene.* Angulus autem multarum figurarũ est commune subiectum, quia omnes prædictæ figuræ sub diuersitate angulorum terminantur. Est autem angulus duarum linearum alternus cõtractus, secũdum modum autẽ contingendi se variatur angulus, quia nunc rectus nunc obliquus, vel reflexus, nunc acutus nunc obtusus. Maxima autem virtus consistit in angulo recto, quia in ipso tota virtus, quæ consistit in li-

neis à basi confluentibus, ad angulum fortificatur propter linearum concursum pariter & contactum, vt patet in oculo, quia omnia comprehendit sub angulo, nam radii, qui linealiter veniunt à re visa, faciunt vnam pyramidem, cuius conus est in pupilla, & basis in re visa, & hi radii inangulantur in centro pupillæ, & per angulum illum pyramidalem formatur visus, *Vt dicit autor perspectiue. Quære supra libro tertio, de natura visus, & in libro quinto, de natura oculorum.* Partes itaque oppositæ inter se & abinuicem separatæ, in angulis conueniunt & pariter in vnum finiuntur. Pauca itaque de natura figurarum & angulorum, exempli gratia, sunt hæc dicta, vt sciamus quia illorum ratio est necessaria ad diuersa mysteria diuinæ paginæ cognoscenda, quæ sub numerorum & figurarũ metaphoris multiformiter sunt velata. Nam sicut circulus signat animam rationalem, & triangulus animam vegetabilem, sic quadrangulus animam sensibilem. Nam sicut quadrangulus linea ducta ab angulo vsque ad angulum oppositum duos continet triangulos, sic anima sensibilis duplicem in se habet triangulum potẽtiarum seu virtutum, nam anima sensibilis præter tres potentias vegetabiles habet virtutem apprehensiuam, concupiscibilem & irascibilem, quia anima sensibilis est vegetabilis, & non è conuerso, & sic de aliis figuris diuersæ rationes mysticæ & spirituales eliciuntur, & spiritualia corporalibus adaptantur. Sub istis autem figuris comprehenduntur mensurarum & ponderum rationes.

Cap. CXXIX.

De Mensuris corporum mensurabilium.

Est autem mensura, *Vt dicit Isid. lib. 16. cap. penul.* res aliqua modo suo vel tempore circumscripta. Et hæc est aut corporis, aut temporis, aut spacii localis. Corporis mensura est, vt hominum seu lignorum, aliarumq; rerum corporalium breuitas vel longitudo. Omne enim corpus dimensionem habet propriam & mensuram, proprie autem mensura est vocata, eo quod fruges & liquores, cæteraque sicca & humida eã metiuntur, vt modius, vrna, amphora

phora & sextarius. Mensurarum autem minima pars est cochlearium, quod est dimidia pars drachmæ, ponderans siliquas 9. qui triplicatus conchulam facit. Nam conchula drachma vna & dimidia adimpletur. Cyatus autem pondus continet 10. drachmarum, quibus si quinq; addideris, dicitur oxifalus. Acetabulus quarta pars est heminæ 12. drachmas cōtinens. Cotula est hemina continens cyathos, 6. quæ ideo cotula dicitur, quia κότη Græco sermone incisio dicitur, & hemina sextarii in duo ęqualia incidatur & cotula nominatur. Hemina autem appendit libram vnam, quæ geminata sextarium facit. Est autem sextarius mensura duarum librarum, quibus assumptis bilibris nominatur, assumptus autem quater Græco sermone fit cenith, quinquies autem cōplicatus quinarem siue Gomor facit, adiice sextum, congium reddit. Nam congius sex metitur sextariis, à quo sextarius nomen sumpsit. Congius à congiendo, id est, per augmentum crescendo vocatur. Vnde & pecunia gratia beneficii data congiarium est vocata. Vnusquisque enim imperator fauorem populi captans, adiiciebat ad mensurã, vt in donis largior videatur.

Congiarum autem est, specialiter mensura liquidorum, cuius rem & nomen simul à Romanis impositum inuenimus. Metreta liquidorum est mensura, à μέτρον Græco sic vocata, & est commune nomen ad omnes mensuras liquida continentes. Modius est dictus, eo quod ex suo modo sit perfectus. Est autem mensura librarum xliiij. id est, sextariorum xxij. & ideo operationum perfectarum Dei typus est & figura. Viginti duo opera fecit Deus infra opera, vj. dierum, nam primo die fecit Deus septem, scilicet materiam informem, angelos, lucem siue ignem, cœlos superiores, aquam, terram & aerem. Secunda firmamentum Solis. Tertia die quatuor, maria, semina, sationes & plantaria. Quarta die fecit tria, scilicet Solem, Lunam & stellas. Quinta die tria, scilicet pisces, reptilia & volucres. Sexta die fecit 4. bestias iumenta, reptilia terræ & hominem, & facta sunt viginti duo rerum genera in diebus sex. Et viginti duæ generationes sunt ab Adam vsque ad Iacob: ex cuius semine nascitur omnis gens Israel. Et vigintiduo sunt libri Veteris Testamenti vsque ad Hester. Et 22. literarum ele-

menta quibus tota traditur diuinæ legis disciplina. His igitur exemplis modius mensuram vigintiduorum sextariorum continet secundum Moysi traditionem, & est modius à modo dictus, quasi mensura moderata, *Vt dicit Isid.* Satum genus est mensuræ iuxta morem prouinciæ Palæstinæ, vnum & dimidium modium capiens vel continens, cuius nomen est ex hebraico sumptum. Satum enim apud eos sumptio siue leuatio nominatur, eo quod qui metitur eandem mensuram sumat atque leuet. Satum tamen aliquando ponitur pro modio, 12. sextariorum, *Vt dicit idem.* Batus est mensura capiens sextaria 50. & est batus in liquidis sicut in siccis chorus & ephi. Amphora ab ansis est vocata, quibus hinc inde leuatur, & recipit frumenti vel modios Italicos tres. Cadus est amphora continens tres vrnas. Vrna autem est mensura quam quidam vocant quartarium, & est proprie dicta vrna, quæ pro condendis defunctorum cineribus adhiberi solet, *de quo poeta Lucanus:*

--Cœlo tegitur qui non habet Vrnam

Artabo mensura est apud Ægyptios, 72. sextariorum composita sic dicta ex numero, propter 72. linguas gentium, quæ orbem impleuerunt. Gomor est mensura 40. modiorum, *Vt dicit Isid.* vel dicitur mensura quatuor modiorum, *Vt dicit glossa super Exo. cap.* 16. Eborus est mensura 30. modiorum, & est sic dictus à coaceruatione, coaceruati enim modii 30. instar collis videntur & onus cameli efficiunt. *Hucusq; Isidorus lib.* 16. Sunt & multa alia mensurarum genera, quorum nomina non sine grandi mysterio sacræ scripturæ sunt inserta, nam quodlibet vasculum rerum mensurabilium contentiuum sub mensuræ nomine continetur, vt patet in diuersis exemplis. Acetabulum enim dicitur vasculum, in quo vinum Deo offerendum in sacrificio probari debuit, an esset purum vel corruptum. Vas autem vbi probabatur & acceptabatur acceptabulum dicebatur, vasculum in quo acetosum & corruptum ponebatur, acetabulum vocabatur, *Vt dicit Isidorus lib.* 10. Ampulla est modica liquoris mensura, dicta quasi ampla bulla, similis enim est in rotunditate bullis, quæ ex spumis aquarum fiunt, & ex venti subtractione exciduntur subtilitate non modica & inflantur. Alabastrum est vas

vnguen-

vnguentarium à suo genere sic vocatum, quia ex sua proprietate omnia vnguenta intus posita conseruat diutissime incorrupta, *Vt patet supra in tractatu de lapidibus.* Arca vas est repositorum & mensuratiuũ, in quo res repositæ à visu arceantur, ne passim ab omnibus videantur. Inde etiam dicitur arcanum, id est secretum, quod à cognitione multitudinis ex industria est arctatum. Amphora est determinata mensura ab ansis siue auribus nominata, *Vt patet supra.* Batus est mensura rebus liquidis mensurandis secundum legis continentiam deputata. Bachia est mensura bachi, id est vini vsibus generaliter deputata. Calix determinata est potus portio & mensura, à calo quod est lignum dicta, quia talia vasa prius de viminibus ligneis componebantur, sicut & calathi. Chatinum est vas fictile cibis vel potibus deputatum, & dicitur melius neutraliter quam masculine, sicut & salinum, id est, salis vasculum, *sicut ibidem dicit Isidorus.* Cacabus est vas coquinarium, diuersis vsibus & decoquendis carnibus deputatum, idem etiam vas cotula nominatur. Cadus idem est quod dolium paruum, continens modios tres, *Vt dicitur supra.* Calathus autem est vasculum vimineum vuis & ficubus deferendis appropriatum. Cribrum est vasculum rotundum, multis foraminibus oculatum, sic dictum quasi curriferum, eo quod in eo currat triticum & frumentum. Nam in cribro concutitur triticum, vt á lapillis & paleis separetur.

Nam grana quæ sunt parua transeunt per foramina, paleis in cribro remanentibus ac lapillis. Cista arca est modica. Vnde diminutiue dicitur cistula & cistella à costis cannæ vel viminibus, quibus texitur nominata. Cophinus est vasculum ex virgultis contextum, ad deferendum stercora deputatum, *sicut dicitur in Psalmo, manus eius in cophino seruierunt.* Celata sunt vasa aurea vel argentea signis euidentioribus intus vel extra expressa, à celãdo dicta, quod est genus ferramẽti, quod vulgo cilionem vocant, *Vt dicit Isidorus.* Cymbra sunt poculorum genera in extremitatibus oblonga, & in medio lata ad modum cymbæ nauis. Cochlear est instrumentum modicum mensuræ oris proportionatum, quo varia ciborum genera & maxime liquida ori manus officio deferuntur, hinc est illud dictum Martialis.

Sum eocleis habilis & nec minus vtilis ouis.
Nunquid scis potius cur cocleare dicor.

Isidor. Discus idem est quod scutella lata & rotunda ab isco, id est scuto sic vocata, dicitur autem discus quasi dans escas, id est, apponens, à quo discumbentes dicti sunt. Dolium vas est concauum à dolando, sic vocatum quod ex pluribus sit asseribus artificiose pariter colligatum. Emicadium est vas olearium continens dimidium cadum.

Oenophorum est vasculum continens vinum, οἶνος enim vinum dicitur, *de quo dicitur:*

Vertitur œnophori fundus sententia nobis, vt dicit Isi.

Enustis est species poculi siue vasculum quod ebibitur vno spiritu, id est, haustu, *vt dicit Isidorus.* Phiala est dicta à vitro, nam ὕαλον Græce vitrum dicunt, & est vasculum inferius latum habens collum strictum, in quo vinum discernitur potissime per colorem. Philaterium est paruum vas vitreum, vel crystallinum, in quo sanctorum reliquiæ conseruantur. Philacterium autem aliud est, scilicet membrana vel breuitellus, in quo Iudæi scribebant legem, vt religiosi viderentur, *iuxta illud dilatant enim philacteria sua, &c.* Fiscus saccus est publicus, quem habent exactores & in eo immittũt publicum debitum, quod redditur regibus, *iuxta illud, quod non accipit Christus capit fiscus.* Fiscella est vasculum modicum ad modum alueoli ex viminibus contextum & bitumine vel pice circumlinitum, sicut fuit vas in quo reponebatur Moyses, quando flumini exponebatur. Ganata est scutella maxima, concaua & profunda, sic dicta quasi cauata, g pro c litera posita, *vt dicit Isidorus.* Gazophylacium est vas repositorium, archa scil. vbi colliguntur ea, quæ ad indigentium curam in templo offeruntur, & est archa sic dicta, quasi gazarum, id est diuitiarum custodia, nam φυλάττειν Græce, custodire dicitur Latine, *vt dicit Isidorus*, vnde gazophylacia fuit archa vel domus reseruans communes oblationes omnium, sicut Musac regum & Corban sacerdotum, *vt dicit glossa super 4. librum Regum.* Hydria vocatur vasculum aquæ vsibus deputatum, ὕδωρ enim in Græco, aqua dicitur in Latino. Canistrum est vasculum ex viminibus siue cannis arundinis contextum fructibus deferendis deputatum. Cattal-

lum

lum est consimile vasculum ex virgis albis & flexis artificialiter præparatum. Lampas est vas vitreum, tenue, subtile, fragile, planum, perspicuum, diaphanum, superius patulum, rotundum, inferius autem strictum & oblongum, igni nutriendo deputatum, & dicitur à lambo lambis, eo quod ad nutriendum flammam oleum lambere videatur, vnde omne vasculum in summitate lucens lampas dici potest, *vt dicit Hug. quare supra in libro* 15. *de metallis*, *& in capite de vitro*. Laterna dicitur, eo quod sit in ea interius lux inclusa, fit enim ex vitro vel ex cornu lucido siue quocunque perspicuo recluso intus lumine, vt venti flatus adire non possit, & ad lumen vndique præbendum, facile vbique circumferatur, *vt dicit Isidorus*. Lucerna à lucinio est dicta. Vnde breuis est syllaba lu prima. *Vnde Persius*:

Disposita pinguem nebulam vomuere lucernæ.

Si enim lucerna à luce diceretur falsus esset versus, *vt dicit Isidorus*. Licinius autem qui & lucinus est dictus, candela est lucernæ, *vt dicit idem*. Lagena est vasculum viniferum à lagenis græce sic vocatum, *vt dicit Isidorus*, lagena autem vulgariter vocatur barillum siue costrellum, cuius diminutiuum dicitur laguncula, quam nos dicimus barisellum, secundum autem naturam lagenæ vel bariselli, mutatur sapor & virtus ipsius vini. Vnde si lagena fuerit corrupta vinum fit corruptum. Optimæ autem lagenæ fiunt de tamarisco, à quo vinum contrahit saporem, & virtutem habet opilationes splenis dissoluendi, *vt dicit Constantinus*. Lauatorium siue labrum dicitur vas plumbeum siue æreum aquarum ad ablutionem manuum fistulis & conductibus receptiuum, & dicitur labrum non solum quia ad lauandum est factum, verum etiam à labio labrum dicitur, quia eius orificium repansum solet fieri ad modum labii & reflexum. Lauatoria etiam talia luteres dicũtur *in* 3. *libro Reg. cap*. 6. in quibus sacrificia templi à sacerdotibus lauabantur. Lenticula est vas olearium ex ære vel argento factum à liniendo dictum. Oleo enim sacro in talibus vasculis reseruato, reges & sacerdotes liniebantur, *vt dicit Isidorus*. Lebes est vas æneum ad vsum coquendi carnes præparatum. Vnde ex frequenti vstione nigredinem contrahit & immundiciam, & indiget frequenti confricatione & extersione, ex vitio autem metalli lebetes sicut &

calda-

caldaria inficiunt cibaria, diu in eis reposita, nisi ab eis citius extrahantur. Loculus est vas repositorium in quo pecunia quasi in priuato loco reseruatur, & est idem quod bursula vel marsupium, *vt dicit Isidorus.* Marsupium est vasculum repositorium, scilicet sacculus nummorum, & est à marsippa in græco in latinum deriuatum. Mulgarium est vas in quo pecorum lac mulgetur, *vt dicit Isid.* Moela est scutella maxima, profunda à rotunditate sic primitus nominata. Nam omnia rotunda dicuntur mala apud Gręcos. Nola modica campanella dicitur, à Nola ciuitate Campaniæ sic dicta, vbi primitus est inuenta, & est modicum vasculum sonorum, dictum tintinnabulum, sicut id quod sępius collis canum & pedibus auium est appensum, *vt dicit Hug.* Olla est dicta eo quod ebulliat in ea aqua igni subiecta, vt vapor altius emittatur. Vnde & bulla dicitur eo quod intus, qui in aqua venti spiritu eleuantur, super aquæ superficiem distendente vento per moram aliquam sustentantur. Paropsis est quadrangulum vas & quadrilatrium dictum, quasi paribus absidis. Patena est quæ fit dispansis & patentibus lancis oris, *vt dicit Isidorus.* Patera est genus phyalæ sic dicta eo quod ea potare solemus. Vel quia sit patens dispersis labiis, *vt dicit Isidorus.* Poculum à potando est nominatum. Est enim omne vas in quo est bibendi consuetudo. Patella dicitur quasi patula olla, os enim habet magis patens quam olla, nam orificium secundum latitudinem fundi habet latum, & est vasculum æneum vel ferreum multis vsibus necessarium. Peluis est dicta eo quod pellis manus vel pedis in pelui ablui consueuit. Pyxis est vasculum à buxo factum, vnde pyxis est vocatum, nam quod nos buxum, Græci pyxim vocant, fit autem pyxis nunc de metallis, nunc de ebore, nunc de lignis, & est vasculum variis vsibus deputatum & maxime literis deferendis conseruandisque electuariis, odoribus, liquoribus, pulueribus & vnguentis. Quisquilarium est vasculum vel quodcunque receptaculum vbi quisquiliæ, id est, frumentorum purgamenta reseruantur, *vt dicit Papi.* Sartago à strepitu soni est vocata, quando in eo ardet oleum. Est enim genus patellæ in quo cum pinguedine butyro vel oleo fit frixura. Siphon vas est, appellatum eo quod sufflando aquas fundat, nam talibus vasis funguntur orien-

orientales. Currunt enim cum siphonibus plenis aquæ, quando sentiunt domum ardere & extinguunt incendia, cum eisdem etiam mundant aras aquis expersis ad superiora, *vt dicit Isidorus.* Rapatorium est vasculum in quo rapulæ siue rapæ terra effossæ recipiuntur, custodiũtur vel etiam decoquuntur, *vt dicit idem.* Scyphus est vasculum ligneum vel argenteum siue vitreum in quo bibimus, vel de quo manus lauamus, *vt dicit Isidorus.*

Situla à siti est dicta, eo quod apta sit sitientibus ad bibendum, vel quia aquas sitit, dum eas nunc recipit nũc effundit, dum enim vna situla effunditur alia adimpletur. Sistarcia bursa est vel sacculus itinerantium in quo solent deferre panem, & reponere ea quæ ad viaticum necessaria sunt in via. Sporta est dicta in quo portantur panes, & alia quæ domui sunt necessaria vel sic dicitur, quia ex sparto fieri cõsueuit. Scorcia est vas olearium sic dictum, eo quod de corio sit factum, *vt dicit Isid.* Scutella à scuto per diminutionem est dicta, nam scuto paruulo & rotundo similis est, *vt dicit Isi.* Scrinium est parua cistula corio & clauibus circumtecta, in qua pecunia & alia familiaria reseruantur. Salinum est salmica, id est, vas aptum sali quasi salsica, *vt dicit Isid.* Trisilis est quodlibet vas quod ex tribus pedibus sustentatur, *vt dicit Isid.* nam quod quatuor pedibus sistitur, abusiue trisilis nuncupatur. Thuribulum est vasculum ęneum siue argenteum, siue aureum duplicatum inferius clausum, superius vero multipliciter perforatum, cremandi thuris ad thurificandi officio deputatum, per cuius foramina superius fumus thuris ignis incendio resolutus in aera euaporat. Partes autem eius duæ tribus cathenulis pariter continentur. Ventilabrum est vasculum siue instrumentum quo taleæ à tritico in vento ab inuicem separantur, & habet ventilabrum istud proprium, quod illud quod est leuius & vilius prius eiicitur, & quod est grauius intrinsecus occultatur. Vter est vas vinariũ, ex coriis animalium per artificium præparatum, & ideo vter ab vtero est vocatus, *vt dicit Constant.* Vrna est amphora de qua supra eodem. Vrceolus ab vrna diminutiue est dictus & est vasculum nunc vinis nunc aquis effundendis communiter assignatum. Proprie tñ solet vocari vasculum, in quo ponitur aqua ad lymphandum vinum in mensis & cõuiuiis dominorum

norum, à quo, & orion dicitur secũdum fabulas, quia deorum manibus infundit aquas in nuptiis Philolagię, *vt dicitur in Macrob. & in Marcian.* Sunt & multa alia vasorum genera, quæ secundum diuersas mensurandi capacitates in diuinis scripturis propter allegoricas significationes sæpius sunt inserta, sed proposita, exempli gratia, tãtummodo sunt expressa. Sunt insuper aliæ mensuræ spacii localis, de quibus *in Isid.* narratur in hunc modum.

Cap. CXXX.

De mensura spacii localis.

Mensura, inquit, est quicquid põdere, capacitate, longitudine, altitudine, latitudine animoq; finitur. Vnde & maiores nostri totum orbem mensurauerunt in partes, & partes in prouincias, & prouincias in regiones, quas in loca, quæ loca in territoria, & illa in agros, & illos in cẽturias, quas in iugera, & illa in climata, & illa in actus, & perticas, in passus, gradus, cubitos, pedes, palmos, vncias, & digitos diuiserunt, ita quod eorum solertia, á maximo vsque ad minimum nihil immensuratum penitus reliquerunt. Vocatur autem digitus pars minima agrestium mensurarum. Vncia est habens 3. digitos. Palmus quatuor habet digitos. Pes xvj. digitos. Passus pedes. v. Pertica pedes. xx. Pes. x. Dicitur aũt pertica quasi portica à portãdo, quia omnes præcedentes mensuræ, in eius corpore sunt, sicut palmus, pes, passus, &c. Sola vero pertica portatur, est enim x. pedum ad instar calami Ezechielis tẽplum mystice mensurantis. *De quo habetur Eze.* 11. Actus vocatur mensura latitudine pedũ iiij. & longitudine. cxx.. Clima est spacium quadrilatrium: habens in omni latere pedes. xl. actus quadratus vndique finitur pedibus ita actus duplicatus, iugerum facit, & ab eo quod est iunctum nomen accepit. Iugerum autem actum, constat longitudine pedum. cxj. & latitudine. cxx. Sunt & multa alia mensurarum genera, de quibus nil ad præsens, *vt dicit idem.* Sed hic attendẽdum est, quod stadialis ager habet passus. cxxv. id est, pedes sexcentos cuius mensura octies computata, milliarium facit, qui constat ex pedib. xx. millibus, *vt dicit Isi ibidem.* Centuria autem est ager ducentorum iugerum, qui sic vocabatur a.c. iugeribus ab antiquis, sed postea duplicata nomen retinuit semper primum, *vt dicit Isid. lib.* 15.

in c.penul.de mensuris. Mensuræ autem viarum diuersimode nominantur à diuersis. Nam Latini vocant milliaria, Græci *στάδια*, Galli leucas, Ægyptii signes, Persæ parasangas, nec mirum, quia singula spacia propriis continentur terminis & mensuris, *vt dicit idem*. Nam milliarium mille passibus terminatur, quia mille passus continet, & pedum. 5. millia. Leuca finitur passibus mille quingentis. Stadium octaua pars milliarii est, constans ex passibus. cxxv. Hoc primum Herculem statuisse dicunt, eo quod ipse tantum spacium sub vno spiritu concurrisset. Et ideo quia post tanti itineris spacium stetit, ipsum narrant. cxxv. pedum stadium appellasse, *vt dicit ibidem*. Via est spacium, quo potest ire vehiculum, sic dicta est ab incursu & occursu vehiculorum. Nam duos actus capit propter euntium & venientium vehiculorum occursum mutuum & concursum. Omnis autem via aut est publica aut priuata. Publica est, quæ in solo publico est, quæ inter actus populo patet. Hæc aut ad mare, aut ad oppida ducit, quæ etiam via strata est dicta, quasi vulgi pedibus trita. *Vnde Lucretius*:

Strataque iam vulgi pedibus detrita viarum.

Ipsa debet esse munda, solida, lapidibus strata, recta, pacifica, omnibus communis, libera, sine obstaculo, & offensa, *vt dicit idem Lucretius*. Priuata est via, quæ vicino municipio data est. Hæc solet esse compendiosa, graminosa, quia pedibus itinerantium minus trita, ex vtraq; parte viæ arboribus consita. Agger est media stratæ eminentia coaggregatis lapidibus strata, ab aggere, id est, á coaceruatione dicta, quam historici viam militarem dicunt, *de qua dicitur: qualis sæpe via deprensus in aggere serpens*. Iter netis, est via, qua ab homine quocunque iri potest. Differunt autem iter & itiner. Iter enim est locus transitu facilis, & ideo appellatus iter. Itiner autē est iter longæ viæ & ipse labor ambulandi, vt quo velis peruenias. Semita autem est medium itineris, à semi itu dicta. Semita autem hominum, callis vero pecudum vel ferarum. Callis enim est iter pecudum, inter montes angustum & tritum, à callo pecudum tritum & perduratum, & ideo á callo est vocatum. Tramites sunt in agris transuersa itinera, sic dicta, eo quod ad rectā viam transmittātur. Diuersum siue diuersoriū est flexus viarum, via scilicet tendens in diuersa. Diuerticulum autem est digressio, à latere viæ publicæ vel priuatæ. Biuium est dua-

rum viarum principium, quarum vna tendit ad dexteram, alia ad sinistram, & est locus vt sæpius periculosus & suspectus. Nam in biuiis insidiantur fures & raptores: in biuiis etiam expectant vel conueniunt meretrices. Est etiam locus ambiguus, quia quæ via sit tenenda, sæpius dubitatur. Et ideo ponuntur in biuiis imagines siue cruces, vt sciant quam partem viæ tenere debeant transeuntes. Compita est locus, in quo viæ conueniunt, sicut triuiæ, & quadriuiæ & est locus periculosus & dubius, sicut biuium. Ambitus est inter vicinorum loca & ædificia locus duorum pedum, & dimidii ad circũeundi facilitatem derelictus, & ab ambiendo, id est circumeundo, siue ab ambulando sic est dictus. Orbita est vestigium rotæ canthi, sic dicta ab orbiculari figura rotæ, quæ viam comprimendo cauat & profundat. Actus dicitur locus, quo pecus agi solet. Cliuosum est iter flexuosum. Vestigium pedis signum planta in terra vel in puluere impressum, sic vocatum, quia per vestigium via præeuntium inuestigantur, & imprimuntur. Relinquunt autem pedes animalium in suis vestigiis quoddam odoris indicium, quo a canibus venaticis, & ab aliis feris sæpius deprehunduntur, quod sciens leo delet sua vestigia cauda sua, ne ab insequentibus cognoscatur. *Hæc de mensurarum proprietatibus & differentiis dicta sufficiant, & quæ superius dicta sunt de Isid. lib. 15. ca. vlt. sunt sumpta.*

Cap. CXXXI.

De Ponderibus.

Ponderum etiam *vt dicit Isid.* sicut & mensurarum expedit scire modum. Cunctis enim corporeis rebus naturæ potentia pondus suum dedit, quoniam regit omnia pondus, & ideo pondus à ponendo est dictum. Omnia enim ponit pondus & collocat in suo loco, quia nihil aliud est pondus nisi impetus rei tendentis ad locum suum.

Duplex autem est ponderis principium effectiuum, scilicet leuitas & grauitas. Vnde leuitas in simplici materia & subtili mouet sursum, nec qescit, donec veniat ad locum suum: & ideo ignis suo põdere mouetur sursum, nec quiescit donec veniat ad sphæram suam. E contrario grauitas dominans in materia corpulenta & terrestri mouet deorsum, nec quiescit donec centrum inueniat, ad quod tendit & ideo omnia grauia suo pondere centrum petunt, vnde

omni-

omnis materia rara & subtilis duplicem habet causam leuitatis. Nam talis materiæ partes cum sint subtiles, mouentur á centro vsque ad circumferentiam, nec quiescunt quousque tangant eam. Talis etiam materia propter partium rarefactionem plurimum est porosa, & eius partes subintrat virtus ignea, quæ partes terrestriores dissoluit & consumit, & sic totum corpus leuigat, & sursum ducit. Vnde calor maxima est causa & potissima leuitatis, sicut frigiditas, cuius motus est á circumferentia vsque ad centrum, causa est compactionis partium & coadunationis, & per consequens grauitatis. Vnde omne corpus quanto est solidius & compactius, tanto grauius, & quanto rarius tanto leuius inuenitur, & cum pondus respiciat tam leue quam graue ratione inclinationis vtriusque ad locum suum sibi a natura naturaliter deputatum, nomen tamen ponderis sibi vulgariter vendicat ratio grauitatis. Nam quæ descendunt propter suam grauitatem, dicuntur ponderosa: quæ vero ascendunt sursum, leuia dicuntur, & propositum contra ponderosa vsualiter diuiduntur. Et ideo *dicit Isid. lib.* 15. quod pondus dictum est pensum, eo quod in statera pendeat iam libratum. Secundum autem istum modum sumendi vsualiter sortitur nomen ponderis aliquando res, in qua fit ponderatio: aliquando res ponderata: aliquando massa, circa quam res pondere iudicanda ponderatur. Instrumentum itaque in quo ponderatio fieri consueuit, diuersimode nuncupatur, dicitur enim trutina, quæ *secundum Isido.* est gemina ponderum lanx æquali examine pendens facta propter maiora ponderanda, vt sunt centenaria & talenta: sicut momentana pro parua modicaque pecunia appendenda. Statera á stando est dicta, eo quod duabus lancibus in vno medio stylo librata æqualiter fiet: lances dicuntur autem Scyphi ænei duo tenuissimi, in quarum vna ponitur pondus ponderans & in alia res ponderanda. Est itaque iustum pondus, quando ambæ lances cum suis ponderibus æqualiter sub inuicem correspondent. Stylus autem siue lingua sequēs lancem magis ponderantē momentum stateræ nominatur. Vocatur filum medium quo trutinæ statera regitur, & lances adæquantur examen, *vt dicit idem.* Vnicuique autem ponderi certus est modus nominibus propriis designatus, *vt dicit Isido.* Calculus enim

 dicitur

dicitur minima pars ponderis, & est quarta pars obuli con-
stans ex pondere duorum granorum lentis, & vocabatur
calculus propter paruitatē, quia calculus est ita modicus
vt sine molestia conculcetur. Siliqua 20. pars est solidi, cu-
ius nomen à fructu arboris est sumptum. Obulus siliquis
tribus appenditur, fiebat enim olim ex ære ad modum sa-
gittæ. Vnde & nomen accepit, sagitta enim obulus à Græ-
cis dicitur, *Vt dicit idem*. Scrupulus sex siliquarum ponde-
re cōstat, & apud Græcos drachma vocatur, & est dictus si
diminutiue à lapillo breui, qui scrupus vocatur. Drachma
est octaua pars vnciæ & denarii. Pondus argenti trib. con-
stat scrupulis, id est decem & octo siliquis. Denarius autem
est dictus, quia pro decem nummis reputatur, *Vt dicit idē*.
Solidus est vocatus quia nihil ei deesse videtur, nam vete-
res integrum solidum dicebant atq; totum. Numisma idē
est quod denarius, nomine & effigie principis insignitus, nā
ab initio numisma nummus argenteus erat, *Vt dicit Isidor.*
Sextula idem est quod solidus, sic dictus eo quod bis sex
vnciis compleatur. Hanc vulgus aureum solidum vocat,
cuius tertiam partem tremissem vocant, eo quod solidum
facit tremissis. Sextula bis assumpta duellam facit, ter po-
sita staterē reddit, *Vt dic. ibid. Isid.* Stater est medietas vnciæ
appendēs aureos tres, vnde & vocatus est stater, quasi trib.
solidis stet, hic & semiuncia dicitur, quia semis hēt de vncia,
hic & semissis quia ponderis semissis est, quasi semis assis
Vt dicit idem. Est autem as assis minimum in ponderibus,
sicut vnitas in numeris, *Vt dicit Glo. ibi*. Nonne duo passe-
res asse veneunt. Quadrans quartam partem vnciæ ponde-
rat, & dotrans dicitur in Hebraico, siclus in Latino, sicel
dicitur in hebræo, habens apud eos vnciæ pondus. Apud
Græcos vero quemadmodum apud Latinos siclus quarta
pars vnciæ est, stateris medietas, drachmas appēdens duas,
vnde siclus in literis diuinis vncia est, sed apud gentiles
quarta pars vnciæ. Vncia est dicta eo quod vniuersitatem
minorum ponderum sua vnitate vnciat siue vniat & com-
plectatur. Constat autem ex drachmis 8. id est scrupulis 24.
quod pro legitimo pondere habetur, quia numerus scrupu-
lorum eius horas diei & noctis metitur, vel quia libram
efficit duodecies computata. Libra duodecim vnciis perfi-
citur, & ideo genus perfecti ponderis reputatur, quia tot

vnciis constat, quot mensibus annus. Est autem libra dicta quasi libera quia cuncta intra se pōdera prædicta continet & cōcludit, *Vt dic. Isid. ibid.* Bilibris duas continet libras. Est enim bilibris libra duplicata. Mina. C. drachmis appenditur, & est nomen græcum. Talentum summum pondus esse dicitur apud Grecos, nam nihil calculo minus siue asse, quod enim facit vnitas in numeris, hoc facit as siue calculus in ponderibus, talento vero nihil est maius. Sed hoc pondus variatur inter gentes. Nam apud Romanos talentum est, 72. librarum sicut Plautus ostendit, qui dicit duo talenta esse. 144. librarum. Est autem talentum triplex, minimum, medium & summum. Minus est L. librarum. Medium 72. Summum. 100. & 20. librarum constat, & illud talentum fuit talentum sanctuarii. Centenarium numeri nomen est & est summū, eo quod C. librarum pondus contineat, quod pondus propter perfectionem numeri centenarii instituerunt Romani. *Hucusque Isidor. lib. 15. in c. de ponderibus & mensuris.*

Cap. CXXXII.

De Musica siue Modulatione Cantus

SIcut aūt subseruit Theologicæ disciplinæ ars numerandi, & mensurādi, sic eidē famulatur scientia modulandi. Nam Musica q̄ modulationis in sono & in cantu est peritia, sacræ scripturæ mysteriis valde est necessaria. Nam ipse mundus quadam harmonica proportione fertur esse compositus, *Vt dicit Isidor. lib. 3.* & cælum ipsum sub consonantiæ modulatione dicitur circumagi & reuolui, nam musica mouet affectus, in diuersos habitus prouocat sensus. In præliis quoque tubæ concentus pugnantes accendit, ac quanto vehementior fuerit clangor, tanto fit animus ad certamen fortior. Siquidem & remiges cantus hortatur ad tolerandos quoslibet labores, animum enim mulcet, & singulorum operum fatigationes vocis modulatio consolatur, exercitatos quoque animos sedat Musica, sicut legitur de Dauid, quia spiritu immundo Saulem arte modulationis liberauit. Ipsas quoque bestias nec non & serpentes, volucres atque delphines Musica prouocat ad auditū. Sic venę, sic nerui corporis & eorum pulsus, sic omnes corporis artus virtute harmoniaca pariter sociantur, *Vt dicit*

Isid. Musicæ autem tres sunt partes, scil. harmonica, rythmica, metrica. Harmonica vero est, quæ discernit in sonis acumen & grauem secundum arsim & thesim, scil. eleuationem & depressionem, & proportionalem soni & vocis mutationem, & est harmonica dulcis cantuum consonantia, proueniens ex proportione debita, in diuersis vocibus, flatibus, pulsibus siue sonis, *Vt dicit Isidor.* aut voce editur sonus sicut per fauces, aut flatu sicut per fistulam atque tubam, aut pulsu vt per cymbalum aut citharam & huiusmodi, q̃ percussa sunt canora. Et dicitur, harmonia ab ad & *μόνος*, id est, vnum quia ad vnam concordiam tendunt in cantibus omnes voces, *Vt dicit Huguit.* nam in omni melodia exiguntur plures voces siue soni, & hi concordes, quia vbi est vox vna tantum aures non placat, sicut est vox cuculi siue cantus, vbi autem plurium est dissona diuersitas non delectat, quia talis diuersitas per discordiã non cantum sed vlulatum procreat. Sed vbi est vocum plurimarum & diuersarum concors vnio ibi harmonica proportio est & modulatio siue dulcis symphonia. *Vnde Isidorus.* Symphonia, inquit, est dulcis modulationis temperamentum concordans sonis in grauibus & acutis, & per hanc harmoniam voces acutiores & grauiores conueniunt & concordant, ita vt si quis ab eo dissonuerit, sensum auditus offendat, & talis concordia vocum dicitur *εὐφωνία* quæ est vocis suauitas, quæ à suauitate & melle dicitur melodia, cui contraria est dyaphonia, id est, vox dissonans siue discrepans & deformis ad melodiam. Ad harmonicam faciendam requiruntur diastema, diæsis, tonus, Hypolydius, Hypodorius, arsis, thesis & suauis vox siue sonus temperatus. Diastema itaque dicitur vocis spácium ex duobus vel pluribus sonis aptatum. Diæsis dicitur spacium & reductio modulandi atque vergendi de vno in alterum sonum. Tonus est acuta enunciatio vocis, est enim Harmoniæ differentia & quantitas, quæ in vocis accentu vel tenore consistit, cuius genera in 15. partibus Musici diuiserunt, ex quibus dicitur Hypolydius nouissimus, scil. & acutissimus, *Vt dicit Isidor.* Arsis est vocis eleuatio, id est, initium cantus. Thesis est vocis positio, & hic est finis, *Vt dicit Isidor.* Vnde cantus est vocis inflectio. Nam sonus directus est, *Vt dicit idem*, & sonus præcedit cantum. Omnis

enim

enim vox est sonus sed non econuerso. Nam sonus est obiectum auditus, quia quicquid auditu percipitur sonus dicitur, vt fragor arborum & collisio lapidum, strepitus fluctuum & ventorum, garritus auium, mugitus animalium, voces, clamores & clangores hominum, & percussiones organorum. Vox autem proprie dicitur sonus ab ore animalis prolatus. Ex aere autem percusso & ad superficiem duri corporis alliso generatur sonus, cuius allisionis percussio citius & facilius visu percipitur, quam eius sonitus audiatur, & ideo citius videtur præcedens corruscatio quam tonitruo aures hominis perfundantur. Vox autem est aer tenuissimus ictus, plectro linguæ formatus. Et est quædam vox significatiua naturaliter, vt garritus auium, & gemitus infirmorum, & alia significatiua ad placitum, vt vox hominis articulata, & ad aliquod verbum proferendum rationis imperio linguæ organo informata. Vox enim verbi vehiculum est, nec potest conceptum verbum in mente exterius exprimi, nisi vocis adminiculo mediante proferatur. Vnde intellectus primo verbum in mête gignit, quod per vocem postea ore promit. Vnde verbum à mente genitum & conceptum per vocem quasi per organum se exterius ostendit. Vox autem disposita ad cantum & ad melodiam habet duas proprietates, *vt dicit Isid.*

Suaues, inquit, voces sunt subtiles & spissæ & claræ, acutæ & perspicuæ. Subtiles sunt in quibus spiritus non est fortis, qualis est in infantibus, & in mulieribus, & in aliis nō habentib. neruos grossos, fortes & spissos. Nam subtiles corde emittunt voces siue tonos tenues & subtiles. Pingues vero voces & spissæ sunt, quando spiritus multus egreditur, vt est vox virorum. Claræ quando bene tinnulæ & sonoræ omni raucedine impermixtæ. Acutæ sunt valde altæ. Perspicuæ voces sunt, quæ longius protrahuntur ita quod continuo impleant omnem locum, sicut clangor tubarum. Dura vox & rauca est, quando violenter emittit sonum suum, sicut tonitruum & sonus incudis, quando percutitur ferrum durum. Aspera vox est rauca, & quæ dispergitur per minutos & dissimiles pulsus. Cæca vox est quæ mox cum emissa fuerit conticescit, atque suffocata, nequaquam lōgius producitur, vt patet in fictilibus. Vinolenta vox est mollis & vox flexibilis atque leuis. Et hæc

est dicta vinnolenta à vinno, hoc est, à tintinno molliter reflexa. Perfecta autem vox est alta, suauis, fortis & clara, alta vt in sublimi sufficiat, clara vt aures impleat, fortis ne trepidet & deficiat, suauis siue dulcis vt auditum non deterreat, sed potius vt aures demulceat, & audientium animos blandiendo ad se alliciat & conuertat. Si ex his aliquid defuerit vox perfecta nequaquam erit, *vt dicit Isid.* Est præterea harmonia organica quæ ex flatu constat, quando scil. aliqua instrumenta artificialiter præparata flatu debito persufflantur, ex cuius flatus quantitate & organi varia qualitate diuersi soni artificialiter procreantur, vt patet in organis, tubis, fistulis & consimilibus, quæ omnia varios sonus promunt. Organum est generale nomen vasorum omnium Musicorum, specialiter tamen appropriatum est instrumento ex multis composito fistulis, cui folles adhibentur, & hoc solo Musico instrumento vtitur iam Ecclesia in prosis, in sequentiis & hymnis, propter abusum histrionum, reiectis aliis fere instrumentis.

CAP. CXXXIII.

De Tuba.

TVba a Tyrrhenis primitus est inuenta, *de quibus Virg.*
Tyrrhenusq; tubæ mugire per æthera clangor.

Vtebantur autem antiqui tubis in præliis, & ad hostium terrificationem, ad commilitonum animationem, ad equorum bellicorum in pugnam prouocationem, ad bellorum innuendam congressionem, & signandam in certamine cum victoria venerationem, ad fugitiuorum reuocationem. Item vtebantur tubis in festis & in conuiuiis propter populi conuocationem, propter excitationem ad Dei laudem, & propter lætitiæ & gaudii præconizationem & inuitationem, præceptum enim fuit Iudæis, vt in bellis tubis sacris clangerent, & etiam in initio nouæ lunæ buccinarent, & vt annum iubilæum, qui annus erat remissionis, tubarum sonitu pronunciarent, & gaudium ac quietem omnibus promulgarent. Est autem proprie tuba *vt dicit Isi. lib.* 18. instrumentum bellicis certaminibus adhibitum ad denuncianda signa bellorum, vt vbi exaudiri præco non poterat præ tumultu sonitus tubæ clangentis attingeret, & tuba dicitur quasi toua, id est, caua, inte-

terius enim est concaua & valde plana propter ampliorem flatus receptionem, exterius autem est rotunda, circa tubantis orificium valde stricta. Sed in parte anteriori multum ampla, manu clangentis ad os ponitur, regitur, erigitur, deprimitur, & tenetur, cuius sonus varius est, *vt dicit Isido.* nam interdum canitur vt bella committantur, interdum vt eos qui fugiunt, insequantur, interdum vt exercitus intra se recipiantur.

Cap. CXXXIIII.

De Buccina.

BVccina dicitur quasi vocina, parua scilicet tuba cornea vel lignea siue ænea, qua signum dabatur antiquitus contra hostes. *Nam vt dicit Isi. li.* 18. Pagani agrestes ad omnem vsum pariter sono buccinæ conuocabantur. Vnde proprie buccina agrestibus signum fuit, *de quo Persius:*

Buccina cogebat priscos ad arma Quirites.

Huius clangor buccinum dicitur, *vt dicit idem*, buccinis autem corneis vtebantur Hebræi præcipue in Calendis in memoriam liberationis Isaac, pro eo cornuto ariete in sacrificio immolato, *vt dicit glossa super Gen.*

Cap. CXXXV.

De Tibia.

TIBia dicitur esse dicta, eo quod de ceruinis tibiis, & hinnulorum creditur primitus fuisse facta. Hinc tibicen dixerunt tibiarum cantus. Vel *secundum Hug.* tibia dicitur á τίβιν quod est scirpus vel calamus, quia a quibusdam calamis tale instrumentum antiquitus fiebat, & hinc dicitur hic tibicen, huius nis, ille qui tibia canit. Et fuit quondam instrumentum lugubre, quo vtebantur homines in funeribus mortuorum, *vt dic gloss. sup. Matth. 9. cum audissem tibicines, &c. carmen lugubre canentes.*

Cap. CXXXVI.

De Calamo.

CAlamus à calendo est dictus, id est, à fundendo voces, & est generale nomen fistularum. Nam fistula est dicta, eo quod vocem emittat. Nam φώνη Græce, vox Latine, στολὴ vero emissio: vnde fistula quasi emittens sonum siue vocem. Hac vtuntur venatores, quia eius sonum cerui libenter audiunt, sed dum vnius venatoris fistulatione cer-

uus ad auditum allicitur, mox ab alio de quo non pręcauet sagittatur. Vox autem fistulæ decipit volucres dum canendo earum simulat & fingit voces. *Vnde dicitur:*

Fistula dulce canit volucrem dum decipit auceps.

Fistula insuper delectat oues. Et ideo fistulis vtuntur pastores dum vigilant super gregem suum. Vnde & quidam nomine Pan dicebatur esse Deus pastoralis, qui primus dispares calamos ad cantum adaptauit, & studiosa arte composuit, *de quo Virgilius dicit:*

Pan primus calamos cera coniungere plures
Instituit, Pan curat oues ouiumque magistros.

Et ideo quia instrumentum fistularum ab eo inuentum, pandorium est vocatum, *vt dicit Isid.* Adhuc fistulis se excitant vigiles, & earum melodiæ suauitate ad dormiendum citius & suauius prouocant in lectulis quiescentes.

Cap. CXXXVII.

De Sambuca.

SAmbuca est genus ligni fragilis, cuius rami sunt concaui & vacui atque plani, vnde tibiæ componuntur, & quædam species symphoniæ, *vt dicit Isid.*

Cap. CXXXVIII.

De Symphonia.

SYmphonia est instrumentum musicum, quod fit ex ligno concauo, pelle contenta in vtraq; parte sua; quam musici hinc inde virgulis feriunt. Fitque in ea ex concordia grauis & acuti suauissimus cantus, *vt dicit Isidorus*, symphonia tamen dicitur collatio & concordia quorumcunque signorum, sicut chorus dicitur concors vnitas diuersarum vocum, *vt dicit gloss. super Luc. 15.*

Cap. CXXXIX.

De Harmonia.

HArmonia rhytmica, est canora melodia ex pulsu & percussione neruorũ & tinnitu metallorũ generata, & huic harmonię diuersa subseruiunt instrumenta, vt timpanum, cymbalum, lyra, cithara, psalterium atq; sistrum.

Cap. CXL.

De Timpano.

TImpanum est pellis siue corium, ligno ex vna parte extentum. Est enim pars media symphoniæ in similitudi-

tudinem cribri, & virgula percutitur, quemadmodum percutitur symphonia, *vt dicit Isid.* cui si iuncta fuerit fistula, dulciorem reddit melodiam.

CAP. CXLI.

De Cithara.

Cithara ab Apolline est reperta secundum Græcorum opinionem. Est autem cithara similis pectori humano, eo quod sicut vox ex pectore, ita ex cithara cantus procedit, & ideo sic appellata, nam pectus Dorica lingua cithara appellatur. Paulatim autem plures eius species extiterunt, vt psalteria, lyræ & huiusmodi, & aliquæ habent formam quadratam, aliquæ trigonalem. Chordarum etiam numerus multiplicatus est & commutatum genus. Veteres autem vocarunt citharam fidiculam vel fidicem, quia tam bene concurrunt inter se chordæ eius, quam bene conuenit inter quos fides sit. Habebat autem cithara 7. chordas: *Vnde Virg.*

Septem sunt soni, septem discrimina vocum.

Discrimina autem sunt dicta ideo, quia nulla chorda vicinæ chordæ similem sonum reddit. Ideo autem sunt septem chordæ, vel quia totam vocem implent, vel quia septem motibus sonat cœlum. Chorda autem est dicta, à corde, quia sicut pulsus cordis est in pectore, ita pulsus chordarum est in cithara. Has primo Mercurius excogitauit, idemque prior in neruos sonum strinxit, *vt dicit Isid.* Chordæ autem quanto magis sunt siccæ & etiam magis tensæ tanto amplius sunt sonoræ. Plectrum autem dicitur instrumentum, quo temperantur chordæ & tenduntur.

CAP. CXLII.

De Psalterio.

Psalterium à psallendo, id est, cantãdo est nominatum, eo quod ad eius vocem chorus consonando respondeat. Est autem similitudo citharæ Barbaricæ in modũ Δ literæ. Sed psalterii & citharæ hęc est differentia, quod psalterium lignum concauum, vnde sonus redditur, superius habet, & deorsum feriuntur chordæ, & desuper sonant. Cithara vero concauitatem ligni inferius habet. Psalterium Hebręi habent decachordẽ, id est, 10. chordarum, secũdum numerum 10. præceptorum. Fiunt autẽ optime eius chordulæ de aurichalco & etiam de argento.

Cap. CLXIII.

De Lyra.

LYra à varietate vocum est dicta, eo quod diuersos sonos efficiat, *Vt dicit Isi.* Lyram primo a Mercurio fuisse inuentam dicunt hoc modo. Cum regrediens, Nilus in suos meatus, varia in campis animalia reliquisset, relicta est etiam & testudo, quæ cum putrefacta esset, & nerui eius remansissent, extenti infra concham, percussa á Mercurio sonum dedit, & ad eius speciem lyram fecit, & tradidit Orpheo, qui huiusmodi rei maxime fuerat studiosus. Vnde dicebatur eadem arte nũ solum feras, sed etiam saxa & syluas cantus modulatione applicuisse. Hanc scilicet lyram propter studii amorem & carminis laudem inter sydera locatum esse Musici fabulantur, *Vt dicit Isid.*

Cap. CXLIIII.

De Cymbalis.

CYmbala sunt quædam musica instrumenta, quæ percussa inuicem se tangunt, & sonum faciunt & tinnitum.

Cap. CXLV.

De Sistro.

SIstrum est instrumentum musicum, sic ab inuentrice nominatum. Nam Isis regina Ægyptiorum sistrum inuenisse probatur. *Vnde Iuuenalis:*

Isis & irato feriat mea lumina sistro.

Ideo mulieres hoc vtuntur instrumento, quia eius inuentrix fuit mulier. Vnde & apud Amazones sistro ad bellum fœminatum exercitus aduocatur.

Cap. CXLVI.

De Tintinnabulo.

TIntinnabulum à tinniẽdo est dictum. Et est parua nola vel campanella, *quare supra de vasis de litera v.* Habet aut campana hoc proprium, quòd dum resonando aliis proficit ex frequenti ictu se consumit. Hæc & multa alia instrumenta deseruiunt musicæ disciplinæ, cuius scientia tractat de vocibus & sonis. Considerat autem nihilominus rerum naturalium dispositiones & numerorum proportiones, sicut exemplificat Boetius de numero duodenario comparato ad vj. & alios numeros intermedios dicens

cens

tens sic: Inuenimus, inquit, hæc omnes Musicas consonantias. Nam viij. ad vj. & ix. ad xij. comparati sesquitertiam proportionē reddunt, & simul faciunt diatessaron consonantiā. Sex vero ad ix. & viij. & xij. cōparati reddunt sesquialteram proportionem, & diapēte efficiunt symphoniam. xij. vero ad vij. considerati duplicem quidem reddunt proportionem, sed diapason symphoniam cantant. Octo igitur ad ix. ipsi circa se medii considerati epogdonum iungūt, qui musica modulatione tonus vocatur, qui omnium musicorum sonorum mensura est communis omnium enim sonorum est paruissimus. Vnde notandum est, quod inter diatessaron & diapente consonantiarum tonus differētia totius est sicut inter sesquitertiā & sesquialterā proportionem sola est epogdolis differentia. *Hucusque Boetius in lib. Arithmeticæ. c. vltim. Dicit etiam idem in prolego. 1. lib. sic.* si Musica, inquit, quem prior sit numerorum vis, ex hoc probari potest, quod priora sunt illa naturaliter, quæ per se constant, quam quæ ad aliquid referuntur, & ipsa musica modulatio numerorum nominibus adnotatur, vt patet. Diatessaron enim & diapente & diapason ab antecedentis numeri nominibus nuncupantur, ipsorum quoque sonorum aduersum se proportio solum & non aliis numeris inuenitur. Nam qui sonus in diapason symphonia est, idem duplicis numeri proportione colligitur, quod diatessaron est modulatio epitrita collatione, id est, sesquitertia colligitur vel componitur quam diapēte symphoniam vocant, hemiola mediante coniungitur, qui in numeris epogdonus, id est, supra. viij. dicitur est tonus in musica, *Vt dicit idem ibidem* sesquitertia proportio in Arithmetica dicitur diatesseron in musica, & quæ hemiola, id est, sesquialtera proportio in Arithmetica, diapente dicitur in Musica, est autem diapente & diapason consonantia quando maior vox habet minorem notulam duplo & eius medietatem. Sesquitertius numerus est numerus numero comparatus, habens tertiam partem minoris. Si vero habuerit. iiij. sesquiquartus, & si v. sesquiquintus & sic vlterius. Vnde sesquitertius est qui minori comparatus habet eum semel & eius tertiam partem. Verbi gratia, si. iiij. compares tribus, habebit in se quaternarius totum ternarium, & ternarij tertiam partem scilicet. j. & si viij. ad vj. octonarius habebit

totum

totum senarium & tertiam partem eius, scilicet binarium: & si xij. nouenario, duodenarius continebit totum nouenarium & eius tertiam partem, scilicet ternarium. Sic si xix. comparaueris ad xx. & xx. ad xxv. & xxiiij. ad xxviij Et ita de aliis sic semper inuenies. Numerus vero sesquialter est, quando numerus maior comparatus minori continet totalem numerum minorem & eius medietatē. Verbi gratia, ternarius cōparatus binario, habet in se duo, & eorum medietatem, scilicet vnitatem, sic, vj. continent in se iiij. & eorum medietatem, scilicet duo, sic. ix. senarium in se claudunt, & eorum mediam partem, scilicet iij. sic xij. ad viij. & xv. ad x. Et sic de aliis. Hæc siquidē verba in se sunt profunda plurimum & obscura, nisi his, qui in Arithmetica instructi sunt, & etiam in Musica disciplina. Nam arithmeticis, Geometricis & Musicis sunt luce plurima clariora, quę minus exercitatis in huiusmodi penitus sunt obscura: & ideo, qui prædictorum verborum & proportionum tam numerorum quam vocum & sonorum habere notitiam desiderat, Arithmeticorum & Geometricorum & Musicorum industriam consulere non contemnat. Tanta enim, *vt dicit Isid. in lib.* 3. est virtus in numeris, figuris, & musicis symphoniis, quod ipse homo sine eis non constet. Musica n. perfecta omnia comprehendit. Recollige itaque ex prædictis quod ars musica siue harmonia, cōtraria & disparata conciliat, grauia acutis & acuta grauibus modificat & adaptat, affectiones contrarias & aduersas reconciliat, malitiosos animi motus reprimit & refrænat, sensus debilitatos reparat & confortat, vnitatem exemplaris diuini in operibus contrariis & diuersis maxime pręconizat, terrenis cœlestia & cœlestibus terrena posse vniri in concordia manifestat. Lætos animos magis lætificat, & tristes magis tristificat. *Quia vt dicit Aug.* ex quadā occulta animæ & harmoniæ consimili proprietate, melodia animi affectionibus se conformat. Et inde est quod dicunt autores, *quod instrumenta Musica, lætum reddunt lætiorem, & tristem tristiorem efficiunt.* Residuas harmoniæ proprietates, quære supra in eodem, vbi ista & alia verba Isidori recitantur.

EPI-

EPILOGVS.

ISta autem quæ breuiter de rerum naturalium accidentibus interseruimus, vtputa de coloribus, liquoribus, ponderibus, mensuris, sonis & vocibus, iam dicta sufficiant, quia vt æstimo, rudibus & paruulis in CHRISTO mihi similibus, quæ de proprietatibus rerum naturalium in 19. particulas sunt digesta, sufficere debent ad aliquam inueniendi similitudinariam rationem, qua de causa diuina scriptura rerum naturalium & earum proprietatum, tam exquisitis symbolis vtitur & figuris. Protestor autem in fine huius opusculi, quemadmodum in principio, quod in omnibus, quæ secundum diuersas materias in hoc tractatu continẽtur, parum vel nihil de meo apposui: sed simpliciter Sanctorũ verba, & philosophorum dicta pariter & cõmenta veritate pnia sum secutus, vt simplices & paruuli, qui propter librorum infinitatem singularum rerum proprietates, de quibus tractat scriptura inuestigare non possunt, in promptu inuenire valeant saltem superficialiter quod intendunt. Simplicia siquidem sunt & rudia, quæ excerpsi, vtilia tamen mihi rudi & mei consimilibus eadem iudicaui. Et ideo suadeo simplicibus, vt hæc simplicia non contemnant: sed cum hæc plenius intellexerint, ad subtiliora intelligenda & inuestiganda ad maiorem & doctorum industriam recurrere non differant neque omittant, quorum prudentiæ & arbitrio hæc relinquo, vt minus sufficienter dicta vel excerpta corrigant, & si aliqua superaddere iudicauerint, secundum gratiam eis datam desuper addant, vt illud, quod per me pauperem, rudem & simplicem aliqualiter fuit inchoatum, perducatur eorum solertia ad perfectum, ad ipsius honorem & gloriam, qui est α. & ω. principium & finis omnium bonorum, qui est DEVS sublimis & gloriosus viuens & regnans in secula seculorum, Amen.

FINIS.

SEQVITVR INDEX ORDINARIVS RERVM ET VERBORVM, QVÆ IN HIS XIX. LIBRIS continentur.

Sunt autem duo numeri, quorum prior librum, alter folium denotat.

A.

Ange-

B.

Barba

Casia

D.

E.

F.

Febris

 Glis

Obſte-

Q.

R.

Vacca

V.

Z

LIBER

LIBRI DECIMI NONI agit de Coloribus, Odoribus, Saporibus & Liquoribus.

FINIS INDICIS.

